DISSERTATIONES ECCLESIASTICAE PRO FORO TAM SACRAMENTALI, QUAM CONTENTIOSO SEU...

Barthélemy Durand

M



DISSERTATIONES ECCLESIASTICÆ PRO FORO TAM SACRAMENTALI, QVAM CONTENTIOSO




SEU

Opus morale ad normam universi juris Canonici exactum


Authore R. P. BARTHOLOMÆO DURAND *Antipolensi, Ordinis Minorum Regularis observantia, Provincia Sancti Ludovici, lectore iubilato.*

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci ad Ripas



AVENIONE,
Apud FRANC. SEBAST. OFFRAY Typograph. & Bibliopolam Illustris. Archiepiscop. in Foro S. Desiderij

M. DCC. VI.



ILLVSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO GASPARI GVLIELMO

DE VINTIMILLE,

EX COMITIBVS MASSILIÆ, DV LVC,

Massiliensium Episcopo, Regi à Consiliis &c.

QUAM de re morali dissertationem offero, & clarissimi tui nominis patrocinio consecrandam emitto, hanc & tibi acceptam simul refero, Ecclesiæ Princeps Illustrissime; te siquidem dante fuit mihi illam scribendi otium; te sive privatim, sive palàm moralia docente, aut de moralibus decernente promovi, quòd te favente inceptum est; ac tandem peractum, te nedum dictis prælucente, sed factis, quibus pro norma uterer ad quam integrum opus dirigerem. Felici quidem exictu finem instituto facturus, & inchoatam rem numeris omnibus absolutam datu-

rus , si me propositum attigiße & insigne adeò tum doctrinæ, cùm morum exemplar expressisse, vel minimus afforet suspicandi locus. Verùm id me nullatenùs assecutum & oneri tanto imparem profiteor, neque aliquid magis à quovis alio fieri posse arbitror, quàm ut propter uberiorem & verbis sanè non æquandam dicendi materiam, hæc simul omnia demiretur quæ in te, præsul dignissime, cumulatiùs exprimunt conceptam ab Apostolo ideam Episcopi, & in tui gratiam illud Christi comprobant, perfectus omnis erit si sit sicut magister ejus. *Similitudinis illius adumbrandæ fastigium & caput, in Prælatis maximè, nullus meo quidem iudicio inficietur esse hanc quam in omnibus & erga omnes præ te fers, Præsul Illustrissime, summam cum exquisita moderatione mansuetudinem. Ex ea namque Pastor, forma factus gregis ex animo & omnibus omnia ut omnes faciat salvos, infirmis virtutem tribuit, afflictis solatium, mæstis lætitiam &c. cunctis pietatem & veniam ad emendationem. Nec aliâ sanè viâ bonum Pastorem se dixit qui tanquam ovis ad occisionem ductus, mortem peccatoris noluit, & venit non ut mactaret aut perderet; sed ut animam pro ovibus suis poneret Christus Dominus, divinum Pastoralis, & omnis simul perfectionis Prototypum. His & tu vestigijs inhærens, Præsul dignißime, singulos foves ardore charitatis, omnium votis benevolus occurris, & infularum radios amore pater-*

no sic attemperas ; ut omnes tuo conspectu recrees, ac omnibus sedulitatem impendas cum verbo vitæ: ductus & uno Christi Spiritu, commissas oves doctriná salutis erudis & vitæ innocentia reficis, exemplorum sanctitate bonis præluces, impios arces suavi fortitudine ; & errantes quò mitiùs factis, ac verbo redarguis, eò faciliùs revocas, & securiùs ad ovile reducis. Quid porrò mirum, si virtutum meritis proludens à teneris annis Fidelium regimini, nulla ad hoc virtus in te desideretur & omnes demùm comparatas habeas ; ne dicam infusas, tantò in singulis & seorsim in unaquaque spectabilem te præbes; hinc sané meritó te germanum Apostolorum successorem in Ecclesia cuncti celebrent ; Ecclesiasticæ disciplinæ columen in Regno, eiusdem Cleri comitia tuam sæpiùs doctrinam mirata prædicent, & verum Pastorem in Diœcesi, te quique fateantur. Massiliensium decori fuit & felicitati, quòd sicut Deo te vocante in partem regiminis Ecclesiæ, ita & ipso disponente, Episcopalis hæc sedes tibi obtigerit, ut in te tanquam in vero nepote colerent Bertrandum de Vintimille, *aliosque innumeros Atavos, Comites suos, & Patriæ Patres, è perantiqua & nobilissima Vintimilliani generis stirpe, à Regibus Italiæ ducta, & orientis Imperatoribus affini, oriundos. Genus sané Deo charißimum, é quo Divus Antonius Abbas, Sanctus Joannes de Matha ordinis SS. Trinitatis Patriarcha, & Beata Delphina tertii ordinis Sera-*

phici decus, in album Sanctorum relati prodiêre; universam insuper amplitudine sua Europam penè collustrans, augustissimis videlicet familiis de Lascaris de Castellar de Tende Linligiria, de Jeraci Principum de Castelbone in Sicilia, de Caravonica in Pedemonte, Comitum du Luc in Gallia &c. é quibus plurimos Archipræsules & Præsules Eminentissimâ dignos purpurâ, sumpsit Ecclesia, sumpserunt & Reges sæpissimé legatos sapientissimos, Gubernatores firmissimos, Castrorum Duces strenuissimos & senatores integerrimos, quorum instar unus hæres factus nobilissimus Franciscus Carolus de Vintimille, Comes du Luc, germanus frater, se Ludovico magno acceptissimum & Galliæ hostibus formidandum virtute bellica præbuit. Quàm gloriosum igitur, quàm fortunatum Massiliensibus, in tanto Præsule Patrem & Pastorem habere: Sed & quàm mihi honorificum, tanto patrocinio gloriam. Hoc æternùm prædicabo, quód & iterùm prædico hoc venerationis, & meæ in te, Præsul dignissime, observantiæ publico monumento, quod tibi dicat, vovet & consecrat.

Illustrissime Ecclesiæ Princeps,

Illustrissimæ Dominationis tuæ,

Humillimus & addictissimus servus,
F. B. DURAND.

AD LECTOREM AUTHOR

ITERATUM Scholasticæ Theologiæ nostræ prælum dedit, mentem & animum typis evulgandi Theologiam hanc moralem, quæ fuerat à nobis, primùm in gratiam nostrorum dumtaxat, & utilitatem privatam edita. Venit & exinde spes optima mihi, ut quem accessum pristinus meus in Theologicis labor habuit apud Scholasticos facilem, hunc ipsum & apud morales sortitura foret hæc Ecclesiastica mea dissertatio: neque spernendum consilium censui, ut qui Scoticæ Theologiæ Clypeum paraveram; morali quoque disciplinæ scutum aptarem; hoc sanè potissimùm tempore, quo una præ cæteris ventilata maximé doctrina quæ ad morum institutionem pertinet, variis iisque innumeris ac infensissimis appetitur hostibus. Tali meritò nomine appellare juvat eos, qui uno, eoque cæco ac obstinato in antesignanum suum studio ducti, & propterea nulli rationi attendentes aut locum dare volentes, cùm insupèr levioris quandoque ac propè nullius litteraturæ sint, se tamen quasi judices in deffiniendis vel quibuscumque causis moralibus, datâ quavis occasione constituunt; ita ut contemptui etiam ac ludibrio vertant eos, qui suæ quamvis sæpiùs à ratione alienæ sententiæ, ipsius quoque manibus non plaudunt; immò & heterodoxos plerumque reputent ac disseminent eos, quos sibi non adhærere noverint, aut etiam sibi non consensuros vel leviter conjecerint. Hi nimirùm elatæ asperiorisque mentis viri, sibi soli sapientes videntur & digni qui cæteris ducatum præstent; dum tamen inscitiâ & propria existimatione cæci, nimiùm sibi indulgent & acerbiùs in alios sæviunt, ideoque similem, via licèt dissimili, foveam sibi & aliis parant: sint minùs autem seipsos dumtaxat consecuturos salutem non jactitent, cæteros tamen omnes ignibus æternis addicendos pronuntiant. Hi quoque sunt quos Isaïas refert dicentes *bonum malum, lucem tenebras & ponentes dulce in amarum*; quibus porrò non absimili modo Deus minitatur *væ*, quàm iis qui e contrà dicunt malum bonum, & tenebras lucem ac ponunt amarum in dulce; quosve pari animarum offendiculo esse non diffitebitur, quisquis utriusque partis studio solutus & ingenitæ sibi rationis lucem præferens, rem ipsam expendet pro merito: angustam etenim viam æqualiter destrui necesse est, si vel angustior fiat ipsa vel spatiosior; neutra siquidem, sed media est, quæ ducit ad cælum via.

Lugenda sanè nunquam satis præsens hæc temporum nostrorum calamitas, qua cernere est universam ferè hominum multitudinem has velut in duas partes divisam, inter quas sit unicum, idque maximum de remissiori aut rigidiori circa mores doctrina dissidium, & omnis hac de re se se ad invicem insimulandi ratio. Mirum proindè quot conatus editi ut fautorum cuique respectivè parti numerus accrescat, utque nullus sit vel ex indocta & infima plebe, nulla sit deb[illegible]ior muliercula quam ad id non ambiant, & quibus certò pro erronea sit opinio, quæcumque à sua parte non est. Id dubio procul non causari videtur ex alio; quàm ut ait Doctor Seraphicus

lib. 2. Compend. Theolog. verit. cap. 52. ex singularitate, qua homo sequens sensum proprium non conformat se alijs, nec sequitur communes vias bonorum.

Unius veritatis partes (quantùm tamen mortalibus dactum est) hoc in opere complexi, monitum Doctoris Seraphici, ejusdemque regulam sequimur; & omni præjudicio exuti, quæ magis pietati simul, & rationi consona nobis visa sunt amplectimur. In his autem quæ paris momenti esse potuerint, graviorum Doctorum placito insistentes, novas quandoque rationes, vel novam ipsorum rationibus elucidationem aut vim, quantâ semper potuimus in omnibus brevitate, ac perspicuitate addidimus; intenti utrumque extremum quod plerumque vitiosum est devitare, ac singulares & intricatiores in unaquaque pertractata materia casus proponere. Si quid autem hoc in opere gratum tibi occurrerit, LECTOR BENEVOLE, id totum omnipotenti Deo referas; si quid devium (quod absit) id totum expunctum volo; si quid injucundum, id omne pro meo in te studio emendatum velim.



LICENTIA REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS ORDINIS.

Frater Ildephonsus de Biezma Catholicæ Majestatis Sereniss. D. N. Regis Hispaniarum concionator, ejusdemque pro Regali Conceptionis immaculatæ congressu Theologus, ac totius Ordinis Seraphici P. N. S. Francisci Minister Generalis, & servus &c.

PRÆSENTIUM litterarum vigore, & quantum ad authoritatem officij nostri pertinet, licentiam nostram pariter, & benedictionem concedimus R. P F. BARTHOLOMÆO DURAND, Provinciæ nostræ S. Ludovici in Gallia Provinciali ministro, quatenùs opus à se quoddam compositum, cui titulus inditur, dissertationes Ecclesiasticæ, Typis & in lucem edere possit & valeat eo quòd à gravibus ordinis nostri Patribus in sacra Theologia Jubilatis revisum & approbatum fuerit; servatis attamen in reliquo cæteris omnibus alioqui de jure servandis. Datum in conventu nostro S. Francisci Curiæ Matritensis die octava mensis Martij, anno 1702.

Fr. ILDEPHONSUS DE BIEZMA
Minister Generalis.

De mandato S. Rmæ. P.

Regest. tit. Provinciæ.

Fr. JOANNES RENDERO
secret. Generalis Ordinis.

APPROBATIO THEOLOGORVM Ordinis.

De mandato Reverendissimi Patris Ministri Generalis legimus, & accuratè perpendimus Dissertationes has Ecclesiasticas in quatuor libros divisas, Authore R. admodùm Patre BARTHOLOMÆO DURAND Lectore jubilato, Ordinis Scriptore & Hujusce Provinciæ Sancti Ludovici Ministro Provinciali meritissimo. Opus ita elaboratum ut in tradenda Canonica & Morali doctrina sic mediâ viâ incedat, ut nec ad opinionum morumque laxitatem deflectat, nec in oppositam nimiamque declinet rigiditatem; sed extrema opinionum quasi oppositos scopulos Scyllæ & Charybdis devitans, auream consectetur mediocritatem, & eam, quæ teste S. Gregorio Nazianzeno optima est in omnibus, moderationem. Nec leves authores, & novarum suspectarumque opinionum studiosos sectatur opifices; at sequens communes bonorum vias, & gravissimorum authorum placita amplectens, securiorem ita prosequitur opinionem, ut viam planam & tutam ad salutem sine erroris periculo demonstret. Ex hoc opere id suo sanè sperandum authori, ut sicut Clypeus Theologiæ Scoticæ ab eo contextus, summo omnium applausu exceptus est; ita per hoc Dissertationum Ecclesiasticarum opus eruditissimum, pristinæ existimationi non modica fieret accessio; cùm in eo ubique præluceat opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis; atque in eo liceat demirari brevitatem ubique sine dispendio, sine levitate subtilitatem, sine fallacia doctrinam; nec quidquam in eo conspiciatur quod à sana fide, vel Orthodoxa doctrina, aut bonis operibus descisćat: quinimmò selectioribus Doctrinæ Canonicæ floribus ubique redolens, genuinum sacrorum Canonum passim spiret odorem. Opus sanè antiquum & novum appellandum, cùm & antiqua graviorum authorum sensa pleno ingenio proferat, & Doctrinam Canonicam cum Morali nova arte ita contexat, ut de his Dissertationibus Ecclesiasticis cum Tertulliano ritè dixerimus *vetustate nobiles, novitate felices*. Quamobrem ad reipublicæ Christianæ utilitatem & commodum has Dissertationes plurimùm collaturas judicamus, & ut lucem in commune bonum aspiciat censemus dignissimas. In Conventu Pedenatij die 22. mensis Augusti, anni 1702.

Fr. FRANCISCUS GEOFFROY
Primus Lector Jubilatus, &
Exdiffinitor Provinciæ

Fr. MARCELLINUS MARGOIRES
Lector Jubilatus, Exdeffinitor,
& Conventûs Pedenatij Guardianus.

ALIA APPROBATIO.

DISSERTATIONES has Ecclesiasticas à R. admod. Patre Bartholomæo Durand Lectore Jubilato, Ordinis Scriptore & hujusce S. Ludovici Provinciæ Ministro Provinciali meritissimo, atque magistro colendissimo editas, attentè perlegi; & in eis nihil quod fidei Orthodoxæ non sit consonum, probisque moribus instituendis tutum, ac singulari doctrinæ methodo distributum reperi, Massiliæ die 9. mensis Novembris anno 1702.

Fr. BONNAV. RAYNIER In Conventu S. Francisci Massiliæ Sacræ Theologiæ Lector primarius.

APPROBATIO DOCTORUM


EGO infra scriptus Doctor Sorbonicus Augustinensium Massiliensium Prior, legi librum, cui titulus est, dissertationes Ecclesiasticæ, compositum à Reverendo admodum Patre Bartholomæo Durand Lectore jubilato, & Provinciæ Sancti Ludovici de Observantia Sancti Francisci Provinciali Meritissimo, in quo nihil inveni contra fidem & bonos mores in cujus rei fidem subscripsi Massiliæ die 26. Septembris anni 1702.

Fr. FRANCISCUS GRANGE qui supra

EGO infra scriptus Sacræ Theologiæ Doctor Aggregatus, cum summo animi sensu, & delectatione perlegi librum, cui titulus est. Dissertationes Ecclesiasticæ. Authore R. admodum P. Bartholomæo Durand

Lectore jubilato Ordinis Minorum regularis Observantiæ; ac Sancti Ludovici Provinciæ Ministro Provinciali. In quo, & authoris peritiam, & doctrinæ soliditatem, & profunditatem Theologiæ disciplinæ (quamvis jam prioribus monumentis publico traditis abundè celebrem) planè perspexi; ipsum ergo typis committi dignissimum judico, non solùm, quia nihil in eo videre est, quod veritati Catholicæ adversetur: immò, quia, & fidei dogmatibus maximè consonum, & sacræ Doctrinæ, pariter & sanctorum Patrum authoritatibus bené firmatum intellexi. In lucem igitur prodeat hoc opus, & prelo mandetur, tanquam publico studiosorum bono utilissimum, & omnibus perjucundum. Ita censeo, & peropto; Avenione die 20. Novembris 1702.

Fr. BERNARDUS BOURGESY, Doctor Aggregatus
Ordinis Carmelitarum exprovincialis.



TABULA.

LIBRORUM CAPITUM ET *Articulorum Dissertationum Ecclesiasticarum.*

Liber I. Qui est de Ecclesia & Ministris ejus.

9. An



LIBER SECVNDVS.


Qui est de legibus, & præceptis Ecclesiæ.



LIBER TERTIVS.

Qui est de delictis eorumque pœnis Ecclesiasticis.

1. Quid



24

LIBER QVARTVS.

Qui est de Sacramentis Ecclesiæ.

8. *Quid*

FINIS.

***

ERRATA.

P*Agina* 20. *linea* 15. Baldad *lege* Job. *p.* 21. *l.* 31. *leg.* jure divino credere. *p.* 43. *l.* 55. *leg.* qui in peccatum cecidit, & post. *p.* 47. *l.* 30. oppodere *leg.* opponere. *p.* 93. *l.* 34. religiosus *leg.* religiosos. *p.* 98. *l.* 10. nescitur *leg.* noscitur. *p.* 115. *l.* 12. testatur *leg.* vetatur. *p.* 120. *l.* 34. facere *leg.* tacere. *p.* 145. *l.* 5. extremis *leg.* externis. *p.* 151. *l.* 19. disputantur *leg.* disputatur inter. *p.* 154. *l.* 11. minus *leg.* unius. *p.* 164. *l.* 7. ut possit *leg.* ut non possit, & *l.* 17. legitimos *leg.* illegitimos. *p.* 169. *l.* 3. egrillus *leg.* cyrillus. *p.* 170. *l.* 7. conjungis *leg.* conjugis. *p.* 181. *l.* 39. *leg.* monopolij delictum. *p.* 193. *l.* 39. omnibus *leg.* ovibus. *p.* 199. *l.* 22. præservandum *leg.* præferendum. *p.* 226. *l.* 29. matrimonis præfero *leg.* matrimonio præfert. *p.* 244. *l.* 48. marti *leg.* matri. *p.* 253. *l.* 13. merito *leg.* marito. *p.* 265. *l.* 52. aliquotus *leg.* aliquotas. *p.* 274. *l.* 39. genere *leg.* gerere. *p.* 287. *l.* 46. affici *leg.* affigi. *p.* 291. *l.* 25. generos *leg.* generes. *p.* 319. *l.* 11. frectus *leg.* fructus. *p.* 359. *l.* 14. quam *leg.* quem. *p.* 377. *l.* 40. voluerit *leg.* noluerit. *p.* 417. *l.* 14. reparare *leg.* separare. *p.* 418. *l.* 22. effectum *leg.* affectum. *p.* 439. *l.* 29. affirmant *leg.* negant. *p.* 473. *l.* 16. confessionem *leg.* concessionem. *p.* 475. *l.* 45. *leg.* ab illis peccatis quæ. *p.* 508. *l.* 46. probabitate *leg.* probitate. *p.* 544. *l.* 9. *leg.* admittendi adeptionem.




IMprimatur.

PERTVIS Vicarius Generalis.

IMprimatur.

Fr. P. **LA CRAMPE** Inquisitor Generalis.

LIBER PRIMUS.



LIBER PRIMUS

QUI EST DE ECCLESIA ROMANA, ET MINISTRIS EIUS

CAPUT I.

De Ecclesia & Membris eius.

UNIGENITUS Dei Filius, qui descendit à Patre luminum homines redempturus, supra firmam petram, suam ædificavit Ecclesiam, extra quam nulla est salus; hæcque Ecclesia, est Romana can. *Alienus est* 24. quæst. 1. cùm ipsa sola sit cœtus fidelium ejusdem doctrinæ, & Sacramentorum, eorumdem communione, sub Apostolico legitimorum pastorum regimine adunatus can. *Ecclesia*, de consecrat. dist. 1. & per Prophetam Psal. 88. nuncupatus, *Ecclesia Sanctorum*, quoniam in portis ejus putà in Baptismo, & Sacramentis aliis omnia peccata remittuntur can. *Filius Dei* de consecrat. dist. 4. adversùs ipsam Ecclesiam portæ inferi non prævalebunt; cùm actuali fulciatur Christi auxilio; ipso Christo sic testante, Math. cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Est una, Sancta, Catholica, & Apostolica: una nedum unitate Capitis in terra vesibilis, in membra influentis; sed etiam unitate finis, ad quem conspirant omnia, & singula ejus membra fide, spe, & Charitate conjuncta in Christo Jesu. Hæc unitas per diversas Cæremonias leges, aut constitutiones à summis Pontificibus editas minimè dissoluitur quidquid dixerint heretici; quia solùm nationes, Loca, aut personas, non autem dogmata fidei, nec essentialia Sacramentorum concernit hujusmodi legum diversitas; cùm Semper maneat unus & idem Deus, una fides, & unum Baptisma.

II. Dicitur Sancta nedum sanguine Martirum præsertim Petri & Pauli quorum morte Ecclesia Romana consecrata fuit can. *Sacro Sancta* dist. 22. hæc enim Sanctitas extrinseca, & accidentaria est; Sed etiam sanguine Christi, à cujus morte originem duxit omnis Sanctitas creata. Catholica nuncupatur seu universalis, quia in omnem terram exivit fides ejus usque ad finem mundi duratura; ut suadet istud.

Christi mandatum, *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ* Math. ult. ab Apostolis perfectum. Dicitur tandem Apostolica per simbolum, & Apostolum ad Ephes. quia super ædificata est super fundamentum Apostolorum: quorum fides, Doctrina & Officium ex can. *Quorum vices* dist. 68. vigent in Episcopis tamquam in ipsorum successoribus pro regenda Ecclesia absque ulla interruptione: facile enim est à Clemente XI. opt. max. qui nunc feliciter regit Ecclesiam, usque ad Petrum, gradum facere.

III. Ratio ob quam non dicitur prophetica, sicut Apostolica, quamvis ex Apostolo loco citato superædificata sit super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, est quia: Prophetarum virtus in Apostolis elucebat: Prophetiæ enim terminabantur ad Apostolos, qui prædicabant quod prædixerant Prophetæ. Ecce quamobrem Ecclesia Christi non est nuncupanda Prophetica, sicut Apostolica; cum non umbram, sed realitatem; non figuram, sed veritatem contineat. Merito dicitur Romana; nè credas tamen eam nomen illud ad urbe Roma accepisse, ita ut solam, ac determinatam Romæ diœcesim designet, sed à divo Petro Apostolorum Principe, qui ut visibile Ecclesiæ caput, & immediatus Christi successor, jubente Deo, inquit Eusebius Epist. 3. Romæ suam fixit sedem; quæ cùm universalis sit, aliarumque Ecclesiarum mater: ut ex can. *non decet* dist. 12. liquidò constat, *Romana* non est nomen particulare, sed universale à prima sede denominationem accipiens: quare hæc duo nomina, *Catholica* scilicet & *Romana*, idem supponunt; etenim Ecclesia dicitur Catholica ab universitate corporis; Romana autem ab universitate capitis in cætera Ecclesiæ membra influentis.

IV. Maxima difficultas est, an supremus Pontificatus fuerit annexus Episcopatui Romano jure divino, vel Ecclesiastico, seu sola voluntate divi Petri? Sotus, Bannes & alii recentiores stant pro jure Ecclesiastico; sed altera opinio quæ stat pro jure divino est probabilior & conformior menti summorum Pontificum, ac Sanctorum Patrum Hieronimi Lib. Apolog. contra Ruffinum, Leonis Magni Serm. 1. de Apost, Irenei, & aliorum quos citat Caspensis tract. de fide disp. 2. idem habetur in jure can. *Omnes* dist. 22. can. *Dudum* 3. quest. 6. & in aliis quos refert Barbosa in cap. *Per venerabilem*. Ex quibus ortum habuit istud axioma, *Ubicumque est Papa, ibi est & Roma*: hujus assertionis ratio in aliam causam refundi non potest, nisi in speciale decretum Christi, talem unionem Petro mandantis, ut testantur Abdias Apostolorum contemporaneus ac discipulus, nec non Episcopus Babilionæ, ut refert Barbosa loco citato num. 42. & Marcellus Papa can. *Rogamus* 24. quest. 1. ibi enim ille summus Pontifex speciali revelatione instructus, declarat Petrum jubente Domino sedem Antiochiæ Romam transtulisse, igitur nullus potest esse Episcopus Romanus, quin sit successor Petri, nec éconverso; & hoc jure divino, quo sedes Romana, & visibilis sedes Christi invisibilis omnium fidelium Pastoris, sunt una & eadem sedes. Nec obstat dicere sedem olim fuisse mutatam, seu Papam alibi sedisse, & imposterum sedere posse in alio Episcopatu, quia hæc mutatio fuit tantùm secundùm corporalem præsentiam summi pontificis, non verò secundum sedem & Episcopatum; nam summi Pontifices qui Avenione in gallia commorati sunt, dicebantur Episcopi Romani, non verò Episcopi Avenionenses ut patet in bullis ab illis ibi datis. Idem suadet D. Gregorius lib. 6. epist. 34. ubi ait Petri sedem in tribus locis unam esse censendam.

V. Soli Petro personaliter concessa fuit potestas regendi universalem Ecclesiam, juxta illud Math. 16. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: de ratione fundamenti est, non solum inchoare domum, sed etiam illam perpetuò sustentare, ac conservare; cùm ipso ruente, tota domus ruat: de ratione & officio pastoris est, regere, pascere, & gubernare oves gregis Domini; sed Christus dixit petro duntaxat, *Petre pasce oves meas*, Joan. 21. Igitur Petrus solus habuit potestatem regendi universalem Ecclesiam Christi á quo acceperat potestatem regni. can. *Petrus* 2, quest. 7. Deinde regimen Ecclesię est perfectissimum, atque præstantissimum, ideoque Monarchicum ex can. 6. sess. 23, Concilii tridentini, scilicet residens in uno, cui subjiciuntur omnes, qui de Monarchia sunt, sicque scriptura suadet, soli Petro fuisse concessum pro regenda Ecclesia Christi. Indè sequitur Paulum

non habuisse in Ecclesiam, æqualem cum Petro potestatem; Idque insuper probant can. *Puto* 2. quæst. 7. in quo Paulus dicitur Petro posterior, & acta consilii Jerosolimitani, in quo præsente Paulo, solus Petrus præfuit, & ut caput universæ Ecclesiæ appatuit.

VI. Ad authoritates scripturæ, ac Sanctorum Patrum quibus nonnulli probare contendunt potestatem in universalem Ecclesiam, Petro & Paulo fuisse communem; respondendum est: ipsas authoritates non esse intelligendas de potestate essentialiter & intensivè, ita ut petrus & paulus eamdem æqualiter habuerint potestatem, unum & idem caput constituerint, cum de ratione capitis sit esse unum per se super cætera corporis membra, sed de opere & intentione, eo quod opera Pauli & intentio ipsius, fuerint opera, & intentio Petri cui datus fuit á Deo Coadjutor can. *Fundamenta*: de elect in 6. & cum quo pro Christo Laboravit, vixit, & Romæ mortuus est sub Nerone imperatore, cujus jussu petrus, & Paulus occisi fuerunt ut testantur Anacletus Epist. 3. & Gelasius can. *Quamvis* dist. 21.

VII. Hæc authoritas regendi universalem Ecclesiam non fuit extincta in persona pètri, sed ad Successores ejus transivit, & modo residet in Clemente XI. Qui est legitimus Petri successor in potestate & primatu totius Ecclesiæ Christi ex can. *Sollicita* de major & obed. ita Sentiunt Concilia, & Patres: illa enim sedes censetur succedere cathedræ petri, quæ constanter servavit, & servat doctrinam petri; Sed talis est sedes Romana in qua feliciter regnat idem Clemens XI. ut tradit Lucius Papa dicens, *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur*: Ergo Clemens XI. habet eamdem potestatem, quam petrus habuit, cum eamdem sedem occupet, eumdem finem habeat, atque doctrinam, iisdemque sit munitus Sacramentis, per quę tamquam per Sanctitatis instrumenta, Deus suum in nos Spiritum effundit, quo veluti nexu nos ad se pellicit, sibique tam feliciter copulat, ut cum eo, unus idemque efficiamur Spiritus.

VIII. Disputatur an sit de fide divina, in hoc homine in particulari V. C. in Clemente XI. residere potestatem & primatum totius Ecclesiæ Christi? negativè respondent Canus, Turrecremata, Bannez & alii; sed communior, & probabilior opinio affimat; nam tenemur credere fide divina Ecclesiam Romanam esse verè Ecclesiam Christi, & ipsam habere in terris caput visibile, quod re vera per humanam electionem habetur, sed directam per Spiritum Sanctum can. *Electionem* dist. 79. Igitur eadem fide credere tenemur quòd ille qui pacificè eligitur, & ab omnibus Electoribus acceptatur, est caput illius Ecclesiæ Romanæ pro qua electus fuit in supremum pontificem, quia de Ecclesia, & de capite par ratio est. Undè ut clarius appareat assertionis veritas, sic discurro: suppositis materia, forma Baptismi, intentione ministri, & puero Baptizando, defide credimus puerum baptizatum, recepisse gratiam sanctificantem; quamvis non sit de fide divina baptizantem habuisse intentionem baptizandi: Ita à simili supposita Electione unius particularis in summum pontificem, tenemur credere fide divina hunc esse Papam, & recepisse potestatem totius Ecclesiæ; qua[illegible]s non sit de fide Cardinales hunc [illegible] alium eligere voluisse. Quia Cardinales habent jus eligendi papam can. *Si quis Apostolica* dist. 79. & declarant nomine totius Ecclesiæ quod hunc elegerunt in summum pontificem.

IX. Inter membra Ecclesiæ computantur fideles, quamvis in peccato mortali existant ut monet D. Gregorius homil. 12 in Evang. ubi ait *Quia in Ecclesia mali cum bonis, & reprobi cum Electis admixti sunt, rectè similis Virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur*. Idem etiam constat ex illo Math. 18. *Si peccaverit in te frater tuus ... si te non audierit, dic Ecclesiæ*: Ex quo loco convincitur, eum qui peccavit esse intra Ecclesiam, cùm si non audiat, sit eiiciendus; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus. Insuper peccator habet veram fidem, licèt non sit viva ex tridentino sess. 6. can. 28. Igitur est membrum Ecclesiæ. Nec valet dicere, Ecclesiam non habere maculam, neque rugam, ut monet Apostolus ad Ephes. 5. quia mens pauli erat de Ecclesia triumphante, ut advertit Caspensis: Christus enim passus est ut Ecclesiam talem exhiberet, qualis est in gloria, non autem de Ecclesia militante; alioquin ex Apostolo sequeretur quód Sacramentum pœnitętiæ quod confertur solum pec-

catoribus qui sunt in Ecclesia, esset vanum; quod est falsum, cum ex tridentino Sess. 14. cap. 6. sit necessarium post baptismum ad delenda peccata quæ fideles commitunt.

X. Fideles excommunicati sunt pariter membra Ecclesiæ, licèt priventur communi fidelium consortio: habent enim fidem, quæ constituit & facit membrum Christi & Ecclesiæ, cùm ipsa fides sit principium essendi in supernaturalibus ac moralibus, ut suadet Paulus ad hebr. 11. appellans fidem substantiam rerum sperandarum & fundamentum Christianæ religionis ut declarat concilium parisiense 6. lib. 1. cap. 1. Verum in jure dicuntur à gremio Ecclesiæ, & christianorum consortio eliminati, tamquam Ethnici, & publicani; at hoc non est intelligendum de fundamentali unione membri cum capite; cùm, excommunicatione non obstante, summo pontifici subjiciantur, & perfectè credant ea, quæ credenda sunt, sed de communicatione cum aliis membris. Quare Christus non dixit excommunicatum esse ethnicum simpliciter, sed tamquam ethnicum esse reputandum, ut notat Caspensis loco citato num. 29. nec obstat dicere excommunicatos non posse Sacramenta suscipere can. *Si quem* de sentent. excom. quia non per Sacramentum tantùm, sed etiam per fidei Sacramentum quispiam, efficitur membrum christi, ut declarat Innocentius III. can. *Veniens* de presb. non Baptiz. Ideoque excommunicatus quamvis sit Sacramentorum actu incapax, est nihilominus membrum Ecclesiæ, quia habet Sacramentorum fidem, & credit Ecclesiæ ideoque est membrum ipsius.

XI. Inter Ecclesiæ membra numerandi sunt etiam catechumeni, seu illi qui sunt in vestibulo portæ Ecclesiæ quousque per baptismum quem optant, ingrediantur, ut monet Nazianzenus in oratione in baptis. habent enim fidem Sacramentorum, quæ ex Innocentio supra citato sufficit, ut quis membrum Christi efficiatur cùm baptizari velint, & ipso baptismum suscipiendi voto salvari possint corde contriti can. *Baptismi vicem*. De consecrat. dist. 4. parui refert adducere neminem esse in Ecclesia; quin priùs fuerit ipsam ingressus per Baptismum, ut declarare videntur Paulus ad Corinth. 1. cap. 5. & tridentinum Sess. 14. cap. 2. quia loquuntur de baptismo in re, vel in voto. Undè cùm cathecumeni contritionem & votum suscipiendi baptismum habeant, de ipsis non loquuntur Apostolus, & Sacra tridentina Synodus.

XII. Hæreticos & Schismaticos excludit Ecclesia; nam qui deserit Cathedram, aut navim Petri, supra quam fundata est Ecclesia, extra ipsam Ecclesiam reperitur can. *Qui Cathedram* dist. 93. atque extra cœtum fidelium ejusdem Doctrinæ, ac Sacramentorum eorumdem communione sub Apostolico legitimorum Pastorum regimine adunatum, qui est Ecclesia Christi; talis est hæreticus qui Cathedram Petri deseruit, & errori Catholicæ fidei contrario cum pertinaci animo adhæret. In eadem damnatione est Schismaticus, cùm non sit sub Apostolico legitimorum Pastorum regimine, & peccet contra fidem, quæ unum Pastorem seu Christi Vicarium, aut Petri successorem instituit, ut ipsi fideles omnes conjugantur per fidem, & subjiciantur per obedientiam quod de Schismaticis minimè verificatur, quia negant obedientiam summo pontifici, & Ecclesiæ Romanæ. Alioquin Schisma non esset separatio ab unitate capitis Ecclesiæ, quod est falsum, ut apparet can. *Inter hæresim*. 24. quest. 3.

XIII. Quamvis hæretici non sint actu membra ecclesiæ, possunt nihil ominus ab ipsa puniri, & ad fidem profitendam compelli can. *Ad abolendum* de hæres. Si verò contingeret gladium Spirituale non sufficere pro vincendis ecclesiæ inimicis, potest papa à regibus, & principibus terræ auxilium petere can. *Invenitur*. 23. quæst. 4. nec ipsi principes possunt illud ei denegare, quia gladium Dei portant, & tenentur ipso gladio ecclesiam Dei defendere, ut tradit eminentissimus Cardinalis noster Laurea in epitom. canon. verbo *Reges*. Ratio favens in hoc ecclesiæ est, quia Hæretici, & Schismatici debent ex vi baptismi suscepti esse intra Ecclesiam & stare promissis in ipso baptismate factis.

CAPUT II.

De infallibilitate Ecclesiæ in tradendis Regulis fidei.

I. Error infallibilitati oppositus, ex duplici fonte oriri potest; scilicet ex animo incidendi in hæresim, vel erro-

rem culpabilem, in quem de facto ceciderunt hereſiarchæ Lutherius, & Calvinus qui malitiosè fidem Catholicam amiſerunt; & ex ignorantia invincibili de rebus fidei, ut ſæpe contingit ignaris, & ruſticis, qui igoranter errant, Eccleſia autem ne utromodo poteſt in errorem incidere, ut ſtatim videbimus; igitur infallibilis, ac certiſſima eſt in tradendis regulis fidei? erroris enim culpabilis fons, eſt dæmonis aſtutia, quæ maximè in diſſeminandis hereſibus & erroribus verſatur; ſed hæc dæmonum aſtutia non prævalebit adverſùs Eccleſiam Chriſti Math. 16. nec Ignorantia, quia Eccleſia eſt fundamentum. & columna veritatis, inquit Paulus ad Timo. 3.

II. Error non poteſt à Spiritu Sancto oriri, nec ad ipſum redundare; cùm ſit eſſentialiter verax, imò ipſa veritas increata, ac bonitas æterna, cui intrinſecè repugnant malitia, & mendacium. eadem perfectio tribuenda eſt Chriſto, qui eſt via, veritas, & vita Joan. 14. ver. 5. 6. at ſi Eccleſiam in fide errare contingeret, error ille redundaret in Spiritum Sanctum, & poſſet tribui Chriſto; quia Spiritus Sanctus eſt cor Eccleſiæ ut docet Sanctus Thomas par 1. 3. quæſt. 8. art, 1. ad 3. & Chriſtus eſt ejus caput. ratio hujus eſt, quia defectus actionis interioris corporis tribuuntur capiti, & cordi ut notant Phyſici. Nec valet dicere argumentum valere in corpore Phyſico, non autem in Myſtico, quale eſt Eccleſia: non valet inquam, quia quoad dependentiam, & influxus myſticos, & morales, in Corpore myſtico, membra dependent à capite & corde, ſicut in Phyſicis, Idcoque cordi & capiti tribuendi ſunt defectus corporis myſtici, ſicut defectus actionum internarum corporis naturalis tribuuntur capiti ac cordi. Minùs valet dicere quemlibet fidelem poſſe errare, quin error illius in Chriſtum redundet, quamvis ſit membrum Chriſti; ac proinde Eccleſiam poſſe errare, quin error tribuatur chriſto. Ratio diſparitatis eſt, quia fidelis particularis poteſt deſinere eſſe membrum Chriſti, ut de facto deſinit, dum in hæreſim voluntariè ac pertinaciter incidit: Eccleſia autem non poteſt deſinere eſſe corpus Myſticum chriſti, ſuppoſita ipſiuſmet chriſti promiſſione, quæ habetur Oſeæ 2. *Deſponſabo te mihi in fide in ſempiternum.*

III. Alia ratione ſuadetur eadem Eccleſiæ infallibilitas in tradendis regulis fidei; quæ eſt iſta. Corpus in cujus capite reſidet Spiritus veritatis, non poteſt errare, nec falſa proferre; cùm veritas & infallibilitas recedant, advenientibus errore, mendacio, & ignorantia quæ Spiritui veritatis advenire non poſſunt at Spiritus Eccleſiæ eſt Spiritus veritatis, ut aſſerit illud Joan.14.verſ.16.& 17.Ubi legitur Chriſtum dixiſſe Eccleſiæ in perſona Apoſtolorum. *Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum, vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*: Certè Spiritus ille veritatatis à Chriſto Apoſtolis promiſſus, & à Patre æterno datus, manet in eorum ſucceſſoribus, qui officio ſuccedentes, eundem ſuſceperunt Spiritum veritatis, & infallibilitatis ut non poſſent in rebus fidei falſa proferre, nec errare; alioquin non fuiſſet conceſſus neque datus in æternum; cùm Apoſtoli quibus facta fuit promiſſio, perſonaliter conſiderati, non fuerint in æternum; Sed ſolùm in ſucceſſoribus, qui ipſorum funguntur Officio in Apoſtolatu: Igitur nè offendatur Chriſti promiſſio; Eccleſia debet eſſe infallibilis in tradendis regulis fidei.

IV. Audiens Eccleſiam in rebus ad fidem pertinentibus, nullum poteſt audire errorem, quia audit Chriſtum, ideſt veritatem, ut habetur ex illo Luc. 10. verſ. 16. *Qui vos audit, me audit*: Et conſequenter dum Eccleſia loquitur de rebus ad fidem pertinentibus, Chriſtus eſt qui loquitur, cùm ille qui loquitur, ſit ille, qui auditur, & ille qui auditur, ſit ille qui loquitur. Inde ſequitur Apoſtolos & Miniſtros Chriſti aut Eccleſiæ Romanæ non poſſe falſa proferre, nec errare in rebus fidei, neque eos qui audiunt illam, falli; cum ſit Chriſtus, qui loquitur, aut Spiritus Sanctus qui loquitur in Apoſtolis, teſte Chriſto Domino dicente, *non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Math. 10. verſ. 20.

V. Deus poteſt hominem confirmare in fide: ne deficiat, neque erret, ſicut plures confirmavit in gratia, ne peccarent: cum, non ſit major ratio de uno quam de alio. Unde cum Eccleſia fuerit confirmata in

persona capitis ejus visibilis, nimirum Petri. Quia hæc verba Luc. 22. vers. 32: *Ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*; Idem sonant ac ista, *rogavi pro te Petre, ut sis infallibilis in fide* vel, *ut non erres in fide*, Sequitur, quod Ecclesia nunquam errabit in rebus fidei, sicut confirmatus in gratia nunquam peccabit in moralibus: nam illa verba Christi, quamvis relata, & directa fuerint ad personam Petri particularem, ut denotat particula *te* referuntur tamen ad successores ejus in Pontificatu, & dignitate capitis Ecclesiæ. Quia nomen *Petrus* est nomen Officii. Hujus extensionis ratio est, Quia Christus oravit pro Petro ut fides ei non deficeret, propter necessitatem Ecclesiæ committendæ, quæ infallibile exigebat habere caput in tradendis regulis fidei, ideo dixit: *Supra firmam Petram ædificabo Ecclesiam meam*. At hæc necessitas, Petro moriente adfuisset, si successores ipsius non fuissent infallibiles in tradendis regulis fidei, sicut ipse Petrus. Igitur oravit pro omnibus Petri Successoribus, ut Ecclesiæ fides numquam deficeret.

VI Hæc ipsa infallibilitas potest sic impugnari ab hæreticis. In triduo Ecclesia in Apostolis consistebat, & ipsi tunc temporis fidem amiserunt: en causam cur Christus post passionem suam exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis Marc. 16. etiam Apostolus ille pro quo Christus oraverat, ut fides ei non deficeret, scilicet Petrus, negavit fidem, negando Christum; sed non valet hæc hæreticorum impugnatio, qui falsum est Apostolos omnes in triduo fidem amisse Resurrectionis. Nec Christus exprobrando incredulitatem eorum, significat quòd amiserint fidem sed solum quod tardi fuerint ad credendam resurrectionem. Quòd certè non est errare in fide, nec deficere: tarditas enim ad credendum, non est infidelitas neque error. Minus nocet illud Petri, quia non negavit Christum corde, sed ore dumtaxat, ut monent Sancti Patres. Tertulianus Lib. de fuga in persecut, Ambrosius in Psal. 43. & Aurelius Prudentius. Quod non sufficit ad jacturam fidei; cùm hoc non sit amittere fidem, sed potiùs fidem occultare, aut eam non confiteri externè; hinc est quód Apostoli non defecerunt in credendo, sed in fidei confessione dumtaxat.

VII. Addere possunt insuper hæretici Ecclesiam defecisse tempore Moysis, videlicet quando Aaron cum toto populo vitulum adoravit, ut legitur exodo 32. Ergo Ecclesia Christi potest à fide deficere, sicut defecit Sinagoga in qua etiam erat salus fide Christi venturi. Ad hoc respondendum est quòd deficiente Aarone, non defecit Ecclesia, quia solus Moyses, cum quo filii Levi perseveraverunt in cultu veri Dei erat caput ejus. Quoad Sinagogam manifestum est ipsam non defecisse à fide quam profitebatur, sed solùm repudiatam, aut sepultam fuisse cum cæremoniis & Sacrificiis suis, & in ejus locum successisse Ecclesiam Christi. Deinde dato quod defecerit Sinagoga, non sequitur Ecclesiam Christi posse deficere à fide, quia Synagoga non habebat promissiones infallibilitatis, quas habet Ecclesia Christi, quæ est supra firmam Petram. Estque fundamentum & columna veritatis. 1. Ad Tim. 3, hæ enim voces *columna & firmamentum* Liquidò demonstrant dari in Ecclesia Christi firmam, & irrefragabilem authoritatem ad tradendam rerum credendarum veritatem Catholicam, quæ Synagogæ minimè data fuit, cùm repudiata fuerit ejus authoritas, & in locum ejus successerit Ecclesia Christi, cui nulla alia in terris succedere potest. Fidei enim nostræ solum succedet visio Beatifica. Juxta illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 13. vers. 10. *Cùm autem venerit quod Perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

VIII. Tandem Ecclesiæ Romanæ infallibilitas in tradendis regulis fidei ex ipsius fine oriri atque probari potest. Nam finis Ecclesiæ est salus hominum; cùm hæc sit mens sponsi ejus, ut probat illud Pauli ad Titum 2. de Christo, *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et extra Ecclesiam Romanam nulla sit salus; Sed si Ecclesia Romana ab ipsomet Christo fundata, non esset infallibilis in credendo, non obtinuisset à Deo media necessaria, imò neque sufficientia pro fidelibus ad salutem conducendis: quippe cum nemo possit in errore saluari, nullus posset in Ecclesia Christi saluari, etiam cum ipsius fide, quoniam posset esse falsa. Quod est contra illud Marci ult. vers. 16. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit*: Igitur in tradendis

regulis fidei quibus duntaxat ad Cœlestem vitam ducimur, non potest fallere, neque errare can. *Exiit* de verb. signif. in 6.

IX. Addi potest alia ratio deducta ex illo Christi ad Petrum Joan. Ult. *Pasce oves meas* verbum *pascere* significat idemque denotat ac cibum ministrare, regere, gubernare, & dirigere. Quia actus pastoris sunt, cibum præbere, ducere & reducere, tueri, & præesse, regere & castigare; at' si Petrus posset fallere, aut errare in ministratione cibi, qui consistit in sola fide, non posset nos tueri, nec in vitam cœlestem ducere. Quia cœcus cœcum duceret, & defectibilis in fide seu in via salutis, defectuosum regeret: ergo ne incidamus in Scyllam cupientes vitare Charybdim, dicamus ex divo Petro, & Successoribus ejus ad quos diriguntur hæc verba Christi: *Petre pasce oves meas*: nullum posse oriri errorem in materia, aut rebus fidei tradendis, cùm christus per ea verba, verè, sincerè, ac perfectè Petrum constituerit gregis sui pastorem.

X. Errores summis pontificibus tribuere contendunt nonnulli, ut V. G. Liberio ejusque Successori errorem Arrianorum, Vigilio, & Honorio Monothelitarum, & Joanni. XXII. Errorem millenariorum, ut indè probent summos pontifices posse deficere in fide, & ecclesiam errare. At hoc non obstat, nihilque probat. Tum quia falsò accusantur presertim posteriores, utpoté Vigilius, Honorius & Joannes, ut docet communior opinio. Tum quia dato quòd Liberius, & Felix Arrianorum errori subcripserint, Vigilius & Honorius errori Monothelitarum, & Joannes Papa XXII. Errori millenariorum consenserit, hoc tamen non est hæresim ex cathedra docere, nec ecclesiam errare, quia talia dixerunt ut personæ & Doctores particulares, in quo sensu nullus summus pontifex fuit infallibilis. Hæc enim prærogativa infallibilitatis convenit ipsis ratione dignitatis, & Officij capitis, aut successoris petri, scilicet in definiendo, & universaliter proponendo res fidei, non verò in opinando, & privatim discurrendo.

CAPUT. III.

De Libris Ecclesiæ.

I. Libri, quos Ecclesia Romana ut canonicos veneratur juxta decretum Concilij tridentini Sess. 4. in Biblijs continentur, & Sacram Scripturam integrè constituunt. Dividuntur in Libros ad legem veterem seu Mosaycam spectantes, & in Libros ad novam seu Evangelicam legem pertinentes. Illi vetus testamentum componunt, quia venturum redemptorem promittunt. Isti verò novum, quia promissum redemptorem exhibent cum præceptis novæ legis, ut æternam hæreditatem consequamur. Unde D. Irenæus Lib. 3. adversus hæreses cap. II. ait. *quatuor fuere a deo testamẽta data humano generi, unum quidem ante Cataclysmum sub Adam; secundum post Cataclysmum sub Noë, tertium Legislatio sub Moyse, quartum vero quod renovat hominem, & recapitulat in se omnia: quod est per Evangelium elevans, & pennigerans homines in cœleste regnum*: quibus verbis monet ille Sanctus Doctor, Deum in novo testamento nobis tanquam filiis adoptatis, divinam suam hæreditatem consignasse. Horum posteriorum quodlibet suos habet libros.

II. Veteris testamenti Libri sunt pentateuchus, seu quinque libri Moysis videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, libri Josué, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Job, Esdras, Tobias, Judith, Esther, & Machabæi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, sapientia, Ecclesiasticus, & Prophetiæ, quatuor Majorum Prophetarum Isayæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis & Prophetiæ duodecim minorum Oseæ, Joëlis, Amos, Micheæ, Abdiæ, Jonæ, Nahum, Abacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ. Istis Libris addendus est Liber psalmorum, qui est quasi compendium, & summa totius veteris testamenti, ut monet Bellarminus: quidquid enim Moyses vel in historia tradidit, vel in lege præcepit, quidquid pariter cæteri Prophetæ prædi-

xerunt, id totum in psalmis David brevissimé comprehendit, inquit Frassenus. Libri autem novi testamenti sunt, quatuor Evangelia Mathæi, Marci, Lucæ, & Joannis. Acta Apostolorum, quatuordecim epistolæ D. Pauli. duæ D. Petri, una D, Jacobi, tres D. Joannis, & una Judæ. Et Apocalipsis D. Joannis, ut apparet in Biblijs in quorum fine extra seriem Librorum canonicorum, ponuntur oratio Manassæ regis Juda, duo posteriores Libri Esdræ, & duo posteriores Machabœorum quia non est certum, an sint scripturæ divinæ.

III. Sacrorum Bibliorum Libri dicuntur, canonici, quia ab ecclesia probantur & publicam in ea authoritatem obtinent ad stabiliendas fidei sanctiones, & morum regulas: alij verò de quibus in fine præcedentis numeri actum est, dicuntur apochryphi id est occulti, quoniam incertum & occultum est, an à Spiritu Sancto tanquam a primario authore emanaverint. Tales sunt tertius, & quartus Esdræ, tertius & quartus Machabœorum, oratio Manassæ, appendix Libri Job, in qua analogia ejus describitur, prefatiuncula, Threnorum Jeremiæ, Liber Hermæ & Evangelia, quæ sub nomine Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ, Nicodemi, Thomæ, Jacobi & aliorum circumferuntur: quatuor enim dumtaxat sunt Evangelia, quorum lectio habetur in ecclesia sub Mathæi, Marci, Lucæ, & Joannis nomine. Libri canonici dividuntur in protocanonicos, seu illos de quibus in ecclesia numquam a Catholicis dubitatum fuit. Et in deuterocanonicos, seu illos, de quibus olim dubium fuit apud Catholicos, Licet modò ab omnibus recipiantur tanquam canonici. Priores sunt quinque Libri Moysis, Libri Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdræ, qui sunt in decreto concilij tridentini, Job & Liber psalmorum 150. Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, quatuor Prophetæ Majores, & duodecim minores. Ex novo testamento, quatuor evangelia, actus Apostolorum, tredecim Epistolæ Pauli, Prima Petri, & Prima Joannis de quibus nulla fuit apud Catholicos controversia.

IV. Libri deuterocanonici seu secundi ordinis, sunt Esther, Tobias. Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, additio Danielis, id est oratio Azariæ, hymnus trium puerorum, Susannæ Historia, & Draconis Historia, Primus & Secundus Machabœorum. Ex novo testamento caput ultimum Marci, Historia de agonia Christi, & consolatione Angeli. Historia de Muliere adultera, Item Epistola Pauli ad Hæbreos, Epistola Jacobi, Epistola Petri Secunda, Epistola Joannis Secunda, Epistola Joannis Tertia, Epistola Judæ, & Apocalipsis, de quibus aliqui patres dubitarunt, aut negarunt esse scripturas canonicas, ut advertit Gonetus, quamvis modo ab omnibus religiosè accipiantur tanquam Libri Canonici, nec aliter accipi possint juxta decretum concilij tridentini Sess. 4. numerans Libros Canonicos, post factam numerationem dicens. *Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione Latina habentur pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit*: Similem Sacrorum Librorum canonem duo concilia, Romanum scilicet sub Gelasio papa, & Florentinum in decreto Eugenij, præscripserant.

V. Ex veteri testamento plures Libros intercidisse affirmant plures sancti patres: Idque colligitur ex Sacris Biblijs, in quibus plures libri citantur & referuntur, qui tamen de facto non extant: nam cap. 10. Josue fit mentio de Libro justorum. *Non ne scriptum est hoc in libro iustorum*, 3. regum, cap. 14. Vers. 19. de Libro verborum dierum regū Israël. 2. Paralipom. cap. 9. Vers. 29: fit mentio de libris Ahiæ Silonitis, Item de pluribus alijs, quos non habemus in Ecclesia Romana, nec sunt in Biblijs Sacris. Difficultas quædam indè oriri potest, Scilicet, an illi Libri deperditi, fuerint aliquando in canone hebræorum relati? negant plures, idque innuere videtur Sanctus Augustinus Lib. 18. de civitate dei cap. 38. Ubi suadet Prophetas multa scribere potuisse, vera quidem, & de quibus essent certi, sed humano Spiritu, & diligentia, non verò motu Spiritus Sancti; ac proindè in canone hebræo non fuisse relata, quamvis de ipsis aliqui fiat mentio in Libris canonicis. Quia in Sacro canone nullus admitti potest Liber, nisi sit sacer, seu a Spiritu Sancto dictatus; cùm Liber Canonicus, nihil aliud sit, quàm certa, & infallibilis regula credendi,

di, & vitam legi dei conformem instituendi. Deindè si prædicti libri deperditi, fuissent canonici & aliquid de rebus ad messiam, & ad novum testamentum pertinentibus habuissent, Esdras, qui Post captivitatem babilonicam Libros Sacros restituit, eosdem quoque restituisset, & Apostoli aliquid de hujusmodi libris in novo testamento protulissent, cùm ex cæteris alijs, quos canonicos habemus, aliquid prolatum inveniamus; sed Esdras non restituit eos, & Apostoli nullum Sermonem habent de Libro justorum, de Libro Ahiæ Silonitis, nec de alijs Libris, qui in veteri testamento citantur, & referuntur: ergo non erant in canone hebræo, nec inter Libros Sacros.

VI. Plures editiones habuit vetus testamentum, quarum prima est hebraïca; cum idem hebraicè conscriptum fuisse constet. Secunda est Paraphrasis Caldaïca, quam hebræi *targum* in singulari, & in plurali *targumim* vocant, idest interpretationes, seu paraphrases. Quia juxta communiorem sententiam facta fuit a tribus Rabinis judæorum, scilicet a Rabbiaguila, qui Pentateuchum seu quinque Libros Moysis vertit in linguam Caldaicam. A Rabbi Jonatha, qui vertit Libros Josué, Judicum, Regum, & Prophetas; & a Rabbi Joseph cœco, qui Job, Psalterium, Esther, Proverbia, Ecclesiastem & Cantica vertit etiam in linguam caldaïcam. Hujus editionis causa fuit ut judæi apud Caldæos divina sibi concredita eloquia disseminarent, Deo sic inspirante. Tertia fuit græca septuaginta interpretum, qua plurimum usi sunt Apostoli, ad fidem Christi disseminandam, & stabiliendam, ut notat Sanctus Iræneus. Hæc editio facta fuit 230. annis ante adventum messiæ, movente Ptolomæo Philadelpho Ægipti rege. Hic enim cùm litterarum amore studioque flagraret, egregiam Alexandriæ Bibliothecam instituit, eamque commisit curæ Demetrij Phalerei viri nobilissimi Atheniensis; qui ut eam omni genere voluminum ornaret, quingenta millia volumina græca in eam deportari curavit, & promisit regi se ad majorem numerum esse perventurum, si ipse rex à Judæis Libros Sacros ex hebraïca lingua in græcam vertendos, peteret. Quod avida mente concipiens Ptolomæus Scripsit ad Eleazarum Judeorum summum pontificem, postulans ut Libros Sacros ad eum mitteret unà cum viris tam doctrinâ, quàm ætate, & moribus conspicuis, qui ad tantum opus conficiendum essent idonei: qui ut facilius impetraret, centum vel ut volunt aliqui viginti supra centum millia judæorum, qui in Ægipto captivi remanserant, in Judæam remisit unà cum plurimis ad templum Jerosolimitanum donis.

VII. Ptolomæi votis annuere volens Eleazarus pontifex convocavit seniorum concilium, ut septuaginta duos interpretes, sex exqualibet Israelitica tribu, legis peritissimos, linguarumque Hebraicæ & Græcæ scientissimos eligeret, qui Sacros Libros uti rex postulaverat ex hebraica Lingua, in græcam traducerent; quos omnes ad regem delegavit cum exemplari Librorum Sacrorum, quique de facto eosdem Libros in linguam græcam traduxerunt intra Septuaginta duorum dierum spatium in insula Pharon septem stadijs ab Alexandria distante juxta communiorem Sanctorum Patrum opinionem. Hæc versio peculiari Spiritus Sancti afflatu, edita fuit. Idque probant mirabilis Septuaginta interpretum consensio, & brevitas temporis in tanto opere persoluendo, quæ sunt duo, nedum difficilia, sed moraliter impossibilia, sine peculiari Spiritus Sancti assistentia, ut tradunt plures Sancti Patres.

VIII. Quæritur an septuaginta interpretes solum pentateuchum verterint? plures affirmant cum Sancto Hyeronimo. Alij negant, & existimant cum Sancto Justino martire Septuaginta interpretes non Solùm Libros Moysis, sed etiam alios veteris testamenti vertisse. Hæc secunda opinio est longè probabilior: Nam Rex Ptolomæus nedum Libros Legis Mosaycæ, sed etiam Libros sapientiales, & Prophetales petierat ab Eleazaro, animo comparandi omnia antiquitatis monumenta litteris consignata, ut copiosissimam suam Bibliothecam instauraret: Ideoque probabilius est omnes Libros veteris testamenti ab Eleazaro transmissos ad regem, fuisse a Septuaginta interpretibus in Linguam græcam traductos. Deinde ut inquit Frassenus noster, cùm Christus Dominus, & Apostoli græcâ versione in Prophetarum allegandis testimonijs ex Historia Sacra usi sint, manifestum fit omnium Bibliorum volumen ab jisdem interpretibus translatum esse.

B

IX. Major controversia est, an Septuaginta interpretes in diversis ædiculis, & singuli seorsim græcam veteris testamenti versionem confecerint? D. Hieronimus Lib. 2. contra Ruffinum, & in præfatione tam in Pentateuchum quàm in Libros Paralipomenon, existimat septuaginta interpretes in eadem basilica sedentes, & inter se conferentes scripturam transtulisse. D. Epiphanius docet interpretes binos in singulis cellulis inclusos fuisse. D. Ireneus, Sanctus Cyrillus Jerosolimitanus, D. Clemens Alexandrinus, & Sanctus Justinus Martir affirmant septuaginta intrepretes græcam Bibliorum versionem confecisse in diversis cellulis, & singuli seorsim. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior & præferenda. Tum quia Sanctus Justinus Martir in oratione ad græcos cap. II. testatur se Alexandriæ fuisse, & vestigia cellularum in insula Pharon adhuc aliqua vidisse: testi enim de visu adhibenda est fides. Tum quia Ptolomæi animus nedum fuit versionem græcam habere, ut suam instauraret Bibliothecam; Sed etiam voluit videre, ac explorare utrum omnes invicem consentirent in traducendis Sacris Libris, ut refert D. Augustinus Lib. 18. de civit. Dei cap. 42. ubi opinionem hanc affirmando ait *ita enim eorum fidem Ptolomæo Regi placuit explorare.* Quod certé Sibi promittere non poterat, nisi ab unoquoque propriam obtinendo versionem. Quoniam non est mirabile, nec stupendum, quod interpretes legis peritissimi, linguarumque hebraicæ, & græcæ scientissimi invicem conferentes, eumdem consensum habeant in traducendis Libris hebraicis in linguam græcam, nec erat undé ille Rex posset variam metuere interpretationem, nec agnoscere an inter ipsos interpretes fuerit discrimen, aut dissidium in traducendis Libris: ergo probabilius est in singulis cellulis inclusos intrepretes privatim Bibliorum versionem edidisse, ut separatim singuli meditarentur, & veritatem aperirent.

X. Post adventum Christi plures extitere editiones, græcæ & Latinæ, de quibus hic Sermonem habere superfluum est. Quia non erant ex hebræis fontibus, nec ex versione græca septuaginta interpretum immediaté expressæ. Ex tot editionibus un tantum erat præstantissima, ac in omnibus latinis recepta, quam Sanctus Augustinus italam vocat, & Sanctus Gregorius veterem. Author hujus vulgatæ editionis ignoratur; quamvis aliqui existiment ab aliquo discipulo domini fuisse editam: quia discipulus ille alijs fuisset notus, qui procul dubio nomen ejus nobis reliquissent, sicut reliquerunt nobis nomen Evangelistarum, aut ex traditione haberetur. Cùm ex illa editione adhuc extet psalterium.

XI. Jussu Damasi Papæ Sanctus Hieronimus aliam edidit versionem veteris testamenti, & novum græcæ fidei reddidit. Quia animadvertebat plures codices latinos esse vitiosissimos, & unumquemque correctionis, aut emendationis prætextu ex Septuaginta interpretum versione, editioni latinæ veteri, seu italæ pro arbitrio addere vel subtrahere. Hæc versiò Hieronymiana veteris testamenti ex hebræo in latinam, & correctio novi ad græcum Autographum, contentionum materiam subministrarunt. Plures enim vulgatam latinam veterem, seu italam præferebant: alij vero Hieronymianam. Idque vetus, Hieronymianam extrudere omnino non potuit, neque hieronymiana veterem: sed utraque paris videbatur authoritatis, donec tandem una ex utrisque mixta, conflata est ad communem ecclesiæ usum, quæ nunc vulgata communis dicitur, non quod in Singulis Libris sit permixta, sed quia in ea aliqui libri scripturæ leguntur: sicut D. Hieronimus eos ex hebræo in latinum vertit. Alij vero leguntur sicut ante legebantur in veteri vulgata. Quinque Libri Moysis, Libri Josue, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobiæ, Judith, Esther, Esdræ, & Prophetæ omnes, Canticum Canticorum, Proverbia, Ecclesiastes, & Job sunt Hieronimianæ versionis. Alij vero Libri veteris testamenti sunt editionis communis seu italæ. Pariter & novum testamentum, legitur secundum veterem editionem emendatam tamen a D. Hieronimo. jussu Damasi papæ.

XII. Bibliorum versiones vernaculæ, quæ pro gentium diversitate prodierunt, laudandæ sunt, dummodo probentur ut sinceræ ab Ecclesia: nam lectio Bibliorum vernaculæ editionis profuit beatæ Birgittæ, Sanctæ Domnæ, & alijs Sanctis. Deinde Sancti Patres invitabant &

hortabantur Laicos ad legendam scripturam Sacram, ut constat de Chrisostomo, & Augustino homil. 12. in exod. & homil. 9. in levit dicente. *Legite scripturas ideo voluit Deus ut scriberentur, ut nos consolaremur*: Hujus editionis vernaculæ utilitatem approbat variarum linguarum donum quod Christus contulit Apostolis, ut quæcumque gens, eos in lingua sua audiret loquentes magnalia Dei; cùm hæc ipsa magnalia quæcumque gens audire possit in Sacris Bibliis, legere & meditari, si in easdem linguas scriptura Sacra sit transfusa. Laudandæ sunt igitur editiones vernaculæ. At earum lectio non est omnibus indiscriminatim permittenda: Valdé enim periculosum est rudiori plebi, ac sæcularibus negotiis hominibus & muliereulis deditis Bibliorum lectionem permittere. Quia littera occidit, ut monet Paulus. Sed solum illis, qui vivificari poterint à spiritu seu genuino scripturæ sensu à Spiritu S. intento. Omnia Ergo circumspiciant Pastores & directores, quorum est judicare an cibus ille fortium, etiam pusillis interdum conveniat ne omnibus indiscriminatim Biblia legere permittant.

CAPUT IV.

An Libri Sacri plures sensus habeant.

I. SCripturam Sacram duos habere sensus, litteralem scilicet, & Spiritualem affirmat Apostolus 2. ad Corinth. 3. dicens *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* ubi *per litteram* intelligit ipsum sensum grammaticalem, quem prima fronte verba offerunt. *Per Spiritum* vero intelligit genuinum sensum à Spiritu Sancto intentum, qui est mysticus seu Spiritualis sensus. Hanc divisionem admittunt omnes S. Patres, & Sacræ scripturæ interpretes. Litteralis est prior prioritate ordinis, mysticus veró prioritate dignitatis: iste enim est sicut animus, & alter seu litteralis, est sicut corpus, ut notat Origenes. Ille occidit, & iste vivificat ut monet Apostolus; Ideoque Spiritualis est dignior, licet sit ordine posterior litterali. Quia intentio præcipua authoris primarii Sacræ scripturæ, non est sensum litteralem designare, sed Spiritualem, seu Mysticum, cum propter hunc littera proponatur. Undè Joan. 5. vers. 39. ait *Scrutamini scripturas* ut moneat non dictis, seu litteræ, sed dicentis intentioni esse attendendum, non Grammaticalem sensum, sed animum scriptoris esse quærendum, qui quidem Spiritualis sensus, seu authoris animus per interpretationem earundem scripturarum haberi solet. Quare Paulus 1. ad Corinth. 14. vers. 28. inquit, *Si non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur & Deo.* Ille qui habet donum linguarum, si desit qui interpretetur scripturas, aut sermones ut mens loquentis manifestetur audientibus.

II. Sensus Spiritualis aut Mysticus est triplex, nempè allegoricus, tropologicus, seu moralis, & Anagogicus. Hæc divisio tribuitur D. Augustino super Genesim ubi ait *In libris Sacris intueri oportet quæ tibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura pronuncientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur.* Hoc est, oportet intueri Sensum Anagogicum, Historicum, allegoricum & moralem. Quos omnes sensus his duobus versibus explicat Lyranus noster.

Littera gesta docet: quid credas allegoria.

Moralis quid agas: quid speres anagogia.

Hos versus fusiùs, & significantius exprimit Frassenus noster his quatuor sequentibus.

Dicitur Historicus, quem verba expressa designant.

Et Allegoricus, priscis qui ludit in undis.

Moralis, per quem vivendi norma tenetur.

Quid vero Speres, Anagogicus Altius effert.

Ad prædictos sensus exprimendos doctores vocem hanc *Jerusalem* adducunt, & omnes in ipsa esse ostendunt: eadem etenim vox *Jerusalem* secundum sensum Historicum significat Jerusalem civitatem Judæorum in Palæstina. Secundum allegoricum, Ecclesiam Militantem, & secundum sensum Moralem, animam justi, quæ est sedes Dei; & juxta sensum Anagogicum, nihil aliud demonstrat nisi Ecclesiam triumphantem, quam speramus, & ad quam tendimus.

III. Disputatur inter Sacros interpretes an quilibet textus Sacræ Scripturæ habeat sensum litteralem? D. Augustinus videtur affirmare, Sermone de Abrahamo, & Immolatione Isaac ubi ait, *Admonemus in quantum possumus, præcipimus ut quando audistis exponi Sacramentum scripturæ mandatis quæ gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne substracto fundamento rei gestæ, quasi in aëre quæratis ædificare.* Huic sententiæ subscribunt Sixtus Senensis, & alii. At opposita sententia quæ est D. Ambrosii, D. Hieronimi, Origenis, & aliorum videtur mihi probabilior, quippe plures sunt textus in Scriptura Sacra, qui allegoricè tantum intelligi possunt, ac proindè qui nullum sensum habent litteralem, inter quos, Lyranus noster adducit istam *si manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te.* Math. 5. vers. 30. qui revera non potest intelligi litteraliter, cùm manus dextera corporis humani cætera ejusdem corporis membra nequeat scandalizare, nec sit abscindenda: nam per manum, Christus inlelligit proximum à quo fugere debemus, si indigno facinore nos offendat. Indè concludit idem interpres, textus scripturæ in quibus est Methaphora, seu parabola sensu litterali carere. Alter textus est ille Josuè cap. 5. vers. 2. *Eo tempore ait Dominus ad Josuè fac tibi cultros lapideos, circumcide secundo filios Israël* quem exponens D. Hieronimus lib. 1. adversus Jovinian. inquit *Hoc si juxta litteram accipimus, stare non potest; si enim duplex haberemus præputium, vel excisa pellicula iterum nasceretur, rectè secunda circumcisio. haberet locum. Nunc autem hoc significatur, quod Jesus cultello Evangelii populum, qui per desertum venerat, circumcidit.*

IV. Addo alium textum ex Joan. 15. vers. 3. in quo legimus Christum dixisse Apostolis *ego sum vitis, vos Palmites* cujus litteralis sensus est, quod Christus est vitis vinifera, aut vitigenia, & Apostoli sunt ipsius palmites, qui de vite nascuntur, nec alius potest ex propria verborum significatione haberi sensus, si ad allegoricum non recurramus. Sed hic sensus litteralis est absurdus, cùm Christus (qui ibi de seipso loquitur) non sit verè & litteralis vitis vinifera, nec Apostoli palmites vitis: Igitur iste textus non potest sensum litteralem habere; quamvis habeat alios præsertim allegoricum. Eamdem sententiam tenet D. Thomas. Quolibeto 7. art. 15. ubi ait *hi quatuor sensus non attribuuntur Sacræ scripturæ, ut in qualibet ejus parte sit istis quatuor sensibus exponenda; sed quandoque istis quatuor quandoque tribus: quandoque duobus, quandoque uno tantum.* Quibus verbis constat quemlibet textum scripturæ non habere omnes sensus. Et aliquos posse habere Mysticum, & non litteralem, & alios habere litteralem, & non Mysticum. Ita docent Sancti Patres Presertim Hieronimus ut refert Frassenus noster, in disquisitionibus Biblicis cap. 4. de sens. scripturæ. num. 12.

V. Præter sensum litterálem, & Spiritualem, alium habemus apud Sacros interpretes Theologos, ac concionatores, qui accomodatitius vocatur, quia per quamdam extensionem tribuit eventui, aut personæ verba scripturæ propter aliquam similitudinem præter mentem Sacri scriptoris, ut V. G. quando Ecclesia canit de quolibet confessore: *Non est inuentus similis illi &c.* Eccle. 44. tribuit illi verba, quæ juxta Sacri scriptoris mentem de Abrahamo sunt intelligenda, tunc enim Ecclesia accommodatitio sensu utitur propter quamdam similitudinem, nimirum quia quilibet confessor conservavit legem excelsi adinstar Abrahæ. Hoc ipso sensu accomodatitio usus est Paulus ad Romanos cap. 15. vers. 3. ubi extendit ad Christum verba, quæ David de se ipso protulit Psal. 68. habemus igitur in scriptura Sacra sensum per accomodationem, quo uti possumus, sed cautim, scilicet dum ex hoc sensu elici potest argumentum à simili, vel ab exemplo ad Christianorum mores informandos. Undè graviter peccant concionatores illi, qui humanas laudes quærentes, Sacræ scripturæ majestatem profanis accomodationibus, & allusionibus labefactant: quæcumque enim scripta sunt non ad inanis gloriæ fumum, sed ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

VI. Sacra scriptura convenientissimè utitur parabolis, Metaphoris, & similitudinibus, seu transfert verba à propria significatione in aliam, ob Similitudinem, aut proprietatem: convenit enim charitatem, aut amorem dei exprimere; per ignem,

& mansuetudinem Christi, per agnum quoniam *invisibilia dei*, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* ut ait Apostolus ad Rom. cap. 1. vers. 20. Id est, ea quæ non videmus, neque conspiciuntur, per rerum sensibilium similitudinem apprehendere possumus. Quare apud veteres erant deuterotæ seu legum sacrarum, ac ænigmatum expositores, ut notat Eusebius, qui sacros Libros per similitudines, & Metaphoras interpretabantur, eorumque rerum sensum aperiebant. Quia Libri sacri pluribus in locis obscurissimi sunt, idcirco opus est interprete, qui reconditum & involutum illorum sensum aperiat, ut docent Sancti Patres, & præsertim D. Ambrosius Epist. 44. ad Constantinum ubi ait, *mare est scriptura divina*, *habens in se sensus profundos*, *altitudinem propheticorum ænigmatum.* Hæc scripturæ obscuritas necessitatem utendi metaphoris inducens, suadetur ex eo quòd Deus assumpserit figurarum umbras, ut ænigmatum Symbola, ut Sub eorum lamine mentem suam nobis aperiret ut gaudet Apostolus ad hebræos cap. 1. v. Dicens, *multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis.*

VII. Sacris Libris conjunctim sumptis tria tribuuntur nomina, quorum primum est *Scriptura Sancta* quia Sanctificat, & Sancta continent. Appellantur *verbum Dei* quia a deo inspirati sunt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit Homo Dei ad omne opus bonum instructus. Dicuntur *testamentum* quia Deus in ipsis suam erga nos singularem ostendit voluntatem, & mentem consequenda hæreditate æterna, quam misit rat omnibus, qui diligunt illum. Idem dicuntur *epistolæ Dei*. Quia inquit Augustinus in psal. 90. *De illa civitate unde peregrinamur*, *Litteræ nobis venerunt*, *ipsæ sunt scripturæ*, *quæ nos Hortantur*, *ut bene vivamus.* Alia Sacris Libris tribuuntur nomina, quæ omitto quia facilè haberi possunt.

CAPUT V.

De autoribus Librorum veteris testamenti.

I. DEum esse primarium fontem, atque autorem Sacrorum Librorum tam veteris, quàm novi testamenti, nullus pietatis compos ibit inficias; cùm Nihil aliud sint, quàm verbum dei litteris exaratum dictante Spiritu Sancto. Undè hic sufficit autores secundarios seu scriptores explorare: Moyses reverà Scripsit Pentateuchum seu quinque illos Libros, qui Moysis nomine circunferuntur; nam Pentateuchus dicitur a *pente* quod est *quinque* & à *teuchus* quod est *volumen* ut notat Gaudentius. De hac veritate seu Moysem Penteteuchum scripsisse, testimonium perhibet Propheta Baruch cap. 2. Vers. 27. & 28. dicens. *Fecisti in nobis Domine Deus noster secundùm omnem bonitatem tuam*, *& secundùm omnem illam miserationem tuam illam magnam*, *sicut locutus es in manu pueri Moysis in die qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filijs Israel* quæ quidem lex dei continetur in quinque Libris Pentateuchi, qui legales dicuntur. Igitur Moyses scripsit illos. Alij quam plurimi sunt tam in veteri, quàm in novo testamento textus, quibus eadem veritas comprobatur, sed eos omittere congruum est. Quia in quantum ad nos attinet, sufficit iste Joan. 5. Vers. 46. Ubi Christus alloquens judæos incredulos inquit. *Si crederetis Moysi*, *crederetis forsitan & mihi*, *de me enim ille scripsit.* Ex hoc oraculo habemus Moysem scripsisse, & hunc de messia venturo: Sed nullus est Liber prænuntians Christum venturum, qui possit tribui Moysi præter Pentateuchum; cùm quilibet aliorum habeat suum autorem, excepto Libro Jobi qui etiàm Moysi tribuitur, & in Genesi cap. 43. v. 10. Non autem in Libro Jobi extet promissio de messia: ibi enim inquit Moyses: *Non auferetur sceptrum de Juda*; Ergo Moyses ipse Pentateuchum scripsit.

II. Dicet forsan adversariorum aliquis, ex illo oraculo Joannis, solùm sequi Moy-

sem esse autorem Libri Genesis, non verò totius pentateuchi. Admissa hac illatione, Moysem esse autorem genesis convincente; eumdem esse autorem aliorum librorum, probat illud. 2. Paralip. cap. 35 .vers. 11. & 12. ubi legitur: *Et immolatum est phase, asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem, & levitæ detraxerunt pelles holocaustorum, & separaverunt ea, ut darent per domos & familias singulorum, & offerrentur domino, sicut scriptum est in Libro Moysi.* Liber autem in quo Moyses præscripsit ritum celebrandi phase, non est liber Genesis in quo scripsit de messiæ adventu, sed Exod 12. Levit 23. Et Num 27. tenetur igitur adversarius fateri hos Libros, nimirum, genesis, exodi, levitici, & numeri a Moyse fuisse conscriptos. Quoad deuteronomium, sic probo ex illo Joan. 1. Vers. 45. *Invenit Philippus Nathanaël, & dicit ei, quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, invenimus Jesum Filium Joseph à Nazaret:* at Moyses scripsit de eo, quem Philippus se invenisse testatur, in deuteronomio 18. Vers. 18. Ut constat ex observatione in margine Bibliorum posita, Ergo scriptura Sacra affirmat Moysem esse totius pentateuchi scriptorem.

III. Præcipua adversariorum argumenta sunt hæc. Scriptor pentateuchi Moysis Laudes, & encomia celebrat, de ipso loquitur sicut de tertia persona, & ejus mortem ac sepulturam refert: ait enim *erat Moyses vir mitissimus super omnes homines* &c. *Dixit Dominus ad Moysem. Mortuusque est ibi moyses servus Domini. in terra Moab jubente Domino.* Revera hæc omnia probare videntur pentateuchum non fuisse â Moyse scriptum. Sed respondeo Moysem potuisse absque ulla humilitatis jactura declarare, & describere se talem, qualis erat, suaque narrare gesta. Potuit etiam loqui de se ipso, sicut de tertia persona. Nonné paulus ad Corinth. 1. cap. 4. Loquens de seipso & de alijs Apostolis ait *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei* & Joan. cap. 19. Vers. 26. *Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: mulier ecce filius tuus; Deinde dicit discipulo ecce mater tua:* Ergo etiam, Moyses pro candore suo potuit absque ulla humilitatis jactura, sua narrare encomia, & de se ipso sicut de alio loqui; quin liceat indè inferre libros in quibus hæc continentur fuisse ab alio conscriptos. Cùm nulli liceat dicere Joannem non esse discipulum illum, quem diligebat Jesus, quoad illud de sepultura Moysis, dico quod nihil probat. Quia Moyses spiritu Prophetico mortem suam scripsit, deo sic jubente, nè cum propter egregias virtutes, a deo raptum Israelitæ opinarentur, ut monent Philo, & Josephus.

IV. Varii etiam sunt circa librum Josue, Doctorum Sensus. Quidam Eleazaro Pontifici tribuunt illum, alii vero Samueli, Isayæ, aut Esdræ, sed probabilius est Josuam Moysis Discipulum, & in ministerio ipsius successorem scripsisse eum. Ita Abulensis, Driedo & alii quos refert & sequitur Frassenus. Ratio est Quia ex eodem libro cap. 1. vers. 1. constat Josuam esse filium Nun. & ex 3. Regum cap. 16. vers. ult. certissimum est eumdem Josuam scripsisse verbum Domini: Ibi enim legimus, *Quod Hiel de Bethel Jerico ædificavit juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Josuæ filij Nun.* Udè cùm nullum alium habeamus Librum, qui nomen Josuæ præ se ferat, nec qui enarret ingressum populi Israëlitici in terram promissam, vere similior est opinio eorum qui hujus libri scriptorem putant esse Josuam, qui fuit Moysis successor in regimine Iraëlitarum,

V. Simils controversia est inter Doctores de libro Judicum. Plures enim testantur ab Ezechia rege, vel ab Esdra fuisse conscriptum. Alii vero à Samuele, vel ab ipsismet judicibus, idque colligunt ex cap. 46. Ecclesiastici vers. 13. Sed quia de hac re quid tenendum sit non indicat, nec præscribit Ecclesia, melius est judicium suspendere, quàm hujus libri determinare authorem. Nec obstat textus Ecclesiastici. quia non probat judices fuisse hujus libri authores, sed solum judices extitisse, & quosdam eorumdem fuisse à Domino aversos: ait enim [*Judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt à Domino, &c.* Quæ verba suadent aliquorum judicum cor fuisse corruptum, proculdubio per Idololatriam. Idem sentio de Libro Ruth, qui est potius Libri judicum appendix, & continuatio; quàm Liber distinctus, quapropter author, idem putatur qui & libri judicum cum nullus sit, qui ex scriptura, Conciliis, Summorũ Pontificum decretis; aut ex Sanctis Patri-

bus probetur ipsius author; quamvis plures Doctores existiment Ezechiam, vel Samüelem illum conscripsisse. Quod certè crederem, si aliqua authoritate, aut ratione id persuaderent.

VI. Juxta communiorem Doctorum, & Sanctorum Patrum sententiam, Samuel est author duorum priorum Librorum Regum quia 1. Paralip. cap. 29. vers. 29. fit mentio de Libro Samuelis, qui alter esse non potest, nisi Liber Regum saltem quoad duos priores. De scriptore autem duorum posteriorum nulla habetur certa cognitio. Hi Libri mirabilem Dei Erga populum Israeliticum providentiam in regendo, justitiam in puniendo delinquentes, & liberalitatem in remunerando probos demonstrant. Librorum paralipomenon author est Esdras, qui est etiam author duorum Librorum qui in Bibliis nomen ejus præ se ferunt. Duo autem posteriores qui in Sacrorum Bibliorum volumine adjiciuntur ad calcem librorum canonicorum, apocryphi habentur ab Ecclesia. Tobiæ historia Scripta fuit partim à Tobia Seniore, & partim à Tobia juniore, ut apertè colligitur ex eodem libro cap. 12. vers. 20. ubi legitur angelum dixisse utrique *tempus est ut revertar ad eum qui me misit, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.* Quæ quidem mirabilia utrumque Tobiam narrasse nullum patitur dubium. Author libri Judith est incertus, licet D. Isydorus lib. 6. cap. 2. qui Esdræ cum Epiphanio & Augustino adscribit librum Esther; sed probabilius est hunc librum à Mardochæo fuisse conscriptum, ut manifestè probat textus cap. 9. vers. 20. ejusdem libri *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Judæos qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul.*

VII. Plures hæretici existimant librum Job esse meram parabolam pro Israëlitis patientiam informandis excogitatam. Omnes catholici firmiter credunt Jobum verè extitisse: ejus enim meminit martirologium Romanum die decima mensis Maii, & officium in conventu nostro Jerosolymitano celebratur jussu Sacræ Rit. Congregationis. Quod concessum non fuisset si Job non esset nomen proprium, realem personam designans. Sicut ista nomina *Noë, Daniel* quæ designant personas cum quibus comparatione numeratur Iob. Ezechi cap. 14. vers. 14. *& si fuerint tres viri isti in medio ejus Noë, Daniel, & Iob ipsi justitia sua liberabunt animas suas ait Dominus exercituum.* Hoc textu patet Jobum esse verè personam quæ fuit, sicut Noë & Daniel extitere. Istum textum confirmat alius, qui est Tobiæ cap. 2. vers. 12. *Hanc autem tentationem permisit Dominus evenire illi ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Iob.* Quo textu Jobum non solum vixisse, sed etiam sanctum fuisse affirmatur. Nonnulla objiciunt argumenta adversarij, ea tamen omitto. Quia eorum solutio ad scriptores hanc materiam exprofessò tractantes, est remittenda. Aliundè ea argumenta sunt parvi momenti.

VIII. De authore hujus libri variæ sunt doctorum sententiæ Quidam volunt fuisse ab ipso Jobo conscriptum. Alij ab aliquo amico ipsius Jobi. Alij vero existimant moysem scripsisse illum. Hæc ultima opinio videtur mihi probabilior: nam si Job, aut aliquis ex ejus amicis historiam istam scripsisset. Moyses pentateuchi scriptor, de ipsa aliquam habuisset mentionem in aliquo libro legis; sicut eam habuerunt Tobias, & Zechiel supra citati, qui Jobi memoriam celebrant, quia Job vixit ante Moysem juxta doctorum omnium consensum; & Moyses in pentateucho citat omnes libros, qui sua ætate stabant, putà librum bellorum Domini, librum generationis Adæ, & alios, de libro autem Jobi nullum in pentateucho habetur verbum; ergo nondum stabat, ac proinde ab ipso Moyse scripta fuit hæc historia ad Israëlitarum in deserto peregrinantium consolationem; scopus enim hujus libri est hortari afflictos, & captivos ad patientiam. Fateor hanc rationem non rectè concludere, quia ex negativis nihil bene conficitur, nullus tamen ei potest, in hac re dubia magnam denegare authoritatem. Liber Psalmorum, qui est liber laudum seu hymnorum, Davidis nomine vulgò inscribitur quia Psalmorum pars maxima ab eo fuit edita. Nec obstat illud Luc. 20. vers. 42. quo totum psalterium illi tribuitur: Ibi enim ait Evangelista *ipse David dicit in libro Psalmorum.* Quia ibi major pars libri à Davide exarata, sumitur pro toto. Ex Sanctis Patribus habemus non omnes 150. Psalmos Davidem habere authorem. Scimus inquit Hieronymus scribens ad Ciprianum *errare eos qui psalmos omnes David*

arbitrantur, & non eorum quorum nominibus inscripti sunt.

IX. Salomon composuit proverbia, canticum canticorum, & Ecclesiasten. quantum ad librum sapientiæ multiplex est opinio. D. Augustinus eum tribuit scriptori libri Ecclesiastici. Alij eum adscribunt Philoni hebræo. Ita omnes Judæi ut refert D. Hieronymus. Alij tandem volunt philonem seniorem esse hujus libri authorem. Ita Canus, & alij plures recentiores. Prima sententia quæ est D. Augustini lib. 2. de doctrin. Christi cap. 8. esset tuenda, si ipse hanc non retractasset sententiam lib. retract. cap. 4. Secunda est omninò improbabilis quia Philo Hebræus, qui floruit sub Caïo Caligula Imperatore, erat a fide Christiana alienus, & in judaismo pertinax; ideoque non potuit scribere librum canonicum, judæorum impietatem describentem Spiritu Sancto dictante. Tertia veró nullum habet fundamentum, ille enim Philo Senior, quem vixisse dicunt annis ante Christum 160 non invenitur apud veteres Scriptores, qui mentionem de alio Philone faciunt, ut monet Frassenus. Undè existimo librum sapientiæ fuisse à Salomone Scriptum. Quia ea, quæ in libro sapientiæ enunciantur, præcipuè in capite nono, Salomoni duntaxat conveniunt. Hanc opinionem tenent plures qui putant eumdem librum, sapientiæ librum vocari non solum quia divinam ubique spirat sapientiam, sed quia à sapientiore hominum, scilicet à Salomone qui assistricem habuit sapientiam, editus fuit.

X. De authore Ecclesiastici libri, maxima est apud veteres Ecclesiæ patres controversia. Plures adscribunt illum Salomoni; at hoc improbabile est quia in cap. 48. ejusdem libri recensentur Laudes Eliæ, Eleazari, & Isayæ, qui diu post Salomonem vixerunt. Alij volunt ipsum librum fuisse à Jesu Filio Sirach compositum. Hæc secunda opinio est tuenda. Quia in cap. 50. vers. 29. ejusdem libri, legitur *doctrinam sapientiæ, & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus Filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam in corde suo*: Codex enim de quo textus loquitur, est liber Ecclesiastici; cujus ultimum caput est oratio Jesu Filij Sirach. Ita major Sanctorum patrum, atque interpretum pars. Idemque colligitur ex inscriptione in omnibus codicibus Græcis & Latinis posita.

XI. Quatuor Prophetæ majores, scilicet Isayas, Jeremias, Ezechiel, & Daniel, pariter & duodecim Prophetæ minores, unusquisque se libri sui authorem prodit. Ut fatentur Sancti Patres. Primus prophetarum seu Isayas alios veteris testamenti dignitate, & vaticiniis longè antecellit quia futuræ Ecclesiæ Christi sponsæ prærogativas & encomia præ cæteris celebravit, omnibusque prophetis diutiùs vaticinatus est. Siquidem per sexaginta annos prophetasse videtur. Jeremias edidit insuper lamentationes post eversam Jerusalem; cum ibi ejusdem Civitatis, & populi in Babilone captivi calamitates deploret. Has lamentationes sequitur Prophetia Baruch, quem tridentinum sess. 4. annumerando prophetas, quorum libri recipiuntur ut canonici ab Ecclesia, laudat conjunctim cum Propheta Jeremia; tametsi ab eo sit in Bibliis distinctus. Ibi enim ajunt patres tridentini *Isayas, Jeremias cum Baruch, Ezechiel &c.* Osea, Joel & alij decem dicuntur prophetæ minores, eâ tantum ratione, quia pauciora sunt eorum vaticinia.

XII. Quamvis quatuor sint Machabæorum libri. Tamen duos priores dumtaxat Ecclesia suscipit ut Canonicos, quorum author non est utrique communis. Tum quia non est unus utriusque stylus. Tum quia in posteriori libro repetuntur plura, quæ in priori scripta sunt. Quinam autem sint horum duorum librorum authores? res est incerta. Id, quod censere possum, est, hos duos libros à Machabæorum ducibus fuisse conscriptos. Quia probabile est unumquemque familiæ suæ rebus gestis posteritati commendandis præcipuè invigilasse. *Dices* si duorum priorum librorum author esset incertus, ipsi Machabaeorum libri non essent canonici, sed apocriphi, sicut duo posteriores; quod tamen falsum est ex tridentino sess. 4. duós priores Machabæorum libros inter canonicos annumerante. Respondeo negando sequelam. In libris Bibliorum non tam attenditur scribentis dignitas, quàm divina authoritas Spiritus Sancti, qui eorumdem librorum scriptores veluti suos amanuenses scribere curavit; Undè cum in duobus prioribus Machabæorum libris inveniatur hæc Spiritus Sancti authoritas, quæ nobis manifesta fit per Ecclesiæ judicium, numerandi sunt inter canonicos, ut de facto numerantur libri judicum, quorum author est incertus. Nec per hoc apocryphi sunt censendi, si per libros apocryphos intelligas libros spurios, & perversa redolentes

ientes

lentes dogmata; quorum author est solus homo. Quia Ecclesia indicat eosdem libros fuisse à Spiritu Sancto dictatos, quamvis de scriptore ipsorum nulla habeatur certitudo.

CAPUT VI.

De autoribus librorum novi Testamenti.

I. QUamvis quatuor Evangelia sint unicum Evangelium, si rei veritatem, & narrationem spectemus, ut monet D. Chrisostomus in 1. cap. Epist. ad Galat. tamen; si Scriptores numerentur, quatuor sunt Evangelia. Primum est Mathæi, secundum Marci, tertium Lucæ, quartum verò est Joannis. Mathæus primus omnium scripsit Evangelium: scripsit enim illud circà annum octavum Christi, ut refert major pars interpretum, vel circà annum sextum ut volunt aliqui. Quo autem idiomate scripserit illud, est incertum: etenim plures sancti Patres una cum lectione quæ in officio sancti Mathæi legitur, stant pro idiomate Hebraïco. Alij verò stant pro Græco, eorum ratio est. Quia pro certo habemus D. Hieronymum jussu Damasi Papæ vertisse vetus testamentum ex Hebræo in Latinum. Novum verò (in quo est Evangelium istud) non vertisse, sed Græcæ fidei reddidisse, ut constat in lectionibus, quæ in officio sancti Hieronymi recitantur. Prior tamen opinio est præferenda; tum quia antiquiores habet deffensores; tum quia ad rationem alterius sententiæ responderi potest, Evangelium Mathæi fuisse ex Hebræo in linguam Græcam fideliter translatum ab aliquo discipulo ante Hieronymianam versionem; tum quia idem Hieronymus in præfatione in Evangelistas ad Damasum in fine Bibliorum ait. *De novo nunc loquor testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Mathæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.*

II. Sanctus Marcus, qui ex D. Hieronymo in catologo scrip. Eccles. fuit discipulus, & interpres S. Petri, scripsit Evangelium nomen ejus præferens, hocque ante mortem Petri, ut notant plures contra Sanctum Irenæum: quod probant historiâ affirmante Sanctum Marcum ante mortem Petri, martirij palmam fuisse adeptum. Quantum ad idioma est difficultas. Plures stant pro latino. Quia scripsit illud in gratiam Romanorum apud quos tunc vigebat lingua Latina, veluti præstantior. Alij stant pro Græco. Ita D. Augustinus lib. 1. de consensu Evang. cap. 2. & hoc est probabilius. Tum authoritate D. Hieronymi jam allatâ pro S. Mathæi Evangelio. Tum quia Sanctus Marcus scripsit Evangelium iturus Alexandriam, ut ibi prædicaret illud lingua vernacula, quæ erat Græca, quamvis Romani illum rogassent, ut quæ Petrus fuerat eis concionatus, ille in litteras referret. Ita D. Hieronymus jam citatus dicens *de novo nunc loquor testamento, quod græcum esse non dubium est: excepto Apostolo Mathæo, qui primus in judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.* Ex hac authoritate constat Lucam, & Joannem scripsisse etiam græcè Evangelia, nomina eorum circumferentia. Lucas fuit Pauli discipulus, suumque scripsit Evangelium anno 15. post Christi Ascensionem, ut notat Theophilactus, vel anno 20. ut volunt alij. D. Joannes fuit verè Apostolus, & Euangelista, suumque scripsit Evangelium rogatus ab Episcopis Asiæ, postquàm ab exilio solutus Ephesum rediit.

III. Idem Sanctus Joannes scripsit tres Epistolas nomen ejus circumferentes, & Apocalipsim: hic liber in insula Patmos scriptus fuit idiomate græco (quo scripta fuerunt etiam Evangelium & alia opera ejusdem) antequam scriberet Evangelium: nam edidit Apocalypsim circa finem imperij Domitiani, nimirum sub anno Christi 97. ut tradunt Irenæus, Hieronymus, Eusebius, & plures alij, & edidit Evangelium ab exilio reversus, ut monent D. Hieronymus, Augustinus, Beda, & alij gravissimi Doctores.

IV. Libri actuum Apostolorum author est Lucas Evangelista. Sic sentiunt omnes interpretes, idque probant ex his ejusdem libri primis verbis *Primum quidem sermonem feci de omnibus O Theophile &c.* Quibus scriptor actuum Apostolorum testatur nedum se jam Christi historiam scripsisse in Evangelio; sed etiam scripsisse Theophilo, qui erat quasi mœcenas ipsius. Ideòque Evangelij Lucæ, & actuum Apostolorum est unus & idem author, scilicet Lucas Evangelista. An vero Theophilus sit nomen

commune, vel proprium & personale? duæ sunt sententiæ. Prima asserit Theophilum esse nomen vagum, idem significans, ac amans Deum, cui sanctus Lucas hunc dedicavit librum pariter, & Evangelium. Alij volunt esse nomen proprium & personale; Et Theophilum esse virum illum Antiochenum, qui usui Christianorum suam mancipavit domum, quam sanctus Petrus vertit in Ecclesiam. Hæc opinio est probabilior alterâ.

V. Dissident interpretes circa Epistolam nomen Jacobi circumferentem, quia plures recensentur in scriptura, qui hoc nomine appellantur: unus enim fuit filius Zebedæi, qui solitò vocatur Jacobus major: alter fuit filius Alphæi seu Cleophæ frater Judæ, & Simonis Apostolorum, qui solitò appellatur Jacobus minor. Tandem est alter (inquiunt) qui fuit Episcopus Jerosolymitanus, & Christi Domini discipulus, qui solitò dicitur justus, & frater Domini. Huic multiplicitati contradicunt Hieronymus, Eusebius, & alij, qui volunt duos dumtaxat fuisse Jacobos Apostolos, majorem scilicet & minorem. Prior fuit Episcopus Jerosolymitanus, qui in prima Synodo præsentibus aliis Apostolis primus post Petrum sententiam dixit. Hæc ultima opinio duos Jacobos Apostolos statuens, est tuenda. Horumque posteriori, putà Jacobo minori adscribenda est Epistola: nam Jacobus major filius Zebedæi fuit occisus ab Herode antequam Judæi ad Christum conversi per varias orbis regiones dispergerentur, ideóque non potuit ad eos hanc Epistolam dirigere. Judas Apostolus frater Jacobi minoris, & Simonis Apostolorum ac Josephi competitoris Mathiæ pro successione ad Apostolatum Judæ proditoris, edidit Epistolam nomen ejus præferentem.

VI. Petrus Apostolorum Princeps, totiusque Ecclesiæ Christi caput, duas Epistolas ad Judæos recéns conversos scripsit Romæ: etenim hæc amplissima civitas Babylonis nomine tunc adumbrabatur, ut advertunt Doctores antiqui, præsertim Eusebius. Undè dum Petrus Epist. 1. cap. 5. vers. 13. ait *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone collecta, & Marcus filius meus,* designat Romam, quæ tunc figurativè erat Babylon, ut notat sanctus Hieronymus lib. de scriptor. Eccles. item Tertulianus advers. Judæos cap. 9. & lib. 2. contra Marcion. cap. 13. ubi ait *Sic & Babylon apud Joannem nostrum Romana vobis figuram portat.* Quia D. Joannes in Apocalip. cap. 17. vers. 5. de Roma loquitur etiam sub nomine Babylonis. Ob varias causas sanctus Petrus has Epistolas Romæ scribendo, nomen Romæ sub Babylone dissimulavit, sed eas omitto, hæc sufficit, scilicet nè si deprehenderetur Epistola, adversarij cognoscerent in quo loco viveret. Joannes verò eodem nomine Babylonis usus est loco citato. Quia Romani tunc ut Babylonici vivebant, & Roma erat altera Babylon.

VII. Quatuordecim Epistolas scripsit Paulus unam ad Romanos: ut omnibus fidelibus, qui Romæ erant, legis antiquæ inutilitatem demonstraret, dum ipse esset Corinthi. Duas ad Corinthios, quarum prima non fuit scripta Philippis, ut volunt plures, sed potius Ephesi; cùm idem Apostolus cap. 16. vers. 8. dicat Corinthiis *Permanebo autem Ephesi, usque ad Pentecostem.* An vero secunda Epistola Philippis, vel Ephesi scripta fuerit? nullum est de hac re argumentum; plures dicunt fuisse scriptam Nicopoli anno Christi 58. unam ad Galatas de cujus tempore nihil certi habemus apud Doctores, bellè quidem de loco; cum omnes conveniant scriptam fuisse Ephesi. Unam quoque scripsit ad Ephesios dum esset vinctus Romæ, ut testatur ipse cap. 3. vers. 1. ejusdem Epistolæ ubi ait *Hujus rei gratiâ ego Paulus vinctus Christi pro vobis gentibus*: In eadem civitate scripsit eam, quæ est ad Philippenses, pariter & illam, quæ est ad Collossenses. Quia in fine ejusdem Epistolæ ait *Salutatio mea manu Pauli memores estote vinculorum meorum.* Quibus verbis liquidò constat hanc Epistolam scriptam fuisse à Paulo Romæ incarcerato.

VIII. Inter omnes Epistolas Pauli, duæ sunt ad Thessalonicenses. Duæ ad Timotheum, quem constituerat Episcopum Ephesiorum. Et una ad Titum quem ordinaverat Episcopum Cretensem. Tandem eidem Apostolo adscribitur etiam illa Epistola, quæ est ad Philemonem amicum atque hospitem suum Collossensem, ut benignè susciperet Onesimum fugitivum servum jam revertentem ad ipsum.

IX. Maxima difficultas fuit olim an idem Apostolus sit author Epistolæ ad Hebræos? modo tamen conveniunt Doctores hanc Epistolam fuisse admissam ab Ecclesia, ut Canonicam, & à sancto Paulo editam. Præcipuum hujus rei argumentum

est. Quia sanctus Petrus ad Hebræos scribens hujus Epistolæ Paulinæ mentionem facit: nam in secunda Epistola cap.3.vers. 15. ait illis *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi patientiam scripsit vobis.* Constat igitur ex sancti Petri testimonio, Paulum scripsisse ad Hebræos, ad quos ipse Petrus scribebat, sed inter Epistolas Paulinas, nulla alia est ad Hebræos, nisi illa, quæ in Catalogo librorum Canonicorum Ecclesiæ reponitur à Tridentino, & in nostris Bibliis legitur, cum reliquæ nomen Pauli circumferentes ad distinctas Ecclesias, vel speciales personas, Titi scilicet & Timothei scriptæ sint. Igitur Paulus scripsit hanc Epistolam, hancque Romæ cum cap. ult. vers. 24. dicat *Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos, salutant vos de Italia fratres.*

X. Plura opponunt nonulli, hanc Epistolam non esse Paulinam contendentes. Primo quia Epistolæ Pauli nomen ejus præ se ferunt in capite: omnes enim sic incipiunt *Paulus servus &c.* vel concludunt. Quod de ista ad Hebræos non verificatur. Secundo scriptor hujus Epistolæ cap. 2. v. 3. asserit se non esse ex iis, qui à Christi discipulis notitiam acceperunt, & Paulus variis in locis præsertim ad Gal. cap.1.vers. 12. testatur se accepisse per revelationem Jesu Christi id quod didicit. Tertio quia hæc Epistola est elegantior Epistolis Paulinis, haberque aliam scribendi methodum, sed facilè dissolui possunt hæc fundamenta. Ad primum dico cum sanctis Patribus præsertim Hieronymo, & Clemente Alexandrino, Paulum non præposuisse nomen suum huic Epistolæ, quia erat odiosus Hebræis, qui Epistolam contempsissent, si scivissent ipsam fuisse à Paulo scriptam, & transmissam. Ad secundum Respondeo Paulum ad Gal. dicentem *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi,* Non asserere determinatè se non esse ex iis, qui à Christi discipulis notitiam acceperunt, ita ut ab eorum numero se excludat, sed solùm asserit se habuisse à Deo signa & portenta eorum, quæ enarrat. Quod verè de Paulo verificatur, quoniam raptus fuerat usque ad tertium cœlum in quo audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ad tertium dico styli diversitatem, aut elegantiam hujus Epistolæ non nocere, quia licet sensus, aut materia sit Pauli, stylus tamen est Lucæ quod verum esse probat hujus Epistolæ, & actuum Apostolorum in stylo conformitas.

CAPUT VII.

An traditio aliquam authoritatem habeat in Ecclesia.

I. Triplex est traditionum genus: traditiones enim quædam sunt divinæ, seu immediatè à Deo, vel à Christo derivatæ; quædam Apostolicæ, quæ sunt ab Apostolis, & quædam Ecclesiasticæ, quæ sunt ab Ecclesia. Priores eamdem vim habent ac præcepta divina; cum immediatè à Deo oriantur, sicut præcepta legis, & observatæ fuerint ab illis, qui in lege naturæ pié ac sanctè vivebant, ut à Jobo, & alijs, qui sola traditione utebantur; Apostolicæ tantam habent authoritatem, quantam habent eorumdem Apostolorum scripta can. *Ecclesiasticarum.* dist. 11. quia scriptura quatenus est verbum Dei, non habet vim ab atramento, & characteribus, sed à Spiritu Sancto dictante, si scribantur ea, quæ dicta, sive non: unde Apostolus ad Thessalonicenses 2. cap.2. vers.14. ait *Itaque fratres state, & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram;* Ecclesiasticæ autem similem authoritatem habent cum decretis, & constitutionibus Pontificiis, ut declarant Concilia, Nicænum scilicet & Tridentinum; illud arti. 1. his verbis *Qui Doctrinas Sanctorum Patrum, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ contemnit, Anathema sit.* Istud, seu Tridentinum sess. 4. unde D. Chrysostomus in 2. ad Thessal. cap. 2. ait, *Patet quòd non omnia per Epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa sine litteris, eadem fide digna sunt, tam ista, quàm illa. Quare Ecclesiæ traditionem fide dignam existimamus, traditio est, nihil amplius quæras.*

II. Traditionum authoritas variis motivis suadetur. Primò certissimum est Hebræos legem Moysis, atque scripturas recepisse; probabilissimum quoque est ipsos ad hujusmodi receptionem non fuisse dispositos, nisi prius ab antiquis per traditionem didicissent Deum mirabilia perpetrasse,

quapropter Deus Exod. cap. 13. vers. 8. & 9. ait; *Narrabis filio tuo in die illo dicens, hoc est quod fecit Dominus quando egressus sum de Ægipto, & erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Diminus de Ægipto*, ut mirabilium Dei recordarentur Israëlitæ, & Hebræi pro suscipienda lege, quæ erat in ore Moysis scripturâ confirmantis ea, quæ ex traditione habebant: certum enim est Adamum plura docuisse nepotes suos ad religionem pertinentia, ex successione ad Abrahamum deducta, & ab Abrahamo ad Moysem, quorum certitudine in veritate legis firmi fiebant.

III. Duplex erat apud Judæos interpretatio, oralis scilicet, & scripta. Prior paris erat authoritatis cum lege scripta, ut testantur antiqui Rabbini dicentes apud Buxtrofium lib. de Sinagoga Judæorum cap. 1. *Nos explicationem quæ naturæ proprietatique mandatorum legis scriptæ conveniat, perfectum habere non possumus, nisi nos super illis, quæ Schachamin, Rabbinique nostri, & locuti sunt, & scripsere fundemus. Sicut enim lex scripta nobis est per majores nostros data, ita legem quoque oralem accepimus ab iisdem, & inter ambas has discrimen plane nullum inveniri potest.* Ubi per *legem oralem* intelligitur traditio à majoribus ad posteros propagata. Inde constat 1. traditionem apud Judæos parem cum lege scripta habuisse authoritatem, ac necessitatem, dummodo probata fuisset à Consistorio Jerosolimitano, quod erat fundamentum legis oralis, seu traditionis, ut aduertit Maimonides. Quodque cônstabat septuaginta, & uno viris ex doctissimis, & æquissimis Hebræorum 2. traditiones sive Ecclesiasticas, sive Apostolicas, sive divinas, habere etiam apud nos, & in Ecclesia Romana maximam authoritatem, dummodo priùs ab Ecclesia fuerint receptæ, & approbatæ. Quia traditiones fictæ, & fucatæ sunt penitùs reijciendæ, ut suadet illud Math. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Et ad Coloss. 2. Paulus ait, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum.* Igitur magnam authoritatem habet traditio vera: nam ex can. *Catholica* dist. 11. traditione & authoritate Ecclesia regitur.

IV. Aliud motivum traditionis authoritatem suadens, est scriptura ex psal. 43. vers. 1. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Et Paulus loco citato *Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem sive per Epistolam.* Quibus verbis habemus Prophetam æqualiter tradidisse ea, quæ patres annunciauerant, & ea quæ scripta erant: & Paulum traditionibus & Epistolis suis eamdem tribuisse authoritatem pro veritate agnoscenda, & confirmanda. Unde Job cap. 8. vers. 8. arguens Baldad, de sermone impio ait ei *Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam*: Ut ipse Baldad sermonis sui impietatem agnosceret in generatione pristina, & patribus antiquis quorum gesta enarrabat traditio.

V. Plura ad licitam Sacramentorum confectionem necessaria sunt, quæ ex sola traditione habentur: nam aqua est miscenda in calice ex Christi institutione; cum ex Tridentino sess. 22. cap. 7. credatur Christum Dominum ita fecisse. Panis consecrandus debet esse azimus. Ordo varios gradus habet, suntque plura alia in Sacramentis, quæ tamen in scriptura non repetiuntur, licet sint de fide. Igitur traditio pertinet ad regulam fidei sicut scriptura; cùm fide divina credamus Beatam Virginem fuisse assumptam in cælum, etiam in corpore; quamvis id ex sola traditione habeamus. Insuper Symbolum Apostolorum, sicut & scripturam quam habemus Canonicam & veram, esse scripturam traditione accepimus: unde enim certi sumus, quod Symbolum ab Apostolis conditum sit, & scriptura ab iis authoribus, & non ab aliis conscripta, nisi traditione? Undè scire possumus quod libri spurij, & apocryphi, non sint Canonici, nisi traditione? ergo traditio est regula fidei, & debet admitti ab omnibus, qui scripturam admittunt, cùm nobis proponat hanc scripturam, & non aliam fuisse divinitùs revelatam, & ipsam esse verè verbum Dei scriptum. Explosâ siquidem traditione non est undè scire valeamus Evangelia Jacobi, Nazaræorum, Epistolas Pauli ad Senecam, aliosque libros quorum mentio fit in variis locis, nullam authoritatem habere, nec esse à Spiritu Sancto dictante.

VI. Traditionem explodunt nonnulli, hac authoritate freti Joan 20. vers. 30. & 31. *Multa signa fecit Jesus quæ non sunt scripta in libro hoc, hæc autem scripta sunt ut cre-*

-datis quod Jesus est filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus: quibus verbis probare conantur scripturam solam esse regulam fidei, & ea quæ non sunt scripta, esse rejicienda; sed argumenta nostra minimè infirmat hæc authoritas. Quia Joannes ibi non loquebatur de omnibus dogmatibus fidei, sed de miraculis scriptis, ac dictis Christi, ad probandam Christi divinitatem. Undè dicebat Judæis *Hæc autem scripta sunt ut credatis quòd Jesus est Filius Dei.* Minus nocet illud 1. Petri cap. 1. vers. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis.* Quia Apostolus loquebatur de traditionibus quorumdam Rabbinorum vanis, perniciosis, & superstitiosis cum scripturis pugnantibus, non verò de traditionibus à Prophetis, & à Moyse acceptis, de quibus nos hìc agimus; & quæ ad nos traductæ fuere per antiquos Patriarchas, atque per Apostolos novæ legis, quibus stare oporteret, si non essent scripturæ, & quibus stamus quoad ea de quibus nihil sacris libris statuitur, ut monet D. Irenæus adversùs lucif. cap. 4. ubi ait *In his rebus in quibus nihil certò statuit scriptura, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda.*

CAPUT VIII.

Quænam sit fides Ecclesiæ.

I. Necesse est jure divino, juxta illud Marc. cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nullus enim condemnabitur, nisi ob violationem præcepti; cùm peccatum, quo deperditur salus, nihil aliud sit, nisi dictum vel factum contra legem Dei, seu præceptum. Duplex est credendi modus, implicitus scilicet & explicitus. Credere implicitè est alicui propositioni assentiri confusè, in communi & indistinctè, vel quatenus virtualiter continetur in alia propositione, quæ distinctè, & expressè creditur. Credere explicitè idem est, ac credere distinctè, & expressè & in particulari aliquid, seu in se, & sub propria ratione essentiali in propriis terminis revelata. Fides est fundamentum horum omnium, quæ post mortem possidere speramus, & quæ Deus præparavit diligentibus se quare Apostolus Hebræ. 11. eam sic definit *Substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Et D. Thomas 22. q. 4. arti. 1. inquit *Fides est habitus mentis quo inchoatur vita æterna, in nobis faciens intellectum assentire non apparentibus.* Duo illi assignantur objecta, materiale unum, & formale aliud. Primum continet omnia ea, quæ credere tenemur. Secundum verò, est id quo credimus, seu authoritas Dei revelantis, qui cum sit summa veritas, non licet dubitare de his, quæ revelavit Ecclesiæ Romanæ.

II. Fideles omnes, qui ad usum rationis pervenerunt, tenentur necessitate medij credere. Primo, Deum esse; seu credere Deum, illumque justum remuneratorem, seu post hanc vitam superesse præmia & supplicia æterna hominibus, juxta cujusque meritum, vel demeritum à Deo destinata, ut monet Paulus ad Hebræos. 11. vers. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Secundo Deum esse trinum in personis, seu mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Tertiò mysterium incarnationis ut habetur in Symbolo Divi Athanasij, & ex variis testibus novi Testamenti, quibus præcipitur hæc omnia esse credenda necessitate medij: ait enim Athanasius *Quicunque vult salvus esse &c.*

III. An vero hæc fides de mysteriis actu habenda, debeat esse explicita, vel implicita? probabilior, & tutior opinio stat pro fide explicita: hæc enim fides in lege Evangelica est fundamentum justificationis nostræ, atque salutis æternæ, ut facilè colligitur ex dictis numero præcedenti, & præsertim ex illo loco scripturæ Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Quibus præcipitur incarnationis mysterium esse credendum eodem modo, quo credendum est Deum esse verè Deum, sed tenemur habere fidem explicitam de Deo, ergo etiam de incarnatione verbi Divini. Ut habetur in Symbolo D. Athanasij. *Sed necessarium est ad æternam salutem ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.*

IV. Tenentur insuper omnes fideles credere, & scire omnia quæ continentur in Symbolo Apostolorum, & in oratione dominica, quia hæc sunt præcipua fidei no-

ſtræ rudimenta, quæ nobis præbet Eccleſia. Eâdem obligatione tenentur addiſcere præcepta decalogi (ſaltem quoad ſubſtantiam eorum quæ in decalogo, & præceptis Eccleſiæ continentur) ut colligitur ex illo Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: Nullus enim poteſt ſervare quod ignorat, aut confuſè cognoſcit; debent præterea omnes fideles ſcire baptiſmum eſſe ſacramentum omnibus neceſſarium ad ſalutem. Pœnitentiam eſſe neceſſariam iis qui à tempore baptiſmi mortaliter peccaverunt. Et Euchariſtiam quotannis in paſchate, ac per modum viatici in fine vitæ ex præcepto eſſe ſuſcipiendam, & in ipſa Corpus Chriſti realiter contineri ſub ſpeciebus panis & vini. Ratio eſt quia ex obligatione ſuſcipiendi hujuſmodi ſacramenta, infertur obligatio habendi fidem eorumdem explicitam, ut dignè ſuſcipiantur. Quantùm ad alia Sacramenta quæ non tenemur neceſſariò ſuſcipere, dico quòd non incumbit nobis eadem obligatio ſciendi ea explicitè, tamen qui ea ſuſcipere vult, tenetur ſcire ea habere vim conferendi gratiam, & cum reverentia ſuſcipienda eſſe. Quia hoc ad eorum debitam ſuſceptionem requiritur. Undè ordinandus debet credere ordinem eſſe ſacramentum à Chriſto inſtitutum & ſic de aliis ad ſuſceptionem confirmationis, extremæ unctionis, & matrimonij deſtinatis.

V. Tandem quia omnes fideles non ſunt ejuſdem ſtatûs, nec conditionis; in particulari quilibet tenetur ſcire & credere ea, quæ exigit propria conditio juxta divinæ legis præſcriptum ad ſalutem conſequendam. Hinc eſt quod Epiſcopi, Parochi confeſſarij & alij, ad quos ratione officij ſpectat, alios inſtruere de rebus fidei, tenentur ſub gravi peccato non ſolum explicitè credere myſteria fidei, & articulos, hoc eſt in particulari quoad ſubſtantiam, ſed etiam eadem myſteria aliquatenus intelligere, explicare, & ſi opus ſit contra difficultates communiter occurrentes defendere: hæc enim obligatio non incumbit laicis, nec ruſticis: quibus ſatis eſt ad ſatisfaciendum præcepto, credere myſteria in Symbolo contenta, intelligere, & ſcire ſecundùm ſubſtantiam, ſeu juxta eam imperfectam, & confuſam eorum notitiam, quæ ex verbis ipſius Symboli percipi poteſt à non litteratis, etſi accuratam eorum notitiam non habeant. v.g. ſufficit eis credere Deum eſſe unum in eſſentia, & hunc eſſe trinum in perſonis, patrem ſcilicet, filium, & Spiritum Sanctum. At vero rationem ob quam ſecunda perſona ſit Filius, & tertia Spiritus Sanctus, non tenentur eam ſcire. Et ſic de alijs myſteriis proportione ſervatâ, quæ non debent neceſſario ſciri ab omnibus, ſicut ea, quæ prædicantur communiter in Eccleſia, & continentur, aut quotidie docentur in catechiſmo.

VI. Nunquam licet negare fidem exteriùs, etiam metu tormentorum. Quia præceptum de non neganda fide ex variis Sacræ ſcripturæ locis deſumptum, obligat ſemper. Nec ſufficit ad non peccandum, fidem interiùs retinere in corde, quidquid dixerint Priſcillianiſtæ, & alij hæretici, qui olim dicebant licere in tormentis exterius negare Chriſtum, dummodo fides interiùs non abjiciatur. Chriſtus enim ipſe Math. 10. ait *qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Imò non licet uti verbis æquivocis, quibus exteriùs Chriſtus negari videatur, quamvis interiùs non negetur, quia ex tali æquivocatione Chriſto auffertur debitus honor, & violatur præceptum de non neganda fide; quod cum ſit negativum, ſemper obligat & pro ſemper; nunquam enim licitum eſt fidem externo ſigno negare.

VII. Aliud præceptum externæ fidei confeſſionis, quo tenemur ore fidem profiteri, non obligat ſemper: quia eſt affirmativum, ſed ſolum in certis quibuſdam caſibus, ſcilicet quando hæc confeſſio eſt neceſſaria ad gloriam Dei, & ædificationem proximi; finis enim fidei noſtræ ad finem charitatis referri debet, qui quidem finis eſt dilectio Dei & proximi; Subindéque fidem exteriùs profiteri debemus, dum honor Dei, & utilitas proximi id poſtulant. Undè quando tyrannus, vel alius interrogat Chriſtianum ut ex tali confeſſione ſumat occaſionem pervertendi alios, vel vituperandi Eccleſiam Romanam, & fidem ipſius, interrogatus tunc tenetur profiteri fidem, & declarare ſe Chriſtianum eſſe, etiam ſi ex illa confeſſione, grave vitæ periculum illi immineat. Idem dico contra nonnullos, etiam dùm ex tali confeſſione interrogans intendit ſumere occaſionem vexandi Chriſtianum quem interrogat quia ut jam dictum eſt, tenemur profiteri fidem etiam in tormentis, à fortiori in vexatione, quæ eſt minoris momenti: hoc enim eſſet proprio ſolatio poſtponere honorem Dei, & damnationem ſibi

acquirere quia *si negaverimus eum*, scilicet Christum, *& ipse negabit nos* inquit Paulus ad Tim. 2. cap. 2. vers. 12. Sed occultare fidem interroganti, est negare ratione obligationis, quâ tenemur confiteri nomen Domini omnibus inquirentibus illum; alioquin fidem Romanam improbaret silens, & interrogantis animo adhæreret, quia ex regulis juris, qui tacet consentire videtur: ergo tenetur respondere.

VIII. Nihilominus quia aliud est tacere coram tyranno interrogante, & aliud ejus præsentiam fugere nè interroget. Dico licitum esse homini Christiano tempore persecutionis fugere, aut se occultare, nè de rebus fidei respondere cogatur, & sic periculum vitæ evadat. Quia per hoc non probat se velle Christum negare; sed potius contrarium, scilicet se nolle Christum negare, vel ad minus se nolle exponere periculo negandi fidem, nisi ex tali fuga ratione alicujus circunstantiæ, periculum aliquod in honorem Dei, vel proximi salutem redundaret: tunc enim illicita esset fuga. Nam si Pastor, seu Episcopus, aut Parochus fugeret, certò peccaret: Quia subditis nimis nociva esset illius fuga. Bonus enim Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Eadem obligatio ligat Prælatos regulares in tempore persecutionis: Quia habent curam animarum, suntque verè rectores, atque Pastores subditorum: nam si gubernator navis in tranquillitate non debet navim deserere, multò minùs in tempestate can. *scicitaris* 7. quæst. 1.

IX. An liceat fidem occultare per aliquas actiones eàrumve cessationem? Duæ sunt sententiæ. Sed antequam adducatur verior responsio, observandum est hujusmodi actiones esse triplicis generis. Primi generis actiones respiciunt cultum fidei nostræ oppositum, ut v. g. adoratio Idoli & similes. Secundi generis sunt ingressus ad templum, ceremoniæ, & similes. Tertij autem sunt vestes, comestio, & similes actus infidelibus & Hæreticis, aut Judæis convenientes. Unde respondeo actiones primi generis esse filiis Ecclesiæ prohibitas sub mortali ac Anathemate ex Concilio Laodicensi cap. 35. Quia hujusmodi actiones sunt signa distinctiva Religionis, & opponuntur, ac contrariantur fidei Catholicæ, cujus præcipuum munus est, unum Deum colere, & illi soli servire. Ideòque qui Idolis sacrificat, vel illis genuflectit, negat se Christianum esse, quamvis id fictè facere velit. Nam ex Lateranensi sub Innocentio III. Tenemur firmiter credere & simpliciter confiteri Deum nostrum esse verum Deum: etenim teste scripturâ non est Deus præter Deum nostrum. Actiones secundi generis sunt licitæ juxta finem: nam ingrediens in templum infidelium vel hæreticorum, causâ curiositatis, vel audiendi concionem, si non adsit scandalum, nec periculum perversionis, ratione ignorantiæ, non peccat: quia talis ingressus non est cultus religiosus, nec occasio proxima peccandi. Ingrediens tamen ex intentione communicandi cum hæreticis in orationibus, & aliis similibus actibus, vel animo videndi, an hæreticorum cultus sit bonus, certò peccat: quia hujusmodi actus negant, & improbant saltem virtualiter actus Christianorum. Illicitus quoque est ingressus in templum hæreticorum, principe talem ingressum præcipiente ex contemptu fidei Romanæ, vel animo pervertendi Catholicos; aut confirmandi hæreticos in falsa religione. Tunc enim urget præceptum externæ confessionis fidei. Excusantur tamen famuli Christiani, qui Dominum vel principem hæreticum in templum comitantur (modo non se immisceant eorum ritibus nec eos approbare videantur) ut probat exemplum Naaman, qui Domino suo ministrabat in templo Remmon, ut legitur in historia Regum lib. 4. cap. 5.

X. Actiones tertij generis possunt etiam licitè exerceri à transeuntibus apùd infideles, vel à commorantibus apud hæreticos, modò agant absque ullo falsæ religionis intuitu, sed solum propter usum diversum nationis: honestum enim est uti vestibus, loquelâ & cibis Provinciarum nationis, modò usus non sit ad manifestandam sectam; aut sectæ fidem profitendam, sed solum ad induendum corpus, vel pro negotiis temporalibus agendis cum faciliori accessu, vel majori facilitate apud infideles. Nam Christianus, qui uteretur veste infidelium, ut infidelis reputaretur, aut nè agnosceretur Christianus apud infideles, certô peccaret contra præceptum confessionis fidei Romanæ. Quia hoc est negare fidem, & Christianus qui sic ageret, negaret se esse Christianum. Similiter si comederet carnes sibi ab hæretico, aut infideli appositas ad cognoscendum, an sit hæreticus. Quia hæc carnium appositio esset quasi interro-

gatio de fide, & comestio esset quasi responsio negativa & consequenter peccaminosa.

XI. Quamvis negans fidem verbo, vel facto peccet mortaliter, ut constat ex dictis supra; tamen non est verè hæreticus si assensum fidei interiùs retineat, ut facilè colligi potest ex num. *6.* secundi capitis. Quia hæresis quatenùs est vitium fidei Ecclesiæ Romanæ oppositum, est intellectûs error liber & pertinax contra fidem, in eo qui fidem suscepit; ideòque ex intellectu, & ex corde debet provenire. Quod non contingeret in homine de quo agitur, cùm verè fidei assensum haberet. Ille autem qui dubitat de fide, seu de aliquo fidei articulo ab Ecclesia sufficienter proposito, est censendus verè hæreticus. Ita D. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 5. dicens salvâ fide non posse usurpari illâ particulam *fortè* in rebus fidei. D. Bernardus lib. 5. ad Eugenium. cap. 2. dicit *fides ambiguum non habet & si habet, fides non est*; quia tenemur rebus, seu articulis fidei assentiri, & numquam licet dubitare. Sic docent Antoninus, Adrianus, Gabriel & alij contra Canum & alios, quos ipse refert lib. 12. de locis. cap. 9. Ille quoque censendus est hæreticus qui ignorantiâ affectatâ errat in rebus fidei, qualis est v. g. Ille qui ex negligentia voluntaria non facit id, quod potest, ut sciat ea, quæ Ecclesia docet. Quia hoc est interiùs spernere fidem cum pertinacia, & nolle illam: ea enim, quæ spernimus, aut voluntariè negligimus, nolumus.

XII. Blasphemia seu locutio falsa contra Deum per modum convitij est directè contra virtutem religionis, ut fatetur communior opinio, & indirectè contra fidem Ecclesiæ. Præter istam blasphemiam simplicem religioni directè oppositam, ut dum quis ait *maledictus sit Deus* vel, *velit, nolit Deus, hoc faciam*: datur alia, quæ est hæreticalis, ut dum quis blasphemando ait, *Deus est injustus, Deus non est misericors, Deus approbat malum.* Quia hoc est negare fidem Ecclesiæ, quæ docet Deum esse iustum, misericordem &c. Ideòque sic blasphemans, reputandus est hæreticus, si in tali blasphemia sit pertinax, & cum affectu blasphemet. Si autem absint pertinacia & affectus, reverà non est verè hæreticus, sed peccat contra fidei confessionem. Itaque confessarij debent pænitentes, qui de blasphemia se accusant, interrogare, an blasphemia fuerit simplex, seu an aliquid negaverit Deo, quod fides admittit: vel hæreticalis, seu an fuerit cum enunciatione contra veritatem fidei; & si hæreticalis fuerit, interrogate debet & observare an fuerit cum assensu intellectûs, & affectu negandi veritatem, quia tunc blasphemia conjungitur cum hæresi.

CAPUT IX.

In quo deducuntur ea quæ opponuntur fidei Ecclesiæ Romanæ.

I. PRæter hæresim, infidelitas est prorsùs contraria fidei Ecclesiæ, Et est duplex, negativa scilicet & positiva. Illa consistit in carentia fidei ex defectu propositionis rerum fidei. Ille enim dicitur infidelis negativè, qui de fide nihil unquam audire potuit. Posterior verò seu positiva est voluntarius à fide recessus, vel contemptus fidei notæ. Indè sequitur. 1. Quod hæretici possunt infideles vocari, sicut Judæi & Turcæ, quia voluntariè recesserunt à fide Ecclesiæ Romanæ, quam isti posteriores noscunt, & voluntariè contemnunt. Idem docent D. Thomas 22. quæst. 10. art. 5. & Scotus in 3. dist. 23. ad 2. infidelitatem positivam dividentes in Paganismum, Judaismum, & Hæresim. Sequitur 2. quòd major est oppositio cum fide in hæreticis, quàm in Paganis, Judæis, & Turcis: quia recessus à fide suscepta, est gravior contemptu fidei alienæ; cùm fugam & contemptum dicat.

II. Paganus nullam fidem habet de mysteriis revelatis. Judæus credit veteri testamento, & contradicit novo. Hæreticus autem dividit fidem: credit enim alicui veritati, & negat aliam. Si verò contingat quod totam fidem in Baptismo susceptam neget, seu fiat Paganus, vel Judæus, incidit in apostasiam, quæ est quædam infidelitas, per quam, quis à vera fide in Baptismo suscepta omninò recedit, ut notant Doctores. Indè sequitur Apostasiam à fide Catholica esse peccatum majus hæresi, hæresim peccatum majus Judaismo, & Judaismum esse peccatum majus Paganismo. Nec obstat quod Pagani plus errent circa fidem, quàm Judæi, cùm nullam veritatem admittant. Et Judæi plus quàm

Hæretici,

hæretici, qui admittunt plures veritates novi testamenti, quas Judæi penitus reijciunt. Non obstat inquam. Quia error ille est major tantùm extensivè, scilicet quoad plura objecta, non autem intensivè, videlicet quoad majorem Ecclesiæ authoritatis & infallibilitatis contemptum, ex quo proveniunt gravitas oppositionis cum fide, & malitia peccati hæreticorum, ad quos dirigi potest illud Petri 2. cap. 2. vers. 21. & 22. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum est Sancto mandato: contigit enim eis illud veri proverbij. Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

III. Quamvis laicis illicitum sit de rebus fidei disputare cum infidelibus & hæreticis, ut habetur ex can. *quinque* de heres. in 6. nihilominus si docti & in rebus fidei instructi sunt, possunt cum ipsis licitè disputare. Tum quia hæc pontificia constitutio non prohibet doctis disputationem. Ut notant plures Canonistæ. Tum quia si hoc sit, præter Bonifacij mentem, consuetudo derogavit legi. Vel solùm prohibet disputationem ob vanitatem, non autem ob necessitatem, quæ non rarò contingit in locis, in quibus hæretici, & infideles simul cum Catholicis commorantur. Quantùm ad Ecclesiasticos, & religiosos doctos nedùm licita est hæc disputatio, sed etiam valdè meritoria, si in debitis circumstantiis fiat, nullumque immineat perversionis periculum.

IV. Disputant Theologi, an desperatio, quæ est vitium spei Christianæ oppositum, semper sit infidelitati annexa? D. Thomas loco citato 20. negat: ejus ratio est quia spes est posterior fide, quæ non tollitur remoto posteriore, ipsâ scilicet spe. Sed opinio contraria quæ affirmat, videtur mihi probabilior: fides enim docet Deum esse misericordem, & paratum ad miserendum cuilibet veniam petenti corde contrito, ut deducitur ex variis scripturæ locis: at desperans judicat Deum non esse sibi misericordem, & consequenter negat fidem Ecclesiæ Romanæ, & est infidelis ac hæreticus; cùm recedat à Deo, & à fine ad quem fides tendit, aut ducit fideles, ut declarant D. Isidorus lib. de summo bono dicens *Perpetrare flagitium aliquod mors est animæ, sed desperare est in infernum descendere.* Et Propheta Regius psal. 33. ubi ait *beatus vir qui sperat in Domino.* Et psal. 30. prius dixerat *In te domine speravi non confundar in æternum.*

V. Ad rationem in contrarium adductam Respondeo, generaliter loquendo prius non tolli per remotionem posterioris, bellè quidem in isto casu, ut potest fieri per desperationem: nam fides spe nutritur, ait Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ cap. 17. & consequenter deficiente spe, deficit etiam fides. Insuper humana voluntas ex mera malitia desperans, per abusum libertatis suæ excæcat intellectum, in quo est fides, quæ ex Apostolo est substantia rerum sperandarum. Quiquidem intellectus desperatione sic excæcatus judicat verum id, quod vult voluntas, nimirùm veniam peccatorum esse impossibilem. Hujus assertionis, aut responsionis argumentum est. Quia qui desperat, non credit antecedenter, id est desperat, quia non credidit, vel saltem concomitanter, id est desperat, quia non credit; quippecum fides sit substantia rerum sperandarum, necesse est quòd ipsa substantia scilicet fides destruatur, au desinat esse, destructis rebus sperandis, sicut necesse est quòd res sperandæ desinant esse, desinente substantiâ seu fide.

V. Desperatio infidelitatem, aut hæresim includens, non solum est ea, quæ versatur circà beatitudinem, & vitam æternam, ita ut ad hoc quòd desperans sit infidelis, aut hæreticus, debeat de beatitudine desperare, sed etiam ea, quæ circa media necessaria versatur. Quia per talem desperationis actum, spes corrumpitur. Certum enim est quod desperans de mediis ad salutem necessariis, nullam spem retinere potest ad eam consequendam: cum impossibile sit sine mediis necessariis obtinere finem. Undène fideles in peccatum desperationis incidant, probabilius est præceptum spei eos obligare, quando gravi tentatione vexantur contra spem salutis. Nec ipsis sufficit in illa occasione non desperare ad spei præceptum adimplendum, ut autumant nonnulli. Quia in probabiliori opinione, duo sunt spei præcepta, unum est negativum ad nunquam desperandum obligans; & aliud est affirmativum obligans ad eliciendum actum spei, quod nequit urgentius obligare, quàm dum imminet desperationis periculum.

CAPUT X.

De forma fidei Ecclesiæ.

I. PEr formam fidei, Sacra Scriptura, Sancti Patres,& Theologi nihil aliud intelligunt nisi id, quo fides operatur,quod est charitas, aut amor. Paulus ad Galat. ait *Fides quæ per dilectionem operatur.* Et D. Augustinus lib. de cognition. veræ vitæ cap. 17. inquit *Fides spe nutritur, charitate autem animatur.* Theologi indè inferunt charitatem esse formam fidei, sicut anima est forma corporis. Meritò enim discurrunt quoniam fidelis sine charitate mortuus est; cum ex scriptura, qui non diligit maneat in morte, & ipsa fides sine operibus mortua sit in semetipsa, ut ait D. Jacobus cap. 2. vers. 17. igitur ut fidelis fidem vivam habeat, & per fidem ad vitam æternam perducatur, tenetur ex præcepto actûs charitatis elicere.

II. Istud præceptum charitatis non solùm obligat ad amandum Deum,sed etiam proximum, ut sancit Evangelium. Virtute hujus præcepti tenemur diligere Deum super omnia, non quidem intensivè, sed appretiative, ita ut simus semper parati potius omnia perdere, quàm Deum offendere, aut Deum non amare super omnia alia bona. Obligatio diligendi proximum constat ex Matth.22. *Diliges proximum sicut teipsum.* Nomine autem proximi communiter intelligitur omnis homo capax beatitudinis, sive sit amicus sive inimicus, sive fidelis, sive infidelis, sive justus sive injustus, quia omnes sunt capaces beatitudinis. Hac ratione excluditur damnatus, qui proximus noster censeri non debet, cùm sit à beatitudine irrevocabiliter exclusus, ideoque non tenemur diligere illum.

III. Illud præceptum est duplex, negativum scilicet & affirmativum. Primum includit negationem odij, Secundum importat actum amoris.Illud obligat semper, quia odium est semper prohibitum, & malum ex natura sua, quod fugere tenemur. Istud verò seu affirmativum, quo tenemur actum amoris elicere, non obligat semper; ita ut teneamur continuò elicere actum amoris erga Deum, sed solùm in casibus sequentibus, scilicet quando puer peruenit ad usum rationis, & est perfectè instructus de rebus fidei. Quando adultus recipit baptismum. Quando tenetur habere actum contritionis. Et in articulo, aut periculo mortis. Ita docent communiter Canonistæ. His tamen temporibus addo cum Doctore subtili in 3. dist. 27. quæst. unica 5. *Quantum ad secundum* hominem teneri ad diligendum Deum, dum præcepto divino vel Ecclesiastico tenetur audire missam, aut ad sacram communionem accedere. Id colligi potest ex illo Exod. 20. *Memento ut diem Sabbati Sanctifices.* Scilicet recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum per amoris actum, ut observat Mastrius. Ratio est. Quia tunc speciali mandato tenemur Deum adorare, & illi soli servire, & consequenter amare illum super omnia, ut ipsi Deo gratum sit obsequium nostrum, nobisque bonum: quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; Rom.8. Unde confessarij debent pœnitentes interrogare an in diebus festis, & ante communionem actum amoris elicuerint, & eos ad hoc hortari.

IV. Quoad obligationem diligendi proximum, dico quòd urget dum imminet periculum odii in illum: tunc enim tenemur diligere illum expressé, & formaliter actu interno. Dixi *actu interno* quia quantùm ad opus externum proximo præstandum, ex vi ejusdem præcepti non tenemur, nisi quoties proximus est in aliqua gravi necessitate corporali, vel spirituali, in qua nostro indiget auxilio, ut docet sanctus Thomas 22. quæst. 25. art. 8. Inde infertur dari præceptum eleemosynæ & correctionis fraternæ ut statim dicemus: etiam circa inimicos juxta illud Proverb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da illi bibere.*

V. Charitatis præceptum obligat ad dilectionem inimicorum. Id enim præcipit Christus Math. 5. *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.* Istud præceptum adimplet, qui inimico exhibet generalia dilectionis signa, quæ aliis hominibus ejusdem conditionis exhibere solet, estque paratus ad ipsi præstandum auxilia in extrema vel gravi necessitate, quæ præstaret aliis. Quia nemo tenetur ex vi hujus præcepti exhibere inimico specialia dilectionis signa, scilicet cum eo familiariter agere, hospitio recipere, Ægrotum invisere, & similia, quæ sunt signa specialia amoris, nisi ex omissione horum omnium se-

queretur scandalum, aut ruina proximi; tunc enim tenemur exhibere inimico signa specialia amoris. Quia quilibet tenetur scandalum & proximi sui ruinam evitare can. *quod ait* dist. 14. Ita Reginaldus, Navarrus & alij plures, quos refert Bonacina disp. 3. quæst. 4. puncto. 3. Undè salutatus ab inimico, tenetur salutare illum, eique exhibere eadem amoris signa, quæ ab ipso recepit. Tunc enim urget occasio evitandi scandalum, & ruinam proximi. Quia si non salutaret, tolleret dispositiones ad reconciliationem, quam Christus sacrificio præfert Math. 5. vers. 24. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.*

VI. Non solum tenemur deponere odium seu remittere injuriam inimico, quoad internum odium, & iram, etiam ipso non petente, nec non vindictam, aut ultionem, juxta illud Levit. 19. vers. 8. *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Quia odium aut ira contra proximum, ex se & ex natura sua est intrinsecè malum charitati repugnans. Sed tenemur insuper quando petit veniam, & ex animo se offert ad satisfaciendum pro injuria, & damno illato, illi exibere specialia dilectionis signa, nè inimico præbeatur vehemens occasio renovandi inimicitias, & aliis grave scandalum: nihilominùs non tenemur actionem contra inimicum coram judice intentatam intermittere, modò deposito quocumque odij, vel vindictæ affectu, jus nostrum prosequamur, & prosecutio apud judicem ad sententiam obtinendam, sit necessaria ad consulendum honori, & famæ, Quia licitum est ob peccantis emendationem, aliorum exemplum, & justitiæ conservationem recurrere ad judicem pro obtinenda punitione, quam comitatur zelus justitiæ, & ideò offensus poterit ex amore justitiæ, aut alicujus alterius virtutis citrà odium petere ab inimico damnum, & satisfactionem honoris, & bonorum temporalium. Quia habet jus ad hæc: nam non solùm inimicus est in obligatione hæc damna restituendi, sed etiam amicus, si contingat ipsum nobis damna intulisse: ergo licitum est petere satisfactionem, & punitionem inimicorum à Judice, dùmmodò sine odio fiat, ut jam monui. Ita sentiunt communiter Canonistæ; nec obstat (inquiunt plures) quòd inimicus offerat offenso sufficientem satisfactionem. Quia offensus non tenetur juri cedere.

VII. Salvâ tamen reverentiâ horum Canonistarum existimo hanc doctrinam valdè periculosam esse; rarò enim contingit quod offensus post oblatam injuriæ, & damni illati satisfactionem, procedat sine odio interno contra inimicum ad ipsius punitionem personalem: hoc enim regulariter loquendo potius fit ex odio, & animo vindictæ, & cum aliorum scandalo, ut notat Caspensis, quàm ex puro zelo justitiæ. Vindicatio publica solùm est licita, quando fit principaliter propter bonum publicum, vel propter emendationem ipsius peccantis, ut docet Sanctus Thomas; ideòque nè offensus exponat se periculo odij, ac vindictæ, & ut sit injuriæ immemor, debet inimicum ad se venientem diligere, satisfactionem oblatam suscipere, & inimicitiæ causam coram judice intermittere. Confessarij autem hujusmodi pænitentibus dicere debent in hoc casu hæc verba Christi Domini Math. 6. vers. 15. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, & si renuant, debet illos dimittere tamquam iratos, & indispositos; quamvis jurent se nullam habere vindictam contra inimicum, sed intentionem boni publici, zelumque justitiæ dumtaxat. Quia quando inimicus jam est emendatus, nec timetur damnum reipublicæ, valdè probabile est accusantem coram judice non intendere bonum publicum, nec emendationem inimici, sed potius vindictam privatam, ut odio, & inimicitiæ satisfaciat. Salutaris est hæc admonitio ad confessarios directa. Quia recusans satisfactionem oblatam & reconciliationem, divinam indignationem incurrit teste Augustino in Enchirid. cap. 74. dicente *quisquis neganti & petenti sive pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti.*

VIII. Inimicus dupliciter considerari potest, scilicet per se, aut reduplicativè ut talis, & per accidens, aut specificativè, quatenùs est proximus noster seu capax beatitudinis. In primo sensu potest esse objectum odij, imò possumus de punitione ejus lætari. Quia per illam tollitur malum. Quare Propheta Regius iniquos odio habebat Psal. 118. Et nos tristari debemus si peccatores & iniquos prosperare videamus. In secundo sensu inimi-

cus debet esse objectum amoris, & dilectionis juxta illud mandatum *diliges proximum tuum sicut teipsum*: quod est secundum simile primo; cum inimicus sic consideratus, sit proximus noster.

IX. In rebus necessariis ut lex divina adimpleatur, homo tenetur magis seipsum diligere, quàm proximum, id est potius adimplere legem, quàm proximo satisfacere, quia in tali casu Deus vult ut homo in propria persona legem suam observet, & propriam honestatem omnibus bonis anteponat: *quam enim commutationem dabit homo pro anima sua?* Inquit Christus Dominus Math. 16. nec refert dicere hominem posse licitè omittere sacrum in die festo, dùm agitur de aliquo bono temporali conservando, scilicet sanitate ægroti. Quia in tali casu lex Ecclesiastica non obligat.

X. Tenemur plus diligere bona spiritualia proximi, quam bona nostra corporalia: Christus enim tradidit semetipsum pro bono spirituali, seu pro salute nostra: nos etiam debemus pro fratribus nostris animas nostras ponere, seu vitam propriam in necessitate inevitabili, putà si infans sine Baptismo periret, si ego non accurrerem, nec possem sine discrimine vitæ. Charitas teste Apostolo non quærit quæ sua sunt, sed quæ sunt Dei. In necessitate autem evitabili; Vel ubi non est spes evidens remedij, ad hoc non tenemur ex præcepto charitatis. Nisi ad hoc ex officio teneamur, ut de facto tenentur illi, quibus incumbit cura alienæ salutis, quales sunt Pastores, & alij, qui tempore pestis debent etiam cum periculo vitæ administrare ea, quæ sunt absolutè necessaria infirmis. Ita Sylvius, Navarra, Bassæus, Filliucius & alij.

XI. Inter proximos aliqui sunt magis diligendi, quàm alij; & in necessitate, quando impossibile est omnes adjuvare, potius unum, quàm alios adjuvare tenemur. Quia unus proximus potest esse alijs vicinior Deo, & nobis. Undè ordo Charitatis in necessitate postulat, ut Prælatos, & Pastores Ecclesiasticos, qui in stricto judicio pro animabus nostris sunt rationes reddituri, præferamus alijs, qui nobis secundum carnem non sunt conjuncti: Quia conjunctio carnalis seu naturalis fundatur in natura ac proindè est firmior, & stabilior. Ideò magis tenemur subvenire Patri, quàm Matri, quia est præcipuum, est nobilius obligationis principium, à quo accepimus esse. Et Patri carnali, quàm spirituali: ab eo enim accepimus maximum, atque primum Beneficium; & similiter filio carnali, quàm spirituali: quia filius est aliquid Patris, & unio filij carnalis magis firma. Nec refert dicere quod conjunctio spiritualis est vicinior Deo, qui est objectum charitatis, quam carnalis, & consequenter præferenda. Non valet hæc ratio. Quia conjunctio naturalis ex parte diligentis, per se loquendo est præferenda; cùm, ut jam dixi, fundetur in natura, & consequenter sit firmior spirituali: hæc enim fundatur in gratia, quæ potest facilè amitti per peccatum, igitur non est ita firma, nec præferenda conjunctioni naturali. Ita docet Caspensis.

XII. Major difficultas est, an homo debeat magis diligere uxorem, quàm parentes, & filios? Respondeo quod in extrema necessitate prævalere debent parentes. Quia conjunctio cum parentibus est substantialis identitatis; cum conjuge verò est ex commixtione, inquit Valentia. Eadem ratione Pater in necessitate debet potius subvenire filio, quàm uxori. Ita Tannerus, quia filius est aliquid patris, seu de substantia ipsius. *Dices* oppositum haberi ex illo Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Respondeo hoc esse verum in his, quæ spectant œconomicam rationem, & extra necessitatem extremam. Quia quoad ea quæ spectant ad hoc genus, arctior est conjunctio conjugalis, juxtà illud Math. 19. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Non autem in extrema necessitate. Ita Gaudentius, & plures alij, quos citat.

XIII. Ordo charitatis & dilectionis attendendus est penès affectum, & effectum: cùm probatio dilectionis sit exhibitio operis, inquit D. Gregorius homil. 30. in Evang. Vera & perfecta dilectio est communicativa & operativa. Quare D. Joannes epist. 1. cap. 3. ait. *Non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate:* Hoc est affectu, & effectu. Certò præceptum charitatis non adimpleret, qui solo actu interno proximum ita diligeret, ut in necessitate vellet illi auxilium denegare.

XIV. Aliquandò in bonis corporalibus, bonum proximi est magis diligendum,

quàm bonum proprium. v, g. magis diligenda est defensio reipublicæ, quam propria vita: cum ratio dictet partem pro suo toto esse exponendam. Unde quando bonum commune non potest defendi sine periculo propriæ vitæ, honestum est se exponere. Tunc enim bonum commune est magis diligendum. An idem agendum sit pro conservanda vita privata, ita ut unusquisque teneatur pro tuenda vita amici, seu proximi, propriam vitam exponere? Plures affirmant hoc esse intrà ordinem charitatis. Quia inquiunt majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Probabilius tamen censeo oppositum. Ordo charitatis postulat ut post Deum, unusquisque primò seipsum diligat, cæteris paribus. Ad rationem adversariorum ex authoritate scripturæ desumptam dico, quod valet dum agitur de vita spirituali proximi, quæ est magis diligenda, quàm propria vita corporalis, ut dictum est suprà num. 9. non autem dum agitur de corporali, & corporali, aut de spirituali, & spirituali: plures Doctores existimant subire mortem pro vita temporali hominis privati sibi æqualis, esse peccatum mortale. At displicet mihi hæc opinio: nam si quis ex motivo alicujus virtutis pro tuenda amici vita, propriam exponeret, contra ordinem charitatis non faceret. Imò hoc tamquam perfectæ amicitiæ officium commendatur à Sanctis Patribus, Ambrosio, & Hieronymo, ut refert Mastrius Disp. 10. n. 52.

CAPUT XI.

Prosequutio obligationis fidelium ergà proximum.

I. CUm probatio dilectionis sit exhibitio operis, teste D. Gregorio in præcedenti capite citato num. 13, nec ad perfectam charitatem sufficiat affectus, sed effectus requiratur, fideles tenentur præ cæteris hominibus miseriæ proximi opere, & verbo subvenire, sive in temporalibus, sive in spiritualibus. In illis eleemosynâ; in istis autem correctione fraternâ, quæ sunt media quibus proximo indigenti valemus omninò succurrere, ac fidem nostram esse formatam probare: nam ille qui recusaret dare eleemosynam de superfluis pauperi in necessitate existenti, ostenderet se erga proximum charitatem non habere ut dicitur Joan. 1. cap. 3. vers. 17. *Si quis habuerit substantiam hujus mundi & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo?*

II. Bona superflua, de quibus facienda est eleemosyna, juxtà illud Luc 11. vers. 41. *verumtamen quod superest, date eleemosynam,* sunt duplicis generis; quædam sunt superflua naturæ, id est non sunt necessaria ad sustentandam vitam propriam, nec ad sustentationem domesticorum: alia verò sunt, superflua personæ, id est non sunt necessaria ad sustinendam conditionem, & dignitatem personæ. Miseria proximi, aut ejus necessitas est triplicis generis. Prima est eorum qui mendicare solent ostiatim, quæ dicitur necessitas communis, & ordinaria. Secunda est eorum, quibus si non subveniatur, vitam magna cum difficultate sustentabunt, & dicitur gravis necessitas. Tertia verò quæ appellatur extrema, est eorum quibus si non succurratur, certò vita periclitabitur. Undè quamvis Canonistæ communiter conveniant quemlibet habentem superflua, quæ neque ad vitam, neque ad conditionem sunt necessaria, teneri succurrere indigenti, qui est in aliqua ex prædictis necessitatibus. Non conveniunt tamen de quibus superfluis sit facienda eleemosyna. Rosela, & alij gravissimi asserunt obligationem subveniendi pauperibus etiam extremè indigentibus, esse tantùm ex his quæ omnino superflua sunt, seu nullomodò nec vitæ, nec conditioni personæ necessaria. Becanus, Valentia, & alij, quibus lubens subscribo, oppositum tenent, & existimant obligationem esse respectu extremè indigentis de superfluis naturæ, seu de his quæ non sunt necessaria ad vitam tuendam, quamvis necessaria sint conditioni personæ: magis enim diligenda est vita corporalis proximi, quàm bonum nostrum temporale, à quo non dependet vita nostra: Quia vita corporalis proximi est majus bonum respectu objecti charitatis, scilicet Dei, quam splendor, aut luxus conditionis personæ. Ideóque tenemur tale damnum pati, & luxum minuere, nè proximus privetur vitâ ex defectu alimentorum nobis superfluorum, seu quæ non sunt necessaria ad vitam nostram sustentandam.

III. Major difficultas est, an eleemosyna danda sit extremè indigenti ex justitia, vel solùm ex misericordia & charitate? Lorca 22. sect. 3. disp. 39. Regnaldus, Villalobos, Suarez, Diana, & alij plures gravissimi stant pro charitate, & excludunt justitiam. D. Thomas quæst. 118. art. 4. D. Bonavent. in 4. dist. 15. p. 2. dub. 5. Alensis part. 4. quæst. 113. memb. 1. Navarrus, Cajetanus, & alij quibus adhæreo docent eleemosynam deberi ex justitia extremè indigenti. Ratio est quia Deus in persona pauperis extremè indigentis petit id, quod suum est; pauper porrigit manum, & Deus accipit eleemosynam, ut monet Chrisologus. Quare Propheta Regius Psal. 39. vers. 18. dicebat *ego autem mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei*: nam Deus cujus sunt omnia, petit à divite in persona pauperis cujus curam habet. Igitur dives qui non dat superfluum, injustè retinet quod Deus vult dari pauperibus extremè indigentibus: atqui quod injustè retinetur, alteri ex justitia debetur, & consequenter eleemosyna danda est ex justitia. Confirmatur; si extremè indigens furaretur, & furtum consummaret pro extrema sublevanda miseria, certò non teneretur restituere, ut dicemus in 3. lib. cap. de furto: etiam si posteà restituere posset, ut docent Sotus de justitia lib. 4. quæst. 7. Sylvester, Azorius, & alij. Qua ratione? nisi quia accepit, & consumpsit quod suum erat, seu quod debebatur illi in tali casu ex justitia. Deinde occidere hominem innocentem est contra justitiam, ut patet de homicidio, sed denegare eleemosynam extremè indigenti, est ipsum occidere, ut ait D. Ambrosius in can. *Pasce* dist. 86. ubi legitur *quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti*. Ergò ex justitia pauperi debetur eleemosyna.

IV. Adversantis sententiæ fundamentum est. Quia in extrema necessitate omnia bona non sunt ita communia, ut dominium rerum superfluarum transeat in pauperes, & ad ipsos pertineat tamquam proprium bonum, quod retinere sit contra justitiam; alioquin sequeretur, inquit Mastrius, eo tempore illa bona superflua nec validè donari, nec posse mutuari, neque tutâ conscientiâ retineri ab eo, cui tali tempore donata sunt, vel mutuata, sed restituenda esse maximè indigenti, in cujus dominium illa transierunt urgente necessitate, quod est falsum.

V. Respondeo opinionem nostram non asserere divites, aut Dominos rerum superfluarum, in extrema proximi necessitate amittere earum dominium, quod ante necessitatem habebant. Sed solùm pauperem in extrema necessitate acquirere usum, in quantum necessitas extrema exigit. Ideòque extremè indigens non acquirit simpliciter dominium, sed solùm acquirit jus quoad id, quod secum fert usus in rebus, quæ usu pereunt, quo sublevari potest extrema miseria, & quo Dominus non indiget. Ex hac ipsa responsione sequitur sententiam nostram non obligare ad restitutionem eos qui extremè indigenti eleemosynam denegant; licet contra justitiam peccaverint (quamvis non desint qui ad restitutionem eos obligant: ut Hurtadus, Tannerus & alij) quia jus pauperis sistit in usu rerum superfluarum, qui, cessante indigentiâ, non transit ad indigentis hæredes, sed sequitur naturam rei, quæ cùm ad Dominum pertineat, ad eumdem pertinet etiam ipse usus, quem pauper non habuit. Unde dives qui superflua denegavit indigenti, potest ea licitè retinere, donec se offerat alter indigens, eaque donare vel mutuare, cum eadem obligatione faciendi eleemosynam.

VI. Huic præcepto non satisfacit, qui rem, quâ proximus extremè indiget, mutuat, vel dilatâ solutione vendit, aut donat eidem pauperi sub conditione, ut acceptum reddat, si ad pinguiorem fortunam venerit: nam ex Sacra Scriptura Luc 11. eleemosyna est gratuita, & liberalis donatio *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*. Vendere autem, vel mutuare, non est gratuitè, nec liberaliter dare, cùm imponat obligationem reddendi, ad quam non potest teneri extremè indigens, qui eleemosynam accepit, obtinuit enim id, quod ex justitia debebatur illi; ideòque illicitum est, & contra eleemosynæ præceptum subvenire pauperi, mutuandó, etiam sub illa conditione, scilicet ut non reddat acceptum, nisi ad pinguiorem fortunam venerit quidquid dicant Lessius, Navarrus, Vasquez & alij; modò pauper sit verè pauper; nam si alibi habeat id, quo hic indiget, licitum est tunc mutuare, vel vendere dilatâ solutione. Quia non eget simpliciter, sed solùm pro determinato aliquo loco, vel tempore, & consequenter sufficit vendere,

mutuare, vel commodare, cum per hæc tollatur ejus miseria, aut indigentia accidentalis.

VII. Doctores contra assertionem nostram citati sic arguunt; præceptum eleemosynæ obligat ad sublevandam pauperis miseriam: sed hoc fit per mutuationem, venditionem, vel commodationem sub conditione allata: ergo est sufficienter satisfacere præcepto. Respondeo præceptum eleemosynæ obligare modo charitativo, & ex motivo misericordiæ, ex qua non procedunt mutuatio, & venditio, licet pauperis miseriam tollant, cùm pauperem obligent ad earumdem rerum redditionem.

VIII. Nemo tenetur ex vi præcepti eleemosynæ quærere egenos, ut eis subveniat: ipsorum enim est necessitatem manifestare, & eleemosynam petere; excipiendi tamen sunt Civitatum Magistratus,& Prælati, qui sunt personæ publicæ, quæ tenentur inquirere quomodo se habeant subditi, & eorum necessitates investigare, ne quis fame pereat; aliàs peccant nedùm contra charitatem, sed etiam contrà diligentiam, aut vigilantiam paternam, ac pastoralem sollicitudinē, ad quam ratione officij obligantur; quamvis personæ privatæ ad hujusmodi egenorum inquisitionem non teneantur, nihilominùs laudandi sunt divites,qui nedùm parati sunt illis subvenire, dum ipsorum necessitates agnoscunt, sed etiam qui remotâ ostentatione egenos inquirunt, ut eis subveniant. Quia charitatis est urgere, & misericordiæ quærere patientem.

IX. Egenus paupertatem, vel necessitatem simulans tenetur restituere ea, quæ petendo eleemosynam accepit, quia censetur data involuntariè; nam qui decipitur in conditione ob quam dat, non dat liberè, cum non dedisset, si cognovisset paupertatem esse fictam, & consequenter paupertatem fingentes tenentur ad restitutionem, seu reddere quod absque necessitate receperunt; non ipsis Dominis divitibus, qui eleemosynam dederunt, ut putant nonnulli, sed aliis verè pauperibus: quia Dominus, qui eleemosynam dedit pauperi ficto, abdicavit à se dominium rei, & verè pauperi eam dedisset. Eâdem restituendi obligatione astringuntur etiam egeni, qui possunt laborare. Nocent enim verè pauperibus ad laborem impotentibus.

X. Ex rebus injustè, scilicet rapinâ, aut usurâ acquisitis, non potest licitè fieri eleemosyna, sunt enim restitutioni obnoxiæ. Eleemosyna est gratuita donatio, quæ fieri debet de bonis propriis justè acquisitis, & possessis. Undè Isayas cap. 58. vers. 7. ait *Frange esurienti panem tuum; & egenos, vagosque induc in domum tuam.* Quibus verbis suadetur, panem alienum non esse dandum,sed proprium. Nec valet opponere illud Luc 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* seu de divitiis iniquè acquisitis, ut vertunt Sancti Patres. Non valet. Quia interpretatio intelligenda est de divitiis illicitè acquisitis, nimirùm cum avaritia, & aviditate nimia, quarum nihilominus habent legitimum dominium absque obligatione restituendi: sunt enim aliqua bona, quæ reverà acquiruntur injustè, ut solitò contingit avaris, seu quorum modus acquirendi,est omnino injustus, tamen eorum possessio est justa, ut contingit meretricibus, quæ iniquè pecuniam comparant, & pecunia semel data, & accepta ad ipsas pertinet, ut tradit Mastrius ex communiori sententia: ergo de hujusmodi bonis fieri potest eleemosyna, non autē de furtis,quæ necessario restituenda sunt proprio Domino can. *sicut* da hom. volun.

XI. Fraternæ correctionis præceptum obligat omnes, & singulos homines.Quia nedùm est Ecclesiasticum ut patet ex can. *Consentire videtur* dist. 83. & can. *tam Sacerdotes* 24. quæst. 3. sed etiam divinum juxta illud Math. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Et naturale, cum naturâ sic dictante, membra unius corporis se mutuò juvare teneantur, ut monet Apostolus 1. Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*: Igitur non de consilio, sed de præcepto est correctio fraterna, sicut eleemosyna. Imo graviùs peccant, qui illam potius, quàm istam omittunt. Quia correctio fraterna nobilius objectum respicit, quàm eleemosyna; cùm tendat ad bonum spirituale,nimirùm ad salutem animæ, ut declarat legislator *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Istud fraternæ correctionis præceptum obligat etiam inferiores respectu superiorum delinquentium, modò serventur mansuetudo, & reverentia juxta illud Apost. 1. ad Tim. 5. *Seniorem nè increpaveris, sed obsecra ut Patrē.* Ratio est quia superior est in re frater inferioris, in quem, aut coram quo superior peccare potest: scimus enim Paulum correctionem fraternam exercuisse ergà Petrum, cujus erat inferior.

XII. Ex hac particula præcepti, scilicet *in te* sequitur. Primò materiā correctionis fraternæ non esse solùm peccatum contra corripientem commissum, ut existimant plures, sed etiam quodcumque aliud peccatum contra Deum commissum, quippe hæc particula *in te* idem significat, ac ista *coram te*, ut interpretatur Augustinus serm. 16. de verbis dom. Secundò peccatū occultum, seu à solo corripiente notū viâ facti esse materiam hujus præcepti, sicut peccatum publicum, quoniam hæc particula *in te* idem sonat ac *coram te*, ut jam monui, modò sit mortale: peccatum veniale non est materia hujus præcepti, nisi sit dispositio moralis, & proxima peccandi mortaliter; cùm finis præcepti sit removere proximum à damnatione, ut suadent hæc verba. *Si te audierit, Lucratus eris fratrem tuum*: Et peccatum veniale non generet mortem, & maneat cum gratia sanctificante, quæ est semen vitæ æternæ. Tandem sequitur tertiò peccatores & delinquentes ligari etiam eodem præcepto. Quia corripiendus, est frater peccatoris, sicut justi; cùm sit capax beatitudinis, & consequenter diligendus; nam præceptum non respicit dignitatem succurrentis, sed potentiam succurrendi, quæ tam est in delinquente, aut peccatore, quàm in justo. Unicuique mandavit Deus de proximo suo, Eccles. 17. hâc ratione dissoluitur argumentum adversariorum desumptum ex præcepto eleemosynæ, quod non obligat pauperes. Nam isti non habent undè subveniant; at peccator habet potentiam corripiendi. Nec valet dicere hujusmodi corripienti, *hipocrita ejice primùm trabem de oculo tuo*. Quia Christus his verbis Math. 7. improbat correctionem ex hipocrisi & superbia factam more Pharisæorum, non autem correctionem fraternam ex motivo charitatis factā.

XIII. Obligatio corripiendi non ligat semper, sed in aliquo tempore, concurrentibus quibusdam circumstantiis; quarum quædam sunt ex parte corripientis, & aliæ ex parte delinquentis. Prima ex parte illius, est certa peccati cognitio, & ideò probabilis conjectura non sufficit, ut quis isto ligetur præcepto: nam suspicio vana, & temeraria est diligentissimè cavenda can. *primo semper* 2. quæst. 1. nè bona existimatio debita proximo temerè lædatur. Secunda est mansuetudo can. *disciplina* dist. 45. tertia est ut correctio commodè, & fructuosè fieri possit, absque majori damno tam corripientis, quàm delinquentis: quoniam si ex correctione pejus debeat oriri damnum spirituale, præceptum non obligat, ut monet Navarra in manuali cap. 24. num. 12. Non desunt, qui aliam admittunt conditionem, nimirùm neminem teneri corripere delinquentem, si videat alium magis idoneum. Eorum ratio est. Quia delinquens solùm indiget aptioris correctione. Ita Bassæus, Mastrius, & alij. Sed rejicienda est hæc quarta conditio. Quia præceptum correctionis est generale, & obligat indispensabiliter eum, qui scit delictum: ait enim Christus *si peccaverit in te*, id est *coram te*, aut *te sciente*. Deinde quilibet posset se excusare in tali præcepto ex defectu hujus conditionis; cum unicuique liceat existimare se minùs aptum.

XIV. Ex parte delinquentis tres requiruntur conditiones ut præceptum obliget. Prima quæ est probabilis, est spes de futura emendatione; cùm ipsa sit intrinsecus & immediatus finis præcepti; *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Secunda est ut peccatum sit mortale, ut jam monui supra num. 12. tandem tertia conditio est temporis opportunitas: qui enim cognoscit in alio tempore, aut loco, aut circumstantia posse securiùs fratrem suum lucrari, non tenetur statim illum corripere, sed debet expectare tempus illud. Prædictæ conditiones debent ita simul convenire, ut si una deficiat, cesset obligatio corripiendi, nisi corripiens sit judex, aut Prælatus. Ratio est quia persona privata non tenetur corripere nisi in necessitate, sed dum una ex sex conditionibus memoratis deficit, non est necessitas ob rationes allegatas: ergó tunc non urget præceptum.

XV. Ordo correctionis fraternæ à Christo præscriptus his verbis *inter te & ipsum solum* servandus est nedùm ex præcepto divino, sed etiam ex præcepto naturali, quo ipso tenemur sublevare miseriam proximi absque ulla famæ ejus jactura. Servandus est etiam, præcepto Ecclesiastico, quo tenemur delinquentem corripere secretò. Sunt tamen aliqui casus, in quibus ordo ille non est servandus, nec obligant hujusmodi præcepta, videlicet dum peccatum est publicum; finis siquidem præcepti est nè fama proximi pereat; hæc autem ratio non subsistit in publicè delinquentibus. Undè Paulus 1. ad Timot. cap. 5. vers. 20. ait *peccantes coram hominibus argue*

argue ut & cæteri timorem habeant. Quòd de peccatis publicis intelligit Tridentinum sess. 24. cap. 8. Alter casus est, quandò secreta correctio censetur superflua, & nullus certò speratur fructus, nisi per Prælati correctionem: tunc enim licitum est, omissâ correctione, recurrere ad Prælatum tanquam ad patrem, qui meliùs & efficaciùs illum corripere possit. In aliis autem casibus non licet delinquentem deferre ad Prælatum omissâ correctione secretâ. Quia præceptum de prædicto ordine servando non dispensat nos, nec cessat non obligare, nisi in necessitate, seu in casibus jam allatis.

CAPUT XII.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

I. NOmine Beneficij Ecclesiastici, nihil aliud intelligunt Canonistæ, nisi quoddam jus perpetuum percipiendi fructûs ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum, ut habemus ex can. *quià per ambitiosam* de rescrip. in 6. indè liquidò constat beneficia Ecclesiastica esse essentialiter inamovibilia ac perpetua & instituta jure Ecclesiastico can. *licet* de præbend. in 6. Dividitur in sæculare, & regulare. Illud pro sæcularibus clericis institutum est: istud verò pro regularibus can. *cum singula* ibidem. Nec potest hæc divisio confundi seu beneficium regulare in statum sæcularem præscribi, nec sæculare in statum regularem converti, nisi vel per pacificam possessionem quadraginta annorum can. *cum de beneficio* de præbend. in 6. juncta glossa verbo *legitima*; etenim tali præscriptione beneficium ex sæculari fit regulare, & è converso can. *de quarta* de præscript. Si autem desit hæc præscriptio & ignora sit prima beneficij institutio, censendum est potiùs sæculare, quàm regulare. Quia ordinaria beneficiorum institutio est pro clericis sæcularibus. Vel per conversionem ac mutationem statûs à sæculari in regularem, & à regulari in sæcularem can. *ad audientiam* li 2. de Eccles. ædif: in quo legitur, Urbanum hujusmodi conversionem permisisse.

II. Altera beneficij divisio est in beneficium simplex, & in beneficium duplex. Primum est illud, quod nullam habet administrationem adjunctam, nullamque jurisdictionem, sed solùm ad preces fundendas institutum fuit. Secundum verò est illud quod aliquam habet adjunctam administrationem Sacramentorum, aut eminentiam in Ecclesia cum jurisdictione in foro externo, ut Episcopatus, Abbatiæ, Decanatus, Præposituræ, quibus competit administratio cum jurisdictione suprà Clerum. Sunt alia beneficia, quibus cohæret eminentia suprà Clerum sine jurisdictione.

III. Ut quis beneficium Ecclesiasticum licitè & canonicè obtineat, debet esse clericus: nam carens tonsurâ, est inhabilis ex jure ad omnia beneficia Ecclesiastica can. *cum Deo* de rescript in 6. debet etiam esse legitimus. Quia de scorto natus non ingreditur in Ecclesiam Domini ex deut. cap. 23. vers. 2. *Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus in Ecclesiam Dei, usquè ad decimam generationem*; cùm defectus natalium irregularitatem inducat ex Trident. & can. *cum in cunctis* de elect. debet etiam habere legitimam ætatem. Videlicèt septem annos completos pro beneficio simplici, ut sunt Capellania ad simplicem tonsuram, & quidam Prioratus, quibus nullatenùs competit nomen Rectoriæ. Beneficia autem quamvis simplicia, quæ in nomine Rectoriæ sonant, non possunt obtineri antè decimum quartum annum completum; ut observat Caballatius lib. 2. cap. 9. num. 9. ubi admonet eamdem ætatem requiri pro Canonicatu Ecclesiarum Cathedralium; quamvis pro canonicatu Ecclesiarum Collegiatarum sufficiat decennium completum (hoc jus viget in Gallia) nam ex jure Ecclesiastico, nemo antè decimum quartum annum potest citrà Pontificis dispensationem obtinere beneficium ex Trident. sess. 23. cap. 6. hæc particula *ante* denotat clericum posse beneficium simplex obtinere, licèt nondùm expleverit decimum quartum annum ætatis suæ, ut habetur in declaratione ejusdem concilij.

IV. Ad beneficium Curatum requiritur annus vigesimus quintus inceptus. Ad Episcopatum verò trigesimus annus etiam inceptus; licèt in Gallia per concordatum tit. de regia ad prælaturas nominatione §. *in monasteriis* sufficiat ad Episcopatum annus vigesimus septimus inceptus. Et ad prioratûs electivos etiamsi curâ habeant annex-

xam, annus vigesimus tertius incœptus eodem tit. ut testatur Caballutius loco citato n. 8. Quantùm ad Ecclesias parochiales, nulli possunt conferri ante vigesimum quintum annum inchoatum, nisi per vicarium cura exerceatur, in quo casu sufficit annus decimus quartus incœptus.

V. Requiritur insuper ad susceptionem beneficij, ut clericus de legitimo thoro procreatus, nullum Impedimentum Canonicum habeat: collatio enim beneficij facta excommunicato, suspenso, interdicto, vel irregulari, est ipso facto nulla can. *postulasti* de cler. excomm. & collator (si præcedat impedimenti notitia). Suspenditur à collatione beneficij, ut puniatur in hoc, in quo delinquere præsumpsit, inquit Innocentius III. in eodem Canone, quamvis idem impedimentum, aut eadem censura non inducat vacantiam beneficij ipso facto, si post beneficij collationem eveniat. An verò hæc pœna incurratur excommunicationibus occultis & toleratis? affirmant plures. Matrimonium etiam quamvis occultum, est impedimentum ad susceptionem beneficij Ecclesiastici can. *Si qui clericorum* de cler. conjugat. quo clericus conjugatus non potest ad beneficium promoveri, nec potest ipse clericus post beneficij collationem, dimittere uxorem, & beneficium retinere, ut monet glossa; etiamsi hoc beneficium à clerico in minoribus ordinibus constituto possideri valeat.

VI. Tribus modis obtineri solent beneficia Ecclesiastica. Videlicèt per electionem, per præsentationem, & per liberam collationem; sunt enim beneficia, quæ à pluribus simùl per suffragia dantur, & ille cui major pars electorum consensit (ut sæpè contingit in capitulis) habet beneficium. Quædam verò sunt juris patronatûs, ad quæ patronus præsentat Episcopo, qui clericum præsentatum instituit, eique confert, & tribuit jura beneficij; cum ex 1. regula juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non possit licitè, sine institutione canonica obtineri*; quin possit Episcopus eum rejicere, modò non sit incapax ratione alicujus impedimenti. Tandem sunt alia beneficia, quæ non subsunt juri patronatûs, sed eorum collatio solùm est à prælato, qui ea confert, & instituit. Præter istos tres modos, sunt alij duo: beneficia enim possunt obtineri per resignationem, & per permutationem. Resignatio est quandò quis beneficium suum liberè resignat in manibus collatoris in favorem alterius. Permutatio verò est quandò hæc resignatio fit causâ permutandi beneficium cum beneficio alterius, interveniente Episcopi authoritate. Nam ex can. *cum olim* de rer. permut. clerici propriâ authoritate beneficia permutantes, eadem amittunt ipso jure, hæcque beneficia possunt statim tanquàm vacantia impetrari.

VII. Variis modis amittuntur beneficia Ecclesiastica. Primò ex dispositione juris decernentis in tali, vel tali casu beneficium vacare ipso facto, atque ab alio impetrari posse; quod fit non solùm per subsequens matrimonium, per verba de præsenti contractum seu ratum, titul. de cler. conjug. Nam si conjugatus non possit beneficia Ecclesiastica accipere, nec potest ea retinere. *Dixi, ratum*, quia sponsalia de futuro non sufficiunt: jus enim loquitur de uxoribus adeuctis, sed etiàm per aliud beneficium incompatibile cum præcedenti can. *cùm in cunctis* de elect. nec non per professionem religiosam can. *Beneficium* de regular. in 6. Nihilominùs si contingeret professum redire ad sæculum ob nullitatem professionis juridicè probatam, & à Sancta sede talem declaratam, posset beneficium reassumere, & retinere, nisi exceptione triennij pacifici repelleretur. Quia nullitas professionis includit nullitatem renunciationis, aut dimissionis beneficij; at si exiret ob aliam causam professionem non irritantem, non posset beneficium dimissum recuperare, quia religiosus existeret, & consequenter inhabilis ad beneficia sæcularia, & ad bona temporalia propter validitatem professionis: à qua ex Trident. sess. 25. de regular. cap. 16. pendet renunciationis, aut obligationis validitas.

VIII. Secundò beneficium amittitur per crimen, cui ipso facto annexa est beneficij privatio. In hoc delictorum genere, sunt hæresis, Schisma, Sodomia sæpius exercita, crimen læsæ Majestatis, & assassinium; in his enim vacat beneficium antè judicis sententiam, & potest impetrari, dummodò sive ab initio, sive ex post facto constet de delicto. Sunt alia crimina, quibus beneficium vacat, sed post judicis sententiam declaratoriam. Qualia sunt homicidium quod non comitantur atroces circumstãtiæ, quæ in assassinio & parricidio reperiuntur can. *ex litteris* de exces. prælator. Recep-

tores hæreticorum can. *Excommunicamus* de hæret. Perjuri can. *querelam* de jurejur. In his ultimis delictis, non autem in prioribus illis, potest reus fructûs beneficij percipere, & beneficio renunciare apud superiores in favorem alterius antè condemnationis sententiam. An verò ei etiam licitum sit beneficij fructus percipere, & resignare post condemnationis sententiam, quæ per appellationem suspenditur? affirmant plures, quos citat, & sequitur Cabassutius. lib. 4. cap. 6. num. 4. Huic opinioni suffragatur ratio: nam appellatio sempèr habet effectum suspensivum, vel devolutiuum. Unde cum effectus istius sententiæ sit privare beneficio, & fructibus ejusdem, si per appellationem suspendatur, vel ad superiorem devolvatur, sententiatus potest interim fructûs beneficij percipere, donec judicetur appellatio à judice ad quem.

IX. Quamvis nemini liceat plura tenere beneficia can. *Singula* dist. 89. ubi legitur *Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus*, ne minuatur Dei cultus; clericus enim duobus provisus beneficiis, unum tantùm quotidianum persoluit officium, quod à duobus personis seorsim persolvendum esset. Nihilominùs licet aliquando plura tenere beneficia residentiam non requirentia. Primò quando unum non sufficit ad congruam & honestam beneficiarij sustentationem. Secundò quando beneficia sunt canonicè unita: ut v. g. dum alicui beneficio parochiali unitur canonicatus, aut Episcopatui unitur aliqua dignitas alterius capituli: tunc enim illa duo beneficia tenentur per modum unius, suntque veluti duæ partes, quæ dum debitè uniuntur, unum penitùs efficiunt. Tertiò quando unum ex duobus beneficiis residentiam non requirit: modò neutrum sufficere possit ad honestam clerici sustentationem, cùm Ecclesia redditûs beneficij ministris suis concedat, ut indè sustententur. In his casibus juxtà communem doctorum sententiam, duo beneficia compatibilia teneri possunt, absque ulla speciali dispensatione. Ita Navarrus, Toletus, Angelus, Mastrius, & alij. Si verò contingat unum beneficium etiam compatibile cum alio sufficere ad honestam clerici sustentationem, requiritur dispensatio, ut ipse clericus possit licitè duo simul habere beneficia can. *licet* de præbend. in 6.

X. Obiter hic observandum est, quod ille, qui per dispensationem plura beneficia obtinuit, absque legitima dispensandi causa, tenetur in conscientia resignare unum. Quia dispensatio censetur nulla, nisi subsistat legitima causa, estque subreptitia, aut obreptitia reputanda. Præcipua causa dispensandi est necessitas, aut utilitas Ecclesiæ. Aliæ autem causæ sunt dignitas, conditio, & meritum personæ, quæ aliquem efflagitat splendorem, qui uno beneficio sustineri non potest: quæ quidem causæ ad necessitatem reducuntur, cum hujusmodi personæ dignæ duo beneficia concedere necesse sit, ut honestè seu juxtà propriam conditionem vivere valeat: ubi istæ causæ non existunt, nec justa quidem sed abusiva est dispensatio. Quia hæc beneficiorum qualiscunque pluralitas juri naturali repugnat, ut advertit Mastrius, nisi justâ & rationabili causâ cohonestetur. Probet autem se ipsum clericus plura beneficia tenens ob honestam sustentationem, vel ob aliam causam summo Pontifici allegatam, an sit legitima, & justa, vel non? quoniam Papa non est scrutator cordium, sed Deus: cujus oculis omnia nuda & aperta sunt, teste Apostolo, idcòque in hac re Papa decipi potest humanâ industriâ, Deus autem non.

XI. Collator beneficij graviter peccat, si illud indigno conferat, ut sancit Innocentius III. in Concilio generali cap. *grave nimis* de præbend. & tenetur ad damni restitutionem. Nec sufficit illi eligere dignum: tenetur enim digniori beneficium conferre, ut videbimus infrà cap. de justitia in electionibus ad dignitates servandas, alioquin damnationem sibi acquirit, & tenetur Ecclesiæ læsæ damnum sarcire instar magistratûs, qui minùs idoneo tutelam pupilli commisit. Idem probat can. *significasti* de jure patron. quo ordinario prohibetur instituere præsentatum, nisi probè examinatum & exploratum circà doctrinam, & mores, ne beneficium Ecclesiasticum indigno conferatur. Hæc ipsa obligatio promovendi digniores ad beneficia Ecclesiastica incumbit etiam resignanti in favorem; non est enim major ratio de patrono, quàm de resignante, cum uterque ad beneficij collationem concurrat apud prælatum conferentem illud, & conferentis aut collatoris ordinarij libertatem minuat.

XII. Jus patronatûs solùm acquiritur fundatione, scilicèt dando terram ad superædificandam Ecclesiam; ædificando

Ecclesiam, & eam dotando, ut monet glossa in can. *pia mentis* 16. quæst 7. Consuetudine quoque præsentandi acquiritur jus patronatûs, modò sit cum præscriptione temporis memoriam hominum excedentis ex Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. & probetur non testibus, sed instrumentis cum bona fide. Dividitur in Ecclesiasticum & Laicum. Primum est illud, quod de bonis Ecclesiæ acquisitum fuit, quamvis patronus sit Laicus. Laicum est illud, quod de bonis Laicorum fuit acquisitum, quamvis patronus sit Ecclesiasticus. Utrique competit jus præsentandi, licèt diversè: nam patrono laico quatuor menses tantùm conceduntur ad præsentandum; alteri verò sex. tit. de jure patron. in 6. Insuper patronus laicus potest primam nominationem suam spontè retractare (modo id faciat antequam prior à se nominatus, fuerit institutus ac provisus de beneficio) quod patrono Ecclesiastico non conceditur, ut monet glossa verbo *robur obtinet* can. *Pastoralis* de jure patron. Tandem Papa potest de beneficio vacante juris patronatus Ecclesiastici ad suum libitum disponere citrà patroni consensum, quod non potest de beneficio juris patronatus laici citrà patroni consensum can. *cum dilectus* eod. tit.

XIII. Quia inter collatorem, & accipientem debet esse distinctio can. *ad nostram* de institutione, sequitur, quòd nullus patronus quantumvis Clericus, aut Sacerdos ad beneficium idoneus, potest seipsum præsentare can. *per nostras*. Hoc tamen nonobstante quando jus patronatûs est plurium: ut solet contingere in jure patronatûs laico (quod transit ad hæredes nullo habito sexuum discrimine: ut advertit glossa in Clement. de jurepatron. verbo *plures*) unus potest ab aliis compatronis validè præsentari, ut docet glossa in can. *consuluit* de jure patron. verbo *concedant*: ubi legitur *Si plures sint patroni, numquid possunt unum de se præsentare? Credo quod sic.* In hoc enim intercedit personalis distinctio inter dantem, & accipientem, præsentantem, & præsentatum. His addo cum Cabassutio num. 12. quod si patronus procuratorem indefinitè constituerit ad præsentandum, prout ei visum fuerit, potest ab ipso procuratore præsentari. Ratio nostra est. Quia sic jus non est actu in præsentato, sed in procuratore, qui procuratione efficitur velut patronus.

XIV. Quærunt nonnulli, an Patronus possit proprium filium præsentare ad beneficium, sed modica est hæc difficultas, quia nullum apparet mihi dubium: nam can. *consuluit* de jure patron. præbens adversariis ambigendi locum, affirmat, ut monet glossa verbo *concedant* dicens *Sed Episcopo præsentare potest patronus filium.* Ejus ratio est ista. *Quia suffragium patris valet filio.* Deinde filius non est apud patrem deterioris conditionis, præsertim in favorabilibus, ac proindè potest præsentari à patre sicut extraneus. Tandem Alexander III. in eodem canone non improbat præsentationem filij à patre factam ad beneficium, sed solùm declarat filium patroni non posse jure hæreditario, aut præcisè quia filius est, tenere Ecclesiam à patre fundatam. Ratio glossæ est. Quia præsentatio, & non concessio Ecclesiæ pertinet ad patronum: ergò patronus potest validè proprium filium præsentare ad beneficium. Inter Patrem & Filium reperitur personalis distinctio; cùm in jure canonico una eademque persona non censeantur Pater & Filius: nec Filius à Patre dependeat in bonis Ecclesiæ, etiamsi de ejusdem bonis teneatur subvenire Patri, si ad inopiam redigatur; sicut quilibet provisus de beneficio juris patronatûs tenetur subvenire patrono can. *nobis fuit* de jure patron. Huic assertioni non nocet can. *quia clerici*, cum non loquatur de præsentatione ad beneficium, ut monet glossa verbo *Filij*, sed de emptione, & de illis, qui pecuniâ emunt Ecclesias patronatas, ut eas ad suos liberos transmittant, quæ quidem emptio est prohibita can. *de jure* eod. tit. quia simoniaca; & hoc est causa hujus prohibitionis, non autem simplex filij qualitas, ut expresè tradit glossa verbo *filij*.

XV. Quandò nominatio, aut præsentatio ad beneficium juris patronatûs suum non habet effectum, quia nominatus noluit sibi tale beneficium conferri, vel quia ante institutionem decessit, jus præsentandi alium revertitur ad patronum, ut docet glossa in can. *Transmissæ* de jure patron. verbo *ex vi*. Ita Rebuffus tract. de nominat. quæst. 17. num. 21. Hæc nominatio non est sicut electio, quæ semel facta, jus eligendi ad superiorem devolvitur, si effectum non sit sortita integrum; sed sicut donatio, quæ non acceptata, revertitur ad donantis personam, & sicut legatum recusatum, quod hæreditati reintegratur. Quia in præsentatione unius ad beneficium ju-

tis patronatûs, non debet extingui jus nominandi patrono acquisitum, sicut jus eligendi ad prælaturas; cùm illud sit hæreditarium, istud veró à superioribus concessum.

CAPUT XIII.

De jure pensionum super Beneficiis Ecclesiasticis.

I. UT pensio aliqua licitè constituatur super beneficium, requiritur justa causa, sine qua graviter peccant pensionem concedens, atque impetrans eam, ut docent Toletus, Mastrius, Stephanus â S. Gregorio lib. 3. de pension. cap. 84. & alij. Quia concessio pensionis Ecclesiasticæ nedùm est de genere dispensationis latè sumptæ, quæ sine causa legitima est valida, sed etiam est certum quoddam jus percipiendi fructûs ex alieno beneficio, quod sine justa causa habere, est prorsus illicitum, sicut illicitum est dare illud; quippecum sit de bono alieno, cavendum est, nè detur Domino rationabiliter invito. Quod non contingit dum justa causa subsistit. At quando pensio pro Ecclesiæ ministerio, aut officio datur, vel pro dirimenda lite exorta inter duos Ecclesiasticos circà idem beneficium, quorum unus ad bonum pacis, aut nè Ecclesia maneat tanto tempore viduata Pastore, juri suo cedit, reservata pensione can. *nisi essent* de præbend. Vel dum datur in permutatione pinguioris beneficij in minus pingue, nè ipse permutans ex dimissione beneficij, dispendium ita patiatur, ut non supersit ei congrua ad vitam honestè sustentandam portio, tunc concessio pensionis est rationabilis atque legitima. Eadem causa admittitur in resignatione; cum resignans debeat sibi consulere sicut permutans. Miseria, aut infirmitas Clericorum pauperum, imò & Laïcorum potest etiam esse justa pensionis causa. Nam si congrua illorum seu Clericorum sustentatio resultet in honorem Ecclesiæ, istorum seu Laïcorum, ejus pietatem exaltat. Quippè si justum sit dare beneficium propter officium Clericorum, justum quoque erit de redditibus beneficij Ecclesiastici pensionem concedere Laïco indigenti, modò beneficiarius habeat undè honestè vivere possit.

II. Quamvis ex jure huiusmodi pensiones imponere, proprium sit summi Pontificis, qui plenam & liberam potestatem habet super beneficia Ecclesiæ; tamen in certis quibusdam casibus permititur Episcopis beneficia certis pensionibus onerare, absque ullo ad Papam recursu, præsertim in necessitate instituendi Seminaria ad instructionem Clericorum juxtà Decretum Concilij Tridentini sess. 23. de reform. cap. 18. Quia hujusmodi necessitatibus subvenire spectat ad Episcopum, qui est Pastor Ecclesiæ suæ; nec potest tale ministerium adimplere, nisi de fructibus beneficiorum Episcopatûs sui. Alij casus sunt quandó beneficiarius est infirmus, & ex infirmitate ad resignandum coactus, vel ex alio legitimo motivo tenetur beneficium dimittere: tunc enim Episcopus potest propriâ authoritate pensionem reservare illi, qui beneficium exercet, ut habeat undè sustentetur Altari serviendo: nam si beneficium sit propter officium, ut jam dictum est, & officium non possit per infirmum exerceri, necesse est quód Episcopus ipsi aliquam pensionem assignet super beneficium, ob tale officium concessum. Idem quandò in permutatione beneficiorum fructus non sunt æquales, ita ut unum plurimùm aliud excedat in redditibus; nè ille Clericus qui beneficium minus pingue recipit, dispendium patiatur relicto pinguiori, præsertim si permutatio hæc propter utilitatem Ecclesiæ facta fuerit authoritate Episcopi. Dixi *propter utilitatem Ecclesiæ* quia existimo, quód si fiat ob commodum habentis pinguius beneficium, non est imponenda pensio: eo quod nullum dispendium pati censetur. Tandem idem potest Episcopus quandò ob litis compositionem, necesse est uni ex litigantibus concedere pensionem. Ita Mastrius, Layman, Filliucius & alij colligunt ex can. *nisi essent* de præb. can. *ad quæstionem* de rerum permut.

III. Difficultas solùm est inter Canonistas, an institutæ ab Episcopis pensiones transeant ad beneficij successorem, pensionario adhuc vivente, seu an extinguatur morte illius, qui beneficium habuit cum obligatione solvendi pensionem, ab Episcopo impositam? Authores citati negant. Idem Sentit Azorius part. 2. lib. 8. cap. 6. quæst. 1. Altera opinio quæ affirmat, videtur mihi probabilior. Ita Bonacina, San-

legerius, & alij, quos refert Cabassutius lib. 2. cap. 16. num. 4. Hæc posterior sententia firmatur ex Alexandro Papa III. in can. *præterea* de censib. ubi ait *Illi qui Episcopo ignorante authoritate sua pensionem annuam de Ecclesiis quâdam illusione solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis non sunt aliquatenùs audiendi: si Pontificis aut alterius qui de jure id facere potuerit, authoritatem & assensum super hoc non intervenisse constiterit.* Indè constat quod si Episcopus consensisset in illa pensionis impositione, aut Episcopo sciente, imposita fuisset hæc pensio, Ecclesia remansisset censualis post obitum rectoris, qui pensionem solvebat, ut monet glossa dicens *Census à privata persona Ecclesiæ impositus, vitam solventis excedere non potest*: nam Episcopus non est illa privata persona, cui prohibetur impositio pensionis ultrà vitam solventis: alioquin Papa non dixisset, *Episcopo ignorante*; cùm etiam ipso consentiente non posset institui talis pensio ad successorem transiens; cum ex adversariis nullus Episcopus queat imponere pensionem ad successorem beneficij transeuntem, nonobstante quâcunque notitiâ. Igitur ex hoc Canone habetur Episcopos posse constituere pensiones propter causas suprà dictas, quæ ad beneficij successores transeant, superstite pensionario. Rationem assignat idem Summus Pontifex in dicto can. *præterea* in fine: ubi ait *Non enim simplices sacerdotes vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, authoritate suâ (præsertim post decessum suum) efficere censuales*: Ergò Episcopi possunt eas efficere censuales, cùm non sint Sacerdotes simplices; & constitutio simplices Sacerdotes tantùm excludat, aut privet potestate instituendi pensiones perpetuas, seu ad vitam pensionarij. Deinde ex eodem Canone alius præter summum Pontificem habet jus instituendi ejusmodi pensiones, ut indicant hæc verba *Si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit* &c. Sed nullus alius esse potest, nisi Episcopus; quia ex eodem Canone simplices Sacerdotes non habent illud. Ergo &c.

IV. Eamdem veritatem suadet ratio: nam Episcopi habent authoritatem imponendi pensiones in resignatione beneficij, & de facto eas imponunt, ad providendum victui resignantis, ut conceduut adversantis sententiæ Doctores, ut patet in numero præcedenti; sed decedente resignatario, idem finis subsistit; cum supersit idem resignans, pro cujus necessitate sublevanda Episcopus pensionem instituere potuit: ergo pariter subsistere debet pensio in successore, ut provisio Episcopi sit justa, ac legitima, & facta in favorem resignantis; alioquin resignans videret se simul & beneficio, & pensione privatum. Quod non probat æquitas, nec concordat cum sinceritate juris Episcopo concessi ad instituendas super beneficia pensiones in casibus necessariis. Deindè pensio non sequitur resignatarium, sed beneficium: de cujus redditibus solvenda est, & resoluitur, aut devolvitur ad resignantem. Igitur cùm, resignatario decedente subsistant resignans & beneficium, pensio debet etiam subsistere. Aliàs esset onus personale respectu resignatarij: non verò onus beneficij, quod est improbabile; quoniam pensiones sunt super beneficia, & res obligata, ad quemcunque deveniat, transit cum onere.

V. Adversarij oppositum probant ex Can. *nisi essent* de præbend. In quo Innocentius III. declarat quamdam pensionem super prioratum impositam pacis conciliandæ gratiâ, esse legitimam; prohibet tamen illius pensionis onus extendi ultrà vitam provisi de Prioratu illo. Ait enim, *Nos ad hoc adhibito moderamine toleramus; ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratûs, sed persona Prioris maneat onerata . . . Ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.* Sed non obstat hæc authoritas. Quia hæc pensio imposita fuerat per judices arbitrarios, ad quos duo electi ad unum Prioratum, propriâ authoritate commiserant, adjudicare uni quidem Prioratum cum onere pensionis, alteri electo persolvendæ. Quod quidem judicium toleravit summus Pontifex. Quia tam illi, à quibus, quam illi circà quos factum fuerat, erant viri probi, ut monet glossa. Tamen idem summus Pontifex illud moderamen adhibuit, scilicet successorem Prioratûs ad præsentationem quadraginta librarum minimè teneri. Ipsius ratio fuit hæc, nimirùm, quia Ecclesia non potest onerari nisi ex justa institutione canonica, quæ non competit Laïcis sine dispensatione. Undè cum hæc constitutio Apostolica non sit de Episcopis, sed de judicibus arbitrariis, quibus non conceditur jus imponendi pensiones, non potest ad Episcopos extendi; nec ipsorum jura in

pensionibus instituendis restringere ad vitam beneficij resignatarij. Quia in jure restrictio potestatis est odiosa. Igitur pensiones super beneficia constitutæ ab Episcopis in casibus suprà memoratis, possunt transire ad successorem illius, cui primùm imposita fuit solvendæ pensionis obligatio.

VI. Nè pensiones collusoriè constituantur super beneficia, litis gratiâ componendæ, canon *audivimus* de collusf. deteg. mandat Episcopo, ut ipsos litigantes spoliet beneficio, & pensione; si de collusione constet, quod facta fuerit hoc fine, ut per litis occasionem transactio fiat, per quam unus pacificè beneficium possideat, alteri verò pensio ex eodem beneficio constituatur. Ratio juris est. Quia fraus & dolus, quæ in præjudicium juris Episcopi, & aliorum nituntur committere litigantes, non debent redundare in incommodum, & jacturam Episcopi, sed litiganrium. Insuper jus litigandi, aut impetrandi beneficia Ecclesiastica conceditur, aut toleratur propter bonum, & utilitatem Ecclesiæ, non autem pro ipsorum litigantium bono. Cùm illicitum sit petere beneficium intuitu bonorum temporalium. Igitur sic litigantes expoliandi sunt redditibus beneficij.

VII. Quæritur an successor in beneficio pensione onerato teneatur in conscientia solvere reliqua pensionum, quæ non solvit prædecessor? plures affirmant, alij verò negant; sed hæc posterior opinio est præferenda priori. Quia pensionarius habet jus in annuis beneficij fructibus dumtaxàt, igitur cum tales fructus, utpote illi quos collegit prædecessor, non sint in potestate successoris, quia beneficij possessionem præcesserunt; sequitur quòd non tenetur solvere ea, quæ ex illis fructibus debebat prædecessor. Existimo tamen quod si prædecessor pecuniam pro pensione solvenda destinatam, in reparanda Ecclesia impendisset, successor teneretur solvere: tunc enim fructus beneficij, quos prædecessor debebat, censentur adhuc permanere in beneficio. Idem declarat Alexander III. in can. *ad hoc* de solutionib. juncta glossa. Adversantis sententiæ Doctores dicunt novum possessorem rei teneri solvere vectigalia, & tributa temporis ante acti; at non nocet hæc ratio. Quia hæc lex est de oneribus realibus, quæ rem possessam afficiunt. Hic autem agitur de pensione super beneficium, quæ est onus personale conjunctim, & reale, quod aliter personam non afficit, nisi quatenùs rem possidet. Ita ut solutio pensionis ex fructibus receptis exhiberi debeat.

VIII. Beneficio juris patronatûs imponi potest pensio absque ullo patroni consensu. Quia per talem impositionem nulla fit ei injuria: nullum enim jus habet in redditibus beneficij, neque id prohibetur jure canonico; habet tantùm jus præsentandi ad beneficium, quod ab eo per pensionem non aufertur. Veruntamen si ipse patronus esset pauper, & alimentis indigeret, potiùs ipsi, quàm alteri applicanda esset pensio: nam beneficiarius tenetur alimenta præbere patrono indigenti can. *nobis fuit* de jure patron. can. *contra 16.* dummodo beneficiarius demptâ pensione, honestam sustentationem habeat: quoniam in æquali indigentia beneficiarius præferendus est patrono: quia illi incumbit beneficij obligatio, ob quàm solitò conceduntur, & recipiuntur bona beneficiorum Ecclesiæ, ut probat hæc regula desumpta ex can. vlt. de rescrip. in *6. Beneficium datur propter officium.*

IX. Quoad pensionum pluralitatem discurrendum est, sicut de pluralitate beneficiorum. Habens enim unam ad honestam vitæ sustentationem sufficientem, non potest licitè aliam habere, nè unus esuriat, & alius ebrius sit, ut inquit Mastrius. Olim habebantur pro re temporali, sed eas in spiritualem statum erexit Pius V. in constitutione quæ incipit *ex proximo* edita anno 1571. & pensionarios ad persolvendum singulis diebus parvum Beatæ Mariæ officium obligavit, & statuit pensionarios memoratum officium omittentes non facere fructûs suos. Ita omnes Canonistæ, qui addunt obligationem restituendi fructûs indebitè perceptos. Tenetur insuper simul cum beneficio ad solvenda onera fructibus beneficij imposita ab eo, qui talem habet imponendi potestatem, nisi pensio sit reservata, & ab omni onere exempta; ut notat Filliucius. Ratio hujus obligationis est. Quia pensio est pars fructuum beneficij; ideòque subijcienda est hoc ipso contributionibus ex fructibus beneficij colligendis.

X. Cùm pensio sit pars fructuum beneficij, sequitur quòd Ecclesia, cui fructus applicantur, astringitur onere pensionis solvendæ, quandò possessor beneficij juridicè privatur fructibus. Alioquin ipse possessor de suo pensionem solveret. Quod esset

injustum: quia ut jam dictum est, pensio beneficiaria non aliter personam astringit, nisi quatenùs beneficij fructûs possidet; ideòque quandò Ecclesia bèneficij fructûs recipit, ad ipsam transit pensionis onus.

CAPUT XIV.

In quo resolvitur, an Beneficiarij sint Domini redduum beneficij.

I. NEgant plures fructûs beneficij esse ita sub dominio beneficiarij, ut ipse sit eorumdem fructuum Dominus. Ita Alensis, Major, Paludanus, Navarrus & alij. Opposita verò sententia suos quoque graves habet authores, inter quos sunt Lessius, Mastrius, Silvius, & alij. Eam tamen postpono, tamquam minùs probabilem, & minùs tutam secundum jus canonicum;& sequor priorem: quia juxtà can. *sine exceptione.* 12. quæst. 2. sunt tantùm dispensatores bonorum beneficij: ibi enim legitur *Episcopus rebus Ecclesiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur.* Inter res illas Ecclesiæ numerari possunt fructus beneficij, cùm ad solos Ecclesiasticos pertineat ipsorum usus, & beneficium nihil aliud sit nisi quoddam jus perpetuum percipiendi fructûs ex bonis Ecclesiasticis. Idem habetur juxtà can. *mos* ejusdem quæst. ubi præcipitur divisio bonorum Ecclesiæ in quatuor partes. *Mos est Apostolicæ sedis ordinatis Episcopis præceptum tradere ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem; alia Clero: tertia vero pauperibus; quarta Ecclesiis reparandis.* Igitur si Episcopus non possit uti bonis Ecclesiæ tamquam propriis, & teneatur ipsa dividere in quatuor partes, non est eorumdem Dominus, sed dispensator fidelis. Et si retinet sibi aliquid de iis, quæ destinata erant ad tres reliquas partes, nedùm peccat mortaliter, sed etiam astringitur obligatione restituendi, ut docet D. Thomas. Undè cùm obligatio restituendi non sequatur debitum charitatis; alioquin sæculares tenerentur pauperibus restituere denegatas opes, sed solum debitum justitiæ, quod obligat detinentem rem alienam, non autem Dominum rei, beneficiarij non sunt Domini fructuum beneficiorum sed solùm dispensatores. His suffragatur Augustinus ad Bonifacium comitem Epist. 50. relatus in can. *Si privatim* 12. quæst. 1. ubi ait *Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sūt.* Ubi glossa hunc textum explicat de bonis Ecclesiasticis.

II. Idem suadetur aliâ authoritate, quæ est Concilij Tridentini sess. 25. de reform. cap. 1. ubi statuitur Episcopos, aliosque beneficiatos non posse ex fructibus beneficij consanguineos, & familiares suos augere. Hæc prohibitio facta fuit nè Clerici res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis darent, nisi pauperes sint; tunc enim ipsis ut pauperibus distribui possunt. Hæc verba probant beneficiatios non esse dominos redditaum beneficij; ita ut valeant ad proprium nutum distribuere ea, quæ supersunt ... lura quidem esset hæc prohibitio, si essent Domini reddituum beneficij & non possent eos distrahere; cùm esse Dominum rei, idem sit ac habere dominium ejusdem, & habere dominium, idem ac ad libitum posse disponere.

III. Nec obstat dicere concilium ibi nullam legem imponere, sed solùm admonitionem præbere ex motivo charitatis ergà pauperes. Non obstat inquam. Quia concilium interdicit, & interdicere est actus jurisdictionis, qui à sola authoritate legislativa oriri potest; prætereà beneficiarij possident redditûs beneficij authoritate canonicâ, ut suadet hæc prima regula juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Ecclesiastica obtineri*; ac proinde eisdem dumtaxàt uti possunt, quos Ecclesia ipsis concedit; eodemque modo, quo vult ipsos uti: sed Ecclesia assignando beneficij reddituum distributionem, & interdicendo illis, nè ex redditibus Ecclesiæ consanguineos & familiares suos augere studeant, vult quòd sint tantùm dispensatores, & non Domini. Igitur beneficiarij tenentur, quæ de fructibus supersunt, nedùm ex officio charitatis, sed etiam ex lege justitiæ, seu ex præcepto Concilij Tridentini erogare ad causas à jure assignatas suprà num. 1. nam si fuerint pauperibus assignata ab Ecclesia, debent ipsis pauperibus erogari ex justitia: justitiæ enim est reddere unicuique, quod suum est. Undè si ea quæ superfluunt, sint pauperum ex institutione Ecclesiæ, dum illis dantur, non ex charitate sed ex justitia dantur sicut ex justitia beneficiario dantùr ex

redditibus

redditibus beneficij ea, quæ ipsi necessaria sunt.

IV. Ratio, quâ adversarij oppositam tuentur sententiam, & beneficiarios reddituum beneficij Dominos constituunt, est. Quia possunt inire contractûs alienationis, & donationis eorum, quæ de beneficio supersunt; possunt etiam hæredes constituere. Et indè concludunt, beneficiarios esse Dominos fructuum beneficij. Huic argumento respondeo, illicitos esse tales contractûs in foro conscientiæ, & hæredem non posse uti illis fructibus, qui supersunt de beneficio ipsi relictis, sicut uti potest bonis propriis: nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet, ut constat ex 79. regula juris in 6. Igitur si beneficiarij sint tantùm usufructuarij bonorum Ecclesiæ, reddituumque beneficij, nec alium valeant usum habere, nisi illum, quem ipsis præscripsit Ecclesia, non possunt eorùmdem bonorum dominium ad alios transferre per actus alienationis, vel donationis; cùm de facto illud non habeant. Hæres, & defunctus censentur in hæreditate, una eademque persona, idemque jus subire compelluntur, & obligationes defuncti quoad hæreditatem transeunt ad hæredem, cùm res quælibet ad quamcumque personam transeuntes, cum suo onere transeant: ergo hæres tenetur dare pauperibus bona ex beneficio provenientia, sicut beneficiarius defunctus tenebatur.

V. Pensionarius quoque tenetur nedùm ex officio charitatis, sed etiam ex lege justitiæ erogare, quæ de fructibus pensionis supersunt; cum verè sint fructus beneficij Ecclesiastici: & pensionarius magis quàm beneficiarius non valeat habere dominium. Divisio Apostolica bonorum, aut reddituum Ecclesiæ suprà memorata, in omnia unius beneficij bona collectivè sumpta cadit; ideòque pensionarios conjunctim simul, & beneficiarios ligat obligatione restituendi Ecclesiæ, vel pauperibus superflua retenta, & ipsis bonorum Ecclesiasticorum dominium interdicit.

VI. Jura non loquuntur de bonis Ecclesiasticis, sicut de patrimonialibus clericorum; appellant enim priora, bona Dei, patrimonium Christi, & pauperum; ista verò bona propria. De qua loquendi diversitate, nulla alia potest induci ratio, nisi quia clericus nequit bona Ecclesiastica, sicut patrimonialia pro arbitrio moderari, nec potest de illis constituere hæredem, sicut de istis, scilicet de bonis patrimonij. Non obstat dicere diversitatem illam consistere in obligatione erogandi pauperibus, quæ superfluunt de fructibus beneficij; non autem in privatione Dominij, ita ut beneficiarius sit Dominus reddituum beneficij, sicut bonorum patrimonij. Non obstat inquam. Quia laicis etiam competit hæc obligatio erogandi pauperibus ea, quæ superfluunt de bonis propriis, ex præcepto eleemosynæ: ergo in beneficiariis est obligatio justitiæ, quæ non est in laicis. Minùs nocet dicere bona Ecclesiastica appellari bona Dei, patrimonium Christi, & pauperum. Quia sunt bona Dei, ac Christi cultui dicata. Nam si specialiter divino cultui dicata fuerint, ut volunt adversarij, injustum est, beneficiarium posse ea ad usûs prophanos impendere, & pro arbitrio moderari, quià cultui divino duntaxàt applicanda sunt.

VII. Filiis legitimis non possunt conferri beneficia immediatè anteà ab ipsorum parentibus possessa, ut declarat Alexander III. in can. *præsentium* can. *conquerente* de fil. præsbit. Ratio juris est, nè in bonis Ecclesiasticis detur locus successioni, & nè intrà familias, præbendæ hæreditariæ videantur. Indè liquidò constat, redditus beneficij non esse sub dominio beneficiarij. Sicut redditus temporales, in quibus filius succedit patri, sunt sub dominio filij; sed esse sub dominio Ecclesiæ, in qua residet jus distribuendi beneficia, eorumque redditus. Quare solus Papa potest contra jus istud dispensare can. *dilecti* eod. tit. quia ipse solus est suprà jus positivum Ecclesiasticum. Hic quæri potest, an constitutio Apostolica declarans filium immediatè in beneficium Patris, & nepotem in beneficium avi succedere non posse, declaret etiam ex adverso patrem in beneficium filij, & avum in beneficium nepotis non succedere? *negò* quia hæc inhibitio de beneficio Patris Filio non conferendo, est odiosa; ideòque potius est restringenda quàm extendenda. Vel quia non præsumitur abusus, aut inordinatus affectus, si turbatò naturæ ordine, pater liberis succedat; cùm sit contra commune parentum votum, ut inquiunt Rebuffus, Farinacius, & Despeditus.

VIII. Beneficiarij, qui non erogant pauperibus ea, quæ de redditibus beneficij superfluunt, dicuntur interfectores pau-

petum, raptores &c. can. *gloria* 12. quæst. 2. §. *amico* ubi legitur. *Amico quidpiam rapere, furtum est, Ecclesiam fraudare, sacrilegium est: accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid indè subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat*; sed Bona, quæ de beneficio Ecclesiastico superfluunt, sunt pauperibus eroganda. Quia sub hac conditione beneficiariis legata fuere, ut monet D. Prosper lib. 2. de vita contempl. cap. 9. ubi ait *Scientes viri Sancti nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicarunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus erogaverunt*: ergò retinentes eas, sunt raptores, & prædonum crudelitatem superant. Quod falsum esset, si beneficiarii essent hujusmodi bonorum Domini.

CAPUT XV.

De justitia in electionibus ad dignitates Ecclesiasticas servanda.

I. Quamvis electio sit essentialiter actus liber; nihilominus electores nè acceptores personarum sint, tenentur ex justitia eligere dignum: nam electio non dicitur libera in jure, ita ut elector possit eligere quemcumque voluerit, sed ita ut eligat non coactus ab extrinseco. Quare peccant omnes, qui in electione ad dignitates Ecclesiasticas, electores cogunt. Peccant etiam electores, qui coactioni, aut sollicitationi consentiunt, nisi fiat de persona digniori, & elector eligat ipsam non intuitu sollicitantis, sed meritorum personæ eligendæ. Quia persona eligibilis per sollicitantes non fit deterioris dignitatis, nec elector eximitur ab obligatione eligendi digniorem. In electione indigni ignorantia non excusat à peccato mortali, quod committit indignum eligens. Nec ab obligatione restituendi Ecclesiæ, aut religioni pro damno, quod ex illa electione obvenit. Quia elector tenetur in conscientia omnem sufficientem diligentiam moralem adhibere, & examinare, an ille, in quem suffragium ferre vult, sit dignus, vel indignus, nè ex electione religio detrimentum patiatur. Indignus etiam peccat mortaliter, si electioni suæ consentiat cognoscendo se indignum; cùm religio, aut Ecclesia non intendat indignum suscipere rectorem ab illis, quibus suum concessit jus eligendi.

II. Contrà justitiam est eligere dignum omisso digniore ex eligibilibus. Quia dignitates sunt ex justitia distribuendæ propter merita, ut colligitur ex trident. sess. 24. de reform. cap. 1. Ubi præcipitur electionem faciendam esse exigentibus meritis; ideóque qui digniorem non eligit, peccat contra justitiam, quæ respicit merita, & majora minoribus præfert. Imo operatur contrà conscientiam, quæ dictat digniorem esse eligendum. Ita D. Thomas 2.2. quæst. 63. art. 2. Barbosa, & alij gravissimi, quos ipse citat in can. *cum nobis* de elect. num. 4. Objiciunt Cajetanus, Vasques, & alij. Electores in officijs distribuendis nullam aliam obligationem habent, nisi sufficienter providere, nè ex electione religio detrimentum patiatur; sed ad hoc sufficit eligere dignum; cùm prælatus dignus rectè gubernare valeat. Respondeo negando majorem; incumbit enim electoribus altera obligatio, debent enim examinare eligibilium merita, ut præcipit Tridentinum loco citato, né sanguis, & amicitia meritis & utilitati religionis, aut Ecclesiæ præferantur. Undè licèt prima obligatio, quæ respicit bonum religionis adimpleatur in electione digni, non adimpletur tamen secunda; cùm dignitas, aut officium digniorem exigat, & merita dignioris in electione sint præferenda; peccat igitur, qui digniorem omittit, ut eligat minùs dignum; cùm operetur contrà judicium practicum dictans digniorem esse eligendum, digno relicto.

III. Hæc doctrina nedum de electionibus ad dignitates Ecclesiasticas, tam seculares, quàm regulares, est intelligenda; sed etiam de electionibus ad officia temporalia, & merè sæcularia; quippecum sint communia, juxtà leges justitiæ distributivæ conferri debent, scilicèt secundum uniuscujusque merita, ut electus res publicas in melius promovere valeat, & inconvenientibus minus ordinariis occurrere. Ita Rebellus, Vega, Lessius, & Reginaldus. Quis autem sit censendus dignior? Respondeo ex can. *cum in cunctis* digniorem esse illum, qui ad munus sustinendum

est aptior omnibus consideratis, scilicèt scientiâ, ætate, moribus, prudentiâ & aliis qualitatibus, quæ Prælaturæ, de qua agitur, sunt utiliores, & magis proficuæ pro Ecclesia, aut religione secundùm præsentem statum, scilicet locorum, personarum, & temporum. Ita Sylvester, & Covatruvias.

IV. An hujusmodi officia temporalia vendi possint? duæ sunt sententiæ. Doctores, qui tuentur assertionem nostram, negant. Quia inquiunt dignioribus sunt conferenda. Ab hac opinione tamen recedo. Quia princeps, aut respublica, & alii, quibus ex officio incumbit munus providendi, possunt ea licitè vendere, modò non vendantur nisi dignioribus ex emptoribus ad evitanda mala, quæ indè publico evenire possent, & necessitas reipublicæ id postulet. Fundamentum alterius sententiæ est. Quia ex tali venditione non raró sequitur, quod officiales sunt indigni, & indè respublica magnum patitur detrimentum. Sed hoc non sequitur suppositâ conditione jam allatâ. Sic docent Navarrus, Corduba, Azorius & alij.

V. Annullanda est electio illius, qui priusquàm ad Prælaturas eligeretur, fuit requisitus, & electioni faciendæ consensit can. *cum post* de elect. Ratio juris in glossa est. Quia ille præsumitur ambitiosus. Deindè censetur eligere seipsum: nam dicere *volo eligi in Provincialem*, verbi gratia idem est æquivalenter, ac dicere *eligo me in Provincialem*: Ideòque hæc electio est nulla can. *cum ad nostram* de instit. Certò si talis consensus electiones irritat, multò major erit in electione invaliditatis causa, si electus pecuniâ, vel favore magnatum Prælaturam sibi procuraverit. Undè existimo quòd Prælatus sic electus, tenetur ab officij exercitio se abstinere, & intrusum se reputare; cũ ex 64. regula juris in 6. *Quæ contra jus fiunt, debeant pro infectis haberi.*

VI. Ut electio Canonica sit valida, ex parte electorum necesse est; ut nullus ipsorum sit censurâ ligatus can. *cum inter* de elect. can. *cum dilectus* de consuet. Si verò contingat omnes vocales esse censurâ, aut alio impedimento Canonico inhabiles, excepto uno, ad illum solum devolvitur jus eligendi; cùm in ipso consistat jus capituli, aut Provinciæ. Idem jus haberet unus vocalis, si tempore assignato ad eligendum, esset solus in loco Capitulati, quia non privaretur jure suo absentiâ aliorum, ut notant Peirinis, & Miranda. Si omnes essent inhabiles, jus eligendi devolveretur ad superiorem, cujus authoritate Capitulum celebratur. Quandò autem electores dubitant, an unus vocalis sit impedimento ligatus, illum admittere possunt cum talis dubij protestatione, quoniam pro ipso stat suffragij possessio. Secùs discurrendum est, dum de hujusmodi impedimento certi sunt; tunc debent illum excludere; aliàs electio esset vitiosa & cassanda ob suffragium unius vocalis inhabilis scienter admissi; etiamsi suffragium suum negasset electo, & omnes habiles eumdem elegissent. Ita plures contra Lezanam. Ratio est. Quia isto inhabilis censetur extraneus, & non vocalis, ideòque electio est nulla.

VII. Insurgunt adversarij ex 37. regula juris in 6. *utile non vitiatur per inutile*; sed suffragium vocalis inhabilis est inutile: ergo non vitiat alia, quæ utilia sunt. Respondeo hanc regulam hìc non habere locum. Quia vocalis excommunicatus, suspensus, aut aliquo impedimento inhabilis, non est inutilis, sed intrusus, & non vocalis; cum impedimento canonico privetur jure suffragij can. *cum inter* de elect. Hinc est, quòd per tale suffragium, electio vitiari debet, & alij vocales debent esse culpabiles, quia censentur voluntariè consensisse, aut voluisse defectum electionis, nisi inhabilis fuerit penitùs ignotus; tunc enim electio non esset invalida, nec vitiosa. Quia culpa totaliter sistit in ipso inhabili, qui peccavit mortaliter, liberè concurrendo ad electiones canonicas cum aliquo impedimento canonico: quoniam hoc est contrà legem operari.

VIII. Ex parte elegibilium electio est nulla; dum fit de persona, quæ laborat morbo epileptico, seu caduco can. *cum inter Canonicos* juncta glossa, cum qua observandum est, quòd si morbus sit naturâ suâ sanabilis, non est impedimentum perpetuum, imò nec canonicum. Inhabiles sunt pariter illegitimi can. *innotuit*. Furiosi dum de eorum furore constat per testes fide dignos. Criminosi etiam sunt ineligibiles; hic tamen observandum est, quod cum post lapsum, multi per pœnitentiam resurgant can. *talibus* de pœnit. dist. 2. juncta glossa, delinquentibus non obstant priora delicta, si postea vitam emendatam duxerint. Quinimò in electionibus, potiùs eligendus est ille, qui post delictum verè pœnituit, quàm ille, qui numquam ce-

ci[illegible], existentibus in utroque æqualiter conditionibus aliunde requisitis, ut monet glossa in can. *fidelior factus est Petrus* dist. 50. verbo *gratiam*. Ratio ejus est. Quia senex magis compati imbecillitatibus, & peccatis aliorum. Ita plures apud Barbosam in cap. 2. de elect. Vitiatus magna corporis deformitate; ita ut scandalosam deformitatem causet, est etiam inhabilis. Simoniacus, homicida, illegitimi, & illi, qui non habent ætatem requisitam, pariter inhabiles sunt.

IX. Quare ut nullus inhabilis, aut incapax eligatur, atque ut electio sit canonica, præmittenda est consultatio super eligendorum qualitates: quilibet enim elector tenetur attendere, ac ponderare merita eorum, qui eligibiles sunt, cùm eligere idem sit, ac unum pluribus præferre, illumque ad beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam promovere. Ita inferunt plures Canonistæ ex can. *in nomine Domini* dist. 23. Ratio est. Quia ut electio sit canonica, debet fieri ex judicio, seu cognitione eligendorum; cùm electio sit assumptio unius præ alio ad dignitates, ut Clerum & cives Neapolitanos monuit. D. Gregorius lib. 8. Epist. 40. relatus in can. *nec novum* 8. quæst. 2. Nec est aliud præter hanc consultationem medium ad evitandum peccatum, quod committitur in electione indigni, ex cujus indignitate, ex vi juris sequitur nullitas electionis. Consultatio inter electores necessariò est præmittenda in electionibus, quæ fiunt per calculos albos, & nigros, proponente præside, quales sunt electiones Guardianorum in nostro Ordine. Quia quilibet elector habet jus eligendi quemcumque voluerit ex eligibilibus in Guardianum, quo jure privaretur, si præses proponeret in scrutinio absque ulla consultatione prævia inter electores facta circa eligendos, aut proponendos in scrutinio; aliàs solus præses eligeret, & alij electores, seu diffinitores, qui verè electores sunt, possent tantùm per calculum album admittere, vel per nigrum repellere electum à præside; sicque privarentur jure eligendi: cùm electio, ut jam dixi, sit assumptio unius præ alio; & omissa consultatione, elector nullum alium præter propositum videret proponendum, ut judicare possit, an propositus sit assumendus præ alio nominando, aut proponendo à præside. Igitur omissa consultatione electio debet esse nulla. Quia non est plenè libera respectu vocalium.

X. Quamvis Canonistæ inferant ex can. *quia propter* electiones canonicas nullatenus fieri posse de nocte, id tamen limitandum est in casu necessitatis, scilicet dum electores per diem convenire non potuerunt, vel dum intra diem timendæ sunt fraudes: tunc enim fieri possunt de nocte; accensis ad minus tribus luminaribus, ne electio sit clandestina. Quia necessitas facit licitum, quod erat illicitum in lege. His addo tamen, quod dum electores possunt in die necessitatem auferre, eam auferre tenentur; ne electio fiat de nocte; alioquin tempus currit contra illos, nec urgens censetur tunc necessitas celebrandi electiones de nocte. Ita Portel, Panormitanus, Miranda & alij, quippe necessitas, quæ non tollitur, dum præveniri potest, censetur voluntaria, & consequenter non potest excusare. Insuper cavere debent electores ex eodem Canone, nè ad disquisitores accedant bini: de electionibus etenim discurrendum est, sicut de testibus. Quilibet elector suum debet dare votum determinatè ad unum can. *in nomine Domini* dist. 23. cùm jus vota alternativa prohibeat, & irritet electionem factam sub hac forma *eligo Petrum vel Paulum* sicut irritat eam, quæ fit sub ista *eligo quem meus Prælatus elegerit*.

XI. Electionem Prælati factam antequàm corpus prædecessoris tradatur sepulturæ esse illicitam concedunt omnes ex can. *bonæ memoriæ* 2. de elect. an verò hæc electio sit invalida? Plures affirmant. Quia idem Canon nullam declarat electionem Episcopi Cremonensis. Ab hac sententia tamen recedo. Quia Innocentius III. In eodem Canone invalidam declarat prædictam electionem, solùm ob absentiam unius vocalis neglecti, ut observat glossa verbo *tractatum*. Ita Ludovicus Miranda in Manual. Prælat, Clavasius verbo electio num. 10. & plures alij.

XII. Ex prædicto Canone necessariò convocandi sunt omnes vocales; ita ut si unus vocari neglectus fuerit malitiosè, aut fraudulenter, prorsus irrita, & nulla erit electio can. *quod sicut* nisi pro bono pacis, ipse vocalis neglectus consentiat, ut advertit Barbosa hic num. 1. magis enim obest unius vocalis contemptus, quàm contradictio multorum can. *bonæ memoriæ*. Indè evidenter constat invalidas quoque esse electiones, si vocales odio, vel fraude

præsidentis excludantur, & voce activa priventur, aut si plures jus passivæ vocis habentes, excludantur, ut duo aut tres dumtaxat ad idem jus passivi suffragij admittantur. Quoniam ex hoc coarctatur electio, & libertas activi suffragij adimitur, cùm ad duos, vel tres tantummodò eligendos restringatur can. *ubi periculum* de elect. in 6. Verùm licèt iste Canon improbet restrictionem ad certas personas nominatim, non improbat tamen illam, quæ est ad certum personarum genus de gremio vocalium; interdùm enim requiruntur in eligendis conditiones, & qualitates, quæ in electoribus non requiruntur.

XIII. Triplex est canonica eligendi forma, scilicet per scrutinium secretum, per compromissum, & per inspirationem can. *quia propter* de elect. Huic Canoni minimè officit Sacra Tridentina Synodus sess. 25. de regular. cap. 6. præcipiens superiores per scrutinia secreta esse eligendos. Quia hanc formam instituendo, alias non reprobat, ut tradit Barbosa: imò eas magis commendat. In electione per compromissum. Primò necesse est ut omnes vocales nullo discrepante ad cōpromissarium consentiant, ut monet glossa ibi verbo *vice omnium.* Secundò ut post factam & publicatam ex compromisso electionem, interponatur aliquod temporis spatium ad explorandum à compromittentibus, an electus sit idoneus can. *si compromissarius* de elect. in 6. Undè si electus sit indignus, & compromittentes ratam non habuerint electionem, ad ipsos liberè revertitur electio. Ita Sylvester verbo *electio* 2, quæst. 19. num. 26. Compromissarius potest eligere seipsum, modò non sit incapax, nec exclusus, ut docent Rodriguez, & Lezana.

XIV. Ille, in quem major vocalium pars consenserit, est canonicè electus ex jure Romano, nisi ex aliquo speciali statuto aliter ordinatum fuerit, ut patet in variis electionibus, in quibus, dum vota sunt inæqualiter dispersa, nulla est electio, donec unus habeat unum votum suprà medietatem. Hæc major pars non desumitur ex zelo ad zelum vocalium, sed ex numero ad numerū can. *indemnitatibus* eod. tit. in 6. Sanior autem pars est ea, quæ eligit secundùm Sacrorum Canonum præscripta, quamvis sit numero minor.

XV. Nulli vocalium licet liberè renunciare voci activæ. Quia vocalitas non est jus illi proprium, sed est jus officij, cui renunciare, est peccatum mortale ob injuriam quam intulit officio, quo functus est, & religioni, quæ intendit quòd omnes officiales (quibus tribuit jus suffragandi) habeant votum ad electionem Prælati superioris, à quo est gubernanda. Huic assertioni suffragantur Concilia Toletanum tertium can. 13. & Carthaginense tertium can. 9. item can. *si diligenti*, quo sancitur clericum non posse Beneficio foro renunciare. Quia non est Beneficium personale. Si verò contingat aliquem voci activæ renunciasse, potest eam reassumere, si ille, cujus est renunciationem acceptare, nondum eam acceptaverit, quia suffragium redit ad officium, quod adhùc retinet antè renunciationis acceptationem. Ità Bassæus, Sigismundus, Baldus, & alij. Nec ipse superior licitè potest hoc impedire; cum renuncians sit adhùc in jure suo; aliòquin officium vacaret antè renunciationis acceptationem, quod est falsum.

CAPUT XVI.

De jure oppositionis contrà easdem electiones.

I. EX triplici capite oriri potest jus oppositionis contrà electiones, quòniam ex triplici capite vitiosæ esse possunt, ac cassandæ; cùm oppositio nequeat esse justa; quin in aliquo defectu fundetur. Primò oriri potest ex evidentia incapacitatis, aut indignitatis personæ electæ: nàm cùm indignus sit ineligibilis, certò ipsius electio debet esse nulla. Secundò ex jure eligentium; ut dùm aliquis vocalis fuit neglectus, aut fuit incapax vocis activæ seu suffragij, ratione alicujus impedimenti canonici. Tertiò ex forma electionis, ut quandò electio facta fuit contrà formam juris: v. g. sine scrutinio secreto, cum fraude, subornatione, coactè, vel cum alio defectu essentiali: tunc enim quilibet elector habet jus oppositionis apud eos, ad quos spectat authoritas confirmandi electiones, ut eas irritent, & nullas declarent; nè oves Christi subjiciantur Pastori intruso, gubernandi, seu pascendi eas authoritatem non habenti.

II. Quandò oppositio fit de persona eligenda, seu nè talis eligatur, opponens tenetur exponere, & jurare coram personis authenticis; quòd credit esse vera, ea quæ objicit contrà personam eligendam, & se velle & posse ea probare can. *ut circa* de elect. in 6. Præses verò unà cùm vocalibus tenetur hujusmodi rationes examinare ac perpendere in pondere sanctuarij, quæ si sint validæ, & Canonicæ, electores tenentur eas recipere, & illum, de quo est oppositio, à voce passiva excludere (aliòquin abusivum esset jus oppositionis) sub pœna nullitatis electionum. Si autem contingat rationes oppositionis esse nullas & falsas, opponens debet rigorosè puniri, & per triennium suffragio privari c. in. *constitutionem* de verborum signifi. in 6. quamvis de sua oppositione pœniteat, maximè si oppositio fit de defectu scientiæ c. n. *ab eo* eod. tit. Eâdem pœnâ puniendi sunt omnes opponentes, qui non probant id, quod objiciunt tàm contrà jus eligentium, quàm contrà electionis formam, nisi ob aliquam causam valdè probabilem excusentur à calumnia, ut definitum fuit in Concilio Lugdunensi relato in can. *statuimus* de elect. in 6.

III. Hic ordo pro legitima oppositione facienda contra personam eligendam, servandus est etiam in oppositionibus instituendis contra jus eligentium, & formam electionis; aliàs oppositio est reputanda nulla & frivola. Oppositio de persona eligenda, non debet fieri antequàm vocales ad locum capituli perveniant, & videatur vocalium dispositio, nè opponens exponat se periculo revelandi defectûs unius vocalis, absquè ulla necessitate; quia nescit, an vocales sint dispositi ad eligendum alium; nec sufficit illi præsumptio, aut rumor publicus, qui sæpè falsus est atquè fictitius. Secùs discurrendum est in hac parte de aliis oppositionibus, quæ fiunt contra jus eligentium, aut formam electionis. Ex ipsis enim nulla sequitur proximi diffamatio. Quia solitò fiunt, ut electio sit legitima, & canonica, ut nullus vocalis sit intrusus, & ut jus servetur; ideòque oppositio fieri potest coràm eo, cujus est convocare, facta convocatione, ut in electionibus celebrandis serventur ea, quæ de jure servanda sunt.

IV. Quandò oppositio fit de persona jàm electa, ob vitia, aut impedimenta in ipsa existentia (ut contingere potest: quippe cùm nullus teneatur revelare delicta proximi sine necessitate, quæ ex regulis juris facit licitum, quod anteà erat illicitum, sæpè necessaria est post electiones oppositio) uel de electione jam facta, sed defectuosè seu contrà formam juris, debet fieri cum appellatione ad superiorem, à quo est confirmanda electio. Quia ipse solus potest hujusmodi electiones irritare, si fuerint nullæ. Si verò contingat præsidentem habere nedùm potestatem convocandi, sed etiam confirmandi, appellandum est ad superiorem, cujus authoritatem gerit. Quià cum talis præses sit de corpore Capituli, seu vocalium, non potest esse judex in propria causa, & consequentèr ad delegantem recurrendum est, nimirùm ad Generalem, & si ipse Generalis fuerit præses, ad Sanctam sedem.

V. Utrum hujusmodi appellatio habeat effectum suspensivum, ita ut electus teneatur authoritatem suam suspendere? Respondeo negativè; habet enim effectum devolutivum dumtaxàt. Tùm quia electiones jam factæ à majori, vel saniori parte capituli, debent censeri validæ usquè ad sententiam, non obstantibus oppositionibus, nè provincia, aut Ecclesiá maneat viduata pastore, & nè subditis detur occasio licentiùs delinquendi, ut notat Lezana. Tum quia possessio stat pro electo, ac proindè electio ipsius debet censeri valida, donec per sententiam invalidetur; alioquin effectus præcederet causam; cùm opponens in prosequenda appellatione, nihil aliud intendat, nisi authoritatem removere ab electo. Et ideò subditi tenentur in conscientia illi obedire, excepto opponente aut opponentium procuratore, qui non potest licitè impediri in prosequenda appellatione can. *appellationem* 2. quæst. 6.

VI. Si superior ad quem facta fuit appellatio, & à quo judicanda est oppositionis causa, declaret per sententiam, partibus auditis, electionem esse nullam, & oppositionem legitimam, nova electio non pertinet ad eosdem electores, nec ad opponentes; etiamsi suffragati non fuerint & à capitulo recesserint tanquam opponentes; sed ad eum, qui invalidavit priorem. Ita Barbosa lib. 1. votorum decisivorum vot. 4. dub. 5. citans Peirinum, & alios. Ratio est: quia electores dùm indignum eligunt, aut dignum contrà formam juris, privantur jure eligendi can. *gratum* de postulat. can. *cum inunctis* de elect. in

6. Sed in electione quæ per justam superioris sententiam annullatur, invaliditas provenit ex indignitate electi, vel ex defectu à jure prohibito; cùm non sit aliud in quo oppositio fundari possit: ergo jus eligendi, quo electores privantur, devolui debet ad eum, à quo lata fuit contra electum sententia, seu à superiore, ad quem appellatio facta fuit.

VII. Contrà hanc assertionem sic objici potest. Bonifacius Papa VIII. in can. *si electio* eodem titulo in 6. declarat jus eligendi remittendum esse ad electores, quandò electio jam facta, suum non habuit effectum: ergo etiam in nostro casu ad eosdem electores remittenda est electio nova. Respondeo hanc authoritatem non nocere: quia ibi ille summus Pontifex loquitur de electione, quæ non habuit suum effectum; ex eo quòd electus recusaverit, vel mortuus fuerit; tunc enim jus reeligendi remanet in provincia. Quia electores non sunt culpabiles, nec digni pœnâ privationis suffragij activi. Non verò de electione impugnata per oppositionem in jure fundatam de qua est quæstio. *Dices* ergò electio nova debet remitti opponentibus cùm non sint culpabiles. Nego instantiam: quia bonum est ex integra causa, & malum ex quocumque defectu.

VIII. Electionis confirmatio, quæ à superiore tribuitur, antequàm oppositionis notitiam habeat, non impedit appellationis virtutem. Quia electio invalida non validatur per subsequentem confirmationem: ut habetur in jure. Igitur post ipsam confirmationem opponens debet audiri, sicut antea, ut probet coràm judice id, quod probare tenetur, ut oppositio ejus legitima appareat. *Dices* ex can. finali de electione in 6. habemus quòd post confirmationem nullus est audiendus, cùm ipsa confirmatio tribuit electo jus in re. Respondeo textum esse intelligendum de electore, qui opposuit, & non comparuit tempore præfixo, non autem de eo, qui debitè comparet, licèt jam concessa fuerit confirmatio: nam electio non est confirmanda, nisi prius diligentèr discutiantur electi conditio, & forma juris, ut sapienter admonet Sanctus Leo Papa epist. 85. ad Episcopos Africanos, citatus in can. *miramur* dist. 6. ergò opponens qui tempore præfixo, aut intrà tempus à jure præscriptum, se præsentat, debet audiri, & judicari; licèt electus, tacitâ, vel expositâ oppositione, confirmationem obtinuerit à prælato seu à superiore.

IX. Illi, qui jus eligendi habent, electioni objicere, & opponere possunt, dùm vident electionem non esse canonicam, vel electores alios, electionem contra formam juris celebraturos, can. *quod sicut* de elect. alij verò qui non sunt de corpore vocalium, nullum jus oppositionis habent ex vi hujus textûs; tamen obiter observandum est, non vocales habere jus oppositionis aliundè, scilicèt ex can. *ut circa* de elect. in 6. ut docent Lezana, Layman & alij. Quia ad quemlibet inferiorem spectat, ut prælatus suæ religionis sit talis, qualis esse debet juxtà regulam, statuta religionis, ac Sacros Canones; & consequentér ad eos spectat jus oppositionis (dùm vocales negligentiâ, aut alio vitio se opponere noluerunt) ut religio dignum habeat prælatum, aut ut Superior, cujus est suprema cura, videat malitiam, aut negligentiam vocalium.

X. Quamvis vocalis, qui electioni consensit, non possit illam impugnare. Quia ex 21. regula juris *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest*; non licet vocali contra factum suum venire: ut monet glossa in can. *diversis* de cleri c. conjug. nihilominus potest objicere & opponere ex causis posteà emergentibus, vel proptèr defectûs electi prius occultos & ignoratos, scilicèt ob luxuriam, adulterium, vel aliud simile crimen, quod latebat tempore electionis, modò de hujusmodi delictorum ignorantia fidem faciat proprio juramento, ut expressè declaravit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, relatus in can. *Nulli licere decernimus* de elect. in 6. juncta glossa verbo *labentis*. De hac resolutione decretum refert Lezana in summa quæst. regular. tom. 1. cap. 15. n. 39. emanatum à Sacra Congregatione Episcoporum & regularium die 2. Decembris 1643.

XI. Oppositio, quæ fit contrà jus unius electoris, est rejicienda, si ipse elector probet se esse in possessione can. *cum vinsonensis* de elect. Imò electio est canonica, quamvis ex post facto probetur, talem electorem jus eligendi non habere, sufficit enim quæcumque possessio cum bona fide illius, qui promotus fuit; ut suadet hæc 79. regula juris in 6. *Factum legitimè retractari non debet; licèt posteà casus eveniat, à quo non potuit inchoari*: Ergò

electio non est cassanda à judice, ad quem spectat de oppositione judicare; cùm ratione possessionis legitimè facta fuerit, & alij vocales putaverint bonâ fide talem electorem esse verè vocalem. Si verò opponens instrumentis authenticis antè electiones evidenter probet possessionem hanc esse injustam, præses capituli tenetur decernere talem vocalem esse excludendum sub pœna nullitatis electionum. Aliàs voluntariè admitteret electorem non vocalem.

CAPUT XVII.

De summo Pontifice.

I. PLures in Ecclesia Christi veneramur pastores, intèr quos jure divino primatum, non solùm honoris & dignitatis, sed etiàm jurisdictionis obtinet Romanus Pontifex, qui est verè successor Petri Apostolorum principis; cujus sollicitudini, ac potestati universum ovile commisit Christus Dominus Joan. 21. *Petre pasce oves meas.* Hâc ipsâ authoritate constat successorem Petri seu summum Pontificem supremam habere potestatem suprà universalem Ecclesiam, & ad ipsum pertinere Conciliorum generalium convocationem, atque confirmationem; cùm illi incumbat Ecclesiæ gubernatio, hæcque sit finis Conciliorum generalium; ut ex ipsorum actibus constat: omnia enim tuentur fidem Ecclesiæ Romanæ, & ejus disciplinam statuunt. Quare nullum Concilium generale est legitimum, nisi decreto, vel voluntate Summi Pontificis convocatum, & confirmatum fuerit, aut approbatum can. *Synodum* dist. 17. Nec obstat dicere, imperatorum authoritatem olim fuisse necessariam pro Conciliis generalibus convocandis. Quia non fuit necessaria òb legitimam convocationem, nec òb eorumdem Conciliorum validitatem: ut definitum fuit in Concilio Constantiensi; sed solùm òb alias rationes, scilicèt ob pacificam celebrationem, & patrum sustentationem: tùnc enim Concilia generalia fiebant sumptibus Imperatorum, ut habetur in lib. 3. vitæ Constantini: ubi Eusebius addit, *Toto tempore Concilij omnes Episcopi expensis Constantini vixere*, vèl òb seditiones metuendas, pro quibus placandis, necessaria erat Imperatorum authoritas.

II. Papa est suprà Concilium. Ità docet communior opinio. Hujus rei argumentum est. Quia Ecclesia non est Democratica, vel Aristocratica, sed Monarchica, cujus Monarcha visibilis est Romanus Pontifex; qui meritò proferre potest illud psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion*; & consequenter est suprà Concilia generalia, in quæ conveniunt omnes Episcopi; sicut Rex temporalis est suprà comitia regni. Ex Apostolo ad Timoth. 1. cap. 3. Ecclesia est domus Dei. Necessè est igitùr quòd unum habeat Dominum, qui præsit omnibus habitantibus in ea, alioquin non esset ordinata; atqui Dominus ille debet esse successor Petri; etiamsi aliorum Apostolorum successores, nimirùm Episcopi, sint præsentes, seù simùl congregati: quia Dominus, aut pater domùs Dei, seu Ecclesiæ, non potest esse nisi unus, secùs enim gubernium ejus non esset Monarchicum. Nèc potest esse alter à Papa, quia est papæ inferior; nec omnes Episcopi simùl in unum congregati in Concilio, quià indè non minuitur authoritas summi Pontificis, nec ex illa Episcoporum adunatione desinit esse caput Ecclesiæ, & Concilij Episcoporum: cùm sempèr sibi conservet dignitatem capitis, seù eminentiam suprà cætera membra mystici corporis, quod est Ecclesia: quamvis Papa in Concilio generali sit etiam membrum; quemadmodùm in corpore humano caput est verè caput, quamvis sit ejusdem corporis membrum, cæteris etiam unitis dignius; legimus enim Marc vlt. vers. 7. Angelum dixisse mulieribus ad Christi monumentum obstupescentibus, *Sed ite, dicite discipulis ejus & Petro* quamvis Petrus esset unus ex discipulis Domini, quibus nuncianda erat Christi resurrectio; quià Petrus erat princeps discipulorum & suprà discipulos, & òb hanc causam, Angelus eum distinctè nominavit, nedùm ut discipulus Christi agnosceretur, sed etiàm ut caput discipulorum etiam adunatorum pro expectanda Domini resurrectione: ergò Papa est suprà Concilium generale; licèt sit membrum Concilij: quià semper retinet dignitatem capitis, de cujus natura est cæteris membris præesse, aut supèr omnia membra esse.

III. Quilibet pastor est suprà gregem, aut oves. Et Episcopus est suprà Synodum diœcesanam, sed Papa est pastor gregis

Christi

Christi, ut probat illud Joan. ult. *Petre pasce oves meas.* Est etiàm Episcopus universalis, nòn quòd sit solus Episcopus in Ecclesia: cū Christus elegerit duodecim, quos Apostolos nominavit; ut habetur ex Luc. 6. vers. 13. sed quià influit in omnes Episcopos, & habet curam generalem totius Ecclesiæ, propria aliorum Episcoporum munia non excludentem: ergò est suprà oves Christi(inter quas sunt Episcopi, etiàm adunati in Concilio) & suprà Synodum suam: ad quam convenire debent omnes Episcopi, ipso Papà mandante, aut Synodum generalem convocante; sicùt Episcopus est suprà Synodum diœcesanam. Nèc potest assignari aliqua disparitatis ratio; nam summus Pontifex convocat Concilium generale, sicut Episcopus diœcesanum, & Episcopi tenentur in illud convenire, sicut Parochi in istud.

IV. Servorum Dei Canonizatio ad solum summum Pontificem spectat can. *majores* de baptis. quippecùm canonizatio sit publicum Ecclesiæ testimonium de vera alicujus defuncti sanctitate; ac simùl sententia, quâ ei decernuntur honores sanctis cum Deo regnantibus debiti; ille solus, cui Christus tradidit claves Regni Cœlorum, potest tale judicium proferre can. *cum eo* de reliq. & venerat. sanct. Nèc potest summus Pontifex hanc Canonizandi potestatem concedere alteri, scilicèt legato à latere, vel Episcopo. Quia non potest delegare alteri potestatem definiendi res fidei, ut docent plures Canonistæ, quos citat & sequitur Barbosa in can. *audivimus* de reliq. num. 7. Ubi addit, Concilium universale non posse per se solum Sanctos Canonizare, nisi interveniente Romani Pontificis authoritate; cùm Christus soli Petro dixerit *Oravi pro te Petre, né deficiat fides tua.* Quæ quidem fidei infallibilitas transfertur ad omnes Petri successores ex Cathedra loquentes. Hinc est, quòd Papa nequit errare in Canonizatione Sanctorum, quia honor, quem Sanctis post Canonizationem reddimus, est quædam professio fidei, cui non potest subesse falsum. Ita D. Thomas, D. Antoninus & alij apud Bassæum verbo *Papa* num. 9. Nec valet objicere illud vulgare dictum, quod tribui solet D. Augustino *Multa corpora venerantur in terris, quorum animæ torquentur in infernis.* Quia D. Augustinus non loquitur de corporibus & reliquiis Sanctorum, quos Ecclesia universalis colit, & orat; sed de corporibus, quæ sæpè venerantur populi sine authoritate sedis Apostolicæ.

V. Omnes Doctores conveniunt, Episcopum non posse independentèr à Papa proprium Episcopatum deserere, & alium vacantem suscipere. Sèd non conveniunt, an Papa possit cogere Episcopum sub pœna inobedientiæ, ut ad alium Episcopatum se transferat, relicto priori? Plures enim id negant, quià (inquiunt) vinculum, quo Episcopus ligatur Ecclesiæ suæ, est indissolubile jure divino, & naturali, & consequentèr nequit à Papa dissolvi. Est velùt matrimonium consummatum absqué ullo impedimento, quod est indissolubile juxtà illud Math. 19. vers. 6. *Itaqué jam non sunt duo, sed una caro; quod Deus conjunxit, homo non separet.* Attamèn sententia opposita, quæ affirmat, videtur mihi probabilior. Tùm quià ratio allata non convincit, cum oppositum habeamus in can. *inter corporalia* de transl. Episco. paritèr & in glossa verbo *fortius* ubi legimus: *Spirituale verò conjugium in multis dissolvitur casibus, translatione, renunciatione, & depositione, authoritate Papæ.* Tùm quià si vinculum esset indissolubile, etiàm à summo Pontifice, ut volunt adversarij, sequeretur, quòd nullus Episcopus posset ad alium Episcopatum transferri, etiam ipso volente, & Papâ consentiente; cùm Papa & Episcopus non sint suprà jus divinum, & naturale: sed hoc est falsum, & contrà praxim Ecclesiæ, quæ transfert Episcopos de uno Episcopatu ad alium juxtà exigentiam temporis, & necessitatem Ecclesiarum. Tum quià Papa habet à Christo curam totius Ecclesiæ, & jus assignandi gregibus Pastorem; ideóque dùm videt Episcopum unius Ecclesiæ aptiorem esse pro alia, quæ absolutè tanto indiget pastore pro animarum salute, & utilitate Ecclesiæ, potest illum mutare, & Episcopum in alio Episcopatu instituere, qui si acceptare recuset, potest eum cogere; cùm quilibet Episcopus teneatur obedire sedi Apostolicæ, præsertim in his, quæ ad pastoris officium, & animarum salutem spectant can. *nulli fas est* dist. 19. Hanc opinionem tenent Lezana, Abbas, Ledesma & alij apud Barbosam in cap. *inter corporalia* de translat. Epis. Idem in votor. decis. voto 128. Episcopus electus, & confirmatus non potest sine licentia Papæ renunciare Episcopatui, quàmvis nondùm consecratus fuerit. Ita plures Canonistæ in Can.

inter corporalia.

VI. Solius Summi Pontificis est Ecclesiam Cathedralem instituere, & mutare can. *cum inferior* de majorit. & obedient. Ita omnes Canonistæ; inter quos difficultas est, an solus Papa possit Ecclesiam parochialem erigere in collegiatam? Cabassutius lib. 2. cap. 11. num. 14. negat: vult enim id fieri posse authoritate Episcopi, cum consensu Rectoris ex can. *Si Episcopus* 12. quæst. 2. Rebufus & alij, quos refert & sequitur Barbosa in can. *novit ille* ne sede vacante num. 2. affirmant; huic posteriori sententiæ lubens subscribo: quia pro ipsa stat praxis.

VII. Quamvis potestas reservandi casûs in Summo Pontifice primariò ac plenè resideat, & de facto sibi nonnulla reservet peccata, nequit tamèn licitè sibi reservare omnia peccata mortalia; indè namque maximum eveniret damnum spirituale, nimiròm impossibilitas confitendi peccata. Dixi *licitè.* Quia controversia est inter Doctores; an si ea sibi reservaret, validà esset reservatio? Plures affirmant apud Dianam part. 8. tract. 1. resol. 54. Ab hac opinione tamèn recedo ob rationem jam allatam de impossibilitate confitendi peccata: certum enim est quòd summus Pontifex non potest per se omnes confessiones audire, nec possunt omnes fideles ad ipsum simúl conjunctìm, nèc divisim recurrere; ideóque hæc reservatio generalis omnium peccatorum esset invalida; cùm esset in destructionem sacramenti Pœnitentiæ, instituti à Christo in remissionem peccatorum. Deindè reservatio casûs non potest validè fieri sine rationabili causa; ut testantur Finellus; Peirinis & Lezana verbo *casus* num. 16. in fine: sed nulla potest esse rationabilis causa, ut Papa debeat sibi reservare omnia, & singula peccata mortalia: ergò invalida foret talis reservatio generalis. Nec valet dicere cum adversariis; quòd jurisdictio omnium inferiorum in foro sacramentali dependet à Summo Pontifice: quià licèt hoc verum sit; tamèn indè non sequitur, quòd eam omninò suspendere possit, cùm potestas concedendi jurisdictionem absolvendi à peccatis, sit in ædificationem atque actus pastoralis officij; & potestas suspendendi illam sit in destructionem. Minùs valet dicere, quòd de facto sibi reservat licitè, ac validè nonnulla peccata. Quià hæc reservatio aliquorum peccatorum tendit ad bonum Ecclesiæ, & animarum salutem. Quód dici non potest de reservatione generali omnium peccatorum mortaliûm.

VIII. Peccata venialia non possunt jussu summi Pontificis effici materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ; quamvis sint materia libera ejusdem: Christus enim ut Sacramentorum authòr, instituit eorumdem materiam, quæ cùm in Sacramento Pœnitentiæ sit peccatum mortale à Deo avertens; materia libera, qualis est peccatum veniale, nequit jure Ecclesiastico fieri materia necessaria.

IX. Quamvis summus Pontifex non debeat ardua explicare negotia sine concilio fratrum seu Cardinalium can. *fundamenta* §. *decet* de elect. in 6. Potest nihilominùs ex can. *rogamus* 24. q. 1. validè decernere, ac definire extrà Concilium Episcoporum, & Cardinalium ea, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores; ipse enim est, qui jure divino pascit oves Christi, & consequentèr ipse solus potest decernere credenda, & proponere facienda pro consecutione vitæ æternæ, ac regimine gregis Christiani. Nec nocet allata constitutio *fundamenta.* Quià non declarat assistentiam Cardinalium esse necessariam: ut constat ex proprio textu; sed solùm esse consentaneam.

X quoàd articulos fidei, certum est, quòd Papa sive solus, sive cum Concilio Episcoporum non potest novum articulum condere de rebus non revelatis Apostolis, nec in scriptura contentis, nec ex traditione notis. Quià Apostoli, quorum sonus exivit in omnem terram pro fide manifestanda, in die Pentecostes plenam acceperunt à Spiritu Sancto scientiam de articulis fidei: ut ipsis promiserat Christus Jaon. cap. 15. vers. 26. *Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et cap. 16. *ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Deindè Christus revelavit Apostolis omnia mysteria fidei juxtà illud Joan. 15. *Jám non dicam vos servos, sed amicos: quià quæcumqué audivi à patre meo, nota feci vobis.* Undè cùm notitia de rebus cœlestibus non sit major in summo Pontifice, quàm fuerat in Petro, qui fuit Vicarius Christi, & unà cùm aliis Apostolis Symbolum fidei condidit, asserendum est summum Pontificem non posse condere articulum fidei, licèt possit sancire aliquid esse de fide, quod antea non erat decisum, modò à revelatione

Apoſtolis facta, vel à traditione approbata, vel ab interpretatione ſcripturarum pendeat. Quià hoc non eſt propriè novum articulum fidei ſtatuere, ſed ſolùm lumine Spiritûs Sancti aperire, quod clauſum erat, & cognoſcere quod latebat; aliàs ſequeretur, quòd fides ſummi Pontificis eſſet extenſivè major, & fides noſtra major fide Apoſtolorum, quod eſt falſum. 2°. aſſerendum eſt ſummum Pontificem non poſſe decreta patrum ad fidem pertinentia deſtruere, nec moderari, aut retractare decreta prædeceſſorum, quæ ſunt fidei can. *contra ſtatuta* 25. quæſt. 1.

XI. Diſputatur, an Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem? Victoria, Vaſques, Bonacina, & alij affirmant. Ex adverſo Cajetanus, Mendoza, Azorius & alij, quos refert & ſequitur Barboſa in cap. *licèt de vitanda* de elect. n. 10. negant. Hæc poſterior opinio videtur mihi probabilior. Legimus enim apud Lauream in epito. can. verbo *Papa circa ſucceſſ.* Bonifacium 1. qui elegerat in ſucceſſorem Vigilium Diaconum, decretũ de tali electione, ſuâ ſubſcriptione munitum incendio conſumpſiſſe coràm omni Clero, & ſe reum declaraſſe ob hanc ſucceſſoris electionem; quod certò non feciſſet, ſi habuiſſet jus eligendi ſucceſſorem: quià Vigilius Diaconus fuiſſet verus Papa. Aliud exemplum adminiſtrat gloſſa in cap. *ſi Petrus* quæſt. 1. verbo *aut ligandi*: ubi legitur, *videns autèm Clemens quòd hoc eſſet pernicioſum exemplo, quòd aliquis ſibi eligeret ſucceſſorem, renunciavit papatui; & tùnc electus fuit Linus* &c. Indè patet ſummum Pontificem non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem in vita: nam ſi Clemens fuiſſet ex vi hujus electionis, aut nominationis à Petro factæ, verus Papa abſquè ulla alia electione, non renunciaſſet Papatui; vel etiam renunciaſſet, quandò poſteà electus fuit poſt mortem Cleri. Igitur probabilius eſt, Papam non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem. Adverſariorum ratio eſt. Quia poteſt conſtitutionem facere ſuper electionem ſucceſſoris ſui, & conſequentèr electionem ſibi reſervare. Sèd non convincit hæc ratio. Quià hæc conſtitutio Pontificia eſſet in modo eligendi, non verò in ſubſtantia electionis, quæ licèt non exigat fieri tali vel tali modo, tamèn exigit fieri à pluribus, ut ſuadet praxis Eccleſiæ. Tandem repugnat naturaliter fieri à prædeceſſore, ſeu à Papa: nam ſi Papa poſſet ſibi eligere ſucceſſorem, hæc electio fieret ante renunciationem, ſeu antequàm renunciaret Papatui, vel poſt. Si antè, ſequeretur quòd eſſent duo, nimirum Papa eligens, qui nondùm renunciaſſet Papatui, & Papa electus, qui verè eſſet Papa, ſi electio illa eſſet valida: ſed hoc eſt impoſſibile, quià non poteſt eſſe niſi unus Papa. Si poſt renunciationem, electio eſſet nulla, quia eligens non eſſet ampliùs Papa; cùm renunciaſſet Papatui can. *quoniam* de renun. in 6. & conſequentèr ex [illegible]ura hujus electionis, Papa non poteſt [illegible]ere jus eligendi ſibi ſucceſſorem. His addo, quòd qui tractat electionẽ ſucceſſoris Papæ, eo vivente, vel promittit ſuffragium, vel procurat, excommunicatur, & gradu ſuo privatur can. *ſi quis Papâ ſuperſtite* diſt. 79.

XII. Quàmvis Cardinales habeant jus eligendi ſummum Pontificem can. *in nomine.* diſt. 23; non poſſunt tamen creare Cardinales, etiàm quando ſunt in Conclavi pro eligendo ſummo Pontifice. Quià Cardinalatus eſt de collatione Epiſcopi Romani, non verò de collatione Sacri collegij; nec hoc implicat: videmus enim quòd Capitulum creat Epiſcopum, inquit gloſſa in Clement. *Ne Romani* de elect. verbo *poteſtatis*; tamèn non confert Beneficia ad collationem illius ſpectantia. Ut quis eligatur in Papam, non eſt neceſſe, quòd omnium vota habeat, nec ſufficit ei votorum medietas, nec quilibet ejuſdem medietatis exceſſus; ſed requiritur, ut à duabus partibus Cardinaliũ electioni præſentium eligatur. Ita ſtatuit Alexander III. in Concilio Lateranenſi. At ſi nulla eſſet Pontificia conſtitutio de electione ſummi Pontificis per Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales habenda; aut ſi nullus eorum ſupereſſet in mundo tempore electionis, jus eligendi Papam non eſſet devolvendum ad ſolum Clerum Romanum, ut exiſtimant nonnulli cum Sylveſtro, nec ad Epiſcopos vicinos, qui Urbi ſubſunt, & ipſum Clerum Romanum conjunctìm, ut docet Bellarminus, ſed ad omnes Epiſcopos Eccleſiæ. Ita Cajetanus, Victoria & alij: tùm quià non eſſet major authoritas ſpiritualis in mundo, nec eſſet altera authoritati Apoſtolorum ſuccedens. Tùm quià in electione ſummi Pontificis Cardinales ſunt procuratores omnium Eccleſiarum, quarum Paſtores ſunt Epiſcopi. Undè deficientibus procuratoribus, convenientius foret, jus eligendi ſummum Pontificem reſidere in Epiſcopis. Plura alia dici

possunt de summo Pontifice, sed ea hîc omittere necesse est, quià alibi ad ea tractanda, & resolvenda nos coget necessitas materiæ.

CAPUT XVIII.

De summorum Pontificum rescriptis.

I. CAnonista solitò dividit litteras, quæ in curia Romana per Papam, aut ipsius officiales expediuntur, scilicèt Apostolicas, in privilegia, mandata, & rescripta, quæ juxtà diversitatem formarum, in expeditione adhibitarum, varia suscipiunt nomina; videlicèt Signaturæ, Brevis, vel Bullæ. Signatura Apostolica scribitur in Papyro sine sigillo, & plurimùm in libello supplici; sic expeditur *fiat ut petitur*: quià signaturæ Apostolicæ solitò conceduntur supplicanti, aut humiliter petenti aliquod Beneficium, vel absolutionem, aut dispensationem, aut rehabilitationem. Breve Apostolicum scribitur indiferenter in Papyro, vel in membrana, sed sæpiùs in membrana cerâ rubeâ, aut viridi, Annuloque Piscatoris Sigillatâ, atque munitâ Secretarij subscriptione. Bulla autèm describitur tantùm in membrana sigillata sigillo plumbeo, Petri & Pauli Apostolorum effigiem continente: est semper prolixior quàm Breve. Quia continet præfationem, & clausulas, quæ in Brevi Apostolico non apponuntur. Quià est scriptura modica in parvis concessa negotiis, ut notat Rebuffus. Et Bulla est scriptura, quæ pro rebus gravioribus conceditur, quæ si expediatur in materia gratiæ, seu ex clementia, & liberalitate, sigillum appenditur è filis sericis; si verò expediatur in materia justitiæ, appenditur plumbum filis Cannabis.

II. Privilegium Apostolicum seu à Papa concessum est strictè interpretandum: quià est quàsi lex privata, quâ aliquis à generali lege eximitur, & in ipsa dispensatur; Quod est aliis lege ligatis odiosum, & consequenter strictè interpretandum. Moneo tamèn cum Sylvestro, Navarro, Azorio & aliis, non esse ità strictè interpretandum, ut nihil operetur, & ad nihilum reducatur solâ interpretantis authoritate; sed ita debet intelligi, ut potius valeat, quàm pereat. Quià voluntas Legislatoris, aut principis sive Ecclesiastici, sive sæcularis numquam frustrari debet, nec reddi inefficax can. *in his* de privileg. & excess. privileg. nisi proximo damnum inferat; nam privilegium quod post factum est nocivum, revocatur can. *suggestum* de decim. nè impetranti occasionem peccandi, aut scandali præbeat: quia præsumendum est Papam non concedere privilegium, charitati, & morum honestati contrarium in favorem singularis personæ can. *cum dilectio* de consang. & affin. Ubi Cœlestinus III. ait *in hac parte consultiùs duximus multitudini & observata consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem & scandalum populi statuendum, quâdam adhibitâ novitate.*

III. Istud privilegium non cessat morte summi Pontificis, nisi restringatur aliquâ particulâ: v. g. istâ *usquè ad beneplacitum nostrum*; aut *quamdiù vixero*, aut *ad arbitrium voluntatis nostra*: quià vita & beneplacitum desinunt morte concedentis. Per istam autem particulam, *donec revocavero*, non desinit, nec cessat, morte concedentis adveniente: cùm non revocaverit. Quià revocatio est actus positivus, qui non efficitur per mortem concedentis, per quam cessant ejusdem vita, & beneplacitum. Privilegia non revocantur absolutè per hanc clausulam, *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, sæpè in rescriptis contentam; sed solùm ea, quæ sunt incompatibilia cum fine rescripti. Nec per istam, *nonobstante quâcunque consuetudine*, revocatur consuetudo immemorabilis, quæ cum habeat vim legis, subsistit donèc nominatim & expressè revocetur, ut declaravit Sacra Congregatio anno 1575. teste Gonzales.

IV. Mandatum Apostolicum est rescriptum, quo Papa mandat Ordinario, ut certæ alicui personæ provideat de beneficio can. *littera Apostolica* & can. *abbatem* de rescript.; debet etiàm strictè interpretari, quià habetur pro odioso, cùm canonicam Ordinarij potestatè restringat, & juri communi opponatur. Et si revocetur re adhùc integrâ, expirat statim ac notificatur revocatio can. *mandatum* de procurat. & can. *quamvis* eod. tit. in 6. Idem dicendum est de delegata potestate pro electionibus celebrandis, rebus judicandis, & similibus: in quibus, Prælatis inferioribus sive sæcularibus, sive regularibus conce-

ditur aliqua jurisdictio. Dixi *re adhùc integrâ*. Quià si res fuerit incepta, seu si mandatarius ad beneficium præsentatus fuerit; si delegatus ad electionum convocationem processerit, vel processum pro judicio instruxerit, mandatum non expirat can. *gratum* de off. & potest. jud. delegat. Quià per rei inceptionem jurisdictio perpetuatur usqué in finem: quamvis mandatum, regulariter loquendo, finiatur morte mandantis, si res sit adhuc integra. Sunt tamèn aliqui casus, in quibus non expirat. Primus est, si mandatum sit in gratiam mandatarij, & gratia non sit facienda, sed facta: ut v.g. dum est de tali vel tali beneficio vacante. Secundus, quandò mandatum est per modum rei necessariæ, quæ necessariò concedi debet: v.g. si sit de tali vel tali sepultura danda. Tertius, si mandatum datum fuerit ratione officij, vel dignitatis mandantis: quia dignitas non extinguitur, sed persona, ideóque istâ decedente, mandatum durat; ut notant Azorius, & Lezana. Quartus est, quandò mandatum est ad piam causam intuitu ipsius. Quia præsumendum est, quòd sic voluit mandans. Ita Barbosa, Lessius & alij, quos refert & sequitur Lezana verbo *mandatum* num. 11. Disputant Canonistæ, an si istud mandatum præsentaretur Vicario Generali, absente Episcopo, seù Ordinario, ipse Vicarius Generalis possit mandatum acceptare, & beneficium conferre? Affirmo cum Cabassutio lib. 1. cap. 13. num. 7. Quia ista collatio non est libera, sed necessaria ex vi mandati Apostolici, estque in materia jurisdictionis, & consequentèr ad ipsam collationem se extendit Vicarij Generalis potestas. Dico tamèn contrà eumdem doctorem, quòd hæc ratio non valet pro Vicario Generali, Episcopo ignorante, seu præsente & inscio: quia rescriptum mandat Ordinario, cui mandatarius debet præsentare mandatum Papæ, si sit in Diœcesi, Ordinarij officium gerens, & valens mandatum Apostolicum exequi; cùm tùnc non adsit necessitas, quæ adest in absentia Episcopi.

V. Rescripto Latinitatis falsitatem continenti nulla est adhibenda fides can. *Ad audientiam* de rescript. Talis siquidem defectus in constructione est vitiosus; quàpropter in veris rescriptis minimè reperiri potest: quià rescriptum Apostolicum sempèr cum consilij moderatione concipitur, & cum patientiæ maturitate decoquitur, inquit glossa in can. *Apostolica* 35. q. 9. Nec rescriptis subreptitiè impetratis debet adhiberi fides. Quia suppressio veri, quæ subreptio dicitur, invalidum reddit rescriptum; sicùt expressio falsi, quæ obreptio dici solet, can. *dicenti* 25. quæst. 2. etiamsi subreptio, aut obreptio per ignorantiam, aut bonam fidem contingat: quippecùm summus Pontifex non sit decipiendus, nec decipi velit, litteras subreptitiè, aut obreptitiè obtentas annullat, & irritat tamquàm involuntariè concessas propter errorem Can. *Quod super his* de fid. instrum. Nèc valet dicere, quòd ignorantia, & bona fides solitò excusant in peccato, & consequentèr etiàm in rescriptis Apostolicis: quià non currit paritas; nam ignorantia, & bona fides excusant in pœnis tantùm: idest ignorantèr, & bonâ fide agens, non est dignus pœnâ; sed non validant actum: ita ut id, quod à principe sic obtinetur, debeat esse validum: quia hoc est contrà voluntatem principis, absqué ulla subreptione, aut obreptione litteras concedere intendentis. Hìnc est quòd litteras Apostolicas subreptitiè, aut obreptitiè impetrans, peccat mortaliter, nisi ignorantiâ excusetur. Quia in re gravi decipit concedentem. Ita omnes Canonistæ: inter quos est difficultas solùm, an incurrat pœnas, quas incurrunt illi, qui falsis utuntur rescriptis? Suarez & Lezana affirmant. Altera opinio videtur mihi probabilior. Quia rescripta subreptitia, aut obreptitia non sunt propriè falsa, cum juxtà communiorem sententiam litteræ falsæ sint illæ, quæ à Papa nunquàm concessæ fuerunt, seu quæ sunt penitùs supposititiæ.

VI. Verùm de rescriptis gratiæ, seu ex mera liberalitate & clementia concessis, intelligenda est præcedens assertio de nullitate rescriptorum, quæ subreptitiè, vel obreptitiè obtinentur; illa enim quæ justitiam continent, & tendunt ad litis, ac justitiæ administrationem: cujusmodi sunt judiciorum evocationes, judicum delegationes, & quæcumque rescripta pro litibus, vel instituendis, vel restituendis impetrata, non possunt præsumi falsa can. *Accedens* de crim. fal. nec sunt ipso jure irrita, ut observant plures apud Lezanam, sicut rescripta gratiæ impetrata subreptitiè, vel obreptitiè. Quià præsumendum est, quòd Summus Pontifex illa concessisset; etiamsi impetrans nullâ subreptione, aut obreptione usus fuisset; cùm impetranti nihil juris attribuant de novo, sed solùm jus an-

anteà quæsitum, vèl confirment, vèl de illo cognosci jubeant. Possunt nihilominùs irritari à parte seu adversario contrà quem obtenta fuere. Quià unicuiquè licet adversarij sui vim vi repellere apud delegatum judicem subreptitiè, aut obreptitiè impetratum; qui debet se à judicio abstinere, si apud se judicet in conscientia, quòd absquè interventu subreptionis, aut obreptionis Papa non concessisset rescriptum: nam mendax precator carere debet impetratis can. *Super litteris* de rescript. ubi Innocentius III. ait *Ubi delegans litteras denegaret, delegatus etiam sua cognitionis officium nullatenùs interponat*; sed si ipse delegatus judicet, quòd impetrans obtinuisset rescriptum, etiam seclusà subreptione, aut obreptione, non obstante instantià partis, debet procedere. Quià eadem constitutio ait, *Nisi partibus ad suam præsentiam convocatis de precum qualitate ita cognoscat*, idèst delegatus, *ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum.*

VII. Circà unum & idem negotium sæpè duo obtinentur rescripta; at si posterius nullam mentionem facit de priori, invalidum est, & prius in suo robore existit, & judices in decisione causæ procedere possunt, cùm posterius pro subreptitio habeatur can. *Cæterum* de rescrip. quia tacità veritate censetur impetratum. Si tamen contingeret, prius rescriptum malitià, aut negligentià impetrantis non fuisse executioni demandatum intrà annum, posterius est validum ut habetur in can. *plerumque* quamvis nullam mentionem faciat de priori. Quia malitiæ hominum non est indulgendum. At si in posteriori sit mentio de priori, posterius valet can. *inter monasterium* de sent.& re jud. quamvis prius impetratum fuerit de consensu partium. Etenim talis consensus non ligat concedentem, nec ejus jurisdictionem minuit.

VIII. Rescriptum expeditum cùm errore circà delegatum, est nullum: ut colligitur ex can. *Significasti* de rescripr. Ita Fuliensis contra Dianam. Certum enim est, quòd si Papa delegaret Episcopum Massiliensem v g. ipsique committeret rescriptum tanquam Ordinario, ut dispensaret in aliquo impedimento matrimonij Diœcesanum Arelatensem, qui impetrando mandatum finxit se esse Diœcesis Massiliensis, cùm esset Arelatensis, rescriptum esset invalidum, nec posset ab Episcopo Massiliensi executioni mandari. Quia non esset Ordinarius hominis dispensandi, nec dispensatio esset juxtà intentionem Summi Pontificis delegantis: ergò error delegati, seu personæ, cui committitur rescriptum, irritat illud. Sicùt illud pariter irritat error circà personam pro qua dispensatio petitur, & rescriptum conceditur: quià non est juxtà intentionem Papæ, qui talem, & non aliam voluit dispensare personam, & tali, & non alteri voluit committere potestatem.

IX. Quamvis in rescripto apponatur hæc clausula, *recusatione remota*, nihilominùs judex delegatus potest ex legitima causa recusari, modò hæc recusationis causa coràm arbitris probata maneat can. *Cum speciali* de appellat. Delegans enim præsumit judicem, quem delegat, non esse suspectum; sed solùm intendit recusationes leves removere: ideóque dum delegatus est verè suspectus, delegans recusationem approbat non obstante clausulà. Quando in rescriptis apponitur hæc clausula, *Sola veritate facti inspecta*. delegatus non potest ex vi rescripti cognoscere de annexis, nec de connexis. Quià de ipsis peculiare potest haberi judicium, suntque extrà veritatem, & notitiam facti pro quo concessum fuit rescriptum. Nèc potest accidentales solemnitates juris observare; cùm ad veritatem facti non conducant.

X. In Bullis Pontificiis pro Jubilæo concessis, aut pro absolutione obtinenda, solitò ponitur hæc clausula *satisfacta parte*, de qua disputant Canonistæ; an sit ita intelligenda, ut confessarius non possit absolvere pœnitentem, nisi priùs satisfecerit, quamvis ipse pœnitens omni ex parte sit impotens? Aliqui affirmant, alij negant. Quià Papa non intendit privare impotentes beneficio absolutionis. Hæc posterior sententia videtur mihi probabilior. Quia clausula non obligat de impossibilitate; nec intendit despicere cor contritum, & humiliatum; cùm Deus non despiciat illud teste Prophetà psal. 50. Unde si pœnitens sit verè ita impotens, ùt nullum possit adinvenire medium satisfaciendi, aut restituendi, & aliundè sit verè dispositus, & habeat sinceram voluntatem satisfaciendi, cùm poterit, est absolvendus: nam impotentia excusat à peccato & à præcepti observantia; & consequentèr excusat etiàm ab obligatione restituendi. Adversariorum ratio desumitur ex hac 4. regula juris in 6. *Peccatum non remittitur nisi restituatur abla-*

tum. Sed non nocet hæc ratio. Quia glossa verbo *utrùm* intelligit hanc regulam de substractore, qui habet facultatem restituendi, non autem de eo qui est verè inops: huic enim peccatum remittitur juxtà glossam, modo semper retineat propositum restituendi cùm pervenerit ad pinguiorem fortunam, vel habuerit undè per se, vel per alium satisfacere poterit.

XI. Disputant adhùc, an absolutio esset valida, si Confessarius absolveret pœnitentem divitem, non satisfactâ parte, præpositâ solùm promissione satisfaciendi? Lezana, & alij affirmant. Eorum ratio est. Quia Papa per illam clausulam non limitat Confessarij authoritatem, sed solùm illum admonet de obligatione, quam habet jure communi; & indè concludunt, quòd Confessarius peccaret, sed validè absolveret. Hanc sententiam prorsùs rejicio. Quia clausula nihil operaretur, quamvis nullum existeret impedimentum, nullamque adderet restrictionem, quod est falsum: cum clausula quælibet vigorem rescripti ampliet, vel restringat, & jus commune obligationem restituendi præcicipiat. Unde ad rationem adversariorum dico, quòd summus Pontifex per hanc clausulam *satisfactâ parte* non solùm intendit admonere Confessarios de obligatione juris: quia supponit omnes noscere illud; sed vult etiam in Jubilæo absolutionem non esse aliter largiendam, casu quo pœnitens possit satisfacere; & consequenter limitat Confessarij authoritatem: quia clausula est conditionaliter restrictiva authoritatis, & absolutionem suspendit; donec ponatur conditio, nimirum partis satisfactio, si poni possit.

XII. In generalibus Constitutionibus, aut rescriptis à summis Pontificibus editis pro censuris, aliisve pœnis Ecclesiasticis infligendis, non comprehenduntur Cardinales, nisi exprimantur. Quia sunt personæ speciali notâ dignæ, quæ non possunt in odiosis censeri comprehensæ, nisi expressè notificentur, ut docet communior opinio contrà Paulum de Castro, & Ugolinum. Nec in rescripto, quo Papa mandat Ordinario, ut corrigat suæ Diœcesis Clericos, comprehenduntur Regulares aut exempti can. *grave* de off.ordin.Quia litteræ obtentæ secundùm jus commune non derogant privilegio exemptionis, ut inquit glossa.

CAPUT XIX.

De Episcoporum officio.

I. Omnia Episcoporum officia ad tria reducuntur, scilicet ad *pascere, custodire, & regere*: quorum quodlibet in tres partes distribuitur. Primum in instructionem, Sacramentorum administrationem,& in subsidium temporale, & spirituale, quibus perficitur. Secundum etiam tres sibi assumit partes, quæ sunt lupos arcere, errantes oves in ovile reducere, & animam pro illis ponere. Tertium verò officium quod est regere, adimpletur, dum Episcopus præsentia ovibus adest, vultum pecoris agnoscit, & delinquentes corrigit. Ita resolvit Petrus Marchant in Tribunali sacrament. tom.3. tract. 8.His suffragatur ratio. Episcopi sunt pastores, qui ex Apostolo pervigilant quasi rationem reddituri pro ovibus, quæ si pereant ex ipsorum negligentia, ad pastores ipsos imputabitur earum perditio; cùm ex can. *quamvis* ex regulis juris ex registro Gregorij Magni, & ex Trident. sess. 6. de reform. cap. 1. non possit esse pastoris excusatio: si lupus oves comedit, & pastor nescit; ideóque Episcopus tenetur pascere oves, eas custodire, & regere, nè pereant. *Nonnè greges à Pastoribus pascuntur?* D. Bonaventura de cœlest. Hiera. p. 2.cap. 1. monet Episcopos esse in Ecclesia Dei, sicut Dominationes, & Angelos superiores in Cœlo, dominantes scilicet, purgantes, illuminantes, & inflammantes inferiores. Et Apostolus vocat eos Angelos, ut cognoscant, quòd debent in puritate vitæ & morum, subditos superare can. *nec sufficere* 8. quæst. 1. eosdemque subditos corrigere, & ad bonum reducere verbo, & exemplo.

II. Ex obligatione pascendi tenentur per se, vel per alios, fideles instruere in fide, unumquemque eorum secundùm vocationem suam, aut idoneitatem; quod enim uni prodest, sæpè alteri non prodest: ex quo sequitur, quod non sufficit eis providere, ut fiant conciones, & catechismi in qualibet Parochia Diœcesis, sed etiam curare debent, ut fiant tali modo, ut fideles instruantur de facto,aut saltem instrui possint, si velint in his, quæ ad salutem sunt neces-

saria; ut colligitur ex trid. Sess. 5. de reform. cap. 2. & sess. 24. de reform. cap. 4. Quia instructio Christianorum à modo & methodo prædicandi, & cathechizandi plurimùm dependet. Id verum esse probat praxis Apostolorum, qui loquebantur variis linguis Deo sic spirante. Quia erant omnium hominum Pastores, & scimus ipsos docuisse omnes nationes, nedum quia in omnem terram exivit sonus eorum, sed etiam quia omnes gentes audierunt eos loquentes magnalia Dei. Ex eodem pascendi officio tenentur Scholarum institutionem procurare, ut parvuli erudiantur. Ita decrevit Concilium Cabilon. 3. cap. 8.

III. Ad ipsos Episcopos primarió, & per se spectat Sacramentorum administratio: Christus enim nedum dixit Apostolis (quorum successores sunt Episcopi) *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ*; sed etiam *baptisantes &c.* Sed quia nequeunt omnia Sacramenta ministrare, debent alios Ministros instituere dignos, qui ea dignè & debitè administrent, maximè necessaria: qualia sunt Baptismus, & Pœnitentia; ad quorum administrationem non possunt sine peccato gravi deputare ineptos. Quare debent per se, vel per alios examinare confessarios, de quorum scientia nullam notitiam habent; pariter & obstetrices, quibus licet in necessitate pueros baptisare, nè ex ignorantiâ peccent in prolatione verborum, ex cujus defectu Baptismus esset invalidus. Præter instructionem, & Sacramentorum administrationem, quæ extrinsecùs sunt; sollicitudo Ecclesiarum, de quâ loquitur Apostolus 2. Corinth. cap. 11. vers. 28. incumbit Episcopis afflictos consolari, & infirmis solatium afferre can. *Studendum* dist. 90. quo obligantur ad pacem inter populos procurandam, & tuendam can. *Præcipimus.*

IV. Non solùm in bono spirituali consistit officium pascendi, sed etiam in temporali subsidio: etenim tenentur Episcopi curam habere; ut pauperibus, qui sufficientem sustentationem habere non possunt, juxta præsentem possibilitatem provideatur, sive id fiat per Magistratus, & communes eleemosinas civium, sive ex bonis beneficiorum pauperibus assignatis Can. *Episcopus* dist. 82. ut in extrema necessitate constituti subsistant. In hoc fundari potest jus visitandi Hospitalia, quod eis concessit Tridentinum sess. 22. cap. 8. de reform. ut videant, an debitè & charitativè administrentur eleemosinæ. Quia Episcopus in propria Diœcesi est ille fidelis servus, & prudens, quem constituit Deus super familiam suam, ut det illi cibum in tempore.

V. Secundum Episcoporum officium est, oves custodire contra lupos, qui sunt diabolus tentans, hæreticus grassans, & tyrannus persequens. Contra diabolum providere debent; nè vitia præsertim publica regnent, & ne privata se ingerant in scandalum, & destructionem populi. Contra Hæreticum debent instruere populum; nè hæresi ob ignorantiam facilè adhæreat, Hæreticorũ conventicula dissipare, & hæresum fautores propulsare. Contra tirannum debent oves suas consilio, consolatiône, piis operibus, & orationibus conservare. Quantùm ad oves errantes tenentur eas requirere omni sollicitudine rationali, labore scilicet, industriâ, patientiâ, & ministerio virorum Apostolicorum; si per seipsos sufficere non valeant, ut educant eas de populis, & congregent eas de terris, & inducant eas in terram suam, & pascant eas in montibus Israël, ut dixit Dominus Ezech. 34. Nec possunt se in hoc dispensare, ut declarat can. *Inter cætera* de off. jud. ord. §. *unde* ubi legitur *præcipimus tam in Cathedralibus quam in aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores, & cooperatores habere, non solùm in prædicationis officio, verumetiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc adimplere neglexerit, districtæ subjaceat ultioni.* Quibus verbis constat Episcopos, qui per se ipsos non possunt ministrare verbum Dei omni populo, teneri assumere viros, qui suppleant.

VI. Certum est, quòd Episcopus non tenetur animam suam ponere, seu morti se exponere pro singulis ovibus; itaut debeat mori pro una, cùm totum sit parti præferendum, & bonum commune bono particulari. Tamen dum plures periclitantur, si cæteræ sint securæ, debet se exponere, si ejus vita ad periclitantium salutem sit necessaria, ut probat illud Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Undè dum prævidet ex absentia sua ruinam animarum infallibiliter secuturam tempore hereticæ persecutionis, belli infidelium &c. non potest fugere: Solus quidem mercenarius, & qui non est Pastor, fugit

fugit, & dimittit oves, dum videt lupum venientem. Dixi *infallibiliter*, quia si tunc de sufficientibus Ministris provisum fuerit pro administratione eorum, quæ necessaria sunt ad salutem animarum, potest fugere; Ita Clavasius verbo *Episcopus* modò ex fuga Episcopi, oves scandalum non patiantur, & ipse Episcopus sit certus de sollicitudine, ac curâ Ministrorum; cùm de officio Episcopi non sit per se personaliter necessaria ovibus ministrare, sed per se, vel per Ministros.

VII. Ultimum Episcopórum officium, quod est regere, habetur in Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. Ubi legitur: *Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur; ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate pascant & regant*: Quod certè eos obligat ad residentiam, ad oves cognoscendas, & ad delinquentium correctionem, can. *nonnulli* can. *Cùm sitis ad hoc* de Cleri. non resid. quibus obligantur nedum Episcopi, sed etiam omnes animarum curam habentes, quàmvis Regulares sint; cùm habeant curam animarum, & teneantur ad residentiam, sicut Pastores, & Prælati Sæculares; ut tradunt Diana, & Bordonus contrà Lessium. Idem Concilium declarat, Episcopos posse quot annis, sive continuè, sive interruptè tribus mensibus à suis Ecclesiis abesse, sine Superioris permissu, modò justa subsit causa; si autem velint ultrà tres menses abesse præter justam causam, requiritur consensus, qui petendus est à Papa, vel à Metropolitano, quo absente, ab antiquiore suffraganeo. Nec sufficit ipsis residere in propria Ecclesia, sed etiam tenentur compellere omnes, qui ad residentiam curâ astringuntur, aut beneficiô; Si verò aliqui sint, qui de non residendo privilegium habeant, Episcopus curet & provideat de Vicario idoneo cum congrua portione fructuum; quippe cùm habeat curam animarum suæ Diœcesis, easque pascere teneatur; justum est, ut ipse possit immediatos Curatos, ac Parochos ad residentiam compellere, ut Christi pascant oves: nam privilegia non sunt in destructionem, sed in ædificationem, & præsertim in causa residentiæ.

VIII. Obligatio visitandi oves, seu Diœcesim, quam ipsis Episcopis imponit sacra Tridentina Synodus sess. 24. de reformat. cap. 3. provenit etiam ex illo Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi.* Et ex illo proverb. 27. *vers.* 23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Quomodo enim poterit pastor vultum pecoris sui considerare, & gregi attendere, si oves non agnoscat? Et quomodo poterit oves agnoscere sinè visitatione tali, qualem præcipit Concilium Tridentinum? Unde existimo, quòd Episcopus ex vi hujus officij, quod est regere, tenetur investigare cultum, fidem, & doctrinam subditorum. 1°. Quia in his sanctificantur animæ, ad quarum salutem principaliter tendit officium Episcoporum: ut infertur ex can. *Placuit* 12. quæst. 1. et ex aliis canonibus. 2°. Quia visitatio est via ad correctionem eorum, qui visitantur, si delinquentes sint.

IX. De officio Episcoporum est, Synodum Diœcesanam quot annis convocare; ut declarat Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 2. dicens *Synodi quoque Diœcesanæ quot annis celebrentur, ad quas etiam omnes exempti, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur.* Hinc est: quòd Regulares animarum curam habentes, seu qui Parochi sunt, tenentur ad Synodum accedere, nec possunt ab Ordinario recusari, quia ad hoc astringuntur authoritate Concilij, quod est supra Episcopos. Vicarius Generalis à Capitulo Sede vacante institutus, potest Synodum Diœcesanam convocare. Quia hæc convocatio est actus Jurisdictionis, quam Vicarius Generalis habet. Eâdem potestate pollet Vicarius Generalis, etiam existente Episcopo, dummodò ab ipso mandatum acceperit; cùm sacra Tridentina Synodus non loquatur personaliter: Ità ut Episcopi debeant personaliter Synodo Diœcesanæ interesse, ut advertit declaratio ejusdem Concilij num. 12.

CAPUT XX.

De potestate Episcoporum.

I. Duæ resident in Episcopis potestates, quarum una dicitur potestas Ordinis, altera verò potestas Jurisdictionis. Prior refertur ad Sacramenta Ecclesiæ conficienda, & ministranda: posterior autem ad judicia, tam interioris, quàm exterioris fori; possunt enim in suis Diœcesibus omnia,

quæ juri divino non opponuntur, neque Papa sibi reservavit: ut ex variis textibus colligunt Canonistæ, & præsertim ex can. *nuper* de sentent. excomm. Ubi Innocentius III. ait *Quia tamen conditio Canonis ejus absolutionem specialiter non retinuit sibi, eo ipso videtur concessisse aliis facultatem relaxandi.* Potestatem Ordinis non possunt alteri concedere (nullus Vicarius Generalis, etiam mandante Episcopo, potest confirmare, Chrisma conficere, Ordines conferre) bene quidem potestatem jurisdictionis, tam voluntariam, quàm contentiosam, ut observat glossa in can. *Quanto* de consuetud. verbo *reservata.* Hanc ultimam potestatem habent Episcopi à Papa instituti, & confirmati; quàmvis nondùm consecrati: Ideóque possunt excommunicare, suspendere, interdicere, corrigere, visitare, & Jurisdictionem delegare; licèt ante consecrationem non possint exercere ea, quæ sunt potestatis Ordinis Episcopatûs: quia per solam consecrationem eam obtinere possunt; cùm Episcopatus sit Ordo â Sacerdotio distinctus, ut docet Doctor subtilis: cujus rationes adducemus, & explicabimus in proprio loco.

II. Dubitatur, an Episcopus teneatur constituere Vicarium Generalem? Panormitanus, Covaruvias, & alij affirmant Episcopum teneri adeptâ possessione Episcopatûs creare Vicarium Generalem, eique delegare potestatem Jurisdictionis, & addunt ipsum ad hoc cogi posse à Metropolitano. Ex adverso Sanchez, Diana, Barbosa, & alij negant. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior (modò difficultas sit de Episcopo præcisè, & ratione Episcopatûs: quia si necessitas id postularet, tunc teneretur, ut apertè colligitur ex can. *Quoniam* de off. jud. Ord.) Ratio est, quia cura Episcopatûs fuit absolutè commissa Episcopo, & ipse solus habet in Diœcési Episcopalem jurisdictionem, cum jure delegandi. Igitur si Episcopus sit ita idoneus, ut possit per se ipsum facere, quidquid à Vicario Generali fieri potest, certum est quòd valet sibi jurisdictionem retinere, & nullum Vicarium Generalem constituere, seu omnia per se ipsum facere: nam ex Jure tam Divino, quàm Ecclesiastico, unum ovile unum dumtaxat exigit Pastorem; nisi necessitas Coadjutores postulet. Id confirmat Innocentius III. in dicto can. *Quoniam*; ubi declarat Vicarium Generalem esse instituendum, si necessitas postulaverit; hinc est, quod si Episcopus possit per se ipsum facere ea, quæ sunt suæ Jurisdictionis, non tenetur creare Vicarium Generalem: quia tunc nulla est necessitas id postulans.

III. Nullus Episcopus potest propriâ authoritate in alio Episcopatu exercere potestatem Ordinis, absque proprij Episcopi consensu; quippecùm non possit hæc potestas alteri delegari ab ipso Episcopo, nec ab eodem in aliena Diœcesi exerceri; nec potest exercere Jurisdictionem contentiosam, benè verò voluntariã, quæ cùm non exerceatur pro tribunali, nec cum contentioso processu, Episcopus potest eam exercere extra proprium territorium; modò eam exerceat ergà subditas sibi res, aut personas: nedùm per gratiarum concessionem, scilicet per beneficij collationem, censurarum absolutionem, dispensationem, delegationem, Litterarum dimissoriarum, aut testimonialium expeditionem; sed etiã per sententias pœnales: potest enim expedire citationem, modò ad suum territorium partes trahat. Si tamen contingeret, quòd Episcopus non posset in propria Diœcesi residere, & cogeretur in vicina, aut dissita commorari, posset ibi Jurisdictionem contentiosam plenè exercere (petitâ priùs veniâ ab Episcopo Diœcesano, quàmvis non obtenta Clement. unicâ de foro competenti) sicut gratiosam.

IV. Ex justa & urgenti causa apertè nota, Episcopi possunt ex Trid. sess. 25. de reform. cap. 4. Missarum celebrandarum onera, etiam ex defunctorum fundatione constituta, reducere, & statuere quidquid magis ad Dei honorem, & cultum atque Ecclesiæ utilitatem viderint expedire. Eadem facultas conceditur etiam Abbatibus, & Generalibus Ordinum. Non desunt tamen Canonistæ existimantes, hanc facultatem fuisse abrogatam Decreto sacræ Congregationis, anno 1625. die 21. Junij, confirmato ab Urbano VIII. quo prohibentur Episcopis, & Generalibus Missarum reductiones. Sed moneo cum Petro Marchantio in Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 2. part. 2. tit. 4. quæst. 2. resol. 5. prædictum Decretum obligare tantùm intrà Italiam; cùm ibi tantùm promulgatum, & receptum fuerit: Ideóque non revocat absolutè Decretum Tridentini.

V. Possunt etiam ex rationabili causa pia defunctorum legata commutare in alium usum. Sic Silvester, Armilla, & alij; ut v. g. Si testator leget Parochiæ suæ, aut alteri Ecclesiæ etiam Regularium, pecuniam ad emendum calicem, & Ecclesia non egeat calice, sed casulis; Episcopus potest mutare legatum propriâ authoritate, & casularum emptionem decernere: licèt legatum sit determinatum; quia in hac commutatione servatur principalis testatoris intentio, quæ est salus animæ suæ, honor Dei & necessitas Ecclesiæ: servatur etiam ejus dispositio, si non explicita, saltem implicita, & interpretativa; quam Episcopus ex rationabili causa potest per Epicheiam declarare. Hanc potestatem non habent Prælati Regulares circa legata Ecclesiis Regularium facta, quâcumque causâ interveniente; sublatâ tamen justâ causâ, existimo cum Diana part. 1. tract. 27. resol. 26. solum summum Pontificem posse ea commutare in alium usum pium; etiamsi sint determinata ad certum, & nominatum usum. Ratio est, quia ultima testatoris voluntas in hac parte est servanda de Jure Ecclesiastico can. *Ultima voluntas* 13. quæst. 2. cui subjiciuntur omnes Prælati inferiores Papæ: Ergo ipse solus Papa potest absolutè legata pia in alium usum commutare, cùm sit Dominus bonorum Ecclesiæ: alij verò, seu Episcopi ea commutare possunt; dum legitima subsistit causa; ex quâ ipsis inferre licet, quód si testator eam prævidisset, mutasset legatum in alium usum necessarium, in quem Episcopus commutat illud.

VI. Quæritur an Episcopus possit sinè consensu populi dies festos instituere? Palacius, & Sanchez negant; sed opinio quæ affirmat, videtur mihi probabilior: Hæc enim institutio tendit ad salutem animarum, quarum curam habet Episcopus independenter à Populi consensu. Ita Sayrus, Villalobos tom. 2. tract. 32. diff. 1. & alij quos citat. Objiciunt adversarij indè sequi magnum gravamen. Quia in populo sunt pauperes multi, qui operibus manuum suarum vivunt; ideòque (inquiunt) ipsis inconsultis, illicitum est novos dies festos instituere; idque colligunt ex can. *Conquestus* de feriis, & ex can. *Ad prenunciandum* de consecrat. dist. 3. Respondeo sequelam esse falsam: nam Episcopus habet independenter à populi consensu potestatem excommunicandi; licèt ex ipsa potestate possit oriri gravamen, si Episcopus eâ abuteretur: ergo potest etiam instituere dies festos. Quia gravamen non est effectus potestatis Episcopalis, quæ non in destructionem, sed in ædificationem data fuit; sed est effectus abusûs potestatis, quam Episcopus non habet. Deinde si argumentum valeret, sequeretur, quòd Papa non posset dies festos instituere sinè consensu populi pro tota Ecclesia: quia indè posset etiam oriri gravamen; quod est falsum. Ad textus populum requirentes, dico quòd non sunt ita intelligendi, ut populus consentiat; nec ut cum Episcopo statuat venerandos dies, sed solùm ut ab eo audiat Episcopus, si multiplicitate festorum oneretur; ut notat Barbosa in D. can. *Conquestus* num. 25. Quare si populus rationabiliter contradicat, Episcopus non debet diem festum instituere.

VII, Quàmvis tempus ordinationis ita determinatum sit ab Ecclesia, ut Episcopus non possit extra illud sacros Ordines conferre, nisi ex dispensatione, aut rescripto Apostolico; quod vocant *extra tempora*. Potest tamen quovis tempore aliquem ordinationis defectum supplere, modò Sacramenti essentiam non concernat. Quia hoc non est propriè ad Ordines sacros promovere, sed solùm perficere, quod in Ordinatione imperfectè factum fuit, & iterare saltem sub condicione cæremoniam, aut aliquid accidentale, quod in ordinatione omissum fuerat. Ita Jacobus Grenado in 3. part. de Sacram. controvers. 9. tract. 2. disp. 3. num. 3. Nam si Episcopus ob multitudinem ordinandorum, aut alio inconvenienti, non dixisset alicui ex Ordinatis ad Presbiteratum *Accipe Spiritum Sanctum* &c. ille in sententia ferè omnium Theologorum haberet potestatem in corpus Christi naturale, non autem in mysticum: quam tamen posteà Episcopus omissionem sciens, posset illi conferre, non conferendo Ordinem, sed perficiendo, quod imperfectum fuit. Igitur Episcopus non expectato tempore ordinationis, potest ordinationis defectum supplere, modò defectus ille sit de secundario, seu materiam & formam supponat: nam si esset substantialis, id est in materia, aut forma, existimo cum Tabiena, Henriquez, & Panormitano assertionem nostram impugnantibus, quód

non posset supplere nisi tempore statuto ab Ecclesia: hoc enim esset verè Ordinem conferre; cùm deficiente materiâ, aut formâ, nulla sit ordinatio.

VIII. Disputatur an Episcopus possit pro suscipiendo Ordine sacro dispensare in bigamia interpretativa, quâ est Bigamus ille, qui duxit viduam in uxorem? Panormitanus, Mastrius, Bonacina, & alij negant, etiamsi bigamia sit occulta; qualis est illa, quam contrahit maritus per copulam cum uxore sua adultera. Sed altera opinio videtur mihi communior. Probabilius est enim, Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. cap. 17. reservasse summo Pontifici dispensationem bigamiæ realis, & veræ dumtaxat; non autem dispensationem interpretativæ, & præsertim dum est occulta, & probari non potest sinè infamia: qualis est bigamia, quam contrahit ille, qui ducit unicam uxorem sed viduam, vel quomodocumque ab altero vitiatam. Quia ibi Concilium loquitur de vero bigamo, seu de eo, qui aliàs cum duabus virginibus, & successivis temporibus (quæ modò defunctæ sunt) matrimonium legitimè contraxit & consummavit. Ita observat declaratio ejusdem Concilij Tridentini num. 4.

IX. Eunuchus qui spontè in occultò se castrare fecit, est irregularis & indiget dispensatione, ut ad Ordines promoveatur can. *Si quis abscindit* can. *Qui partem* dist. 55. An Episcopus possit in hac irregularitate dispensare? Duæ sunt sententiæ. Diana, & Andreas affirmant. Ab hac sententia recedo: quia ex Tridentino sess. 24. de reform. cap. 6. Episcopi non possunt dispensare in irregularitate, ex homicidio voluntario proveniente, sed voluntaria membrorum truncatio, aut mutilatio est culpa ad homicidium voluntarium pertinens, in qua Episcopi dispensare non possunt, ut tradit glossa in can. *De Presbitero* de corp. vitiat. ordin. circa finem. Ita Sylvester, & Tabiena. Plura alia dici possunt de jurisdictione, & potestate Episcopi, tam circa Sacramenta, & votorum dispensationem, quàm circa irregularitates; sed ea hìc omittere necesse est: quia alibi ea pertractare nos coget materia Sacramentorum, votorum, & irregularitatum.

X. Quæritur tamé, an Episcopus transiés ad aliam Ecclesiam, licitè valeat secum deferre acquisita ex redditibus prioris Ecclesiæ? Ratio dubitandi est, quia Beneficiarij non sunt domini redditwum beneficij, ut dictum est supra cap. 14. Barbosa, & alij plures negant. Eorum ratio est; quia hujusmodi bona, quæ Episcopus ad aliam Ecclesiam transferendus non consumpsit in usus ipsi licitos, sunt prioris Ecclesiæ ex titulo intrinseco, & naturali; Ideòque relinquenda sunt eidem Ecclesiæ tanquam propria. At hæc ratio non tollit jus de quo agimus: etenim redditus beneficij primò ordinantur ad sustentationem Beneficiarij, & si aliqui supersint, distribuendi sunt pauperibus, & Ecclesiæ reparandæ, ut statuitur in can. *Mos* 12. quæst. 2. Nec existit præceptum de hujusmodi distributione facienda pauperibus, & Ecclesiæ loci in quo colliguntur, aut collecti fuere beneficij fructus, sed pauperibus quorum Episcopus est Pastor, ac pater, & Ecclesiæ cujus est sponsus. Ergo Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam, ut sponsus, & pater pauperum ejusdem, potest secum deferre bona quæ ipsi superfluunt ex redditibus Ecclesiæ à qua transit, modò intendat ea elargiri pauperibus, & reparationibus Ecclesiæ ad quam transit. Tum quia non minùs est horum bonorum dispensator in posteriori Episcopatu, quàm in priori; cùm non subjiciatur illi, neque pauperibus ejusdem, sed summo Pontifici; qui cùm sit pater omnium pauperum & Episcopus universalis in sensu explicato supra cap. 17. num. 3. Pontificia constitutio de redditibus superfluis distribuendis pauperibus, & Ecclesiis reparandis, servatur, dum hujusmodi redditus tribuuntur pauperibus, & Ecclesiis prioris Episcopatûs. Tum quia Episcopus non tenetur hujusmodi redditus superfluos distribuere, statimac eos habet; dura quidem esset hæc obligatio. Nec tenetur eos relinquere sub cura alterius. Potest igitur eos secum deferre ad Ecclesiam ad quam transit, eosque ibi distribuere. Hanc sententiam tuentur Bassæus, & alij quos citat verbo *Episcopus* num. 31.



CAPUT XXI.

De potestate Episcoporum erga Regulares.

I. Cum tota potestas ordinaria in propria Diœcesi sit penès Episcopum Can. *venerabilis* de Relig. domibus, can. *Domus* 16. quæst. 7. omnes Religiosi jure communi subsunt Episcopis, & de facto olim ipsorum jurisdictioni subjecti erant: ut patet in variis locis juris Pontificii, quæ hic deducere superfluum est. Tum quia sunt omnibus in jure Romano versatis nota. Tum quia brevitas, cui studemus, prolixitatem prohibet, nullamque superfluitatem admittit. Sed successu temporis summi Pontifices eos Apostolicæ Sedis jurisdictioni immediatè subjecerunt: ut constat ex variis constitutionibus Apostolicis, & ex Trident. sess. 25. de Regularibus; & præsertim cap. 13. quo Regularis dicitur non subditus Episcopo. Et cap. 22. in quo legitur: *Et quia sancta Synodus desiderat: ut omnia & singula supra dicta quamprimùm executioni demandentur, præcipit omnibus Episcopis, in Monasteriis sibi subjectis, & in omnibus aliis, ipsis in superioribus Decretis specialiter commissis: atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, ut statim prædicta exequantur. Et si quid executioni demandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia Provincialia suppleant, & coërceant. Regularium verò Capitula Provincialia, & Generalia. Et in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejusdem Ordinis provideant.* His verbis sacra Tridentina Synodus loquitur Abbatibus, sicut Episcopis: & declarat Abbates, Generales, & alios Superiores Ordinum tam mendicantium, quàm non mendicantiũ habere in subditos jurisdictionem quam olim Episcopi habebant; nam in hac re dijunctim præcipit ipsis Prælatis Regularibus respectu subditorum, idem, quod præcipit Episcopis respectu aliorum, nimirùm executionem eorum, quæ continentur in decretis Concilij. Vult insuper eadem Synodus, quòd negligentia Episcoporum in exequendis hujusmodi Decretis suppleatur per Concilia Provincialia, & negligentia Prælatorum Regularium per Capitulum Generale Ordinis; et si istud non suppleat, decernit, Concilium Provinciale habere potestatem providendi, non quidem per aliquem Episcopum, sed per aliquos ejusdem Ordinis, cujus Superior neglexit executioni demandare Decreta Concilij Tridentini; ideòque eximit Regulares à Jurisdictione Episcopali, & eos immediatè subjicit sanctæ Sedi: alioquin solis Episcopis hanc executionem præcepisset, tam ergà Regulares, quàm ergà Sæculares; & declarasset negligentiam Superiorum Regularium esse supplendam illicó per Concilia Provincialia, per quæ negligentia Episcoporum est pariter supplenda: non verò per Capitulum Generale & Provinciale Ordinis. Tandem Patres Concilij Tridentini hortantur Reges, & Principes, ut velint Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Superioribus in Prædictorum Decretorum executione suam authoritatem interponere, quoties fuerint requisiti, ut sine ullo impedimento præmissa in Decretis ejusdem sess. 25. rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis; indéque declarant, Abbates, & Generales habere plenam & totalem Jurisdictionem erga Regulares; aliter Tridentinum Episcopos commisisset pro supplenda, & coërcenda negligentia Superiorum Regularium.

II. Hæc exemptio, quam summi Pontifices concessere Religiosis, ut immèdiatè Sedis Apostolicæ jurisdictioni subjicerentur, non excedit Papæ potestatem, nec est injuriosa Episcopis: nam si Papa possit sibi reservare casus graviores in tota Ecclesia, dispensare, aliosque Jurisdictionis actus exercere, quos Episcopi exercere nequeunt in Diœcesibus suis: ut docent Panormitanus in cap. *quibusdam* de pœnis, Joannes Andreas in cap. *licet Canon* de elect. in 6. & Cabassutius lib. 1. cap. 8. num. 5. sic dicentes: omnia possunt Episcopi in suis Diœcesibus, quæ neque Divino juri opponuntur, neque Papa sibi reservavit: ergo potest etiam quasdã personas Deo dicatas sibi immediatè subjicere, & illarum causas privativè reservare judicio suo.

III. Quàmvis ex Decreto Concilij Tridentini sess. 21. de reform cap. 8. Episcopi possint corripere exemptos delinquentes

contra Regulam quam professi sunt; non possunt tamen eos punire per sententiam, aut pœnam. Quia ex Clement. de privileg. cap. 2. nullam possunt erga ipsos jurisdictionem exercere, nullumque eis inferre gravamen; nisi delictum extra Claustrum commissum fuerit, hocque notorium: tunc enim ex eodem Concilio sess. 25. de regul. cap. 14. possunt delinquentem punire, non absolutè, sed conditionaliter, seu casu, quo Superior non puniat illum intra tempus ab Episcopo præfigendum. Quia Concilium non committit Episcopis punitionem Regularium delinquentium, nisi de secundariò, & in casu negligentiæ: ut constat ex propriis verbis Concilij; primariò autem committit illam Superioribus Regularibus, quibus subjiciuntur. Hinc est, quòd Episcopi non possunt detinere in carceribus suis Regularem, quem in delicto comprehendunt, sed ad Superiorem debent illum remittere; vel admonere ipsum superiorem, ut delinquentem ad carceres Religionis traducat, eique remittere testium auditiones, si quæ factæ fuerint pro notorietate facti; ut ipse Superior qui est Judex ordinarius, possit judicare, & debitam pœnam delicto injungere, ut habetur in declaratione Concilij num. 2. Post quod judicium Superior Regularis tenetur Episcopum certiorem facere per se, vel per alium de punitione delinquentis, modò delictum fuerit notorium, & scandalosum populo; quia si fuerit occultum, aut notum uni tantùm, aut duobus, ad hoc non tenetur. Nec potest tunc Episcopus instare, nec punire in casu negligentiæ. Quia Concilium in Decreto apposuit hanc particulam *Et extra Claustra ita notoriè deliquerit ut populo scandalo sit*, quæ est ita restrictiva potestatis in Regulares delinquentes extra claustra; ut in tali casu, idest quando delictum non est notorium, Episcopus nullam notitiam habere possit de punitione; tunc enim ad solum Superiorem Regularem committitur delicti & punitionis notitia.

IV. Cùm ex Concilio Tridentino loco laudato supra num. 1. Regulares non subjiciantur Episcopo: ibi enim legitur, *Regularis non subditus Episcopo.* Sequitur, quòd non possunt ab ipso excommunicari, nec excommunicati declarari, nisi in casibus in Jure assignatis: ut v. g. quando Regularis Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis administravit (sine necessitate) infirmis Sæcularibus, aut matrimonium solemnizavit, potest ab ipso Episcopo excommunicari, & excommunicatus declarari; ut vult Clemens V, in Clement. de privil. cap. 1. Dixi *sine necessitate*, saltem quoad duo priora Sacramenta. Quia existimo contra Cabassutium lib. 3. cap. 15. num. 9. quòd absente Parocho, aut eo, qui ejus vicem gerit, Regularis requisitus potest, quin censuram incurrat, ea licitè ministrare cuicunque in articulo mortis constituto: tunc enim potest ipse Regularis licitè, ac prudenter præsumere de consensu Ecclesiæ, quæ cùm in tali necessitate concedat cuicumque Sacerdoti potestatem absolvendi à peccatis etiam reservatis, concedit quoque potestatem administrandi Sacramenta. Potest insuper præsumere de consensu parochi, nisi constet per testes fide dignos ipsum parochum ob urgentissimas rationes ei denegasse Sacramenta: tunc enim Regularis non posset ea ministrare. Ex eodem Concilio Tridentino loco citato cap. 13. Episcopus potest per censuras compellere Regulares, ut accedant ad processiones, modò non vivant perpetuò in strictiori clausura, ut observat idem Concilium, nec degant in Monasteriis per dimidium milliare distantibus à Civitate, ut declaravit sacra Congregatio Concilij die 21. Maij ann. 1601. Si aliqua in hujusmodi processionibus oriatur controversia circa præcedentiam, Episcopus potest eam componere; quin liceat Regularibus appellare: modò in hac causa agat juxta antiquitatem existendi in loco, in quo est controversia; cùm Patres Concilij non intendant antiquitati hoc Decreto derogare, sed solùm recentiores ad justitiam compellere authoritate Episcopi.

V. Quando Regularis incidit in excomunicationem, sive à jure prolatam, sive ab homine, eaque est evidens; tunc Episcopus non potest eum denunciare in Ecclesia Parochiali, ut à Diœcesanis vitetur: quamvis Cabassutius lib. 1. cap. 11. oppositum affirmet ex Clement. 1. §. de privilegiis. Hæc enim constitutio Ordinariis concedens facultatem denunciandi excommunicatos Regulares, qui in excommunicationem lapsi sunt, loquitur tantùm de excommunicatione, quam incurrit Religiosus, qui absque ulla licentia

Parochi Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis administrat: ut numero præcedenti dictũ est; & ut constat ex verbis Clement. Igitur hæc potestas denunciandi non debet extendi ad quamcunque excommunicationem, quam Religiosus incurrere potest; quia hæc constitutio est in materia pœnali, & odiosa; idcircò potiùs est restringenda, quàm amplianda.

VI. Alter casus est, in quo Episcopus potest excommunicare Regulares, scilicet quando Superior non vult Novitio è Religione egredienti restituere bona, quæ attulit, exceptis victu & vestitu. Ita Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 16 Sed si velit exire post emissam professionem; etiam intra quinquennium titulo nullitatis professionis, & Superior recuset hujusmodi bona restituere, non potest cogi per censuras: quia hujusmodi bona censentur data sub conditione professionis futuræ; & consequenter dum professio emittitur, pertinent ad Monasterium, non autem ad Monachum egredientem, qui non potest infirmare conditionem, quam acceptavit Religio. An verò idem Superior possit compelli per censuras ad restitutionem hujusmodi bonorum, si Novitius, aut Novitia moriatur ab intestato ante professionem? Respondeo negativè; quippe cùm in articulo mortis perfruatur bonis, & privilegiis Religionis, & censeatur Professus: Monasterium debet frui bonis ipsius defuncti, & ejus bona sibi acquirere; unde cùm Superior non peccet retinendo hujusmodi bona, nulla potest in ipsum censura ferri.

VII Ad testimonium in causis civilibus ferendum, Religiosi nequeunt compelli ab Episcopis, nisi quando veritas aliter haberi non potest; multumque interest Reipublicæ, ut veritas delicti agnoscatur à Judice Laïco, vel Ecclesiastico. At in causa sanguinis nullatenùs compelli possunt can. *His à quibus* 23. quæst. 8. Licet tamen illis petitâ priùs licentiâ à Superioribus, quàmvis non obtentâ, testificari ad innocentis oppressi liberationem: etiamsi exindè sequatur, ut reus ultimo puniatur supplicio. Hoc enim accidit præter testis intentionem, & per accidens; quia non voluit rei mortem, sed innocentem ab oppressione liberare. Ita Sayrus, Avila, Ugolinus, Filliucius, & alij.

VIII. Nullus Regularis potest confessiones Sæcularium audire sinè approbatione Ordinarij, etiam in Ecclesia sui Ordinis, ut declarat Tridentinum sess. 23. de reform. cap. 15. quo Episcopis æqualis tribuitur potestas respectu Sacerdotum Sæcularium, & Regularium pro confessionibus Sæcularium audiendis: ibi enim legimus; *Quàmvis Presbiteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones Sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quâcunque etiam immemorabili nonobstantibus.* Inde sequitur, nullum Sacerdotem, sive Sæcularem, sive Regularem posse idoneum reputari, nisi per parochiale beneficium, vel per examen, vel per capacitatem notoriam, ut indicat hæc particula, *aliàs idoneus judicetur*, approbationem obtinuerit. Sequitur etiam ex vi hujus Decreti, Episcopos non debere Sacerdotes, sive Regulares, sive Sæculares parochiale Beneficium non habentes, examinare; si aliàs idonei judicentur, scilicet si Doctores, aut Professores sint in sacra Theologia, aut in Jure Canonico; ut suadet hæc particula Decreti *Aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur*: certum enim est, quòd Doctorum virorum examen non potest eis videri necessarium; cùm finis examinis à Tridentino Episcopis concessi (præsertim circa Regulares exemptos) sit, ut videant, an sint idonei pro confessionibus audiendis. Igitur si aliàs idonei judicentur, nimirùm scientiâ, & doctrinâ, non debent examinari. 1°. Quia Concilium non subjicit absolutè examini Sacerdotes: ita ut non possint approbari sinè examine, aut sinè beneficio parochiali, sed solùm hypotheticè; id est si eos examinare necessarium videatur Episcopo. Quòd solùm contingit, dum Episcopus ignorat; aut dubitat, an sint idonei, seu Docti: non verò dum scit, quòd Regularis est Theologus. 2°. Quia Concilium Tridentinum præter parochiale beneficium, & examen, aliud medium assignat pro approbatione obtinenda: aït enim, *aut aliàs idoneus judicetur*, quod quidem medium est Doctoratus vel Lecto-

ratus; qui juxta propriam & probabiliorem Concilij interpretationem, sunt tituli ab examine dispensantes. Quia de ipsis loquitur disjunctivè, & comparativè pro approbatione ab Episcopo concedenda. Tandem Concilium non reliquit examen illud ad nutum Episcoporum; ita ut possint quemcunque examinare si velint; sed ad necessitatem, scilicet ut videant: an præsentati pro confessionibus audiendis sint digni, & idonei: ut facilè colligitur ex hac particula, *Si illis videtur esse necessarium*: ergo si sinè examine judicentur digni, non debent examinari; quàmvis absolutè possint.

IX. Nullus Sacerdos sive Secularis, sive Regularis sit, potest Sæcularium confessiones audire, quàmvis examinatus: si approbationem non obtinuerit ab Episcopo. Quia non per examen, sed per approbationem habetur potestas Jurisdictionis. Indè quærunt Canonistæ, an si peracto examine, & adhibitis responsionibus legitimis, Episcopus non approbet Regularem examinatum, ipse possit confessiones audire? Respondeo negativè; ita Reginaldus, Coninch, Filliucius, & alij contra Sotum, Villallobos, Vegam, & alios. Ratio nostra est. Quia Tridentinum loco citato declarat nullum Sacerdotem etiam Regularem posse audire confessiones Sæcularium, nisi priùs obtinuerit approbationem; undè, cùm examinare non sit approbare, sequitur, quòd examinatus & non approbatus, non potest confessiones audire: quia non obtinuit ab Episcopo id, quod Concilium exigit, scilicet approbationem, quæ nihil aliud est, nisi jurisdictionis concessio. Hæc non potest licitè denegari Præsbitero, qui post examen reperitur idoneus, & præsertim si sit Regularis. Tum quia Episcopus suscipiens ad examen Sacerdotem, promittit conditionaliter se illi suam jurisdictionem daturum pro confessionibus audiendis, & Sacerdos per suas legitimas responsiones, seu per capacitatis suæ ostensionem acquisivit jus ad rem promissam. Tum quia non est credendum, Tridentinum privilegia in hac causa concessa revocans, voluisse consovere Episcopos in suis passionibus, & odiis adversùs Regulares; quod proculdubiò faceret; si capaces, & idoneos post examen probatos posset rejicere: nam Concilium non intendit, quòd Regulares non audiant confessiones, si Episcopi velint; sed vult quòd eas audiant; si Episcopi judicent eos idoneos; idest intendit, quòd eas non audiant, nisi Episcopi eos idoneos judicent; non verò quod non audiant eas nonobstante idoneitatis, & capacitatis notitiâ. quia non revocavit facultatem audiendi cōfessiones, quam habebant ante ipsum Concilium Tridentinum, sed solùm privilegium in Clement. *dudum* de sepult. & à Benedicto XI. *Inter cunctas*, & ab aliis summis Pontificibus concessum, quo confessiones audire poterant absque ullo examine, & approbatione Episcopi, præviâ solâ præsentatione, aut petitione: ut patet in margine sess. in quo citatur Bulla *dudum*.

X. Episcopus non potest licitè sinè justa & legitima causa Religiosos semel approbatos, & examinatos, postmodùm examinare; quippecùm approbatio post debitum examen sit judicium seu sententia Episcopi, ut rectè docet Suarez de pœnit. disp. 28. quâ Religiosus declaratur idoneus pro confessionibus Sæcularium audiendis, nec sit opus gratiæ, sed justitiæ bis in idem judicare prohibentis, sequitur, quòd novum examen est injuriosum, & illicitum. Id expressè decrevit Pius V. in ea constitutione, quæ incipit *Romani Pontificis*; ut habetur in declaratione Concilij Tridentini num. 4. Dixi *licitè*. Quia si Episcopus vellet eos iterum examinare, validè revocaretur approbatio, nec posset Regularis confessiones audire ante novum examen. Tunc enim Regularis præsumere deberet Episcopum justam iterum examinandi causam habere. Ex eadem constitutione Pij V. decernitur Episcopum posse examinare omnes, quos approbavit prædecessor, pro majori conscientiæ suæ quiete: ut posteà declaravit Urbanus VIII. in sua constitutione die 30. Augusti 1629. ubi ait *Regulares à prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones Sæcularium audiendas, à præsente Episcopo successore, pro majori conscientiæ suæ quiete, possunt iterum examinari, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari.* Indè duo inferenda sunt. Primum est, Episcopum non posse sinè justa causa ad examen iterum vocare Religiosum, quem semel approbavit. Secundùm verò est, successorem posse eum examinare, etiamsi nova causa non supervenerit.

XI. Approbatio ab uno Episcopo obtenta

tenta non sufficit Regulari approbato, pro aliis Episcopatibus; ita ut possit confessiones audire in alio Episcopatu sinè approbatione proprii Episcopi; nam Tridentinum loco citato declarat, nullum Regularem posse Sæcularium confessiones audire, nisi priùs ab Episcopis approbationem obtinuerit. Hæc particula *ab Episcopis* satis indicat approbationem unius Episcopi pro aliis non sufficere: quia suadet jurisdictionem esse accipiendam ab eo, qui habet illam in subditos; cùm absolvere sit actus jurisdictionis. Deinde nullus Episcopus potest in Diœcesi alterius absolvere à peccatis can. *Nullus alterius* can. *Nullus primas* can. *Ut animarum* de constit. in 6. Igitur nullus Regularis poterit authoritate unius Episcopi absolvere in alio Episcopatu; cùm ex regula Juris nemo possit plus Juris in alium transferre, quàm in se habet. Ita communior opinio contra paucos, qui probabilius judicant oppositum: quia (inquiunt) Regularis approbatus ab uno Episcopo juxta formam Tridentini, accipit jurisdictionem à Papa: pro cujus Jure Episcopus habet potestatem approbandi Regulares; & inde concludunt, Regularem approbatum ab uno Episcopo, remanere approbatum pro omnibus Fidelibus, quorum Papa est Episcopus. Ita Bruno. Chassaing de privileg. Regular. & alij ex Clement. *dudum* de sepult. Et ex extrav. *inter cunctas*. Sed non valet hæc ratio, etiamsi Regulares jurisdictionem accipiant à Papa, ut volunt adversarij. Quia Episcopus approbans non confert approbato jurisdictionem pro jure summi Pontificis; ita ut ipse Episcopus sit à Concilio delegatus ad approbandum Regularem, ac si ipse Papa approbaret illum; sed solùm, ut illi suam conferat jurisdictionem, quæ cùm sit tantùm pro Episcopatu suo, pro aliis sufficere nō potest.

XII. Nihilominùs approbatio Episcopi concessa Regulari pro confessionibus Sæcularium audiendis, sufficit pro toto ejusdem Episcopatu, hæcque durat; donec revocetur per eumdem, vel per successorem; nisi fuerit limitata ad certum tempus, vel ad certum locum: quia in hac parte hæc jurisdictio eadem est, ac jurisdictio Episcopi; cùm in hac approbatione Episcopus suam jurisdictionem concedat. Igitur est pro toto Episcopatu in quo ipse Episcopus approbans habet jurisdictionem, & durat donec ab eodem, vel à successore revocetur in particulari, vel in genere, ut dum Episcopus prædecessoris sui approbationem revocat explicitè, vel implicitè. Hinc est, quòd si Regularis approbatus v. g. in Diœcesi Massiliensi, iret in Diœcesim Aquensem, ibi per tres annos commoraturus, & postea Massiliam rediret, vivente adhuc Episcopo, posset licitè Sæcularium confessiones audire; si ab ipso approbatus fuisset absque ulla limitatione. Idem posset etiam eodem mortuo; si successor, aut Vicarius Generalis à Capitulo, Sede vacante, institutus non revocaverit approbationes Episcopi defuncti. Id declarat Benedictus XI. in extrav. *inter cunctas* de privileg. §. *ut autem*; ubi aït *datam verò licentiam, per Diœcesanorum mortem nolumus terminari*. Nec valet dicere, hanc constitutionem fuisse à Tridentino revocatam. Quia Tridentinum tantùm declarat, solam præsentationem non sufficere, sed insuper requiri approbationem Episcopi; ad quam obtinendam non tenebatur Regularis ante Tridentinum, ex vi dictæ extravagantis *inter cunctas*: nam cùm Bullarum revocatio sit in materia odiosa, est strictè interpretanda, & revocandum est tantùm id, cujus meminit. Idem probat etiam illa communis regula Juris cap. 1. de regul. Juris. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, quâ sola potestas, quæ facultatem indulsit, potest eamdem retractare: ergo approbatio ab Episcopo concessa non potest revocari, nisi per Episcopum, vel per alium ejus jurisdictionem habentē.

XIII. Recedo tamen ab opinione illorumm antiquorum Scriptorum, qui addunt Regularem v.g. approbatum in Episcopatu Massiliensi, commorantem in Diœcesi Aquensi, in qua non fuit approbatus, posse audire confessionem alicujus Massiliensis per Episcopatum Aquensem transeuntis. Quia, ut jam dixi, Episcopus Massiliensis v. g. non potest approbare propriâ jurisdictione pro alio Episcopatu: Jurisdictio enim, quam Confessarius exercet in tribunali, non est gratiosa respectu pœnitentiæ, sed contentiosa; cùm ipse Confessarius sit judex delictorum. Deinde, dum Episcopus approbat, pro suo tribunali tantum approbat, & vult in ipso jurisdictionem suam exerceri, non autem in alio.

XIV. Regulares non tenentur tempore

Jubilæi eligere pro casibus reservatis Confessarium ab Episcopo approbatum, quidquid dicant nonnulli. Quia licèt Bulla obliget confiteri Sacerdoti ab Ordinario approbato, non debet tamen absolutè intelligi de Episcopo, sed de Ordinario pœnitentis. Quia summus Pontifex non approbat Sacerdotes, qui approbati sunt, sed solùm jurisdictionem eorum ampliat circa peccata reservata, & consequenter Sacerdotes approbati, possunt audire eos, quos audiebant antè Jubilæum. Unde cùm Superiores Regulares habeant facultatem approbandi Religiosos sibi subditos pro inferiorum confessionibus audiendis, Religiosus potest tempore Jubilæi peccata sua confiteri Sacerdoti Regulari à Superiore suo approbato, cui ante Jubilæum confitebatur. Hanc sententiam tuentur plures cum Bonacina. Aliter sentio de Monialibus exemptis, saltem in partibus, in quibus Bulla Gregorij XV. quæ incipit *Inscrutabili providentia* recepta fuit. Quia per hanc ipsam Bullam Confessarius Monialium etiam subjectarum Prælatis Regularibus, debet priùs approbationem obtinere ab Episcopo Diœcesano.

XV. Quando autem Religiosus de licentia sui Superioris, vel ex vi Bullæ Jubilæi, vult extra Ordinem confiteri, tenetur eligere Confessarium ab Episcopo approbatum; etiamsi ad Religiosum alterius Ordinis recurrat, qui debet etiam esse approbatus, ac si esset Sacerdos Sæcularis. Quia tunc renunciando privilegio suo, quo potest confiteri Sacerdoti ejusdem Ordinis approbato tantùm à suo Superiore, ad jurisdictionem Ordinarij loci reducitur: non verò ad jurisdictionem Superioris alterius Ordinis, qui cùm habeat jurisdictionem tantùm erga subditos suos, non potest eam habere erga subditum alterius Religionis, nec potest eum absolvere per se, aut per alium; etiamsi Superior Religiosi pœnitentis consentiat. Quia potestas delegandi, quam Superior habet pro confessionibus inferiorum audiendis, non se extendit extra Ordinem.

XVI. Regulares possunt in propriis Ecclesiis prædicare: modò priùs à Superioribus suis licentiam obtinuerint, & ab ipsis approbati fuerint. Hoc tamen non sufficit. Tenentur insuper cum approbatione illa se personaliter præsentare coram Episcopo Diœcesano pro Benedictione obtinenda, antequam prædicare incipiant. Ita Tridentinum sess. 5. de reform. cap. 2 juncta declaratione num. 5. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, non possunt prædicare sinè licentia Episcopi ex eodem Concilio loco laudato §. *Si verò.* Episcopus tenetur eos interdicere, si errores aut scandala in populum disseminaverint, etiam in propriis Ecclesiis; non potest tamen contra eos juridicè procedere: bellè quidem, si hæreses prædicaverint. Idem habetur ex can. *ad abolendam* de hæres. in fine; quin tamen per tale judicium, Regulares dicantur recidere propriè in jurisdictionem Episcoporum, ut monet glossa, verbo *delegatis*: cujus ratio est. Quia in hoc Episcopi non agunt jure ordinario, sed authoritate ipsis delegatâ à sancta Sede: cui Regulares subjiciuntur immediatè can. *licet quibusdam* de Regular.

XVII. Quoad causas civiles, in quibus Regulares delinquere possunt, Episcopi nullam jurisdictionem habent in ipsos, quidquid dicat Cabassutius lib. 1. cap. 11. num. 6. Ita declarat Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 14. ubi legitur, *Regularis non subditus Episcopo.* Nec nocet authoritas ejusdem Concilij sess. 7. cap. 14. Constitutionem Innocentij IV. can. *Volentes* de privileg. in 6. referentis. Tum quia Decretum sess. 25. potiùs abrogat Decretum sess. 7. quàm è converso. Tum quia Congregatio Concilij, quæ habetur in declaratione sessionis septimæ, id declarat: ibi enim legimus, *Congregatio Concilij censuit non posse ab Episcopo puniri, sed à suis Superioribus Regularibus tantùm.* Idem etiam expressè declaratum fuit ad Urbano VIII. cujus verba refert Chassaing tract. de privileg. cap. 4. propos. 1. His certò revocatur constitutio allata *volentes* Innocentij IV. qui ex eodem Doctore declarat in Bulla quæ incipit *Cum olim duxerimus*, data Perusij 15. Kalend. Octob. Pontif. anno decimo, prioris constitutionis occasione nullum præjudicium generari libertatibus immunitatis Fratrum Minorum.

XVIII. Nullus Episcopus potest propriâ authoritate sibi subjicere Regularem etiamsi ipse subjicere se velit, nec eum apud se retinere prætextu prædicationis, aut electionis, vel cujusvis pij operis; sic declarat sacra Tridentina Synodus sess.

25. de Regular. cap. 4. Quia non Episcopo, sed Prælato Regulari subjicitur Religiosus, quem, si contra istud Decretum fecerit, Superior Regularis potest punire, tamquam inobedientem, & apostatam, aut instituti sui desertorem.

XIX. Regulares mendicantes non possunt ab Ordinariis impediri nè mendicent ubique; modò licentiam Superiorum suorum habeant, ac se gerant modestè & religiosè. Nec Ordinariis licet uti Decreto Concilij Tridentini sess. 21. cap. 9. ut declarat Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Etsi mendicantium Ordines*; ubi aït, *quòd verò de usu quæstorum eleemosynarum auferendo loquitur Trident. sess. 21. cap. 9. id ad mendicantium Ordines nullo modo referri posse, vel debere etiam decernimus: quin potius cùm eleemosynis hujusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omninò esse declaramus.* Huic suffragatur ratio: nam summi Pontifices independenter ab Episcopis approbarunt Ordines mendicantes sub titulo paupertatis. Episcopi etiam eos receperunt, unusquisque in sua Diœcesi sub eodem titulo. Igitur nequeunt eos impedire, nè vadant ad eleemosynam: hæc enim inhibitio tendit ad destructionem Ordinum non possidentium; cùm ex eleemosynis vivere cogantur. Undè, cùm Episcopi non possint Ordines mendicantes abolere, nec eos impedire, nè quærant panem, & alia ad sustentationem necessaria, petendo eleemosynam modestè, & religiosè. Declarationes autem contra Quæstores latæ pro abusibus removendis, sunt intelligendæ de Quæstoribus Laïcis confraternitatum, non verò de Religiòsis pauperibus, & mendicantibus.

XX. Quàmvis Regulares nullam possint ædificare Ecclesiam, nec Monasterium absque licentia Episcopi, ut aït Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 3. vel Vicarij Generalis, Sede vacante, aut absente Episcopo. Quia hæc facultas est actus jurisdictionis, quæ in Episcopo & in Vicario Generali est una & eadem jurisdictio, unum & idem tribunal can. *Romana* de appellat. in 6. Fabricam tamen suam jam inceptam perficere possunt, ut habetur in declaratione ejusdem Concilij num. 5. Pro Ecclesia consecranda Regulares tenentur ad Episcopum Diœcesanum recurrere; at si humiliter requisitus recuset, alium vocari posse, contendunt plures ob varia privilegia, quæ referunt à summis Pontificibus emanata, & præsertim à Paulo III. Ab hac opinione tamen recedo cum Peirinis, & Lezana. Quia Tridentinum sess. 7. de reform. cap. ultimo aït *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegij prætextu, Pontificialia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia.* Nec valet afferre necessitatem; quoniam Ecclesias consecrare non est necessarium: cùm sufficiat illas benedicere, & Prælati Regulares eas benedicere valeant; & præsertim quando Episcopus Diœcesanus humiliter requisitus, recusat, aut contradicit, ut declarant Joannes XXII. in mari magno Carmelitarum Bulla 30. apud Lezanam verbo *Ecclesia, seu Templum* num. 6. Leo X. in Bulla, quæ incipit *Religionis honestas*, & alij summi Pontifices, qui Regularibus concesserunt facultatem benedicendi suas Ecclesias, Cœmeteria, Oratoria &c. ut videri potest apud eos, qui fusiùs tractant de privilegiis Regularium: quales sunt Peirinis, Miranda, Portel & alij.

XXI. Episcopi possunt ex jure communi erigere Baldachinum in Ecclesiis Regularium exemptorum, dum in ipsis Pontificialia exercere volunt. Ita enim declaratum fuit à Clemente VIII. & à sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium anno 1603. cujus Decretum refert Lezana verbo *Baldachinum* num. 3. Hoc autem privilegium non potest ad Vicarium Generalem extendi, etiam absente Episcopo, aut Sede vacante; ut declaravit eadem sacra Congregatio die 10. Julij 1621. teste Barbosa, nec extendi potest ad Dominos locorum temporales: quia jus exigendi Baldachinum in Ecclesiis Regularium, non fundatur in jurisdictione Episcopali, sed in jure reverentiali, quod Episcopus nequit alteri transferre. Dixi *dum Pontificialia exercere volunt.* Quia non habent jus tenendi in Ecclesiis Regularium Cathedram fixam, quam in Cathedrali Ecclesia habere solent; quàmvis possint in ipsis divina officia celebrare, Missam decantare, Benedictiones solemnes dare, veluti in Ecclesia Cathedrali, juxta Decretum sacræ Congregationis die 25. Januarij 1603. Nullus Sacerdos potest Missam celebrare in eodem Altari, in quo eâdem die jam celebravit Episcopus, can. *In Altari* de consecrat. dist. 2. etiamsi privatè celebraverit, nisi de ipsius licentia, vel urgeat necessitas, ut monet glossa. Non desunt Canonistæ existimantes, Præ-

latos Regulares eodem potiri privilegio; quia, inquiunt, habent jurisdictionem quasi Episcopalem: sed non valet hæc ratio. Quia istud privilegium ex d. Can. *In Altari* Episcopis concessum, non fundatur in jurisdictione utriusque fori, ut jam monui, sed in reverentia Episcopali, quam Vicarij Generales,& Prælati Regulares non habent.

XXII. Quàmvis ex Decreto Apostolico prædicta jura competant Episcopis in Ecclesiis Regularium, non conceditur tamen illis potestas instituendi Processiones in eisdem Ecclesiis, ab ipsis Regularibus peragendas. Quia exigere Baldachinum, officia persolvere, & Missam decantare pertinent ad Episcoporum reverentiam: cætera verò sunt actus jurisdictionis, quam non habent in Ecclesiis exemptis, nec circa ipsos exemptos; Ideoque non possunt hujusmodi Processiones instituere, invitis earumdemEcclesiarum Superioribus.

XXIII. Jus quoque prædicandi in Ecclesiis Regularium invitis Superioribus Regularibus, competit Episcopis juxta Decretum sacræ Congregationis, quod refert Barbosa, idque conforme est Episcoporum officio, quo, jure divino prædicare possunt omni creaturæ; non possunt tamen alteri conferre facultatem prædicandi in Ecclesiis Regularium, Prælato Regulari contradicente. Hæc enim missio est actus jurisdictionis, quam Episcopus non habet circa exemptos, & licèt in eorumdem Ecclesiis ipse Episcopus prædicare possit, hancque jurisdictionem exercere, non potest illam delegare: quia eam exercet ex officio Pastorali, & Regulares tenentur obtemperare ex reverentiaEpiscopali dignitati debitâ. Ex Decreto sacræ Congregationis *1629.* Episcopo prædicante in aliqua Civitate Diœcesis suæ, nullus potest prædicare etiam in Ecclesiis Regularium. Idem ex extravag. *inter cunctas* de privileg.

XXIV. quoàd interdictum locale, in jure cautum est, Episcopos non posse interdicere Ecclesias exemptas; Ita ut privatæ remaneant Sacramentorum administratione in ordine ad Regulares, eorumque commensales, Divinorum Officiorum celebratione, & aliorum beneficiorum per interdictum removendorum possessione; cùm interdicere sit actusjurisdictionis. Existimo tamen contra nonnullos, quòd interdictæ remanent, dum interdicitur tota Civitas, in qua existunt; nè in derisionem evadat interdictum Episcopi: populus enim, quem tunc interdicere intendit Episcopus, posset ad exemptorum Ecclesias confugere. Ita Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 12. Ubi legimus *Censuræ, & interdicta nedùm à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.* Nonobstante hoc Decreto, Regulares possunt durante interdicto generali celebrare Officia, & Missas in diebus festis Ordinis, & in octavis, ac vigiliis eorumdem, ut docent Rodriguez, Sayrus & alij, quos citat, & impugnat Bonacina ob relatam authoritatem Concilij. Ratio nostra est, quia de hoc existit privilegium concessum post Tridentinum à Pio V. in Bulla quæ incipit: *Etsi mendicantium* cujus verba sunt hæc: *Et licèt in sess.25.cap.12.caveatur,quòd censura & interdicta Ecclesiastica etiam à locorum Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicari debeant,tamen si tempore celebrationis alicujus ex festis Sanctorum Ordinum eorumdem, ac aliàs in aliis festivitatibus juxta eorūdemOrdinum privilegia Apostolica interdictum hujusmodi emanaverit, illud in præfatis festivitatibus, & earum octavis suspendimus.*

XXV. Nullus Prælatus Regularis potest in Ecclesia sua insolitam ponere, vel curare ponendam Imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit, nec exponere populo Reliquias adorandas juxta Decretum Tridentini sess. 25. de invocat. & Reliq. Sancto. Inde inferendum est,quòd si Reliquiæ ab antiquis temporibus in veneratione fuerint inEcclesia,PrælatusRegularis potest eas publicè exponere.Quia tūc non estpropriè eas exponere venerādas in sensuCōcilij Regularibus prohibentis novamReliquiarū expositionem,sed earumdem venerationem procurare, & populum ad earumdem venerationem excitare. Quod certò non prohibet Concilium: nam in remissionibus ejusdem Concilij in fine refertur istud Decretum sacræ Congregationis. *Sanctorum Reliquiæ antiquæ habendæ sunt in illa veneratione, quâ hactenùs fuerunt, si verò sint novæ, Episcopus servet hoc Decretum.* Igitur si Reliquiæ fuerint in veneratione, Episcopus circa ipsas nullum jus acquirit in Ecclesiis Regularium, & Prælatus Regularis potest eas exponere,

cùm non sint novæ, & de uno loco ad ad alium intra Ecclesiam suam transferre, dum necessitas id exigit: etenim translatio hæc non est Reliquiarum approbatio, quam Concilium ad solos Episcopos remittit, nec nova earumdem expositio.

XXVI. Regulares non possunt in suis Ecclesiis ad Missæ celebrationem admittere Sacerdotem Sæcularem contradicente Episcopo; etiamsi idem Sacerdos non sit interdictus, & in aliis Ecclesiis celebret, nec extraneos, si Episcopus decreverit nullum Sacerdotem extraneum esse admittendum pro Missa celebranda in Diœcesi, vel in Ciuitate, nisi priùs ab ipso visis attestationibus, & litteris, receptus & admissus fuerit. Ita plures, qui de hoc Decretum sacræ Congregationis referunt. Hoc ipso jure uti minimè possunt Episcopi quoad Regulares peregrinos, aut extraneos: isti enim ex sola licentia Superioris Regularis possunt in Ecclesiis Regularium celebrare, & à Superioribus earumdem Ecclesiarum Regularium recognosci, ut censuit sacra Congregatio Cardinalium die 17. Julij 1620. Ratio est, quia Religiosi, cùm licentiam obtinuerint à Superioribus suis, subjiciuntur Superioribus localibus ejusdem Ordinis dumtaxat, & eisdem commendantur; ideóque Episcopus non habet jus recognoscendi, nec admittendi eos pro Missa celebranda in Ecclesia ejusdem Ordinis. Si verò contingat illum Sacerdotem Regularem extraneum esse alterius instituti, comprehenditur in Decreto, quo Episcopus præcipit nullum Sacerdotem extraneum posse admitti pro Missa celebranda, quin priùs ab ipso fuerit receptus: quia ille Religiosus nullum habet in Civitate Superiorem, & ideo jus recognoscendi illum in hac parte, potiùs spectat ad Episcopum, quàm ad Superiores locales Conventuum aliorum Ordinum.

CAPUT XXII.

De Jure dispensandi circa Vota.

I. Dispensare in voto, idem est, ac condonare obligationem voti, quam vovens erga Deum contraxerat; quæ cùm sit in linea obligationum spiritualium, jus in ipsa dispensandi, potestat temporali non potest competere, sed solùm spirituali, quam habent Ministri Ecclesiæ Christi, præsertim Papa, cui in persona Apostolorum Principis ab ipsomet Christo Domino dictum fuit *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*: & Episcopi, qui regunt Ecclesiam Dei, ut testificatur Paulus, eos sic admonens apud Acta Apostolorum 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Idcirco in ipsis dumtaxat residet jus dispensandi in obligationibus erga Deum contractis, modò subsit justa causa, ut patebit ex dicendis de dispensatione Legum in communi, à Prælato inferiori concedendâ. Unde qui dispensatus fuerit bonâ fide ob causam apparenter justam, nequit ipsâ dispensatione perfrui, si postea videat causam allegatam esse insufficientem; quia Doctores, & jura justam causam requirunt. Ita docet opinio probabilior.

II. Justa dispensandi causa in voto, est bonum Ecclesiæ, vel commune Reipublicæ, vel notabilis difficultas in voti observatione, vel imperfectio actûs, vel levitas, aut facilitas ex qua votum processit. Sic Filliucius, Layman, Bonacina, & alij. Votum enim in his circumstantiis emissum posse dispensari, divinæ bonitati valdè consentaneum est, ad consulendum humanæ fragilitati propter imminens periculum violandi votum. Tamen observandum est quòd si difficultas, ob quam vovens dispensationem obtinuit, fuerit prævisa ante votum, & hoc nonobstante, votum emissum fuerit, voto semel emisso, difficultas observandi non est causa sufficiens ad dispensandum. Quia difficultas hæc fuit Deo oblata: ut observat Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 20. num. 18. & 22. modò fuerit ante votum attentè prævisa talis, qualis in executione rei promissæ sentitur, & sit vincibilis; aliàs non esset difficultas, sed impossibilitas in observatione voti.

III, Hæc dispensandi potestas competit omnibus Prælatis, qui in foro exteriori habent jurisdictionem, vel privilegium; hinc est, quòd dispensare possunt, Papa respectu omnium Fidelium, quorum est caput, & respectu omnium votorum; dummodò justa causa subsit, Episcopus respe-

ctu subditorum, non autem Parochus, cui competit jurisdictio fori interioris dumtaxat, Prælati Regulares respectu suorum subditorum, & novitiorum, nedum in votis, quæ in anno approbationis, sed etiam quæ in sæculo emiserunt, ut monet Mastrius. Prædicti Prælati in votis dispensandi potestatem habent, sive ea omninò relaxando, sive in alia quædam bona opera commutando, dummodò justa causa subsit, exceptis solemnibus, & quinque simplicibus votis soli Papæ reservatis, ex extravag. *si Dominici* de pœnit. & remiss. Vota solemnia sunt ea, quæ in sacra Ordinatione, vel in religiosa professione emittuntur. Quinque simplicia sunt, votum continentiæ perpetuæ, professionis religiosæ, & trium peregrinationum, Jerosolymitanæ, Romæ ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & Compostellæ ad sanctum Jacobum, quæ summus Pontifex sibi reservat. Vota verò antè professionem emissa commutari possunt in vota professionis religiosæ Can. *Scripturæ* de voto. Ideo eo ipso, quo aliquis professionem emittit, dispensatur sufficienter ab eis, quàmvis de ipsis votis nihil cogitet, seu merè negativè se habeat, id est modò non ita cogitet de his, ut explicitè horum obligationem perdurare intendat: tunc enim obligarent post professionem, ut monet Lessius lib. 2. cap. 46. n. 106.

IV. Disputatur an dum dispensandus in voto justam causam allegat in petitione sua, Prælatus possit ei licitè dispensationem denegare? Plures negant cum Sylvestro verbo *jejunium* quæst. 1. Quia hæc potestas ipsis Prælatis in subsidium, & subditorum remedium concessa fuit. Ideoque non potest denegari dispensatio, dum debitè petitur. Hanc partem sequor. Quia jus dispensandi, in gratiam Fidelium conditum fuit. Nec valet ratio adversariorum, quos citat, & sequitur Sanchez, nimirum dispensationem esse verè gratiam, acproinde denegari posse absque ulla postulantis injuria. Non valet, inquam, hæc ratio: quia est gratiosa, sed in necessitate fundata. Nam facultas dispensandi concessa fuit Prælatis Papâ inferioribus: (imò & Papæ à Christo Domino) ut dispensent, quando dispensare oportet, ac quando necessitas id exigit pro bono communi Ecclesiæ, aut Reipublicæ, vel pro salute Fidelium; alioquin juris dispensandi executio esset voluntaria, aut arbitraria Prælatis: quòd est improbabile; cùm sit contra finem concedentis.

V. Quando quis dubitat, an postulando voti dispensationem, verum tacuerit, aut falsum exposuerit, potest in conscientia uti dispensatione obtentâ, donec dubium deponatur, & videat se falsum exposuisse, modò omnem adhibuerit diligentiam, eamque adhibeat pro vincendo dubio. Quia possessio stat pro libertate, & pro bona fide postulantis, ac Prælati concedentis. Ille enim bonâ fide postulavit; iste etiam bonâ fide dispensavit: ergò potest tutâ conscientiâ uti dispensatione. Eodem argumento satisfit huic dubio, scilicet, an requiratur dispensatio, ut quis absolvatur in voto, quod dubitat emisisse. Quia nulla subest obligatio certa, cùm nullum certum votum præcesserit; alioquin falsa esset ista Regula Juris, *in dubiis melior est conditio possidentis*, quod dici nequit. Sequeretur utique, quòd in re dubia homo deberet se privare libertate, quod est pariter falsum.

VI. Inter vota, quorum dispensatio à solo Papa concedi potest, qualia sunt solemnia, & quinque simplicia supra memorata, non est computandum illud, quod quis emitteret cum intentione ita se obligandi, ut non posset dispensari nisi à Papa. Quia privata voventis intentio non potest privare Episcopum potestate, quâ pollet ad dispensandum in votis simplicibus; itaut nequeat ab ipso Episcopo dispensari, si postea ab eo dispensationem petere vellet. Hanc opinionem tenent Reginaldus lib. 18. num. 333. & alij quos sequor. Quia hæc potestas dispensandi, relaxandi, vel commutandi vota, non est Ordinis, sed Jurisdictionis, & competit Episcopis, statim ac sunt confirmati à Sede Apostolica, quàmvis nedum fuerint consecrati.

VII. Quàmvis Episcopus nequeat in votis Papæ reservatis dispensare, ut monui supra num. 3. existimo tamen quòd id potest, ubi dubitatur, utrum votum, quod ex jure reservatur summo Pontifici, fuerit obligatorium: ut v. g. quando res in ambiguo est, vel dubitatur, an sufficiens intervenerit deliberatio circa votum, quod quis se emisisse certus est. Quia vota, quæ summo Pontifici reservantur, debent esse indubitata, & certa: ut tradit Cabassutius. Præterea in dubiis, onerato est favendum: quia onera, & obligationes sunt in materia pœnali, & odiosa; & consequenter ubi

dubitatur, an teneat obligatio, benignitas stat pro vovente, & dispensatio in nostro casu stat pro Episcopo, idest ab Episcopo est obtinenda, vel obtineri potest. Insuper Episcopus habet potestatem relaxandi votum sub conditione emissum in materia Papali dispensationi reservata: modò nondum sit adimpleta conditio; ut si filius voverit continentiam perpetuam, vel Jerosolymam proficisci, si pater ex bello, aut ex navigatione periculosa redeat incolumis. Quia, ut vota Papæ reservata censeantur, debent esse absoluta. Unde cùm remanente conditione, votum quoque remaneat conditionatum, Episcopus potest in illo dispensare. At si conditio jam sit adimpleta, necesse est ad Papam recurrere. Quia votum tunc fit absolutum per conditionis remotionem, aut desitionem. Ita omnes.

VIII. Conveniunt Pariter Canonistæ, Episcopum habere jus dispensandi in voto circa materiam reservatam: modò non sit principale, sed accessorium, & dependens ab alio voto non reservato Papæ: ut v. g. in voto ingrediendi Religionem sic emisso: *Voveo & promitto numquam loqui cum tali Moniali, sub pœna & obligatione ingrediendi Religionem*: quia accessorium ex regulis Juris sequitur naturam principalis. Unde cùm Episcopus possit dispensare in principali voto, quo quis promisit non loqui cum tali Moniali, poterit etiam dispensare in accessorio, seu in eo, quod ex illo sequitur, dispensando in voto principali voventem, modò ipse nondum cum Moniali locutus fuerit. Quia post colloquium cum Moniali, votum ingrediendi Religionem remanet simpliciter votum Religionis, in quo Episcopus dispensare nequit; sicut poterat, antequam vovens cum Moniali loqueretur; pro tunc enim erat inclusum ac dependens à voto, aut obligatione non loquendi cum Moniali, in qua Episcopus dispensare potest directè, & immediatè. Ita plures, quos refert & impugnat Villalobos p.2. tract. 34. diff. 26. ubi asserit Episcopum posse dispensare ante & post transgressionem voti principalis.

IX. Qamvis Episcopus nequeat dispensare in voto castitatis absolutè; cùm sit inter illa quinque, quæ summo Pontifici reservantur, potest tamen (modò subsit justa causa) dispensare in eo, quod est ad aliquam circumstantiam restrictum, vel ad tempus, vel quod non est præcipuè intentum, sed in alia re præcipuè intenta inclusum: quale est votum continentiæ perpetuæ, quod in voto suscipiendi Ordines includitur, cùm Ordini sacro annectatur votum castitatis. Ex quo sequitur, quòd Episcopus (qui potest dispensare in voto suscipiendi Ordinem sacrum) dispensando in voto de Ordine suscipiendo, dispensaret utique in voto continentiæ perpetuæ. Potest etiam dispensare in circunstantia voti ingrediendi Religionem arctiorem, scilicet Carthusianam: v. g. is, qui vovit ingredi Religionem Carthusianorum, potest per Episcopum dispensari, & ad mitiorem Religionem ingredi. Quia in eo adhuc subsistit voti substantia, ac ad Religionem obligatio. Nec versatur Episcopi dispensatio circa substantiam voti, sed solùm circa circunstantiam. Ita Lessius, Sylvester, Azorius, Cabassutius, & alij.

X. Quantùm ad votum in alicujus tertij gratiam emissum, dico, quòd si soli Deo factum fuerit; ut si quis voverit, aut promiserit Deo dare aliquid tali Ecclesiæ, aut pauperi, tunc Episcopus poterit dispensare, si non fuerit à Rectore Ecclesiæ, vel ab ipso paupere acceptatum; ut notant Angelus, Reginaldus, & alij. At si à paupere seu tertio acceptatum fuerit, certum est, quòd non potest dispensare. Quia per promissionis acceptationem, pauper, aut tertius in cujus gratiam votum fuit emissum, acquisivit jus in re promissa, quô non potest licitè privari ipso invito; tunc enim tertio debetur res promissa. Si verò hujusmodi votum à solo Confessario acceptatum fuerit, Episcopus poterit dispensare. Quia hæc acceptatio nullum jus tribuit tertio, in cujus gratiam votum emissum fuit, nisi Confessarius acceptasset illud consensu ac nomine illius tertij.

CAPUT XXII.

De tenore Votorum.

I. CUm votum nihil aliud sit, quàm promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono, necesse est, quòd obliget in conscientia; ita ut nullus possit non adimplere votum; quin peccet contra Deum. Quare Christus Math. 5. aït *redde*

Domino vota tua. Quæ verba nedum præcipiunt votum esse adimplendum, sed etiam adimplendum esse in tempore, quod vovens præscripsit sibi. Si verò nullum sibi tempus præscripserit, tenetur illud adimplere citiùs quàm poterit. Quia differens votum adimplere, suppositâ opportunitate, censetur æquivalenter nolle adimplere illud. Idem suadetur Deut. 23. *Cùm votum voveris Deo tuo non tardabis reddere* &c. Periculosum enim est tardare: quia inde nasci potest voluntaria omissio voti; etiamsi successu temporis fiat impossibile. Quia hæc impossibilitas adimplendi ex mora libera proveniret.

II. Votum absolutè & realiter emissum cum intentione illud adimplendi in tali tempore, obligat etiam elapso tempore. Quia voventis obligatio non cessat per temporis lapsum; pendet enim essentialiter à voluntate, quâ quis voluit se obligare præviâ deliberatione. Tempus ibi non est finis voventis, nec voti; sed circunstatia, & veluti quid extrinsecum, & secundarium. Ideoque is, qui vovit jejunare die Veneris v. g. tenetur jejunare die sequenti, si non jejunaverit die Veneris. Quando votum est in honorem, aut devotionem alicujus Sancti, quale est illud, quo, quis promittit jejunare die tertia Octobris in honorem Beatissimi Patris nostri Francisci, non obligat elapso tempore; ita ut vovens teneatur die sequenti jejunare. Hoc siquidem votum obligat eo modo, quo obligat præceptum Ecclesiæ v. g. de Missa audienda in die festo, cùm vovens principaliter intendat honorem Sancti, aut Sanctum honorare per jejunium præcedens diem solemnitatis; alioquin sequeretur, quòd vovens obligaretur ultra intentionem suam. Quod est falsum. Ratio hujus discriminis est, quia votum de jejunio observando die Veneris absolutè emissum, includit votum jejunandi semel in hebdomada, ut præceptum de Communione Paschali sumẽda includit præceptum de Communione sumenda semel in anno. Aliud verò, seu posterius est determinatum per diem, in qua Ecclesia honorat Sanctum.

III. Ut votum vim obligandi habeat, non sufficit nudum, & simplex propositum aliquid faciendi, vel non faciendi. Requiritur insuper promissio cum vera voluntate se obligandi can. *Litteraturam* de voto. Idque probat allata voti definitio, quâ constat votum esse promissionem deliberatam, idest non subitam, nec inconsideratam: nam cùm votum sit quædam lex privata obligans hominem Deo, necesse est, quòd votum fiat cum perfecta cognitione, & plena deliberatione, aut voluntate se obligandi. Hac de causa, promissio actu exteriori facta non sufficit ad validitatem voti; nisi fiat cum locutione interiori, scilicet cum animo se obligandi Deo: quia votum est actus Religionis, & Latriæ, qui soli Deo fieri debet, & semper de opere bono. Imo bonum, quod vovetur, debet necessariò esse melius, quàm ejus oppositum, idest non debet ex se impedire opus perfectionis. Etenim illicitum & nullum est vovere matrimonium, quia impedit continentiam & cœlibatum, quibus competit major perfectio, ut docet Tridentinum sess. 24. can. 10.

IV. Obligatio adimplendi votum reale, seu illud, quo, Deo aliqua res promititur, ut eleemosyna, aut aliquid pretio estimabile, transit ad hæredes voventis can. *parte* de censibus: nam sicut hæres succedit in jura, ita & in onera realia defuncti L. *hæres in omne* 37. Hic de votis realibus testatoris discurrendum est, sicut de ejus debitis, quæ hæres solvere tenetur, quantum ferre possunt hæreditatis vires. Ratio est. Quia vota realia, pariterque debita, non sunt bona testatoris, sed Dei (cui facta fuit promissio) & creditorum; ideoque de testatoris facultatibus solvenda sunt. Deinde intentio & obligatio defuncti erant satisfacere de bono proprio, quod per votum remanet obligatum, & acquiritur illi, in cujus favorem votum fuit emissum. Itaque res promissa non potest ab hærede retineri. Votum personale seu illud, quo, Deo promittitur aliqua actio ipsius voventis, aut omissio, ut v. g. jejunium, abstinentia à ludo, non transit ad hæredes: ut colligitur ex Canone citato.

V. Quàmvis votum emissum ex metu gravi & intrinseco, seu ex metu mortis ex aliqua periculosa infirmitate proveniente, sit validum, & obliget, cùm sit ipsi voventi gratum, ac bonum, atque emissum spontè, & cum plena deliberatione ob periculum vitandum. Nihilominùs dum emittitur ex metu gravi injustè incusso à causa extrinseca, & libera ad extorquendum votum, invalidum est: tale siquidem votum

votum non probat Altissimus, qui non dat vim injustæ coactioni, nec involuntariam recipit oblationem. Quare jura irritant professionem religiosam violentiâ, aut coactione parentum emissam. Quando autem metus est justè excussus, nec ad extorquendum votum incutitur; votum cum ipso factum, etiamsi gravis sit, est validum: tunc enim nulla fit injuria voventi, qui censetur liberè, ac voluntariè vovisse. Quia tenebatur, metum patienter sustinere; ac proindè votum cum ipso metu emissum, debet esse obligatorium, & ipsi voventi imputandum; cùm talem legem sibi imposuerit, dum sibi eam non imponere poterat, sustinendo scilicet pœnam, aut metum illi justè illatum.

VI. Error, qui versatur circa substantiam voti, aut materiæ promissæ, vel in eam quodammodò redundat, votum invalidat, ex defectu sufficientis voluntarij; nihil enim magis est contrarium consensui, quàm error. Undè si quis voverit dare Ecclesiæ calicem, quem habet apud se, & putat ipsum esse argenteum, non tenetur dare illum, si postea videat calicem esse aureum. Quia error est circa substantiam materiæ promissæ, & votum est invalidum; alioquin vovens teneretur dare plus quàm promisit. Quod est falsum. Hâc ipsâ ratione existimo, quòd si vovisset calicem aureum, & putasset ipsum calicem, quem apud se habet, esse aureum, illum dare teneretur, etiamsi postea invenisset eumdem calicem esse argenteum. Quia tunc error non tollit voluntarium, nec est circa substantiam materiæ promissæ, quatenus subjicitur voluntati voventis, qui liberè promittendo suum calicem, quem putat aureum, censetur promisisse calicẽ argẽteũ; nisi ratione causæ finalis votum invalidaretur: nam si calix fuisset promissus alicui Ecclesiæ propter necessitatem ejusdem, hæcque necessitas calicem aureum exigeret, tunc non teneretur dare illum calicem argenteum: quia votum non subsistit, deficiente causa finali, aut motiva. Ut notant Canonistæ. Alioquin sequeretur, quòd si quis voveret dare Petro annuatim centum nummos: quia putat illum esse in extrema necessitate, teneretur eos dare, etiamsi ipse Petrus fieret dives. Quod nullus concedit.

VII. Error, qui versatur circa causam impulsivam dumtaxat, nequit votum invalidare: talis enim causa est extrinseca & secundaria substantiæ voti minimè officiens. Nam si quis voveret v. g. adire Romam, limina Apostolorum visitaturus; ad hoc tamen impulsus causâ videndi fratrem Romæ existentem, teneretur votum suum adimplere, quàmvis postea certò sciret, fratrem esse mortuum. Quia conspectus fratris est causa secundaria, quæ non infirmat primariam, quæ ex morte fratris, seu ex defectu causæ impulsivæ non fit, nec remanet ultrà intentionem voventis, qui primariò & principaliter vovit Apostolorum limina visitare, quæ cùm subsistant, tenetur adire, & votum adimplere; nisi aliquo impedimento detineatur. Impotentia enim excusat: nedum Phisica, sed etiam Moralis, qualis est jussio Regis è Regno egressum sub gravi pœna prohibentis, aut paupertas: nam si vovens adire Romam, sit ita dives, ut intendat ire cum magno equitatu, & postea fiat pauper, ut ire non possit nisi pedester, & petendo eleemosynam, excusatur, quia noluit ita se obligare. Et error redundat in substantiam rei promissæ, ideoque votum irritat.

VIII. Ad legitimam materiam voti. 1°. requiritur, ut quod vovetur, sit in potestate voventis: nemo enim potest promittere, quod dare nequit. 2°. ut sit de opere bono ob bonum finem. Votum factum de opere bono ad consequendum malum finem, non valet: talis enim promissio censetur esse de re mala, & inhonesta. Unde invalidum est votum dandi eleemosynam, si vindicta ab hoste sumatur, aut si inimicus moriatur; quàmvis sit validum, si fiat de re bona ob finem indifferentem; quia finis indifferens non displicet Deo, sicut finis malus; cùm finis indifferens, nec bonus, nec malus sit, & consequenter vovens manet obligatus ratione voti de re bona.

IX. Materia voti est duplex: quædam enim est de præcepto ante emissionem voti, quædam verò non. Quando quis vovet materiam, quæ est sub præcepto ut v. g. non furari, non mentiri, non occidere, si tale votum transgrediatur, peccat contra præceptum, ac contra votum, & tenetur in confessione utrumque aperire. At si materia non sit sub præcepto, ut v. g. peregrinatio, votum quis transgreditur, peccat mortaliter contra votum dumtaxat. Peccat etiam transgressor voti facti sub honesta conditione futura, modò hæc evenerit, quia tunc votum fit absolutum.

Et si conditio duas partes respiciat, necesse est, quòd ex utraque parte adimpleatur, ut votum obliget. Quia vovens se obligavit intuitu effectûs, qui non habetur, si adhuc subsistat una conditio adimplenda. Quare vovens peregrinationem, si pater & mater à morbo liberentur, non tenetur votum adimplere, si pater tantùm liberetur. Quia conditio non est undequaque completa, nec votum fit simpliciter absolutum. Peccatet tamen si aliquid faceret, quo inhabilem se redderet ad impletionem voti v. g. si liberè ponetet aliquid morbo durante, quo impossibilis esset ipsi peregrinatio. Quia tunc censeretur nolle votum adimplere, etiam adveniente conditione. Quoad votum sub conditione turpi, dico contra Filliucium, Caïetanum, Leandrum, & alios, esse nullum, si dirigatur ad conditionem turpem tamquam ad effectum à Deo obtinendum: ut v. g. si ille, qui alium vulneravit, voveret Religionem, si vulneratus moreretur; itaut vellet ipsius vulnerati mortem, certum est, quòd tale votum esset invalidum: quia sic vovens facit Deum sceleris sui fautorem, & vult malum prohibitum, ut inde eveniat ei bonum. At si votum non dirigatur ad conditionem turpem, tamquàm ad effectum, sed solùm tamquàm ad pœnam, ut si voveret Religionem, adveniente vulnerati morte, ad pœnitentiam agendam in Religione; itaut non vellet vulnerati mortem, sed solùm pænitentiam, casu mortis, agere propter occisionem, certum est, quòd tunc votum esset validum: ibi enim conditio non vitiat votum. Idem dico de conditione necessariò & infallibiliter eventura. Quoniam talis conditio habetur statim pro impleta, & votum censetur absolutum. Unde vovens Religionem sub hac conditione, si sol cras oriatur, statim seu post voti emissionem remanet obligatus, & tenetur Religionem ingredi, nisi expresè intendat se non obligare ante adventum conditionis, seu ante ortum solis.

X. Nemo potest validè vota emittere, nisi sit sui juris, & compos perfectæ rationis; hinc est, quòd pueri ante usum rationis, amentes, ac furiosi, vota emittere non possunt. In eadem impotentia sunt omnes subditi, & alij, qui non sunt liberi, nisi accedat consensus illius cui subjiciuntur. Ætas autem, aut usus rationis ad firmiter vovendum, sufficit, dum sufficit ad peccatum mortale (excepto voto professionis Religiosæ, quod invalidum est ante ætatem à Concilio Tridentino determinatam) quia posse legem violare, est posse se lege, seu voto ligare: illi enim qui ab Ecclesia, vel Principe ligantur, possunt ligare se ipsos.

XI. Personæ, quæ non possunt validè & firmiter vovere, sunt Episcopus, Clericus Sæcularis, Religiosus professus, filiusfamiliàs, & uxor sub potestate mariti existens: quia dependentiam ac vincula indissolubilia habent. Episcopus enim nequit suam deserere Diœcesim; ideoque nequit emittere votum huic obligationi contrarium, & sic de aliis personis jam numeratis, quæ aliquâ ligantur obligatione respectu Superiorum, quibus inconsultis, nullum potest ab ipsis emitti votum, quod sit ipsarum obligationi, & dependentiæ contrarium. Unde existimo cum Navarro, Azorio, Sylvestro, & aliis, uxorem posse emittere vota, quæ nullum præjudicium afferunt usui conjugij, nec gubernationi familiæ. Quia in his tantùm subest marito, ut inquit Mastrius; & consequenter cùm in aliis rebus libera sit, vovere potest, modò ex voto nullum sequatur marito, aut familiæ detrimentum. Dixi *validè* supra. Quia si vovent, non peccant: etenim Ecclesia declarans hujusmodi personarum vota esse nulla, non declarat ea esse illicita: nec ea prohibet, sed solùm ea non acceptat. Dixi *firmiter*. Quia vota ab inferioribus emissa inconsulto Superiore, fiunt nulla, si Superior contradicat. Cùm nullus subditus firmiter voto se obligare possit in his, in quibus alterius potestati subjicitur, nisi consensus ejus accedat, aliàs inferior se dispensare posset in voto obedientiæ.

CAPUT XXIV.

De Parochis.

I. Sacerdos, qui linguam latinam penitus ignorat, nequit fieri Parochus: ut ex variis Conciliis colligitur. Idemque suadet notitia sacrorum Canonum, ad quorum observantiam tenetur ipse Parochus in toto orbe Christiano. In Gallia verò præter notitiam linguæ latinæ, ex concordatu Bononiensi inter Leonem. X. &

Franciscum Regem, requiritur, ut in Theologia, vel in sacris Canonibus sit graduatus, antequàm intra Urbes, & Oppida murata Parochus constituatur. Plurimùm laudanda est hæc cōstitutio, quia in hujusmodi locis frequentiùs advenire possunt majores difficultates animarum curam concernentes, quæ resolvi non possent, nisi à viro in sacra Theologia, vel in sacris Canonibus graduato. Nec sufficit, quòd in Parochia sint alij Sacerdotes docti, quia hæc obligatio non sequitur coadjutores Parochi in cura, sed curam ipsam, quæ cum Parocho incumbat, necesse est, quòd ipse Parochus in hujusmodi locis constituendus, prædictum gradum priùs obtinuerit.

II. Necesse est insuper, ut Parochus sciat loqui idiomate loci, seu Parochianorum suorum linguâ, nè sit eis in locutione barbarus, teste Apostolo 1. Chorinth. cap. 14. vers. 11. Dicente *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* Quomodo enim Parochus poterit docere populum in fide Catholica; si ab ipso intelligi nequeat? Apostoli speciali Spiritûs Sancti dono loquebantur variis linguis, ut possent omnes edocere gentes, ad quas mittendi erant à Christo Math. ult. vers. 19. quasque de facto docuerunt, ut testatæ sunt ipsæmet gentes; juxta illud act. 2. vers. 11. *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Hanc ipsam linguam vernaculam esse Parochis necessariam declarat sacra Tridentina Synodus sess. 24. de reform. cap. 7. Avarus non potest fieri Parochus, ut præcipit Concilium Parisiense lib. 1. Can. 15. Quia debet esse studiosè sollicitus de pauperibus Parochiæ suæ ex Concilio Avenionensi celebrato anno 1549. tit. 42. Præterea avarus est infideli deterior Can. *Quaro ergo.* 6. quæst. 1. Ideoque nequit esse pastor, seu Parochus populi à Deo electi in fide regendi.

III. Officia Parochi sunt morientibus Ecclesiastica Sacramenta administrare, infirmos & egenos visitare, singulis saltem diebus Dominicis prædicare ad populum de rebus fidei, & de aliis morū integritatem, ac pietatis officia concernentibus, eumque de diebus festis, atque jejuniis intra hebdomadam observandis admonere, ut præcipit Concilium Ravennense 3. can. 10. Item pueros, & rudiores personas docere rudimenta Fidei, & præsertim dum ad communionem sumendam destinari debent; aliter Episcopus potest in hoc munere substituere, & substituto congruam portionem præbere de redditibus Beneficij. Insuper parochus ex officio tenetur vitia publica, præsertim blasphemias, usuras, concubinatus, viduarum atque pupillorum oppressiones, & similia mala prudenter corrigere, cùm pro animabus sibi commissis sit Deo rationem redditurus in strictissimo judicio.

IV. Omnes Canonistæ conveniunt, Parochum non posse alteri delegare jurisdictionem audiendi confessiones in sua Parochia. Quia definitum manet in Tridentino sess. 23. de reform. cap. 15. Sed non conveniunt, an possit exponere ad confessiones audiendas Sacerdotem approbatum ab alio Episcopo à Diœcesano? Henriquez, Coninch, & alij affirmant, modò ille Diœcesanus non contradicat. Eorum ratio est. Quia potestas approbandi, vel delegandi jurisdictionem, olim Parochis concessa, non fuit ablata à Tridentino, sed solùm ablatum fuit judicium de idoneitate requisita pro confessionibus audiendis. Sed displicet hæc ratio. Quia mens Concilij est, nullum Sacerdotem posse Sæcularium confessiones audire in aliqua Parochia, nisi habeat Beneficium parochiale ejusdem Parochiæ, vel approbationem Episcopi Diœcesani, seu nisi ab ipso judicetur idoneus. Ergo Concilium, nedum potestatem delegandi jurisdictionem revocavit, sed etiam judicium de idoneitate requisita: probabilius enim est Patres Concilij hoc Decreto velle nullum Sacerdotem posse Sæcularium confessiones audire, inconsulto Episcopo, quàm Parochos posse committere pro confessionibus audiendis Sacerdotem ab alio Episcopo approbatum. Inde infero contra Sylvestrum verbo *Confessor.* 1. num. 12. Armillam verbo *Confessio* num. 34. & alios, Parochum non posse extra Diœcesim audire confessionem sui Parochiani, eumque absolvere, non habitâ Ordinarij loci approbatione: usus enim ubique receptus, est subditorum delicta non posse puniri, nec absolvi, nisi authoritate Superioris in quo resident jurisdictio ordinaria, & jus delegandi eam.

V. Quàmvis Parochus teneatur Parochianorum suorum confessiones audire, dum ab ipso audiri petunt, admittenda est tamen quædam discretio, non enim urget.

hæc obligatio toties, quoties Parochianus vult audiri, etiamsi sit in peccato mortali, quidquid dicant Navarrus, Adrianus, Sotus, & alij opinionem nostram parum piam reputantes; sed solùm eo tempore, quo Parochiani tenentur confiteri peccata: magna enim est connexio inter debitum Parochi, & debitum Parochianorum, cùm hæc duo sint correlata. Itaque dum Parochianus tenetur confiteri, ut tempore Paschatis, imminentis mortis periculi, matrimonij contrahendi, aut alterius similis causæ, tunc Parochus tenetur illum audire sub pœna peccati mortalis, si requiratur. Ita Reginaldus, Silvester, Medina, & Richardus in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 2. Si hæc opinio sit parum pia, ut volunt adversarij; altera est nimis onerosa; cùm ponat salutem Parochi in arbitrio Parochianorum. Eadem obligatio astringit Prælatos Regulares respectu subditorum: ut monet Delugo disp. 16. sect. 15. num. 9.

VI. Eâdem ratione tenetur Parochus sub mortali Missam celebrare, vel curare, ut celebretur toties, quoties Parochiani tenentur eam audire. Nec hoc sufficit, tenetur insuper tunc pro ipsis eam applicare. Hæc opinio multùm displicet Bonacinæ & aliis, qui dicunt Parochum obligari ad Sacrificij applicationem in solemnibus, & diebus Dominicis dumtaxat. Ratio nostra est. Quia ea, quæ Parochus tenetur Parochianis reddere, sunt Parochianorum, & ipsis gratis concedenda; sed Parochus tenetur celebrare Missam toties, quoties Parochiani tenentur eam audire. Hæcque est verè Missa Parochianorum, qui illā exigunt omnibus diebus festis, veluti rem debitam, ergo tunc Missa integra, aut integrè debetur ipsis Parochianis, non solùm ut eam audiant pro præcepto de Missa audienda adimplendo, sed etiam ut Sacrificij fructum recipiant. Quia in illis diebus tenetur pro Parochianis orare; cùm ab ipsis Parochus stipendium, seu decimas accipiat, & de lacte gregis comedat; ideoque Parochus tenetur ex justitia applicare Missam prò Parochianis, dum Parochiani tenentur eam audire. Idem asserit Barbosa in collat. declarat. verbo *Missarum eleemosyna*. Ubi asserit, Parochum non posse eleemosynam manualem accipere pro Missis, quas celebrat diebus festis, & refert Decretum sacræ Congregationis Cardinalium Parochos ad hoc obligans.

VII. Potest Parochus pecuniam exigere, quando præstat sacrum Ministerium (modò excludatur pactum ut vitetur simonia) quod præstare non tenetur ut v. g. Missas solemnes decantare pro defunctis ad hæredum requisitionem, candelas subministrare, & similia, quæ præstare non tenetur. In his omnibus potest licitè aliquid exigere ratione laboris aliàs indebiti, non autem in his, quæ præstat ex officio parochiali, aut quæ Parochia exigit ab ipso, qualia sunt Sacramentorum administratio, & sepulturæ traditio: ut determinatum fuit in Concilio Moguntino celebrato sub Paulo III. nisi careat congruis stipendiis ad vitam honestè sustentandam; tunc enim potest aliquid honestè exigere; & præsertim, si quæ ab Episcopo taxata fuerint, non excedat; ut docet D. Thomas 2.2. quæst. 100. art. 13. in corp. Jus commune exigit, ut unius Ecclesiæ Parochialis unicus sit Parochus titularis can. *sicut* 21. quæst. 2. hicque stabilis ad vitam; quia Parochia est ejus sponsa, quæ unicum debet habere sponsum, & hunc ad vitam. Ecclesia, ut sit Parochialis, tria simul requirit, nimirum fontem Baptismalem, jura sepulturæ, & curam fori pœnitentialis, & Sacramentorum: ut notat Cabassutius lib. 1. cap. 18. num 1.

VIII. Dissidium olim magnum fuit inter Canonistas, an Parochus possit exigere, ut cadavera defunctorum priùs deferantur ad Ecclesiam parochialem, quàm ad eam, in qua debent sepeliri? Plures hoc indistinctè, & indiscretè approbant ut (inquiunt) Fidelis ultimum *ave* dicat matri suæ, & ei pro salutis pabulo gratias agat. At hæc ratio non sufficit, nisi extra Parochiam mortuus fuerit homo, ut declaravit sacra Congregatio die 11. Decembris 1615. Quia in hoc casu non recipit à Parocho Sacramenta, quæ morientibus dantur, nec ultimum osculum pacis; ideoque tunc Parochus posset exigere, ut parochianus ultimum *ave* dicat matri suæ. Alij autem absolutè id negant. Quia dum moriens sacrum Viaticum, aut Extremam-Unctionem suscipit de manu sui Parochi, dicit illi ultimum *ave*, & ipse Parochus dicit ultimum *vale* Parochiano suo. Quàpropter solus Parochus potest hujusmodi Sacramenta administrare Cle-

ment de privileg. Huic rationi addunt, declaratum fuisse in sacra Congregatione Regularium die 22. Februarii anno 1631. corpora defunctorum esse recto tramite deferenda ad Ecclesiam, in qua est sepultura. Idem præcipiunt Pius V. in constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*, & statuta Cleri Romani cap. 5. Huic posteriori sententiæ favet opinio Canonistarum: electâ enim sepulturâ, Parochus nullam jurisdictionem habet erga corpora defunctorum, quamvis habeat jus ad quartam funeralem. Tum quia mors omnia dissolvit. Tum quia eodem jure (ab omnibus recepto) quo fidelis potest sibi eligere sepulturam, eximitur à jurisdictione Parochi in his, quæ sepulturam concernunt: alioquin sepultura non esset libera: nam posse eligere sepulturam, est posse eligere Sacerdotem pro sepultura. Et dicere volo sepeliri v. g. in Ecclesia Sancti Francisci, idem est ac dicere: volo, quòd Religiosus Sancti Francisci præbeat mihi sepulturam, seu exerceat in sepultura mea omnia ea, quæ juxta rituale Romanum facienda sunt in sepultura defunctorum, & quæ Parochus faceret, si in parochia sepulturam elegissem; ergo Parochus non potest ex vi juris exigere, ut cadavera defunctorum ad Ecclesiam parochialem deferantur; cùm nullam habeat jurisdictionem in defunctos, nec in eos, in quorum Ecclesia sepeliri voluerunt. Inde sequitur, Parochum corpus defuncti deferentem ad aliam Ecclesiam, nullum habere jus ingrediendi Ecclesiam illã, nec ibi exequias celebrandi; quia ejus jurisdictio in sola parochiali Ecclesia consistit. Neque potest illam extendere ratione parochiani extra parochiam sepeliendi. Cùm ex Regulis juris in 6. *Nemo possit plus juris in alium transferre quàm ipse habet.* De hac re plura sunt summorum Pontificum Decreta, & Senatus-consulta Curiarum Galliæ in favorem Regularium concessa.

IX. Quamvis Parochi sit levare corpus defuncti, ita ut Regulares non possint deferre illud, nisi præsente Parocho, vel ipso recusante, vel nisi consuetudo sit contraria, quæ si laudabilis sit, habet vim legis. Non potest tamen ipse Parochus impedire Regulares, nè deferant illud processionaliter juxta constitutionem Benedicti XI. *Inter cunctas* de privilegiis §. *porrò* ubi legitur *ut circa sepulturam apud loca eorumdem fratrum eligentium sepeliri, & portionem canonicam de relictis eisdem fratribus minimè detrahendam, nequeat imposterùm dubitari; jubemus, ut corpora defunctorum, qui apud eorumdem Fratrum loca elegerint, dum viverent, sepulturam, processionaliter cum Cruce, Thuribulo, & Aqua benedicta, cantando, seu legendo officium mortuorum, vel psalmos, & alienas ingredientes Parochias possint assumere, & ad suas deferre Ecclesias tumulanda.* Huic constitutioni suffragatur ratio Juris, quo licet Regularibus sepelire mortuos; & Sæcularibus conceditur facultas eligendi sepulturam apud Regulares: nam licentia sepeliendi mortuos, eosque deferendi in Ecclesiam, includit licentiam deferendi eos, & sepeliendi juxta formam præscriptam in rituali Romano; cùm ex Regula 42. Juris in 6. *accessorium sequatur principale.* Et licentia eligendi sepulturam includat licentiam eligendi ceremonias, aut modum sepulturæ. Quia necessariò sequuntur illam: sed hæc forma præscribit Crucem, Stolam &c. ut est manifestum: ergo Regulares, qui jure deferunt corpora defunctorũ, debent eos deferre processionaliter, & more Ecclesiastico, nec possunt in hoc licitè impediri per Episcopos, qui tenentur observare constitutiones Apostolicas, nullumque possunt Regularibus inferre gravamen can. *nimis iniqua* de excess. Prælat. De hac re plura sunt Senatus-consulta Curiarum Galliæ.

X. Quæritur, an Parochus non jejunus possit consecrare Hostiam secretò, ut deferat Communionem morienti, qui eam petit, si nulla sit in pyxide Hostia? Sotus, Major, Filliucius, & alij, quos citat Diana part. 2. tract. 14. resol 66. affirmant. Eorum ratio est. Quia Eucharistiam sumere in fine vitæ, est de præcepto divino. Aliud verò de Missa jejunè celebranda est Ecclesiasticum; & inde concludunt, parochum teneri adimplere primum, seu Communionem dare morienti. Sed non placet hæc illatio. Quia in tali casu præceptum divinum non obligat morientem, sufficit ipsi Communionis votum, si deficiat Hostia consecrata, sicut sufficeret ipsi contritio cum voto confessionis, si deficeret Sacerdos. Imò pleniùs sufficit; cùm Communio illa non esset absolute necessaria ad salutem, sicut confessio peccatorum. Igitur Parochus non tenetur tunc consecrare Hostiam, imò nec potest illam

licitè consecrare, cùm non esset in necessitate indispensabili transgrediendi præceptum Ecclesiasticum de Missa jejunè celebranda, quàmvis dum duo præcepta simul concurrunt, & unum omittere necesse est, præcipuum sit observandum: quia in nostro casu, præcipuum, quod est de communione à Parocho danda morienti, non obligat ob defectum Hostiæ consecratæ. Ita Victoria, Ledesma, & alij, quorum ratio est. Quia obligatio sumendi sacram Communionem obligat tantùm, quando potest decenter, ac reverenter sumi, & confici Eucharistiæ Sacramentum. Unde cùm in nostro casu non possit istud Sacramentum decenter confici à Parocho non jejuno, concludunt, quòd infirmus non obligatur, nec Parochus.

XI. Agitatur, an Parochus possit præsente Episcopo dispensare in jejunio parochianum, si subsit justa causa? Plures affirmant cum Bonacina, & Villalobos. Sed alij hanc sententiam rejiciunt tamquàm minùs probabilem. Huic posteriori sententiæ lubens subscribo. Quia non habet potestatem illam ex jure, nec ex consuetudine introducta, licèt parochi ex justa causa dispensent absente Episcopo; omnes enim in jejunio dispensandi recurrunt ad Episcopum, vel ad Vicarium Generalem, si facilis sit aditus ad ipsos. Deinde hæc dispensatio est actus jurisdictionis pastoralis, quæ non potest à parocho exerceri in præsentia Episcopi, sed solùm eo absente, si necessitas id postulet, quia tunc Episcopus tacitè consentit, ut Fidelibus sufficienter provideatur de remedio circa jejunium, quod sæpe nequit ab omnibus observari; & pro cujus dispensatione obtinenda, sæpe impossibile est recurrere ad Episcopum, ideòque necesse est, ut parochus dispenset absente Episcopo.

CAPUT XXV.

An Parochus sit ille proprius Sacerdos, cui ex Concilio Lateranensi confitenda sunt peccata semel in anno.

I. MAxima fuit olim controversia inter Doctores, an Fideles teneantur semel in anno peccata sua confiteri proprio parocho, ita ut illicitum sit ea confiteri alteri sacerdoti, sive Sæculari, sive Regulari ab Ordinario pro confessionibus audiendis approbato. Nonnulli affirmarunt in Gallia. Quia existimabant proprium Sacerdotem, cui ex cap. *omnis utriusque* confitenda sunt peccata semel in anno, esse solum parochum. Sed probabilior & communior est sententia opposita: nam Concilium Lateranense in illo præcepto, per proprium Sacerdotem non intelligit parochum tantùm, nec accipit proprium secundùm quod excludit commune, sed secundùm quod excludit alienum; cùm quilibet Episcopus in sua Diœcesi sit proprius Sacerdos, & habeat jurisdictionem ordinariam ad Confessarios approbandos pro toto Episcopatu; quin parochus possit eam suspendere, seu impedire, nè approbet pro tempore Paschatis, sicut approbat pro aliis partibus anni. Igitur confessio quæ fit Sacerdoti approbato ab Episcopo, etiam tempore paschatis, est valida, nec eam improbat cap. *omnis utriusque* Concilij Lateranensis; alioquin Patres Concilij limitassent Episcoporum approbationes, & ad Parochos totaliter jurisdictionem cõmisissent pro confessionibus audiendis tempore Paschatis, quod est falsum; cùm Episcopi ex officio habeant jurisdictionem plenam & ordinariam, hancque cum jure delegandi in ordine ad subditos, possintque etiam præsente parocho, officia parochi exercere, & potestatem absolvendi à peccatis conferre Sacerdoti absque ulla temporis limitatione: cui confiteri, est proprio Sacerdoti confiteri; cùm habeat vicem Episcopi.

II. Solus Episcopus se interponere debet in his quæ spectant ad approbandos Sacerdotes sacræ confessionis Ministros, ut habetur in declaratione Concilii Tridentini sess. 23. de reformat. cap. 15. num. 6. ex quo sequitur nullum Sacerdotem posse confessiones audire de licentia solius parochi, pariter & nullum posse confessiones Sæcularium audire sinè licentia, & approbatione Episcopi, nisi parochiale beneficium habeat, ut expressè sancit sacra Tridentina Synodus loco citato. Igitur Parochus nequit etiam tempore Paschatis licentiam concedere Sacerdoti pro confessionibus audiendis, ac proinde concludendum est, quòd Lateranense non

intendit annuam confessionem pertinere ad Parochum, nec ad alium de ipsius licentia, vel quod si hæc fuerit mens Patrum Lateranensium, Tridentinum aliter decrevit, ac statuit confessionem factam Sacerdoti approbato esse validam, & hunc esse proprium Sacerdotem: nam Concilium Tridentinum loco citato removens à Parochis facultatem approbandi, aut jus delegandi jurisdictionem, Episcopis concessit jus instituendi in hac parte proprium Sacerdotem, præter Parochum. Quia ut monet Toletus lib. 6. cap. 11. Proprius Sacerdos est unus ex his tribus, qui ex officio habet potestatem absolvendi, ut Prælatus, & Parochus, aut ex commissione summi Pontificis, qui est proprius Sacerdos in tota Ecclesia, vel ex commissione Episcopi, qui est proprius Sacerdos in tota Diœcesi, aut ex facultate pœnitenti concessa: multi enim pœnitentes per privilegia, aut diplomata, seu Bullas proprios Confessarios sibi eligere possunt, & præsertim Reges, & Reginæ, ut notat Mastrius disput 12. num. 49.

III. Leo Papa X. in Bulla, quæ incipit *Dum intra mentis arcana* controversias in hac materia ortas componere volens, ordinatuvir: omnes qui confiterentur mendicantibus ab Ordinario approbatis, satisfacerent præcepto Concilij Lateranensis cap. *omnis utriusque* quantùm ad confessionem. Hæc Leonis Constitutio approbata fuit in Concilio Lateranensi V. ubi etiam receptum, & approbatum fuit concordatum inter eumdem summum Pontificem, & Franciscum primum Galliæ Regem. Idem declaravit Innocentius X. cujus Decretum refertur à Pontio nostro in summa Theolog. dis. 46. quæst. 9. num 111. Ergo Fideles non tenentur semel in anno confiteri Parocho; sed præcepto satisfaciunt, si confiteantur alteri Sacerdoti approbato ab Episcopo, vel à Vicario Generali. Nec potest Parochus parochianos licitè compellere: ut ad ipsum, vel ad alium ab ipso destinatum accedant tempore Paschatis ex vi cap. *omnis utriusque sexûs* pro confessione annua; cùm modò privetur facultate delegandi alios Sacerdotes pro confessionibus audiendis; & Sacerdotes approbari ab Ordinario, vel à summo Pontifice, approbati existant, etiam tempore Paschatis, ut jam monui; idemque probat universalis Ecclesiæ praxis: Etenim Confessarij, qui per annum confessiones audiunt, eas etiam audiunt tempore Paschatis, inconsultis parochis. Et nullus est pœnitens, sive Clericus sit, sive Laïcus, qui in eo loco, ubi plures ab Ordinario delegati sunt Sacerdotes pro confessionibus audiendis, credat se astrictum confiteri Parocho.

IV. Parochus non potest etiam tempore Paschatis peccata sua confiteri simplici Sacerdoti, nec habet potestatem eligendi sibi Confessarium; ut docent communiter Doctores post Tridentinum; Episcopus autem habet illam: ut ex variis textibus Juris constat, & experientiâ comprobatur; idcirco potiùs Episcopus, quàm Parochus est proprius Sacerdos, cui, vel alteri de ipsius licentia, Fideles tenentur ex vi Concilij Lateranensis confiteri peccata. *Dices*, inde sequi Decretum Concilij Lateranensis esse superfluum, nullumque jus novum tribuere Episcopis; cùm ex jure, Episcoporum sit Confessarios approbare, & consequenter Concilium statuendo Fideles teneri semel in anno peccata sua confiteri proprio Sacerdoti, voluit nullum posse, saltem tempore Paschatis Confessiones audire, nisi Parochum, vel alium de licentia ipsius: quia antea audiebantur è parocho, vel ab alio de licentia Episcopi. Respondeo Decretum Concilij Lateranensis non esse superfluum, sed aliquid innovare: nam tempore ejusdem Concilij Lateranensis, Regulares virtute privilegiorum audiebant confessiones Sæcularium absque ulla Episcoporum, & Parochorum approbatione, cum sola præsentatione; & Concilium declaravit peccata esse semel in anno confitenda proprio Sacerdoti, seu Confessario ab Episcopo approbato, aut à Parocho, qui tunc potestatem delegandi habebat, & ideo aliquid innovavit: videlicet Regulares non posse Sæcularium confessiones audire tempore Paschatis sinè approbatione, quas antea audiebant approbatione petitâ, quàmvis non obtentâ: non verò solum parochum posse per se, vel per alium confessiones audire tempore Paschatis.

V. Hæc expositio evidenter colligitur ex Concilio Lateranensi V. sub Leone X. quod interpretans cap. *omnis utriusque sexûs* Concilij Lateranensis sub Innocentio III. loquendo de mendicantibus, sic aït, *Talibus præsentatis, & admissis, vel etiam indebitè recusatis, confitentes, constitutioni, quæ incipit, omnis utriusque sexûs, quo-*

ad confessionem satisfecisse censeatur, sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus. Ita refert Bruno Chassaing de privileg. Regular. tract. 5. cap. 1. propos. 4. Quibus verbis liquidò constat, Regulares teneri approbationem petere ab Ordinario juxta constitutionem *omnis utriusque*; licèt velit, quòd si indebitè, seu sinè justa causa recusentur, confessiones sint validæ, absque ulla alia obligatione satisfaciendi præcepto, aut constitutioni *omnis utriusque*. Constat etiam ex eodem Concilio Lateranensi V. Episcopum non posse ex vi ejusdem constitutionis *omnis utriusque* suspendere pro tempore Paschatis jurisdictionem Regularium, qui ab ipso approbationem obtinuerunt pro confessionibus audiendis, tamquam indebitam, & à Concilio Regularibus prohibitam pro tali tempore, seu à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, ut Fideles satisfaciant præcepto annuæ confessionis. Idem declaratum fuit à sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, instantibus Regularibus Civitatis Bardigalensis die 9. Julij 1644. Postea confirmatum per Bullam expressam Innocentij X. die 7. Februarij 1645. hæcque recepta fuit in Gallia, & executioni demandata die 11. Martij ejusdem anni authoritate Regis nostri Christianissimi.

VI. Quàmvis simplex Sacerdos possit absolvere infirmum in articulo mortis existentem: ut declarat Tridentinum sess. 14. cap. 7. de pœnit. tamen hanc potestatem non habet præsente Sacerdote proprio, seu approbato. Ita Covarruvias, Coninch, Sylvester, & alij gravissimi contra Barbosam, Villalobos, Dianam & alios etiam gravissimos. Finis etenim Concilij Tridentini simplici Sacerdoti facultatem hanc concedentis, est, nè hâc ipsâ occasione aliquis pereat; sed hic finis, aut hæc necessitas non subsistit, quando Sacerdos approbatus est præsens. Igitur non valet facultas, aut licentia à Concilio concessa simplici Sacerdoti; cùm cessante fine legis, aut privilegij, cesset pariter ipsa lex. Deinde alia Sacramenta absolutè necessaria, quæ in necessitate administrari possunt à quolibet Sacerdote, non administrantur à Sacerdote simplici, quando adest idoneus, vel proprius; ut tenent omnes Doctores communiter: quia jus nequit esse in simplici Sacerdote, nisi ob defectum proprij. Idem dicendum est de administratione Sacramenti pœnitentiæ juxta mentem Concilij: nisi infirmus ob legitimam causam ipsi soli notam, posset Sacerdotem approbatum recusare, & de facto recusaret illum. Quia tunc censeretur absens; & simplex Sacerdos, cui confiteri vellet, posset licitè, ac validè uti Jurisdictione a Concilio in tali casu sibi concessa: adhuc enim subsisteret finis Concilij.

VII. Quæritur, an si proprius Sacerdos adveniret, confessione incœpta, ipse Sacerdos non approbatus teneretur confessioni finem facere, & pœnitentem remittere ad Sacerdotem approbatum? Negant plures, quos citat & sequitur Leander. Alij affirmant. Sed prior opinio videtur mihi probabilior, propter integritatem Sacramenti. Tum quia in tali casu simplex Sacerdos habet veram atque legitimam jurisdictionem, quæ quàmvis revocetur per præsentiam proprij Sacerdotis, re adhuc integra, tamen non revocatur, re jam incœptâ, aut non integrâ: ut regulariter asseritur in jure de jurisdictione delegata; ideoque potest confessionem incœptam perficere & absolvere.

VIII. Iterum quæritur, an solus proprius Sacerdos, seu approbatus possit absolvere à peccatis venialibus, & à mortalibus jam ritè confessis? Plures negant. Quia tenent, quemlibet Sacerdotem etiam non approbatum habere jurisdictionem absolvendi à venialibus ex vi potestatis Ordinis. Ita Caietanus, Suarez, Reginaldus, & alij quamplurimi: quibus novissimè subscripsit Cabassutius lib. 3. cap. 8. num. 11. At opinio opposita videtur mihi probabilior, ac tutior. Quia absolutio à venialibus est actus judicialis, qui necessariò exigit in Judice legitimam jurisdictionem, quæ ex Tridentino sess. 23. de reform. cap. 15. obtineri non potest nisi per approbationem Ordinariorum, vel per Beneficium parochiale. Nec valet dicere, Concilium loqui solùm de jurisdictione pro mortalibus absolvendis. Concilium enim loquitur indistinctè de peccatis, & declarat potestatem Ordinis non sufficere pro absolutione danda: cùm dicat *quàmvis Presbiteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum &c.* Minùs valet dicere, quòd confessio venialium & mortalium ritè remissorum est libera. Quia licèt

licèt libera sit in sensu diviso, & possit omitti; tamen non est libera in sensu composito. Reverà possumus hujusmodi peccata confiteri, vel non confiteri; sed dum ea confiteri volumus, Judici competenti sunt declaranda, nullus enim potest sedere pro tribunali sinè Jurisdictione illius, in cujus territorio est tribunal; nec judicium ferre, quin sit Judex: sed solus Sacerdos approbatus, juxta Tridentinum, est Judex peccatorum; igitur simplex Sacerdos non habet potestatem absolvendi à venialibus, quorum absolutio profertur per verba, per quæ profertur absolutio mortalium: quod indicat utrumque ab una, & eadem Jurisdictione provenire. Hanc sententiam tenent Mastrius, Brancatus, Faber & alij recentiores.

IX. Authores adversantis sententiæ addunt, simplicem Sacerdotem habere hanc Jurisdictionem à summo Pontifice, qui habet ordinariam potestatem in universa Ecclesia. At hoc videtur mihi gratis dictum: nullibi etenim apparet, Papam concessisse simplici Sacerdoti potestatem absolvendi à venialibus. Nec est de hac Jurisdictione aliqua consuetudo recepta in Ecclesia. Quia nullum videmus Sacerdotem audire confessiones etiam venialium, nisi habeat Jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Alij volunt simplicem Sacerdotem recipere Jurisdictionem ab ipso pœnitente, se illi subjiciente. Quod est etiam improbabile. Quia nullus Laïcus habet illam, ideoque nequit eam alteri conferre, cùm nemo det, quod non habet.

CAPUT XXVI.

De Religiosis.

I. VT professio Religiosa sit valida, & per ipsam homo fiat irrevocabiliter Religiosus, tres conditiones requiruntur. Prima est aptitudo voventis, scilicet ut decimum sextum ætatis annum expleverit, juxta Tridentinum sess. 25. cap. 15. de Regular. Olim sufficiebat eadem ætas, quæ ad validum matrimonium exigitur, in masculo annorum quatuordecim, & in femina duodecim completorum; ut habetur in can. *Significatũ* de Regular. & in aliis. Sed his demùm succedens Tridentinum exigit in utroque sexu annos ætatis sexdecim completos, & integrum probationis annum cum habitu religioso. Secunda est, ut professio fiat voluntariè absque ulla violentia, seu nullo cogente; votum enim emissum ex metu gravi injustè incusso, est invalidum: quia censetur involuntarium. Quare idem Concilium Anathemate ferit sive parentes, sive quoscumque alios, qui per vim, aut metum quemquam ad Religiosum statum provocaverint, vel ad hoc consenserint: quia consentientem & facientem eadem pœna constringit; ut patet in Jure, & ex Apostolo ad Roman. 1. vers. 23. Tertia conditio est acceptatio Prælati aut Superioris Religionis expressa, vel tacita. Nullus enim potest validè incorporari Religioni independenter ab eo, qui Religionem regit. Inde sequitur, quòd professio, cui deficit aliqua ex his conditionibus, est nulla. Quia sunt essentiales. Et ille, qui professionem cum aliquo defectu ex prædictis emisit, potest tutâ conscientiâ exire, & uxorem ducere (nisi conditionem deficientem postea ratificaverit expressè, vel tacitè) modò professionis suæ nullitatem notificet Superiori intra quinquennium, ut declarat Tridentinum loco laudando capite sequenti; cùm censeatur professionem suam ratificasse per quinquennium integrum.

II. In Jure communi duplex est professio Religiosa, expressa scilicet, & tacita. Illa fit verbo, vel scripto ipsius voventis in manibus illius, qui potest ipsum Religioni incorporare. Ista verò, seu tacita fit portando habitum apud Religiosos per notabile temporis spatium, consentiente Superiore, faciendo opus solis professis conveniens can. *vidua* de Regular. can. *ad nostram.* Hic tamen observa in Regno Galliæ nullam aliam admitti Religiosam professionem, nisi expressam. Ut observat Cabassutius lib. 1. Juris Canonici cap. 20. num. 10.

III. Religiosus ex vi professionis suæ obligatur sub mortali ad observantiam trium votorum, obedientiæ, paupertatis, & castitatis, quæ sunt essentia status Religiosi can. *Cùm ad Monasterium* de stat. Monach. & Canon. Regular. An verò Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis à prædictis votis immunis fiat? D. Thomas 22. quæst. 185. art. 8. Mastrius, Sanchez, & alij docent Religiosum factum Episcopum teneri ad observantiam voto-

rum ex vi professionis. Quia status Religiosus se habet ad Episcopatum, sicut dispositio ad perfectionem; nec relaxantur vota per sequentem Episcopatum, nisi quatenus dignitati Episcopali, tamquam majori bono obsistunt. Sed displicet hæc ratio. Quia Episcopatus nedum est status perfectior, sed etiam est status alterius generis, & quoddam Sacramentum separans à Religione, seu Ordine Religioso, & uniens Ecclesiæ à Superioribus Religionis independenti. Igitur asserendum est, Religiosum factum Episcopum, dominium verum habere, eo modo, quo alij Episcopi habent illud, & esse exemptum à præceptionibus, obedientiis, & abstinentiis in Regula præscriptis, ac si numquam fuisset Religiosus: nam per Ordinationem absolvitur à jugo Regulæ Monasticæ professionis; ut declarat can. *statutum* 18. quæst. 1. His addo, quòd votum paupertatis non est simpliciter personale, sed personale Regulare; hoc est personæ subjectæ tali Regulæ aut Ordini; unde cùm sit extra Ordinem, votum non ligat. Huic sententiæ favet consuetudo, quæ viget in Gallia, in qua Religiosi facti Episcopi, nulla in re Religioni astringuntur, nisi ad colorem Ordinis in habitu servandum, ut præcipitur in rituali Romano reformato Clementis VIII. Ita Angles in Florib. 1. p. quæst. un. de voto diff. 13. dub. 3. Sotus, Vasquez, & alij: cum quibus addo, quòd si Episcopatui renunciaret, non teneretur ad Religionem redire; quia semper retineret Ordinem Episcopalem, ob quem fuit à Jurisdictione Religionis exemptus. Aliter est sentiendum de Cardinali non Episcopo: hic enim relicto Cardinalatu, nihil retinet ex illa dignitate, & consequenter tenetur sub mortali redire ad Religionem, de qua est egressus.

IV. Religiosæ professionis obligatio, quoad vota essentialia, non tollitur per ejectionem, aut expulsionem à Religione: ejecti enim, & expulsi, tamquam incorrigibiles, tenentur observare vota, sicut antea; ut tradit Lezana; alioquin incorrigibiles commodum de crimine reportarent, quod est injustum. De hac expulsione discurrendum est, sicut de adulterio: quo uxor per jus divortij dimittitur à viro; quin tamen possit mutare statum, & alteri nubere. Quoniam semper manet sub potestate (saltem remotâ) mariti; cùm expulsus ob commissa crimina contra fidem Religioni præstitam, sit adhuc veré Religiosus; aliàs ea, quæ Deo sanctè promissa sunt, solâ promittentis autoritate solverentur, quod est falsum: ergo est sub potestate saltem remota Religionis, & tenetur ad ipsam, si redire petatur. Religio pariter tenetur eum recipere: si postquam fuerit correctus, & pœnitentiâ ductus petat recipi. Quia ex Regulis Juris, venia danda est correcto. Quòd liquidò probat, expulsum à Religione manere in eadem obligatione trium votorum essentialium, nec posse sinè peccato mortali, & voti transgressione, habere voluntatem non obediendi Prælatis suis, si se offerret obediendi occasio: nec voluntatem nubendi, nec voluntatem habendi dominium alicujus rei. Quia tenetur ad votum paupertatis eo modo, quo patitur status in quo est; habet tamen jus quærendi, & habendi res ad victum, & vestitum illi necessarias; cùm Religio non subministret eas. Quia hæc acquisitio rerum includit tantùm usum facti, voto paupertatis minimè contrarium. *Dices* votum istud non est simpliciter personale, sed personale regulare, ut dictum est numero præcedenti: ergo non ligat expulsum: nego; quia expulsus non est absolutè & simpliciter extra Regulam.

V. Diversimodè consideranda sunt ea, quæ in Regulis Religiosorum continentur, quæque servare tenetur Religiosus professus; quædam enim continentur per modum præcepti, & inhibitionis, quædam per modum statuti rationabilis: quædam verò per modum admonitionis, & exhortationis. Illa, quæ continentur per modum præcepti, aut inhibitionis, observanda sunt sub mortali, cùm dicere, vel concupiscere, vel facere aliquid contra legem obligantem sub mortali, sit peccare mortaliter: ut docet communis opinio. Alia verò non sunt sub mortali observanda; imò nec peccat mortaliter Religiosus omittendo illa, nisi fortè ratione excessûs, vel contemptûs. Ratio est quia si Ordinum fundatores æqualiter voluissent obligare ad ea, quæ in Regulis continentur, uniformiter ea tradidissent, scilicet præceptoriè vel inhibitoriè: ad quid enim hæc terminorum diversitas, nisi ut præceptum distinguatur à consilio? Hinc est quòd Religiosus tenetur servare Regulam suæ professionis ad litteram, saltem quantùm ad ea, quæ ad vota essentialia spectant, & quæ præcipiuntur, vel prohibentur.

VI. Inde istud nasci potest dubium, scilicet an Religiosus, qui habitum suscepit, & professionem emisit in conventu, in quo Regula communiter non servatur, neque ullam habuit mitigationem, aut dispensationem canonicam, teneatur servare Regulam, quam professus est, nonobstante illâ publicâ transgressione, aut consuetudine, quam vidit & observavit in novitiatu? Respondeo affirmativè. Quia non vovit consuetudinem, nec abusus, sed Regulam, quæ quantùm ad ea, quæ ad vota spectant, non potest aliqua desuetudine, etiam immemorabili perimi. Nec excusari potest ignorantiâ Regulæ: hæc enim esset supina & crassa, quæ non excusat à peccato; cùm teneatur scire ea, quæ promittit & vovet. Religiosus in professione non vovet vivere, ut alij confratres vivunt; sed ut vivere debent; juxta Regulam quam amplexi, aut professi sunt, & ipse profitetur. Ita sentiunt Clavasius noster verbo *Religiosus* num. 32. Major, Fagnanus, & alij contra nonnullos. Quorum ratio est. Quia nullus ampliùs obligatur, quàm se intenderit obligare. Unde (inquiunt) cùm ille Religiosus tantùm intenderit se obligare ad ea, quæ videt in Monasterio, non obligatur ad alia, seu ad observatiam Regulæ, quam professus est. Huic objectioni respondendum est, quòd si non intenderit se obligare ad observantiam Regulæ, non intendit esse verum Religiosum. Quod nullus fatetur. Deinde dato quod non intenderit se obligare explicitè, intendit saltem implicitè. Quia qui se spontè obligat ad principale, quod est esse Religiosum in tali Ordine, obligat se ad omnia, quæ talem Ordinem constituunt, scilicet ad Regulam talis Ordinis, seu illius in quo intendit professionem emittere. Tandem ax Trident. sess. 25. de Regular. cap. 1. Religiosus Professus tenetur acceptare reformationem Regulæ antiquæ jam promissæ. Quia hæc observatio pertinet ad Regulam, quam professus est: ergo nequit licitè vivere secundùm illam consuetudinem, quæ viget in Monasterio contra Regulam quam professus est. Denique ex Regulis Juris in 6. nemo potest plus Juris in alium transferre, quàm ipse habet, sed Religiosi coram quibus professus est, non habent jus transgrediendi Regulam: ergo non possunt ei illud dare.

VII. Peccata Religiosorum sunt gravia peccatis Sæcularium, cæteris paribus, ratione Statûs Religiosi, seu professionis: ex ipso enim strictiùs obligantur, & specialiter Deo dicantur, ideoque dum peccant ex infirmitate, vel ex ignorantia, graviùs peccant, quàm Sæculares (etiamsi peccatum non sit contra vota professionis, nec cum scandalo) præcisè: quia Religiosi sunt. Sicut enim quilibet actus moraliter bonus in Religioso, est melior, quàm in Sæculari, ita quilibet actus malus, est gravior in Religioso ratione statûs & Professionis. Ita Lezana, Astesanus, & plures alij quos citant. Inde infero, quòd Religiosus debet semper in confessione statûs sui circunstantiam aperire.

VIII. Quando Regula præcipit aliquid, quod est de præcepto Divino, vel Ecclesiastico, ut v. g. diligere inimicos, vel horas Canonicas recitare. Religioso professo una dumtaxat incumbit obligatio diligendi inimicos. Quia hoc præceptum non præscribitur in Regula tamquam novum, sed solùm cum intentione reducendi in memoriam, quod præcipit Deus, vel Ecclesia, quæ præcipit Clericis & Religiosis professis Choro deputatis recitationem Divini officij. Deinde ex pluralitate præceptorum præcisè non resultat peccatorum pluralitas; alioquin sequeretur, quòd frangens jejunium in vigilia occurente in quadragesima, duo peccata committeret, quod est falsum. Ita Caietanus, & Valentia. Contra quos addo, quòd tantùm unum esset peccatum, etiamsi hujusmodi præceptum de inimicis diligendis, vel aliud simile de re, quæ jam est sub præcepto Divino, vel Ecclesiastico, esset in Regula cum intentione inducendi novam obligationem, nisi adveniat aliqua nova circunstantia, vel oppositio specificè diversa; ratio est. Quia præcepta etiam divina non obligant sub mortali, nisi gravis materia subsit, nec potestas Superioribus à Domino collata fuit in perniciem animarum, sed ad bonum; ut monet Apostolus, non in destructionem, sed in ædificationem: ergo quando Deus, vel Ecclesia aliquid præcipit sub culpa mortali, non est bonum, fundatorem præcipere idem sub alia culpa mortali, itaut transgressor duo peccata committat. Sat est, quòd peccatum fiat gravius in Religioso.

IX. In Religionibus condi possunt statuta Religiosos professos obligantia sub mortali ad eorum observantiam. Quoniam

statuta, aut constitutiones in Religionibus comparantur cum Regula, sicut in naturalibus formæ accidentales comparantur cum forma substantiali, ut monet Mastrius. Undè quando statuta aliquid præcipiunt, vel prohibent sub pœna apostasiæ, excommunicationis, aut alterius pœnæ gravis temporalis, aut spiritualis, vel præcipiunt per meritum salutaris obedientiæ, certum est, quòd intendunt obligare in conscientia, & sub mortali; quia tanta pœna non imponitur, nisi propter culpam mortalem; ut in cap. de legibus dicemus, & de facto sic obligant.

X. Religiosus professus potest ad striſtiorem Religionem transire can. *Sané de Canonico* de Regular. modò à suo Prælato licentiam postulaverit; etiamsi eam non obtinuerit. Quænam autem sit Religio strictior? Existimo quòd est illa, in qua est major vitæ austeritas, præsertim quoad rerum dominium, silentium, & solitudinem; non secundùm primitivum Religiosi Ordinis institutum, sed secundùm præsentem observantiam: aliàs enim sæpè contingeret, quòd transitus esset ad laxiorem; cùm non desint Religiones, in quibus Religiosi non vivunt secundùm primitivum institutum, sintque inter laxiores secundùm observantiam præsentem, & inter strictiores secundùm institutionem. Quoad laxiorem Ordinem nemo Regularis potest ad alium transire absque summi Pontificis dispensatione: ut declarat sacra Tridentina Synodus sess. 25. cap. 19. de Regular.

XI. Professio Religiosa mutat vota, quæ ipsam præcedunt, sive solemnia sint, sive simplicia can *Scripturæ* de voto, & voti red. quàmvis Religionis exercitium non impediant. Tum quia hæc vota præcedentia mutantur in meliora per professionem subsequentem: tum quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ: igitur cùm mors omnia dissolvat, dissolvit etiam vota professionem præcedentia. Qui verò habitum suscepit cum excommunicatione Papæ reservata, per professionem non absolvitur; professio tamen est valida; quia est contractus, quo homo se tradit Deo & Religioni, qui per excommunicationem invalidari nequit, modò professio viâ ordinariâ facta fuerit.

XII. Professus in minori, aut laxiori Religione, non ligatur voto simplici de ingressu in majorem, & strictiorem quod emiserat in sæculo: etenim votum solemne, quo obligatur minori Religioni, est fortius simplici, seu eo, quo se obligaverat ad majoris Religionis ingressum; & ideo non tenetur adimplere istud: cùm nequeat hæc duo vota simul adimplere, & solemne sit præferendum simplici; quia strictiùs ligat, & Deo gratissimum est.

XIII. Quàmvis illicitum sit inducere, ut ingrediatur minorem Religionem, illum, qui vovit majorem, nisi subsit aliqua causa specialis evidenter nota, & interveniat dispensatio Superioris, ut monet Divus Thomas 2. 2. q. 189. art. 9. ad 3. nihilominùs licitum est inducere ad majorem, & strictiorem Religionem, eum, qui voto, aut juramento se obligavit ad ingressum minoris Religionis, nisi aliqua causa specialis hanc inductionem impediat, hæcque sit pro majori voventis sanctificatione, aut Religionis utilitate: nam votum debet esse de meliori bono, ut docent communiter Doctores; ideoque licita est ad illud inductio, nonobstante voto de minori bono, quod in minori aut laxiori Religione obtinetur, in comparatione ad bonum, quod in Religione majori & strictiori potest haberi propter arctiores observantias ad finem Religionis ordinatas. Nec valet dicere, quòd hæc inductio necessitat, ac proinde quòd est illicita. Quia hæc necessitas est laudabilis, ut insinuat Divus Augustinus in Epistola ad Paulinam, & Armentarium, dicens: *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Deinde ad ingressum majoris Religionis inducere illum, qui vovit ingredi minorem Religionem, non est necessitare, nec compellere illum ad ingressum Religionis absolutè, sed solùm ejus voluntatem ad Religionis ingressum determinatam, ad majorem excitare; quæ quidem inductio non est culpabilis, imò est licita, & laudabilis: cùm non sit de ingressu Religionis præcisè, sed solùm de majori observantia, & de altiori perfectione.

XIV. Licèt non sit per se malum recipere in Religione puerum, qui ad pubertatis annos nondum pervenit, si spontè sese offerat, juxta illud proverb. 22. *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Cui addi potest exemplum sancti Benedicti; qui in Ordine suo recepit sanctum Maurum duodennem, & sanctum Placidum septennem; non li-

cèt tamen illum recipere in hac ætate invitis parentibus: puer enim ante pubertatis annos est naturaliter, seu jure naturali sub cura, & potestate parentum; nequit igitur ab ipsis licitè auferri, ipsis invitis, nisi annos pubertatis transcenderit; tunc enim potest ligari voto, & gressus suos ad perfectiorem vitam dirigere, & recipi in Religione, prævio vocationis examine: quia venientibus ad Religionem, non est facilis præbendus ingressus, ut suadet D. Joan. Epist. 1. cap. 4. v. 1. dicens: *Nolite credere omni spiritui, sed probate, an ex Deo sint.* Pater nequit licitè Religionem ingredi, relictis filiis, seu omninò prætermissâ filiorum curâ, quæ ipsi patri per se, ac naturaliter convenit: quia respectu eorumdem filiorum habet rationem principij, & consequenter tenetur illorum curam gerere. Unde Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. aït: *Si quis suorum curam non habet, & maximè domesticorum, fidem negavit, & est infideli deterior.*

XV. Confessarius nequit pœnitenti injungere ingressum Religionis pro pœnitentia sacramentali: quia Religionis ingressus est voluntarius, ac proinde ad ipsum nullus potest ab alio ita obligari, ut non possit aliquâ defensione se tueri, & aliam pœnitentiam, quàm abdicationem propriæ voluntatis postulare; & si sint aliqui textus in Jure, aut in sanctis Patribus, qui hujusmodi ingressum injungere videantur, non habent vim præcepti, sed consilij duntaxat.

XVI. Cùm professio Religiosa totam vitam hominis Divino cultui dedicet, & à mundanis negotiis eum ita abstrahat, ut non possit licitè sæcularia negotia tractare, nisi ex charitate, dum necessitas proximi imminet; ut monet Apostolus ad Galat. 6. dicens: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi,* nullus debet ad habitum Regularem admitti à Prælatis Regularibus, neque ad solemnem professionem, nisi priùs explorata fuerit ejus voluntas: nam vovere voluntatis est, inquit Augustinus; quare sancta Tridentina Synodus sess. 25. de Regular. cap. 17. libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens decernit, nullam esse ad professionem admittendam, nisi priùs authoritate Ordinarij examinata fuerit; & nè Ordinarius ignoret professionis tempus, tenetur Abbatissa sub pœna suspensionis ab officio, uno mense ante destinatam professionem, eumdem Ordinarium admonere; ut sciat, an Virgo liberè, & spontè sit disposita ad professionem emittendam.

XVII. Professio Religiosa est nulla, si ob malum finem fuerit emissa, idest si vota solemnia, putà Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis fuerint ordinata principaliter ad malum finem: v. g. ad vanam gloriam, quæ tollit meritum operis virtuosi, juxta illud Math. 6. *Attendite, nè justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Assertionis ratio est. Quia malitia finis vitiat actum ex se bonum: ideoque vana gloria, quæ ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 132. ad 4. in corp. quæst. 9. *de malo* ad 3. est vitium capitale vitians professionem illius, qui propter hujusmodi peccatum vovet in aliqua Religione obedientiam, paupertatem, & castitatem. Ita Navarrus, Sanches, & alij. Ut finis invalidet professionem, non est necesse, quòd sit mortaliter culpabilis: ut est vana gloria; sufficit enim, quòd sit venialiter malus; ut docent plures, quos refert, & sequitur Suarez. Quia professio Religiosa redditur iniqua, & irrita ex quocumque defectu essentiali; fitque nulla ex fine etiam venialiter culpabili.

XVIII. Causa impulsiva: etiamsi mala sit, non invalidat professionem Religiosam; nam si quis voveat paupertatem, obedientiam, & castitatem: si non fuerit deprehensus in delicto, tale votum est obligativum, & professio est valida. Quia quando votum refertur ad bonum, ex malo consurgens, illud malum non refertur ad Deum, sed solùm bonum ex illo consurgens; nam ille, qui vovit professionem Religiosam, impulsus intuitu delicti, non refert ad Deum ipsum delictum, sed solùm vitam Religiosam, quam vovet. Valida est igitur ejus professio: nam impulsus ad bonum semper est bonus, quàmvis impellens malus sit. Quantùm ad professionem ob finem indifferentem emissam, probabilius est, ipsam esse validam. Quia finis indifferens non displicet Deo, cùm non sit malus, nec votum ejus de re mala, & ideo ligat; & vovens Religionem ob finem indifferentem, tenetur vivere in obedientia, sinè proprio,

& in castitate, ratione votorum & professionis.

XIX. Professus, qui invincibiliter dubitat, an professus fuerit ob finem indifferentem, vel ob bonum, & dubitat, an validè professus fuerit, debet credere se verè, ac validè professum, & servare vota, quæ emisit in Religione. Quia professio stat pro valore professionis; cum constet de expressa professione, quæ fuit solemniter emissa.

XX. Agitari solet, an professio fieri possit per procuratorem, sicut puer potest levari de Fonte baptismali, & matrimonium contrahi? Pro parte affirmativa Bassæus citat, & sequitur Emanuelem Sa, Azorium, Sylvestrum, & alios, quibus adhæreo: modò ipse Procurator habeat sequentes conditiones. Nam ut validè profiteatur nomine absentis, necesse est primò, quòd habeat mandatum speciale pro professione emittenda in Religione determinata. Secundò, quòd sit institutus procurator spontè, seu absque metu tam ex parte ipsius procuratoris, quàm ex parte profitentis. Tertiò, quòd nulla sit revocatio Procurationis ex parte profitentis, dum Procurator profitetur, quoniam si ille revocasset mandatum, licèt solo actu interno, vel tacitè per factum contrarium, professio facta per Procuratorem esset nulla: sicut nulla esset, si ipse per se professionem emitteret involuntariè, & absque ullo animo se obligandi. Assertionis ratio est. Quia qui per se facit aliquem contractum, potest illum facere per alium: ut probat hæc generalis Regula Juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* At professio Religiosa est quidam contractus, quo homo se dedicat Religioni, & divino cultui; & consequenter secundùm jus commune homo potest professionem emittere per Procuratorem, sicut potest matrimonium contrahere. Dixi *secundùm Jus commune.* Quia si in aliqua Religione constitutio quædam prohibeat professionem fieri per Procuratorem, professio esset nulla. Denique si Prælatus, cui ex jure competit potestas admittendi ad professionem, & incorporandi Religioni, possit eam admittere, & vota profitentis recipere per Procuratorem: poterit etiam profitens Jure communi professionem suam emittere per Procuratorem; cùm oppositorum & relativorum eadem sit ratio; & si Religio possit se per alium obligare profitenti, profitens debet etiam posse per alium se obligare Religioni.

XXI. Professio est irrita, & invalida, si Religio huic non consenserit; etiamsi alia requisita interfuerint. Quia in contractu mutuo (qualis est professio Religiosa) mutua debet esse utriusque partis conditio; idcirco si deficiente profitentis consensu, professio sit invalida, nullamque ex se inducat obligationem, eumdem debet sortiri effectum, deficiente Religionis consensu. Inde sequitur, quòd ille, qui sic professus, putà absque Religionis consensu; & certò scit, quòd sic professus est, potest de Religione exire, modò Superior declaret nullitatem professionis.

XXII. Hæc Virgo, cujus voluntas fuit ab Episcopo explorata, & pro professione emittenda fuit inventa disposita, nequit licitè impediri à parentibus, qui priùs consenserant ejusdem in Religionem ingressui (quàmvis absque eorumdem consensu Religionem ingredi non possit puer, qui ad pubertatis annos nondum pervenit) quia cap. *semel* de Regulis Juris in 6. semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum. Aliter discurrendum de conjuge, qui ab alio obtinuit licentiam ingrediendi Religionem, quæ potest revocari ab eo, qui eam concessit: modò illam revocet, antequàm alter conjux profiteatur. Ratio disparitatis est. Quia pater consensum suum præbens, ut filius impuber Religionem ingrediatur, cedit juri suo, & facit quamdam donationem, inquit Bassæus. At conjux, dum consentit, ut alter Religionem ingrediatur, solùm dat ei licentiam, ut probet vitam Religiosam in noviciatu; & ut ipsemet probet per annum probationis, seu noviciatûs, an possit vivere in continentia; unde si videat se in periculo incontinentiæ versari, potest licitè consensum alteri conjugi jam datum revocare, & cum ipso denuò habitare: nam is conjux, qui ingressus est Religionem, priùs obtento alterius consensu, potest ante professionem suâ sponte exire, & postulare cum alio habitare: eâdem ratione, ille, qui consensum præbuit, debet uti eodem jure; paria quidem sunt utriusque conjugis jura.

XXIII. Juxta communem Doctorum opinionem annus probationis debet esse continuus. Tamen difficultas est, an si completo noviciatûs anno, Novitius nollet

professionem emittere, & vellet de Monasterio exire, & extra per duos menses remanere, posset absque ullo alio novitiatu redire, & professionem emittere? Sanchez, Tabiena, Armilla, Sylvester, & alij citantes D. Antoninum tenent partem affirmativam. Eorum ratio est. Quia nullum jus præcipit professionem Religiosam esse emittendam die immediatè sequenti ultimum novitiatûs, aut probationis diem, cum solùm postulet, aut præcipiat professionem esse emittendam novitiatûs anno integro, & completo; & in isto casu esset integer, & completus. Hæc sententia videtur mihi minùs probabilis. Etenim Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularib. cap. 16. aït: *finito tempore novitiatûs; superiores Novitios, quos habiles invenerint ad profitendum, admittant, aut è Monasterio eos ejiciant.* Inde liquidò infertur, Concilium determinasse professionem Religiosam immediatè post annum probationis; cùm decernat ipsum Novitium esse ejiciendum, si aliqua causa professionem ejus impediat. Igitur nisi inveniatur habilis, Superior nequit eum admittere, & si sit habilis, & nolit professionem emittere, Superior tenetur eum ejicere. Quoniam juxta mentem Concilij jam laudati, nullum est medium inter professionem, & expulsionem: ac proinde nulla professionis prorogatio. Et si post expulsionem redire optet, prior annus probationis non sufficiet ad professionem emittendam: quippecùm finis illius anni probationis sit, ut Religio videat, an sit habilis, & ejectio probet ipsum fuisse inhabilem, necesse est, quòd ad alium probationis annum admittatur, si velit ad professionem admitti. Ita Peyrinis tom. 2. de Prælar. quæst. 3. cap. 1. Suarez, Bassæus, & alij.

CAPUT XXVII.

De reclamatione & transitu ad aliam Religionem.

I. Jus reclamandi esse prorsùs necessarium, nullus rationis compos ibit inficias; cùm intervenire possint in professione defectus, quorum singuli eam nullam, & invalidam reddunt, ut monui in cap. præcedenti; ideòque justa est constitutio sacræ Synodi Tridentinæ sess. 25. de Regularibus cap. 19. Religionis invalidè professis concedens jus reclamandi his verbis. *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, antè ætatem debitam professum fuisse: aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sinè licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponté dimiserit: nullatenùs ad allegandum quamcumque causam admittatur: sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquàm apostata puniatur, interim verò nullo privilegio suæ Religionis utatur.*

II. Ille, qui post professionem invalidè, ac defectuosè emissam reclamat, atque de Religione exit juxta formam Juris, non peccat, nec scandalisat, quidquid dicant nonnulli: quia facit, quod ei licitum est, & quod expedit ei propter rationabilem causam à Conciliis, & præsertim à Tridentino approbatam, putà infirmitatem, aut debilitatem, aut aliquid hujusmodi, ut tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 4. ad 2. Vel propter defectus, nimirùm propter vim, & metum, aut alios, cum quibus emissa fuit professio, quibusve invalidatur. Hic obiter observandum est quòd si infirmitas, debilitas, aut aliquid hujusmodi professo adveniat post quinquennium, tunc professus nequit uti ipso quinquennij privilegio; cùm in professione irrita & invalida fundetur jus reclamandi in quinquennio. Hæc autem professio, de qua agitur, est valida, ut supponimus, & professus quàmvis infirmus, & debilis, potest servare substantialia Regulæ, scilicet vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ non viribus corporis, sed affectu voluntatis observantur: alia verò, quæ in Regula præcipiuntur, non obligant impotentes, neque infirmos, & consequenter nullum jus reclamandi tribuunt.

III. Rejicienda est sententia aliquorum Canonistarum asserentium licere illi, qui credit intra quinquennium se invalidè professum fuisse, fugam arripere non deductâ causâ coram Superioribus: nam ad evitandum scandalum, & ad removendam occasionem egrediendi: seu nè validè professi egrediantur, tam intra, quàm extra

quinquennium, causa egressûs semper est notificanda, & defectus professionis est probandus. Certum enim est, quòd inevitabile scandalum emergeret, si Religiosus jam dudum professus habitum dimitteret propriâ authoritate, inconsultis Superioribus; igitur bonum commune, quod privatæ utilitati est præferendum, can. *scias frater*. 7. q. 1. prohibet hujusmodi egressum sinè ullà causæ coram Superioribus redditione præcedenti. Insuper privilegium quinquennij non est, ut validè professi propriâ authoritate exeant, sed ut audiantur à Superioribus pro habitu dimittendo, ut patet ex decreto Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ sess. 25. de Regularibus jam laudatâ cap. 19. Hanc opinionem tenent Mastrius, Bonacina, & alij.

IV. Quàmvis ex Concilio Tridentino loco laudato regularis prætendens dimittere habitum ob professionis nullitatem, non sit audiendus, nisi intra quinquennium à die professionis, poterit tamen audiri transacto quinquennio; si toto quinquennio causam nullitatis professionis suæ, ex juris, vel facti ignorantiâ nescìverit, vel aliqua causa legitima intrà quinquennium reclamationem impediverit. Ita sentiunt præter Doctores citatos in declaratione ejusdem Concilij, Villalobos p. 2. tract. 35. diff. 25. num. 8. & 9. Barbosa, Lessius, & alij gravissimi. Ratio est. Quia tempus à jure præscriptum non currit adversùs legitimè impeditum can. *commissa* de elect. in 6. nec est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri juxta 40. Regulam juris in 6. At regularis, qui ob legitimas causas non potuit intra quinquennium audiri, non est in mora, nec adversùs illum currit tempus præscriptum, seu quinquennium; poterit igitur audiri saltem in extraordinario judicio, ut in integrum restituatur. His non officit declaratio Gregorij XIII. statuentis, quinquennio elapso non esse audiendos, tametsi allegarent vim, & metum semper durasse (idem censuit Sacra Congregatio Concilij die 6. Martij 1598.) non officit, inquam, quia decretum declarat tantùm, jus quinquennij non esse ita prorogandum, ut supersit aliud quinquennium, quinquennio elapso; etiamsi intrà illud integrum quinquennium perduraverit causa metûs; non vero reclamantem intrà annum sequentem non esse audiendum, si certó sciat professionem suam esse nullam, idque probare possit, & intra quinquennium probare non potuerit ob causas legitimas; alioquin adversùs legitime impeditū curreret & tēpus à jure præscriptum, quod est contra regulas juris à Summis Pontificibus approbatas. Vel dico, quòd ille summus Pontifex loquebatur de illo, qui intra quinquennium noluit audiri, nec causas legitimas, seu vim, ac metum allegare.

V. Ut invalidè professus habitum dimittat in debita forma, & audiatur sivè intra, sivè extra quinquennium, tenetur recurrere ad Papam, vel ad legatum, vel ad Sacram Congregationem Concilij Tridentini, vel ad Congregationem Episcoporum, & regularium ad impetrandum rescriptum, per quod causæ cognitio committatur superiori Monasterij, seu Conventûs: in quo reclamans fuit receptus, & prætensam professionem emisit. Et Ordinario ejusdem Diœcesis; ut probat usus communiter receptus: ac jussus decreto Sacræ Congregationis edito. 1. die Decembris 1593. ut legitur in declaratione Concilij Tridentini in sess. 25. de regular. cap. 19. num. 3. Si veró contingat ad eum locum, aut vix, aut nullatenus recursum haberi posse pro probationibus, ac oppositionibus suscipiendis, & judicandis, attendēdus erit locus ultimæ ejus, qui reclamat, residentiæ: tunc enim Ordinarij loci, in quo religiosus professionis suæ nullitatem probans residet, scilicet Episcopus, & Guardianus possunt supplere. Quia rescriptum non respicit personam, sed officium Ordinariorum, & beneficium reclamantis, quo ipse reclamans non debet privari per impossibilem accessum ad Ordinarios naturales, seu Guardianum loci, in quo suscepit habitum, & Episcopum ejusdem loci.

VI. Cum ex dictis constet, religiosum invalidè professum posse reclamare, & servatis servandis de religione exire. Hìc quæri potest, an religio possit etiam contra eumdem uti jure quinquennij, & contra ipsum reclamare, ut egrediatur? Lantusca in Theatro regularium verbo *reclamatio* & plures alij affirmant. Eorum ratio est. Quia dispositum in uno relativorum, eodem jure dispositum censetur & in alio, alioquin religio esset deterioris conditionis, quàm religiosus. At hæc ratio non convincit: conditio enim religiosi non est indè nobilior: cùm reclamare à bono malum sit; & ideo altera opinio est probabilior

sior. Quia acceptatio Religiosi facta à Prælato in professione, est valida; omnes quidem defectus se tenent ex parte profitentis; igitur non acceptantis, sed profitentis est reclamare. Deindè jus reclamandi non fuit absolutè concessum á Tridentino in favorem Religionis; itaut ipsa religio reclamare possit intra quinquennium; sed solùm ut nullus posset ultra illud tempus rationes suas allegare nullitatis pro egressu; & omnes Religiosi possent intra quinquennium causas nullitatis professionis exponere, & exire, si vota renovare nolint. Etenim omnes Canonistæ concedunt, Religiosum nullitates in sua professione agnoscentem, posse vota emissa renovare, & veram professionem emittere. Ergo Religio nequit licitè reclamare intra quinquennium contra Religiosum invalide professum. Quia privaret eum jure renovandi vota in debita forma; cùm Religio posset eum ejicere foras. Et quod pro commodo factum fuit, in incommodum verteret.

VII. Religiosus, qui intra quinquennium invalidam suam noscit professionem, & reclamare non intendit, tenetur in conscientia eam ratificare, saltem intùs; nè decipiat Religiosos, qui eum ut verum professum habent; & nè bonis Monasterij illegitimè perfruatur, debet se Religiosum reddere in foro interiori per votorum reiterationem, cùm priora per temporis decursum valida fieri nequeant juxta hanc 18. regulam juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* vel de Religione exire, & habitum dimittere. Ita Sanchez, Bonacina, Rodriguez & alij.

VIII. Aliud potest formari dubium, nempe an si factâ votorum ratificatione, vel emissâ professione, sciat certò se esse judæum, & de facto sit talis (teneatur post susceptum baptismum) vota solemniter emittere, non expectato alio probationis anno? Respondeo negativè: quia emisit vota bonâ fide, & consequenter remanenneant valida. An verò remanerent valida si ante susceptionem habitûs cogcognovisset se judæum, & de facto talis fuisset? Responsio affirmativa videtur mihi probabilior. Quia vovere Deo castitatem, obedientiam, & paupertatem, non est ita proprium Christianis, ut non possit convenire Judæis. Igitur ille, de quo est quæstio, post baptismum remaneret ligatus votis antea emissis; si vellet vitam religiosam ducere, & per baptismum non dispensari: aliàs dispensaretur per baptismum ipso nolente, quod non est credendum. Quia vota in baptismo emissa non sunt contraria votis Religionis, nec è converso. Nihilominùs ad majorem cautelam deberet post baptismum iterum professionem emittere. Similis casûs resolutio habetur in declarationibus Concilij Tridentini in sess. 25. cap. 16. num. 8. & 9.

IX. A quonam autem esset baptizandus ille judæus, si post professionem vellet solemniter baptizari, & publicè revelasset se esse judæum, an à Parocho, vel à Prælato regulari cujus esset inferior? Non facilè resolvitur hæc difficultas: nam ex una parte baptismus debet conferri in loco, in quo est baptisterium, excepto casu necessitatis: ut constat ex jure. Ex alia parte Prælati regulares possunt inferioribus suis administrare omnia Sacramenta, quibus egent, exceptis confirmatione & Ordine. Opinio tamen, quæ stat pro Parocho, videtur mihi probabilior. Quia ex can. *placuit communi* 16. quæst. 1. Monachi non possunt baptizare. Hic Canon. intelligendus est de baptismo extra necessitatem conferendo: qualis esset iste, de quo agitur; cum baptizandus esset notus, & nullum adesset periculum mortis, nec deesset Parochus; & consequenter nulla esset necessitas: ut à Prælato regulari baptizari posset. Insuper ille baptizandus, quàmvis ligatus votis emissis & à superiore acceptis, non esset Christianus, nec Filius Ecclesiæ: ergo jure ordinario, seclusâ necessitate deberet baptizari in Parochia, in qua baptizantur adulti. Dixi *Si vellet solemniter baptizari, & revelasset publicè se esse judæum.* Quia si confessario dumtaxat statum suum aperuisset; & ad scandalum vitandum, aut famam conservandam, vellet baptizari secretò; tunc confessarius posset eum validè baptizare, quoniam esset verè in casu necessitatis de fama proximi conservanda: certum enim est, quòd ex notitia publica judaismi notabilis infamia nasceretur, magnaque suspicio inter Religiosos, qui talem judæum recepissent.

X. Cæterùm si nollet absolutè baptizari, ipse confessarius posset eum hortari ad baptismum suscipiendum; si verò adhibitis admonitionibus, & trinâ correctione fraternâ, vellet in judaismo perseverare, &

baptismum despicere, confessarius teneretur ad superiorem recurrere, eique talem esse judæum revelare; nec per hoc frangeretur sacrum confessionis sigillum: quia revelatio judaismi non esset sub sigillo sacramentali; cùm pœnitentiæ Sacramentum non possit conferri, nec suscipi ante baptismum: & ipse superior teneretur eum dè Religione ejicere ut Ethnicum, & Publicanum, ac judæum; nullus enim potest in Religione vivere, etiamsi vota emiserit; quin priùs sit in Ecclesia Dei per baptismum.

XI. Disputant Canonistæ, an licentia transeundi ad Religionem strictiorem, quæ necessariò postulanda est à Prælato; ut dictum fuit in capite præcedenti num. 13. petenda sit à ministro generali, vel à Provinciali, vel à Guardiano? Omissis variis responsionibus, sto pro guardiano, seu superiore immediatiori. Ita Sylvester, Azorius & alij, quos citat, & sequitur noster Villalobos tom. 2. tract. 35. diff. 13. num. 4. jus enim præcipit recursum ad superiorem, suppresso quocumque alio nomine; unde cùm Guardianus sit verè superior, ac Prælatus ordinarius, ad ipsum potest recurrere inferior, ad strictiorem Religionem transire cupiens: quin Prælati majores eum impedire valeant. Quia quod jus non reservat alicui superiori determinatè, illud omnibus concedit; modò verè superiores sint, & Prælati.

XII. Religiosus, qui in aliqua religione professus est animo reclamandi, aut transeundi ad aliam religionem sive laxiorem, sive strictiorem, perfecto studiorum cursu v. g. vel postquàm ad presbiteratum promotus fuerit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem expensarum. Quia in re gravi decepit religionem, & bona ipsius in proprium commodum convertit. Sic Bonacina tract. de clausura quæst. 2. punct. 4. 5. num. 2. Religiosus clericus potest de superiorum suorum licentia transire ad statum conversorum ejusdem Ordinis cum dispensatione recitandi officium clericorum: non enim ex virtute votorum, aut professionis, clerici professi ad officium obligantur, sed ex virtute statûs clericalis; seu quia pro choro & altari destinantur in professione. Si vero sacris Ordinibus initiatus fuerit, ad statum conversorum transire nequit, nec in officio dispensari; cùm Ordo sacer sit indelebilis, & ad officium recitandum obliget.

XIII. Religiosus, qui ad aliam religionem transivit, si ante professionem velit ad priorem redire, eum retinere nequit posterioris religionis superior, nec prælatus prioris eum recusare: etenim licentia transeundi ad aliam religionem non dispensat in votis jam emissis, nec obligat ad nova vota emittenda in religione altera, ideoque religiosus nonobstante hâc ipsâ licentiâ transeundi ad aliam religionem, remanet liber, & potest in ea, ad quam transivit, profiteri, vel ad priorem redire: cùm sit verè religiosus Ordinis, à quo transivit, habeatque licentiam profitendi in Ordine, ad quem transit: ut monet Sylvester verbo *religio* 4. quæst. 5.

XIV. Quia transitus ad religionem laxiorem est commutatio voti de meliori bono in minus bonum, non potest concedi à summo Pontifice; nisi legitima subsistat causa; causæ autem legitimæ hujus dispensationis, quàmvis judicio dispensantis relinquantur, cùm nihil circa hoc in jure præscriptum sit, ut observat Lezana; magis tamen urgentes, ac generales ab omnibus comprobatæ, sunt, infirma valetudo, fragilis constitutio corporis, nimia strictioris regulæ austeritas, quæ à religioso sustineri non potest, inutilitas, ut dum religiosus est inutilis in religione in qua est, & esset utilis in laxiori. Quia inutilitas odium parit, sicque tunc melius est ipsum religiosum inutilem & onerosum transire ad aliam religionem utilitatis causâ. Magna parentum necessitas, ut dum filius nequit eos in religione strictiori adjuvare, & eos de facto juvaret in religione laxiori: nam si filius possit de religione exire pro parentibus succurrendis, potiori jure poterit pro eadem causa de licentia Papæ ad aliam religionem transire. Religiosus in Ordine suo infamatus, potest licitè postulare licentiam transeundi ad aliam religionem, in qua delictum ejus erit innotum. Tandem quando religiosus injustè odio habetur in Ordine suo, & à superioribus vexatur, potest licitè à sancta sede petere licentiam transeundi ad aliam religionem, ut à vexatione injusta liberetur. Hæc ultima causa principalior existimatur à pluribus Canonistis regularibus, & de facto talis est. Cæteræ enim vinci possunt, vel saltem aliquo medio mitigari; ista vero in dies augetur. Quia superbia eorum, qui religiosos præsertim benè meritos odiunt, ascendit semper.

CAPUT XXIX.

De Obedientia Regularium.

I. CUM per votum obedientiæ religiosus propriam voluntatem abneget, offeratque Deo non solùm id, quod habet; sed etiam id quod est, votum obedientiæ in primo inter vota loco reponendum duximus, velut excellentius, & nobilius; ut inferri potest ex D. Gregorio homil. 12. in Evang. ubi ait *Fortassé laboriosum non est homini relinquere sua, sed valdé laboriosum est relinquere semetipsum.* Hoc voto regularis tenetur in conscientia obedire superiori præcipienti secundùm regulam, & constitutiones Ordinis, sive directè & expressè, sive indirectè, & simpliciter; nisi cum causa rationabilis excuset can. *Si quando* de rescriptis. Quia ad hæc omnia se obligavit eo ipso, quo professionem emisit secundùm regulam; cùm hoc votum sit absolutum, totamque vitam includat in religione, hæcque à die professionis incipiat: ut declarat D. Bernardus lib. de dispensatione & præcepto dicens: *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, non continetur professionis angustiis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi (modum non considerans) in infinitum extenditur.*

II. Superiorum præcepta generatim sumpta possunt esse, vel secundùm regulam, vel contra regulam, vel supra regulam. Prima sunt à subditis indispensabiliter observanda, nisi impotentia excuset. Secunda sunt necessariò recusanda. Tertia verò, si bona sint, seu de bono morali, sunt observanda, non secundùm necessariam obligationem, sed secundùm perfectionem, ad quam religiosi tendere tenentur; cum status religiosus sit plurium fidelium, ad divinæ charitatis perfectionem tendentium: ut docent Canonistæ. Ratio est, quia religiosus ex vi obedientiæ se astrinxit tantùm ad ea, quæ cum regula Ordinis, ad quem ingressus est, conformitatem habent; ideoque ex vi hujus obligationis non tenetur superiori obedire in his, quæ sunt supra regulam: quàmvis sint moraliter bona, sed solùm ex vi perfectionis, virtutis & meriti. *Dicet quis*; ex vi regulæ nostræ cap. 10. tenemur obedire in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, nec regulæ; sed quæ sunt supra regulam non sunt contraria animæ, nec regulæ; nam si superior apud nos Franciscanos præciperet nobis perpetuam carnium abstinentiam, ad quam regula Sancti Francisci de Paula obligat, reverà præciperet nobis aliquid supra regulam, non verò contra animam, nec contra regulam, & consequenter teneremur illi obedire; etiamsi aliquid supra regulam præciperet. Quod tamen est falsum: quàmvis bonum sit vitam quadragesimalem continuò ducere, quia ad hoc se obligare non intendunt Franciscani, sicut Minimi. Igitur nedum ex perfectione; sed etiam ex vi obedientiæ, præcepta, quæ sunt supra regulam, sunt observanda, si sint de bono morali. Resp. non nocere hanc instantiam. Quia pèr illa verba Seraphicus Pater noster Franciscus non intendit nos obligare ex vi voti obedientiæ ad omnia, quæ Superiores præcipiunt; itaut necessarium sit, nè votum violetur, ipsis obedire absolutè in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, vel regulæ nostræ: sed solùm intendit viam perfectionis ostendere. Summa enim perfectio est Religioso, Superioribus suis obedire in omnibus, quæ non sunt contrarià animæ, nec regulæ; licèt id non præcipiatur ex vi voti. Ita sentiunt Major, Sylvester, Layman & alij, quos citat, & sequitur Mastrius disp. 14. num. 23. quia Religiosi per votum obedientiæ abnegant propriam voluntatem. Duplex est obedientia una sufficiens, seu illa, quâ quis obedit tantùm in his, quæ sunt secundùm regulam, & ad quorum observantiam voto obedientiæ explicitè, vel implicitè se obstrinxit. Altera est perfectissima, quâ quis obedit in omnibus licitis, & de qua loquitur D. Gregorius in 1. Reg. lib. 2. cap. 4. dicens *Vera obedientia, nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; quia omne vitæ suæ judicium majori subdit.* Religiosus non peccat contra votum obedientiæ in primo sensu acceptæ, dum non obedit in his, quæ sunt supra regulam, sed peccat contra perfectionem, ad quam tendere tenetur, in quantùm moraliter potest, ideoque non incurrit in tali casu pœnas in jure & in constitutionibus latas contra inobedientes,

nec potest tamquàm inobediens puniri.

III. Examinant Doctores, an Religiosus teneatur ex vi voti obedientiæ, vel ex vi perfectionis obedire Superiori præcipienti aliquid, quod est præter, vel infra regulam v. g. ut addiscat artem citharizandi, aut ut faciat aliquid, quod non ordinatur ad ea, quæ in regula continentur, nec ad bonum, vel regimen Ordinis? Plures negant. Quia votum obedientiæ emittitur secundùm regulam, ac proindè obligat ad ea dumtaxat, quæ sunt secundùm regulam, & Ordinis bona: inter quæ numerari non possunt vana & indifferentia. Tamen opinio, quæ affirmat, est probabilior & tutior. Licèt enim opera vana: ut levare festucam de terra, ambulare, spuere in parietem, & similia, quæ nullum ordinem dicunt ad regulam, sint vana & superflua, tendunt tamen ad Superioris contemptum, si sinè necessitate Religiosus ea peragere recuset post ejusdem Superioris mandatum. Idcirco subditus tenetur in his obedire; nè Superiorem ea præcipientem contemnere videatur: cùm non sint per se mala, nec contra regulam, nec subdito nociva, aut injuriosa.

IV. Quantùm ad ea, quæ sunt contra regulam, seu quorum oppositum in regula præcipitur, aut prohibetur, certum est, generaliter loquendo, quòd nullus tenetur obedire, ut jam dictum est: tamen si Superior, qui ea præcipit, possit in ipsis dispensare, & de facto ea præcipiendo dispenset, tunc subditus tenetur obedire, modò cognoscat Superiorem legitimam dispensandi causam habere. Ita Sotus, Lezana, Angelus, Lessius, & alij. Justum enim regimen exigit, ut prælati discernant, quandonam opus sit dispensare, aut dispensatum declarare aliquem ex subditis: v. g. ex regula nostra tenemur jejunare à festo omnium Sanctorum usque ad nativitatem Domini; prohibitum est nobis equitare; tamen si superior ob justam, & rationabilem causam præciperet alicui oppositum, scilicet equitare, vel non jejunare in prædicta quadragesima, ille teneretur obedire: modò dispensationis causa esset ipsi subdito nota, vel saltem dubia; nam si certò sciret causam esse injustam & illegitimam, non teneretur obedire: quia injusta & irrationabilis dispensatio est contra regulam, quàtenus justo regimini regula ipsa suffragatur.

V. Quàmvis obedientia ordinem habeat essentialem ad Superioris voluntatem, & per votum voluntas inferioris in voluntate Superioris sit; nihilominùs inferior non tenetur ex vi voti obedientiæ facere id, quod scit Superiorem velle ei præcipere; potest licitè expectare mandatum: hæc enim Superioris voluntas non habet rationem præcepti, obedientiam exigentis; nisi sit manifestata & intimata; ut de legum obligatione dicemus.

VI. Quæres, an teneatur Religiosus obedire Superiori præcipienti, ut se exponat periculo vitæ: v. g. an in tempore pestis teneatur obedire prælato præcipienti illi, ut Sacramenta ministret infirmis? Plures respondent negativè: quia (inquiunt) hoc est supra regulam. Sed Respondeo cum Caïetano, Rodriguez, Sanchez, & aliis distinguendo. Si pestis sit in Monasterio, tenetur obedire; quia ministrare infirmis in Monasterio degentibus necessaria animæ & corporis saluti, concernit regulam & justum regimen Religionis; quod exigit, ut Superiores curent, & provideant de necessariis, præsertim respectu infirmorum, nè pereant; nam Superiores sunt Patres, quibus incumbit filiorum cura. At si sit extra Ordinem, non tenetur absolutè obedire. Quia cessant hujusmodi causæ, & præceptum est supra regulam, quæ per se non curat de personis, quæ foris sunt, nec illam concernunt extranea negotia: horum quidem cura ad Episcopos & Parochos spectat, non autem ad Prælatos Regulares. Reverà ad id teneri videntur ex vi perfectionis, ad quam tendere debent Religiosi; sed non valet hic talis ratiò. Quia perfectio non obligat cum tanto periculo.

VII. Præterea sciendum est, Religosum ad id teneri per accidens, nec posse non obtemperare in casu, quo deessent Parochi, qui Sacramenta infirmis ministrarent tempore pestis, vel si Parochi non sufficerent ob infirmorum multitudinem. Quia Regulares in procuranda populorum salute, sunt Episcoporum, & Parochorum coadjutores, & tenentur simul cum ipsis laborare in vinea Domini, dum eorumdem laborem exigit necessitas; ideoque deficiente, vel non sufficiente principali, supplere tenentur, & in ipsius munere succedunt; itaut non possint id negligere sine culpa. Nec hoc est supra Regulam: imò secundùm Regulam, cùm concernat charitatem, quæ est fundamentum Regulæ; concernit etiam gloriam Dei & salutem animarum, quæ sunt finis ejusdem. Igitur contra obedientiæ

votum peccaret Religiosus, qui non obediret Superiori in hac necessitate præcipienti illi: ut Sacramenta ministraret infirmis, etiam cum periculo vitæ; modò prædictam necessitatem perfectè cognosceret: tunc enim ei voluntaria esset ruina fidelium.

VIII. Religiosus non tenetur ex vi voti obedientiæ obtemperare Superiori præcipienti arctiorem vivendi normam, quam nec explicitè, nec implicitè professus est. Itaque si Superior in Ordine nostro præciperet perpetuum jejunium, nemo teneretur illi obedire. Quia id esset supra regulam, & arctius eo, quod professi sumus; nec tendit ad reformationem regulæ nostræ antiquæ jam professæ. Nec valet ratio adversariorum, nempè Religiosos per votum obedientiæ propriam voluntatem transtulisse in voluntatem Superiorum. Quia hujusmodi translatio non est ita absoluta; ut possit Superior præcipere inferioribus quidquid voluerit: sed solùm ea, quæ directè, vel indirectè concernunt Regulam, quam professi sunt. Ita Sylvester, Layman, Mastrius, & alij contra Rosellam. Unde cùm observatio Regulæ, ipsam post relaxationem concernat, sequitur, quòd Religiosus, qui Religionis zelo ductus vult collapsam regularem disciplinam instaurare, non tenetur obedire Superiori reformationem impedienti; in his saltem, quæ ipsam reformationem concernunt: quia in his prohibitio est contra pristinam Regulam, contra quam non est illi obediendum. Jus non obediendi habet etiam ille Religiosus, cui Superior aliquid præcipit contra privilegia ipsi concessa, ratione alicujus officij, aut circunstantiæ per statuta & constitutiones Ordinis; quæ cùm sint supra Superiorem ordinarium, nequeunt ab ipso revocari, nec suspendi.

IX. Obedientia Religiosorum differt ab obedientia Sæcularium; etenim illa subjicit Superiori Religiosum, quantùm ad generalem dispositionem vitæ suæ; ista verò subjicit Sæculares, quantùm ad actus particulares tantùm.



CAPUT XXX.

De Paupertate Religiosa.

I. Cum paupertas Religiosa sit voluntaria rerum temporalium abdicatio, per quam Religiosus ipsarum dominio & proprietate privatur. Nemo post emissum paupertatis votum, potest habere peculium & dominium rerum temporalium, aut bonorum pretio æstimabilium can. *Non dicatis* 12. q. 1. Idem declarat Tridentinum sess. 25. cap. 2. de Regular. Religioso professo solùm remanet purus usus facti, seu usus rerum necessariarum, Superiore consentiente: talis siquidem usus paupertati non repugnat; quia Religiosus non debet privari his, quæ ipsi necessaria sunt, & sinè quibus subsistere non valet, nedum in statu naturali, sed etiam in statu religioso juxta uniuscujusque conditionem: v. g. ut sunt libri, si sit Prædicator, vel Theologus, & res similes, quæ haberi possunt, quasque habere nedum decet, sed etiam est absolutè necessarium; modò Religiosus non habeat dominium, nec usum juris, sed solùm usum facti, qui in puro actuali usu rei consistit, sive ipsa res sit consumptibilis tali usu: ut v. g. habitus, panis &c. sive ipsa res non sit usu consumptibilis: ut v. g. libri &c. quæ usu non pereunt; modò Religiosus ea ita teneat: ut ad arbitrium Superioris revocari valeant, nec ipse Religiosus possit de illis ad suum libitum disponere; aliàs esset verus possessor, dominus, vel usufructuarius. Quod paupertati religiosæ repugnat.

II. Religiosus habere bona in communi etiam immobilia non repugnat voto paupertatis. Quia votum istud solùm dicit abdicationem dominij privati bonorum temporalium. Quia votum obligat voventem dumtaxat; alioquin Patres Concilij Tridentini sess. 25. cap. 3. de Regular. hujusmodi bona non concessissent domibus, & Monasteriis tam virorum, quàm mulierum, exceptis domibus Capucinorum, & Fratrum de Observantia S. Francisci, qui ad paupertatē etiā in communi se obligare voluerunt juxta mentē beatissimi Patris Francisci Patriarchæ pauperū. Religiosi, qui possunt habere dominium in communi, possunt in particulari parentum bona hæreditare,

si ab ipsis hæredes instituantur; quàmvis ipsi testari non possint can. *Quia* 19. q. 3. nec hujusmodi bona sibi appropriare: licitum enim est Monacho bona temporalia pro Monasterio acquirere, subindeque pro eodem hæreditatem suscipere. Franciscani autem nominati, qui cùm nec in communi immobilia habere possint, hæreditare nequeunt in particulari, etiam pro Conventu. Quia hæc acquisitio repugnat paupertati in communi; quàmvis pro communi, aut in communi pro piis operibus, vel per modum eleemosynæ valeant legata recipere ex Clementina *exivi* §. *cùm enim* nè piæ testatorum voluntates frustrentur.

III. Quàmvis Regulariter loquendo, sinè vita communi Regulares paupertatis votum observare possint; cùm consistat in in privatione dominij rei temporalis; nihilominùs ad hujusmodi vitam communem tenentur omnes Religiosi, ut præcipit Tridentinum loco citato cap. 1. Idem suadet ratio: nam Religiosi, qui vitam communem non observant, necesse est quòd quilibet apud se retineat aliquorum bonorum possessionem ad arbitrium suum disponendam; cùm astringatur curam sui ipsius suscipere, sitque voluntatis suæ dominus, saltem quoad victum & vestitum, & consequenter exponit se periculo peccandi; nedum contra præceptum Concilij de vita communi observanda, sed etiam contra paupertatis votum, si vivat in particulari.

IV. Si verò contingat in aliquo Monasterio vitam communem observari non posse, nec Religiosis dari ea, quæ sunt simpliciter necessaria, sive ob nimiam Monasterij paupertatem, sive ob malitiam, incuriam, vel negligentiam Superiorum; itaut vivere non possint, quin sibi aliquid procurent; valent illud sibi licitè procurare, & aliquod peculium habere in Ordine ad usus simpliciter necessarios dumtaxat, & amovibiliter ad libitum Superioris. Ratio est. Quia Jura, & Regulæ, quæ peculium prohibent, non obligant in morali impossibilitate, nec cogere intendunt ad carentiam eorum, quæ necessaria sunt ad sustentationem, & decentiam status secundùm statuta, & constitutiones Ordinis; itaut Religiosi non possint industriâ, & labore pertinente ad honestatem, sibi ea procurare: hoc enim injustum esset, quoniam talis sustentatio debetur Religiosis jure naturali. Nec per votum paupertatis perdiderunt jus ad illam. Quia votum illud excludit peculium conditionaliter; videlicet modó vovens habeat sustentationem sufficientem. Hac de causa Tridentinum loco citato cap. 3. declarat, Religiosorum commodam sustentationem de redditibus, vel consuetis eleemosynis Monasterij esse desumendam. Ideoque, si hæc deficiant, scilicet redditus, & eleemosynæ communes, possunt aliquid sibi procurare. Quia paupertas Religiosa non dicit propriè indigentiam, sive rerum inopiam: ut constat ex illo actor. 4. vers. 35. *dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat*. Quod enim de Apostolis dictũ fuit, dici potest de Religiosis, qui vitam Apostolicam ducunt. Ita Vega, Rodriguez, Valentia, Lezana, Mastrius & Faber, qui omnes sunt Regulares. His addo, quòd in tali casu Religiosi nequeunt apud se retinere peculium illud, quod acquirunt; itaut quilibet possit pecuniam apud se retinere, & ad proprium nutum de ipsa disponere; sed in deposito vel ærario conservari debet, & inde extrahi pro singulorum necessitatibus; alioquin peccarent: quia possiderent peculium contra voluntatem Superioris, qui depositarium publicum ad hoc destinavit. At si nullum fuerit à Superiore ærarium constitutum, quilibet potest apud se peculium retinere, eo fine, quo supra. Hæc licentia habendi peculium cessat adveniente alio Superiore; ideoque est renovanda, quia inferior nequit habere peculium actuali Superiore inscio. Ab hac licentia habendi peculium in deposito excipiendi sunt Franciscani nominati, qui cùm non possint commune habere ærarium, nec pecuniam recipere: ut declarat Regula Sancti Francisci, quâ, nullo modo pecuniam habere possunt sive per se, sive per interpositam personam.

V. Unde inferendum est, Fratres Minores nominatos nullum habere dominium in communi, nec in particulari; sed solùm nudum, & simplicem usum facti: dominium enim eorum, quæ ipsis in eleemosynam dantur, vel quæ ipsi per prædicationes, vel per alia officia licita & honesta acquirunt, remanet apud Syndicum Apostolicum. Dominium autem eorum, quæ in Conventu remanent, est sanctæ Sedis: ut declaravit Nicolaus IV. in Constitutione, quæ incipit *exiit qui seminat* confir-

mata à Clemente V. in Bulla, quæ incipit *exivi de Paradiso.* Quia hac in re Syndicus gerit vices summi Pontificis, & ideo dicitur Apostolicus, & consequenter non censetur persona interposita. An verò Religiosus de Observantia S. Francisci, vel Capucinus possit suâ industriâ procurare; ut detur Syndico peculium, & de eo habere usum facti de licentia Superioris, si necessaria petierit, & ei injustè denegata fuerint: ac certè sciat, ob paupertatem Monasterij, vel ob Superiorum incuriam se non posse à Superioribus obtinere necessarium morbo medicamen, cibos, vestes, & res similes absolutè actu necessarias; unde grave patitur, aut proximè imminet incommodum? Responsio affirmativa videtur mihi certa, & tuta; modò serventur conditiones in præcedenti numero relatæ: quidquid enim in hac re potest Religiosus alterius Ordinis mendicantis, in casu necessitatis, potest etiam Franciscanus in simili casu. Quia unicuique licet repellere extremam necessitatem. Nec hoc est contra Regulam. Quia Sindicus Apostolicus non censetur persona aliena; cùm gerat vices Papæ, habeatque dominium, & indigenti necessaria administret de illo peculio, tamquàm legitimus possessor. Ergo procurare Sindico pecuniam cum animo habendi ex ea usum facti in extrema necessitate actuali, ipso Sindico distribuente, non est habere dominium pecuniæ, nec pecuniam per interpositam personam, sed solum usum facti necessarium. Qui quidem usus non est contra votum paupertatis.

VI. Nulli autem credere licet, ad habendum peculium apud Sindicum pro miseriis, aut necessitatibus sublevandis, sufficere necessitatem futuram; itaut aliquis Franciscanus de observantia possit conservare peculium pro necessitate senectutis, vel pro his, quæ in tempore ei deesse poterunt. Hæc siquidem ratio videtur mihi frivola, & injuriosa divinæ providentiæ. Est insuper injusta: quia supponit necessitatem tamquàm certam, quàmvis incerta sit. Necessitas, quæ non est, nequit dispensare in lege quæ est, nec excusare à peccato actuali. Necesse est igitur, necessitatem esse actualem, præsentem, & urgentem. Lex de non furando v. g. non obligat pauperem in extrema necessitate existentem, bellè quidem pauperem illum, qui timet necessitatem futuram. Igitur regula de non habenda pecunia obligat Franciscanum; quàmvis timeat mala pati in senectute, licèt non obliget eum, dum actu patitur, & Superior illi necessaria injustè denegat.

VII. Nè Religiosi, quibus concessum est retinere peculium pro rebus necessariis (de licentia tamen Superioris) extendant illud ad usus superfluos, & vanos. Obiter observandum est, omne illud esse superfluum Regularibus, quod non est necessarium naturæ sustentandæ, aut personæ, aut conditioni; ut tradit Sylvester verbo *Religiosus 6.* q. 4. Prima necessitas solùm admittit ea, sinè quibus nequit Religiosus subsistere, aut vivere, & consistunt in victu & vestitu, juxta morem apud pauperes solitum; ut facilè colligitur ex illo ad Tim. 1. cap. 6. vers. 8. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Secunda consistit in his, sinè quibus persona non potest agere. Tertia autem in his, sinè quibus Religiosus suũ nequit adimplere munus, aut Officium; cui nequit licitè renuntiare sinè detrimento Religionis: quod de facto pateretur ipsa Religio, si non haberet viros doctos, Professores, & Concionatores. Propter hæc omnia, Religiosus potest de licentia Superioris habere peculium apud Sindicum Apostolicum in forma jam præscripta, si priùs necessaria petierit, & ipsi denegata fuerint; ea verò, quæ habet ob alios usus, sunt superflua; ac proinde peccat mortaliter ea retinendo: quilibet enim Regularis debet esse contentus de victu & vestitu, & de his, quæ officium, aut conditionem concernunt.

VIII. Addendum est, quòd si Religiosus non possit labore, vel industriâ sibi acquirere res necessarias, nec eas obtinere ab Officialibus, per quos ex Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 2. & 3. in usum Religiosorum pecuniæ expendendæ sunt, valet ea occultè de Monasterio subripere: ut post Navarrum, & Azorium affirmat Bonacina tract. de rest. disp. 2. q. 10. punct. 3. tunc enim Superior, vel Officialis est irrationabiliter invitus, & Religiosus inferior habet ab ipsa naturæ lege jus suis necessitatibus succurrendi de bonis Monasterij; si priùs urgentem, quam patitur necessitatem, Superiori exposuerit, illiq; iste providere neglexerit: alioquin peccaret mortaliter, ac dupliciter; esset enim furti & Sacrilegij reus, cùm sibi usurpa-

ret proprietatem rei, ad quam nullum jus habet, & paupertatis votum violaret.

IX. Superior Regularis tenetur Religiosis demere ea, quæ habent sinè licentia expressa, vel tacita; pariterque ea, quæ non sunt ipsis absolutè necessaria; quia tenetur eos ad observantiam paupertatis obligare, nè proprietarij sint. Ita Marchant. tom. 3. tract. 2. tit. 1. q. 4. resol. 4. ubi addit, Religiosum professum notabiliter in usu rerum concessarum excedentem, mortaliter peccare: Superiorem quoque scienter & volenter id permittentem. Idem docere videtur Corduba in Summa q. 54. ubi aït Superiorem non posse inferioribus suis quidpiam concedere ad usum irrevocabilem; hoc enim esset eos constituere proprietarios: idcircò Religiosus contra paupertatis votum peccat resistendo Superiori, ea, quæ illi concessa fuerunt, auferre volenti, cùm hoc sit aliquid velle, & habere invito Superiore. Excipio tamen ea, quæ absolutè necessaria sunt naturæ, personæ, vel conditioni inferioris, supposito quòd Superior vellet eum rebus necessariis privare; tunc enim posset licitè resistere: quia Superior non habet jus contra ea, quæ natura exigit, quæ persona postulat, & quæ Religiosi conditio requirit; cùm ipsi hujusmodi necessaria concedere teneretur idem Superior, si ea non haberet.

X. Disputatur, an Regulares Beneficiarij habeant proprietatem & dominium redditruum Beneficij? Bonacina, Navarrus, & alij affirmant. Eorum ratio est. Quia beneficia ipsis concessa fuere independenter à dispositione Prælatorum & Conventuum: quapropter ex beneficiis regularibus, quædam sunt Monasterij, & quædam particularium: quod probat, Beneficiarium habere dominium bonorum sui beneficij. Marchant. Lezana, Azorius, Cabassutius & alij, quibus subscribo, negant. Quia votum paupertatis reddit voventem incapacem dominij, & proprietatis: nihil enim est tam oppositum voto paupertatis, quàm proprietas, vel ususfructus independens.. Nec cessat hæc oppositio per beneficij collationem Religioso particulari factam, ut autumant adversarii. Quia beneficium conceditur ipsi tamquàm beneficium Ordinis, cui competit dominium bonorum beneficij, quique particulari indulsit dispensationem, & administrationem reddituum talis beneficij tamquàm dispensationem bonorum Religionis, non autem propriorum; idcirco bona beneficij non sunt Beneficiarij Regularis, sed Ordinis. Nec beneficium dicitur beneficium particulare, seu unius; ex eo quód Religiosus particularis habet fructus in sua potestate; sed quia est dispensator bonorum talis beneficij, Ordine sic mandante. Igitur Beneficiarius Regularis non habet proprietatem, nec dominium bonorum Beneficij, sed solùm usum facti ad usus necessarios dumtaxat: nam ratio, ob quam hujusmodi beneficia non possunt Sæcularibus conferri juxta illud tritum axioma *Regularia Regularibus, sæcularia Sæcularibus*, est. Quia sunt beneficia Ordinis, quæ Religiosis conferuntur: ut habeant, unde possint licitè sustentari, & necessaria habere; Ideo peccant contra votum paupertatis, quando beneficij redditus expendunt ad usus superfluos.

XI. Religiosus potest eleemosynas recipere pro pauperibus; quàmvis pecuniariæ, & magnæ sint; quàmvis à Superioribus suis licentiam non obtinuerit: dummodo aliquod jus non assumat. Ita omnes contra Jeronimum à Sorbo. Quia tunc non disponit de re sua, nec de bono Religionis. Nec valet ratio Doctoris citati, scilicet Religiosum non posse dare Sæcularibus bona Monasterij, nec ea, quæ labore, vel industriâ acquirit. Ratio impugnandi est. Quia tunc Religiosus non dat, sed solùm se gerit ut intercessor illius, qui dedit ipsi eleemosynas distribuendas; donatio rei sive directa, sive indirecta acceptationem, aut proprietatem ejusdem supponit, quam Religiosus iste non habet; ergo non est propriè largitor eleemosynæ, sed distributor, aut executor operis misericordiæ & charitatis. Secùs discurrendum est de his, quæ à suo Superiore accipit tamquàm sibi necessaria, vel industriâ, aut labore acquisivit, vel ab aliquo speciali benefactore obtinuit: tunc enim ea dando, daret ea tamquàm superflua, aut saltem tamquàm non necessaria sibi; cùm posset sinè ipsis subsistere; ideoque peccaret contra votum paupertatis. Quia nequit licitè accipere superflua, atque non necessaria, imò nec ipsi ea dare potest Superior, ut observat Bartholomeus à Sancto Fausto in opusc. de vitio paupertatis. Igitur nullus inferior potest dare etiam pauperibus ea, quæ pro se, suaque sustentatione

sustentatione accepit à Superiore; cùm, si sinè ipsis subsistere valeat, Superiori ea reddere teneatur, tamquàm superflua, aut non necessaria sibi.

XII. Jus disponendi redditus Monasterij in Superioribus residens, non est ita in ipsorum voluntate, ut possint eos, in quos voluérint, usus expendere. Quia non sunt propriè Domini, sed solùm administratores can. *Fraternitatem* de donat. Hâc qualitate tenentur administrare bona Religionis secundùm necessitatem Religiosorum & Conventuum, quæ quidem necessitas ad usus superfluos minimè se extendit, nec nascitur ex sola Superioris voluntate, ut possint ad nudum ejusdem arbitrium disponi; alioquin sequeretur, Superioribus non incumbi eamdem obligationem pro paupertate servanda, quæ incumbit inferioribus. Quòd est falsum. Inde inferri potest, Religiosum de licentia Superioris iter agentem non posse dare ex iis, quæ ipsi datæ fuerunt, pecuniis à Superiore pro expensis itineris, quidquid subtraxerit parciùs comedendo; id enim quod superest, deductis expensis, censetur superfluum ipsi iter agenti; ideoque est à Superiore destinandum ad alium usum. Quia Religiosus paupertatis voto ligatus, non est usuarius, nec habet usum rei, sed solùm usufructuarius, idest habet usum facti dùmtaxat: ergo nequit usum rei concedere alteri, nec alienare, nec accomodare rem, quam à suo Superiore accepit in proprios usus; etiamsi sit securus de conservatione, & restitutione ejusdem; quoniam accomodare est actus Domini, aut usuarij: non verò usufructuarij, & administratoris.

CAPUT XXXI.

De solemni Voto Castitatis.

I. CAstitas est quædam temperantiæ, aut continentiæ species; at per votum solemne in susceptione Ordinis sacri, vel in professione religiosa emissum, fit virtus Religionis. Quapropter non minùs obligat Clericos sacris Ordinibus initiatos, quàm regulares Professos. Et in omnibus, hujus voti violatio duplicem habet malitiam specificam in confessione explicandam, luxuriæ scilicet contra temperantiam, & sacrilegij contra Religionem: ut docet Ledesma cap. 19. de pœnit. contra Lezanan., Sanchez & alios, qui opinionem oppositam tuentur tamquàm probabiliorem, ex eo quòd peccata non multiplicentur ex præceptorum pluralitate. Verùm hæc ratio minimè nocet. Quia peccata multiplicantur ex multiplicitate virtutum, ac motivorum, quibus opponuntur: quòd in isto casu contingit, cùm sit contra continentiam & Religionem, quæ sunt duæ virtutes specie differentes, quælibet suam præsupponens obligationem. Una ligat omnes homines, quibus luxuria prohibetur in sexto præcepto Decalogi: altera verò astringit eos dumtaxat, qui castitatis votum emiserunt. Motivum illius est virtus continentiæ: & motivum istius est motivum Religionis; ideoque actus oppositus duplicem malitiam habet, & transgressor voti castitatis duo peccata committit; ut asserit Gonetus in tract. de peccatis disp. 2. art. 2. num. 19. Ubi docet, quòd Franciscani duplici peccato se astringunt, si non jejunent feriâ sextâ concurrente cum vigilia, in qua omnes fideles jejunare tenentur. Ratio ejus est. Quia peccant contra duplex præceptum habens motivum specie diversum; motivum enim præcepti Ecclesiastici, est motivum abstinentiæ: motivum verò præcepti contenti in Regula, quam voverunt, est motivum Religionis. Hac ipsâ ratione duplici peccato astringuntur castitatis voti transgressores, cùm peccent contra duplex præceptum habens etiam motivum specie diversum.

II. Idem Petrus Ledesma loco citato duplicat peccatum, etiam in Religioso in Sacris constituto, castitatis votum transgrediente: quoniam castitatem religiosam à castitate Ordini sacro debitâ distinguit. Ab hac opinione tamen recedo. Quia hæc duo vota, quorum unum est emissum in professione Religiosa, & aliud in susceptione Ordinis sacri, unum & idem motivum habent, suntque de una & eadem virtute, quæ est Religio. Nec propriè sunt duo vota in Religioso Sacerdote, sed unum; cùm in susceptione Presbiteratûs, votum non emiserit; sed solùm illud, quod coram Superiore emiserat, coram Episcopo reiteraverit, aut renovaverit; quod novam obligationem non includit. Hanc sententiam docent Bonacina, Sanchez,

N

Mastrius, & alij. An verò Sacerdos Regularis castitatis votum violando, graviùs peccet, quàm Sacerdos Sæcularis? Affirmo. Tum quia obligatio illius est strictior, & status perfectior. Tum quia Sacerdos Regularis ex hoc videtur esse magis ingratus divinis beneficiis, quibus ad vitam sanctiorem est sublimatus; & ideo dum castitatis votum violat, magis peccat, & scandalizat eos, à quibus nescitur hæc transgressio: etenim vitam religiosam omnes respiciunt, velut vitam Apostolicam, ab omni consortio mulierum prorsùs alienam. Igitur dum Sacerdos Religiosus deficit in voto castitatis, graviùs peccat, quàm Sacerdos Sæcularis. Ita docent ferè omnes Canonistæ. Eâdem ratione existimo, peccatum Sacerdotis Regularis in hac materia esse gravius peccato Fratris Conversi.

III. Quamvis non desint Canonistæ asserentes duplici voto castitatis ligatum, simplici scilicet, & solemni, duo peccata committere aperienda in confessione, dum castitatem violat. Oppositum tamen tueor: hæc enim duo vota pro castitate emissa, sunt specificè & essentialiter unum. Differunt tantùm accidentaliter ex sola institutione Ecclesiæ. Simplex consistit in nuda & simplici promissione Deo facta, absque ulla solemnitate. Aliud verò, seu solemne, est promissio Deo facta cum solemnitate, seu in susceptione Ordinis sacri, vel professione religiosa coram Episcopo, vel Superiore. At simplex non minùs obligat apud Deum, quàm solemne: cùm obligatio ex intentione voventis originem ducat; hæcque intentio non sit minor in voto simplici apud Deum, quàm in solemni, & consequenter peccatum non multiplicatur, sed est unum, unaque malitia sacrilegij. Ita Filliucius, Sanchez, Lezana, & alij contra Bonacinam disp. de matrim. quæst. ult. num. 30. Aragonium, Azorium, Rodriguez & alios, quos citant.

IV. Omne peccatum luxuriæ est violatio voti castitatis: nam si peccatum luxuriæ in Sæcularibus sit contra castitatem & continentiam, quàm Jure Divino servare tenentur: sequitur, omne peccatum luxuriæ in Religioso, aut in sacris constituto, esse sacrilegium, & contra votum castitatis emissum; ratione cujus, actus venereus opponitur virtuti Religionis: ut docent communiter Theologi asserentes, Religiosum teneri à se abdicare omnes venereas delectationes, nè peccet contra votum castitatis.

V. Ut castitatis votum à Religiosis observetur, & nè ipsis detur occasio violandi illud, nulli licet intra Monasterium mulieres introducere: ut declarat Pius V. in constitutione, quæ incipit: *Regularium personarum* sub pœna interdicti à divinis, & inhabilitatis ad omnia officia Ordinis, simul cum pœna excommunicationis sanctæ Sedi reservatæ; quam incurrunt etiam Regulares: dum sinè necessitate, aut Superioris licentia ingrediuntur Monasteria Monialium can. *Periculoso* de stat. Monach. in 6. Eâdem pœnâ plectuntur etiam Sæculares Monasteria Monialium indebitè ingredientes, ex Tridentino sess. 25. de Regular. cujuscumque conditionis, qualitatis, sexûs, vel ætatis fuerint. Nomine Monasterij intelligimus claustrum, dormitorium, & officinas interiores tantùm. Unde intrantes hortum, sacristiam, aliaque loca extra Monasterij muros, nullam censuram incurrunt: modò non intrent per portas Monasterij. Ita omnes: quia Bullæ Pontificiæ comprehendunt ea loca tantùm, quæ clausuræ sunt subjecta, suntque sub clavi Conventûs, aut Monasterij.

VI. Casus, in quibus licet mulieribus virorum Monasteria ingredi, sunt. Quandò in Claustro Missa, aut divinum Officium celebratur. Quando Processiones fiunt per claustra. Quando cadaverà ibi sepeliuntur, aut verbum Dei prædicatur, aut fit aliquid simile, bonum animæ concernens. Tandem quando ob concursum populi mulieres non possunt ingredi, nec egredi per portam Ecclesiæ, dummodò directè accedant ad portam; ut notant Mastrius & Lezana. Ad dormitorium autem nunquam possunt licitè ingredi, aut ascendere; quàmvis sacrum Viaticum ad infirmum deferatur: hæc enim actio, aut ceremonia est specialis, ac interior Regularibus, utilitatem atque consortium cum Sæcularibus excludens.

VII. Personæ Sæculares Monasteria Monialium ingredi possunt in necessitate, quæ per ipsas Moniales suppleri non potest: qualis est ea, quæ Fabricatores, Chirurgos, Medicos, aliasque personas exigit; nam si necessitas possit per ipsas decenter suppleri, certum est, quód Abbatissæ Sæculares personas introducentes peccant, & censuram incurrunt, pariter & Sæculares, nisi ignorantiâ excusentur. Quia tunc

cessat legitima causa ingressûs, & lex prohibens in suo robore manet. Quoad exitum, certum est etiam, quód Moniales exire nequeunt, nisi urgente gravissima causa, nec ipsis potest aliter concedi licentia egrediendi. Necessitates sunt maximum incendium, leprâ, aut epidemia, tempus belli hostium invadentium Monasterium, casus aquæ ductûs, aut ruinæ domûs, & similes casus bonum commune concernentes; alioquin constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. non essent ad ædificationem, sed ad destructionem, quòd est falsum. Nec in his casibus ipsis denegari potest licentia egrediendi; quámvis eam petere teneantur, nisi periculum esset in mora: tunc enim sufficeret licentia præsumpta. Cessante tamen necessitate, tenentur sinè mora clausuram reassumere. Quia tandiu valet licentia, quandiu durat causa egressionis. Quantùm ad translationem de uno Monasterio ad aliud, multæ sunt causæ transferendi Moniales; hæque Prælatorum judicio sunt relinquendæ.

VIII. Quæritur, an istud egrediendi privilegium valeat in necessitate unius particularis, seu in necessitate, quæ non nocet Communitati, sed uni soli? Rodriguez, Silvius, Sanchez, & alij id negant. Eorum ratio est. Quia privilegium à Pio V. concessum consulit bono communi tantùm. Suarez, Lezana, Mastrius, & Navarrus affirmant. Quia volunt, prædictum summum Pontificem consuluisse bono etiam particularium Monialium. Hæc secunda opinio videtur mihi probabilior. Si infirmitas in Monasterio minimè curari valeat. Qualis est illa v. g. quæ in Balneis tolli potest. Ratio nostra est. Quia privilegium dispensat in clausura, casu necessitatis: sed clausura obligat Moniales in particulari, seu quamlibet Monialem; ideoque dum necessitas, aut infirmitas est unius tantùm, una tantùm debet in clausura dispensari; cùm ipsi competat dipensandi causa: quemadmodum enim in necessitate communi, omnes Moniales dispensandæ sunt, etiam in necessitate particulari dispensanda est particularis, quæ dispensatione indiget; nam bonum commune continet bonum particulare, sicut totum continet partes, nec est aliquid aliud, nisi bonum particularium. Et ideo unaquæque dispensanda est pro suo bono, si dispensari indigeat.

IX. Per Bullas Pij V. & Gregorij XIII. pœna Monialium clausuram violantium, est excommunicatio reservata Sanctæ Sedi, à qua impetranda est absolutio. At quia indecorum esset, Moniales ob clausuræ violationem de suis exire clausuris ad conveniendam personaliter Apostolicam Sedem, sufficit, quòd ipsa, quæ clausuram violavit, mittat ad summum Pontificem pro impetranda absolutione. Hoc tamen non obstante, hîc obiter observandum est cum Cabassutio in theoria Juris Canonici lib. 5. cap. 14. num. 4. prævaluisse in Regno Galliæ diuturnam consuetudinem, ut per Episcopos absolvantur Moniales hâc censurâ ligatæ; quámvis ista violatio publica, & notoria foret. Ita idem Doctor. An Prælatus Regularis possit in simili casu absolvere Moniales sibi subjectas? Affirmo; cùm in utroque par sit ratio, & istæ Moniales subjiciantur Prælato Regulari, sicut illæ Episcopo, quoad ea quæ salutem animæ concernunt: & Moniales Regularibus subjectæ sint in eadem impotentia adeundi Romam.

X. Vir voto solemni castitatis astrictus omnem curam adhibere tenetur, nè contra votum suum peccet. Hæc cura consistit in contemplatione & oratione, juxta illud Apostoli ad Eph. 5. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus.* In studio scripturarum: ut tradit D. Hieronimus ad Rust. dicens *Ama studium scripturarum, & vitia carnis non amabis.* Tandem castitatis custodia consistit in fuga ab aspectu, & consortio mulierum: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri, inquit Ecclesiasticus cap. 42. vers. 13. Aliud restat adhibendum remedium pro servanda castitate, scilicet jejunium, quod vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia. Hæc monita sedulò observanda sunt à personis voto castitatis astrictis, ut observent eam castitatem, quam Deo promiserunt; alioquin exponent se periculo, & in periculo peribunt. Fideles autem, qui sobriè, piè, & castè vivere cupiunt in sæculo, quique propter negotia quibus abstrahuntur, nequeunt uti prædictis remediis pro castitatis virtute servanda, considerent, quòd voluptates breves sunt, & pœna est æterna, quòd multa mala secum trahunt. Considerent etiam mirabiles continentiæ effectus; quorũ præcipuus est salus

animæ, & corporis: nam virgo cogitat quæ Domini sunt: ut sit sancta corpore, & spiritu; ut monet Apostolus ad Corinth. 1. cap. 7. vers. 34.

CAPUT XXXII.

De Horis Canonicis recitandis.

I. Obligatio recitandi Horas Canonicas astringit sub mortali omnes Clericos in sacris constitutos, omnes Religiosos professos, & omnes qui Beneficium Ecclesiasticum obtinent, etiamsi nullo Ordine sacro sint insigniti can. *Quia per ambitiosam* de rescript. in 6. Idem habetur ex cap. *dolentes* de celebrat Miss. in fine: ubi legitur *districtè præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ; ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum quantùm eis Dominus dederit, studiosè pariter celebrent & devoté.* Idest distinctè, & cum omni attentione, sinè qua devotio nulla est, ut protestatur Christus apud Joannem dicens *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in spiritu & virtute adorare oportet.* Habitualis attentio non sufficit ad ullum officium, ad quod etiam intentio habitualis est insufficiens. Actualis, quæ est ea, quâ quis actu exercito advertit ad verba ipsa, vel ad sensum & intelligentiam verborum, vel ad Deum ipsum, aut ad divina Mysteria, est omnibus desideranda, quia optima: nam dum præcipitur recitatio divini Officij, non aliter præcipitur: quia dum præcipitur recitatio divini Officij, non aliter præcipitur, quàm ut oratio in Deum directa. Hoc enim optimè fit per attentionem actualem, licèt plures Canonistæ asserant, id fieri posse etiam per intentionem virtualem, quæ paulò ante præcessit Officij recitationem, & deliberatione actuali movetur. Unde recitans Officium sinè attentione actuali, vel saltem virtuali, non adimplet præceptum de Horis Canonicis recitandis: ut suadet illud Apostoli 1. ad Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente.*

II Quoad Religiosos professos nullo Ordine sacro initiatos, est difficultas, an teneantur sub mortali ad recitationem divini Officij? Nonnulli negant. Quia ad id non obligantur ex vi professionis religiosæ, nec ex præcepto ecclesiastico, nec ex vi Regulæ quam professi sunt, cùm sæpè non obliget ad Officium. Alij affirmant. Quia antiqua & laudabilis consuetudo eos ad id obligat. Huic ultimæ opinioni subscribo; cùm hæc consuetudo vigeat in Religionibus Choro addictis. Insuper Religiosi professi ad Chorum & Altare destinati, statim post professionem fiunt pars & membrum Communitatis, quæ est addicta Choro, & ad Officij recitationem obligata; igitur ad id tenentur, & debent sub mortali Horas Canonicas recitare. Idem dico de Monialibus, quæ ex consuetudine Officium recitant in Choro; cùm ex jure consuetudo præsertim laudabilis habeat vim legis, & obliget in conscientia.

III. Obligatio recitandi divinum Officium, quæ ex Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform. & ex Clement. 1. de Regular. Chorum respicit, revera non est personalis; itaut quilibet Beneficiarius, aut Religiosus peccet toties, quoties Officium non persolvit in Choro, cùm aliquâ ratione à Superioribus approbatâ excusari possit, aut in Choro dispensari. Astringit tamen Præfectos, Superiores, & Rectores Ecclesiarum, qui mortaliter peccant, dum sinè gravissima causa Choro non adsunt; etiamsi ipsis absentibus, ab aliis studiosè & devotè celebretur. Quoties enim aliqua obligatio cadit in corpus mysticum morale, quale est v. g. Communitas Religiosa, ipsius capiti incumbit curare, ut adimpleatur, & personaliter assistere, nè sit periculum omissionis, seu ut subditi Choro satisfaciant. Sic docet Lezana. Si veró tale Officium omitteretur malitiâ, vel negligentiâ subditorum, tunc inferiores peccarent etiam mortaliter: quia obligatio recitandi Officium in Choro cadit secundarió in particulares, nè ex eorum negligentia, vel defectu Horæ Canonicæ omittantur.

IV. Horarum Canonicarum integritas assignatur solitò triplex, materialis scilicet, formalis, & accidentalis. Prima consistit in materia officij, nempe in psalmis, lectionibus & hymnis. Secunda in ritu. Tertia autem in ceremoniis. Duæ priores obligant sub mortali: peccatum enim est omittere aliquem psalmum, vel unam lectionem, aut aliquam partem notabilem unius horæ Canonicæ; peccatum est etiam sinè ulla causa legitima mutare qualitatem Officij: ut v. g. facere de festo, dum juxta

ordinem in Breviario præscriptum de feria faciendum est, vel priùs recitare Primam, quàm Matutinum. Quia hoc non est facere Officium, prout ab Ecclesia institutum est, nec est persolvere Horas Canonicas, quæ Canonicæ dicuntur; quia secundùm Canones, aut Regulas Ecclesiæ institutæ sunt: tertia verò seu ceremonialis integritas non obligat sub mortali, præsertim extra Chorum; certum enim est, quòd omittere in Officio privato aliquas genuflexiones, non est peccatum mortale, quàmvis tale esse possit in publico, dum perturbationem, aut irreverentiam causat.

V. Interruptio in recitatione Officij est culpabilis can. *Nihil* 7. q. 1. Quoniam unitas uniuscujusque horæ ad secundam integritatem, seu ad ritum spectat. An verò hæc culpa sit mortalis? Non conveniunt Doctores. Nonnulli stant pro veniali, nullamque imponunt obligationem horam inchoatam repetendi. Eorum ratio est. Quia quilibet psalmus suam retinet significationem. Alij, quorum opinionem sequor, stant pro mortali, & obligatione repetendi horam inchoatam. Ita Navarrus, & Lezana. Nec valet ratio adversariorum: unitas enim, aut continuatio uniuscujusque Horæ Canonicæ spectat ad ritum seu ordinem ab Ecclesia præscriptum, qui sinè culpa mortali violari nequit; cùm sit de genere præcepti in materia gravi.

VI. Insuper Horæ Canonicæ recitari debent statutis temporibus à legitima consuetudine præscriptis, præsertim in Choro. At extra Chorum ad vitandum peccatum mortale, sufficit recitare eas eo intervallo, quod est à media nocte unius diei ad mediam noctem sequentis diei. Nè credas tamen in hoc vitari peccatum veniale, nisi necessitas excuset. Quia integritas formalis, de qua supra num. 4. dictum est, obligat extra Chorum, & in Choro: in isto sub mortali ad vitandum scandalum, & extra Chorum sub veniali, cùm illicitum sit Horarum ordinem mutare, dum necessitas id non facit licitum. Hinc est, quòd si non fuisset introducta consuetudo, aut privilegium concessum non fuisset, ut Matutinum & Laudes recitari possent immediatè post Completorium, dici non possent: quia recitatio divini Officij est onus ita affixum diei, ut non liceat intra unum & eundem diem duo Officia etiam in parte recitare: v. g. manè Matutinum ejusdem diei, & serò post Completorium, Matutinum sequentis diei. Sacerdos debet priùs Matutinum recitare, quàm Missam celebrare. Quia de ratione hujus horæ Canonicæ est præcedere omnes alias preces diei, & oblationes publicas.

VII. Disputant Doctores, an omittens officium integrum, seu omnes horas diei committat tantùm unum peccatum, vel tot, quot sunt horæ canonicæ recitandæ in die? Suarez, Reginaldus, Ledesma, & alij in hac omissione unum peccatum admittunt. Quia (inquiunt) quælibet hora non facit per se officium, sed officij partem, nec dicitur simpliciter officium divinum, nisi prout ad totale dirigitur. Lessius, Tabiena, Toletus, & alij admittunt tot peccata, quot sunt horæ canonicæ. Hæc opinio videtur mihi probabilior. Quia quælibet hora est per se completa & distincta ab alia; quàmvis omnes ad officium totale & integrum diei dirigantur: hæc enim directio non est ad officium, ut ad unum per se, sed ad unum quasi per aggregationem: ideoque tot sunt obligationes, quot sunt horæ; cùm existat ordo de hujusmodi horis recitandis, debitis & statutis temporibus diversis; ex quo sequitur, tot esse omissiones & peccata in confessione aperienda, quot sunt horæ canonicæ: nam dum beneficiarius omittit v. g. Primam, tenetur fructus huic horæ correspondentes restituere, & si omnes horas omiserit, omnes fructus illius diei. Quia obligatio, aut omissio unius horæ, non est obligatio, nec omissio alterius. Denique ex adversa sententia sequeretur, quòd omittens Completorium non peccaret mortaliter ob parvitatem materiæ: nam Completorium respectu aliarum horarum conjunctim pro nihilo reputari potest, sed hoc est falsum: ergo quælibet hora suam fert obligationem.

VIII. Quando quis ab officio recitando excusatur ob gravem infirmitatem, vel necessitatem cum officij recitatione prorsùs incompossibilem, revera non peccat, si omittat illud; tenetur tamen eam, quam potest officij partem recitare: v. g. si non possit Matutinum recitare ex defectu breviarij, & habeat diurnale, debet recitare alias horas, quæ in diurnali sunt; vel si sit infirmus, ut non possit recitare Matutinum, & possit alias recitare horas, ad id tenetur. Ita Suarez, Layman & Lezana, contra Azorium, & Navarrum. Ratio nostra est. Quia horarum obligationes sunt distinctæ,

ac multiplicatæ in officio diei, ut jam dixi. Deinde tenetur facere id, quod potest ut officium persolvat; sicut debitor, ut debita solvat: nam qui debet centum, tenetur solvere quinquaginta, si possit, nec ab istis excusatur, licet centum solvere non possit; nec dispensatur à jejunio totius quadragesimæ ille, qui in prima hebdomada jejunare non potuit. Si verò contingat, ipsum non potuisse officium recitare ob aliquod impedimentum legitimum, & idem impedimentum cessaret horâ Completorij, teneretur recitare omnes horas; quidquid dicant Canus & Diana. Quia obligatio, aut præceptum de horis canonicis recitandis intra diem, per totum diem obligat, sicut præceptum de audienda Missa tandiu obligat, quandiu durat tempus, in quo Missæ celebrantur. Undè impedimento sublato, officium est recitandum in ordine præscripto, scilicet Matutinum, Laudes &c.

IX. Clericus, aut Religiosus, qui in transferendis libris ex una parte chori ad aliam detinetur, vel in pulsandis organis, vel thure adolendo, tenetur recitare partem illam, quam non audivit; licet pro choro occupatus fuerit. Quia chorus non recitat officium nomine omnium ministrantium, sed solùm eorum, qui audiunt: nam qui non audiunt, non sunt præsentes, nec assistentes, saltem assistentiâ Religiosâ, scilicet agendo in choro ea, quæ pro officio agere tenentur. Nec habent attentionem ad officium divinum requisitam; nec adimplent obligationem illam, quâ unusquisque tenetur recitare officium, aut ita pronunciare illud, ut se audiat. Ita Suarez de religion. tom. 2. lib. 4. cap. 14. num. 13. & alij contra Azorium, & Dianam.

X. Indè sequitur, beneficiatum, qui absque ulla legitima causa à præposito approbata Missam celebrat, dum in choro alij divinum canunt officium, non satisfacit obligationi assistendi in choro, nec potest licitè ejusdem officij distributiones suscipere; cùm Missam in aliam horam remittere posset, & prorsùs voluntaria censeatur hæc absentia. Ita Panormitanus in cap. *olim.* de sentent. & re jud. num. 6. Barbosa, & alij gravissimi Canonistæ, quos citant. Idem dico de Canonicis, qui Consiliarij sunt in aliqua Curia. Quia non possunt suscipere distributiones officiorum, quibus non intersunt; quàmvis tunc temporis intersint Curiæ. Cùm hujusmodi distributiones reserventur Clericis, qui divinis intersunt officiis, nisi aliqua necessitate à Capitulo approbata excusentur.

XI. Disputari potest, an ille qui Subdiaconatum suscipit, aut professionem Religiosam emittit, teneatur sub mortali recitare omnes horas Canonicas diei ordinationis, aut professionis suæ: v. g. Matutinum &c. si ordinatus, aut professus fuerit horâ undecimâ ante meridiem, vel sufficiat illi solùm recitare horas, quæ sequuntur, scilicet Vesperas, & Completorium? Plures imponunt obligationem recitandi Matutinum &c. Quia (inquiunt) obligatio respicit officium integrum septem horas comprehendens. Sed non convincit hæc ratio. Quia obligatio respicit tantùm officium recitandum; cùm non tendat ad præteritum, sed ad Futurum, & septem horæ diei sint distinctæ. Obligatio hæc non ligat nisi ex ordinatione, Professione Religiosa, aut ex susceptione beneficij. Undè cùm incipiat horâ undecimâ, hâc ipsâ horâ incipit obligare, ac ligare ad officij recitationem.

XII. Alia potest agitari difficultas circa beneficiarios nullo Ordine sacro insignitos, nimirùm an obligatio recitandi divinum Officium incumbat illi, cujus beneficium tenue est, & victui insufficiens? Quidam negant; sed opinio contraria videtur mihi probabilior, & in praxi tutior. Quià beneficium datur propter officium can. *Quia per ambitiosam* de rescriptis in 6. cui suffragatur etiam ratio: nam obligatio officij non augetur ex multitudine proventuum beneficij, ita neque minuenda est ex eorumdem proventuum paucitate. Prætereà ille beneficiarius ex hoc ipso, quòd est beneficiarius, est specialiter assumptus ad laudē divinam, & ad ministerium aliquod in Ecclesia ipsi conveniens; quâvis beneficium sit tenue, & victui insufficiens, ut rèctè colligitur ex illo Isa. 42. *Omnem, qui invocat nomen meū, in laudem meam creavi illum.* Igitur officij quotidiè recitandi obligatio incumbit omni beneficiario. Parùm nocet dicere, quòd ille, qui altari deservit, de altari vivere debet; itaut deservire non teneatur, si de altari non vivat. Ratio nostra est. Quia beneficiarius de quo agitur, tenetur ad officium ex voluntaria acceptatione beneficij, & ex assumptione ad laudem divinam: certum enim est, quòd voluntarié suscipiens beneficium, se obligat ad beneficij onus, quod est officium.

XIII. Beneficiarius, qui ex dispensatione summi Pontificis est præbendatus in dea-

bus Ecclesiis, in quibus diversa celebrantur officia, non tenetur recitare officium juxta utriusque Ecclesiæ ritum, aut ordinem, dum ab utraque Ecclesia est absens; nec juxta ordinem illius Ecclesiæ, à qua accipit majores redditus ratione beneficij: hæc quidem obligatio recitandi horas canonicas in temporalibus minimè fundatur; benè verò secundùm ordinem illius Ecclesiæ, in qua habet digniorem gradum: nam si in una sit Præpositus v. g. aut Decanus, & in alia simplex Canonicus, tenetur recitare officium Ecclesiæ, in qua est Præpositus. Quia dignius beneficium debet præferri minùs digno. Si beneficia sint ejusdem gradùs, & dignitatis, debet sequi ritum dignioris Ecclesiæ. Dixi *Dum ab utraque Ecclesia est absens* Quia dum est præsens, debet recitare officium, quod celebratur in Chorò Ecclesiæ in qua est; quippe cùm sit membrum actuale, aut pars Communitatis istius Ecclesiæ, ligatur legibus & ordine ejusdem: quoniam ipsis actualiter subjicitur.

XIV. Si ex dictis constet, Ecclesiæ Ministros teneri ad recitandas horas Canonicas, & ad preces pro populo effundendas; quia ex officio sunt medij inter Deum, & populum constituti. Quilibet tenetur orare ex hoc ipso quòd tenetur ad bona spiritualia sibi procuranda, quæ solus Deus dare potest, & debet diebus festis horis Canonicis interesse, ut Ministris Ecclesiæ pro populo orantibus suam intentionem conformet: ut tradit D.Thomas 4.sent.dist. 15. quæst. 4. art. 1. Idemque suadet D. Chysostomus in Math. ubi aït *Pro se orare necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur; dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmitit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Inde enim sequitur, quemlibet teneri orare pro se, & pro aliis, etiamsi sint inimici; cùm de hac ipsa obligatione orandi pro inimicis existat præceptum Math. 5. Oratio communis, seu ea quæ per Ministros Ecclesiæ offertur Deo, debet esse vocalis, ut audiatur à populo fideli, pro quo profertur. Quare Beneficiarius, aut Religiosus, aut alter, cui incumbit obligatio recitandi horas canonicas, qui Officium diceret mentaliter, huic præcepto minimè satisfaceret At oratio singularis, quæ à singulari persona offertur, non est necesse, quòd sit vocalis. Utraque tamen exigit attentionem, ut sit meritoria & impetrativa: ut monet Apostolus 1. ad Corinth. 14. dicens *Si orem linguâ, mens mea sine fructu est* & D. Gregorius *illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat non intendit.* Imò qui ex proposito in oratione mente evagatur, nedum impedit orationis fructum: utpotè meritum, quod oranti provenire solet, & consolationem spiritualem, ac devotionem ex oratione conceptam, sed etiam peccat.

XV. Licèt oratio non debeat esse continua secundùm se considerata; cùm aliis operibus interdum nos occupare teneamur; debet tamen esse continua in causa, quæ est desiderium charitatis, ex quo nascitur oratio; quod quidem desiderium in nobis debet esse continuum actu, vel virtute: ut inquit D. Thomas. In hoc quidem sensu intelligendi sunt textus Lucæ 18 *Oportet semper orare, & non deficere,* Et Pauli 1. ad Thess. 5. *sine intermissione orate.* Unde D. Augustinus ad Probam aït *in ipsa fide, spe, & charitate, continuo desiderio semper oramus* Hujus veritatis argumentum est: quia desiderium illud habet vim orationis apud Deum, & ab ipso obtinet orationis finem juxta illud psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Nec valet dicere ex illo Joan. 9. *scimus quia Deus peccatores non audit,* peccatores non teneri ad orationem, & pro se, & pro aliis. Non valet inquam. Quia licèt oratio peccatoris non sit meritoria ex defectu charitatis, aut gratiæ quæ est principium meriti, & forma orationis, potest tamen esse impetrativa, & obtinere à Deo Beneficium conversionis, animum pœnitentiæ, quibus necessariò indiget; ideoque utrumque debet petere à Deo, qui, cùm nolit mortem peccatoris, utramque gratiam elargiri solet ex pura misericordia, ut ipse peccator convertatur, & vivat. Plures conditiones requirit oratio 1. debet esse secura, idest cum fiducia, cum qua ex Apostolo necesse est adire ad thronum gratiæ. 2. recta, idest debemus petere à Deo ea, quæ nobis conveniunt. 3. ordinata, idest orando debemus præferre spiritualia carnalibus, & cœlestia terrenis. Quare Math. 6. aït *Quærite primùm Regnum Dei* 4. debet esse devota, idest orans debet se Deo totum devovere, & habere voluntatem quamdam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Deum. Tan-

dem oratio debet esse humilis; ut orans obtineat id, quod petit: idest nihil ex viribus suis debet præsumere, sed totum ex divina misericordia impetrandum expectare. Quia Deus respicit in orationem humilium, superbis resistit, & dat gratiam humilibus.

CAPUT XXXIII.

De Loco sacro.

I. Discussis, & exploratis horis Canonicis, ad quas obligantur Ministri Ecclesiæ, Mysteriorum Dei dispensatores, reliquum est diluere difficultates, quæ circa loca sacra, & Ecclesias occurrunt; cùm in ipsis oret Sacerdos pro peccatis,& delictis populi; sitque domus Dei, domus orationis, quam nemo potest citra grave peccatum eam facere domum negotiationis. Ut declarat Christus Joan. 2. Quare D. Augustinus aït: *In oratorio nemo aliquid faciat, nisi id, ad quod factum est,undè & nomen accepit*: Quibus verbis suadet ille sanctus Doctor, loca sacra solùm ad usus sacros inservire posse, & consequenter Ministros Ecclesiæ, qui pro Christi legatione funguntur, teneri ejicere de Templo ementes, & vendentes; seu eos, qui in ipso confabulantur, negotia sæcularia pertractant, irreverenter sistunt, & faciunt domum Dei speluncam latronum.

II. Nulla Ecclesia potest construi sinè licentia Episcopi, ut præcipit sacra Tridentina Synodus sess. 25. de Regularibus capite 3. in fine: ubi legitur. *Nec de cætero similia loca erigantur sinè Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentiâ priùs obtentâ.* Idem priùs decreverat Concilium Agathense cap. 52. Ejusdem Episcopi est, locum ædificationis assignare per positionem crucis ligneæ, dotationem ad ministerium & ad reparationes necessarias præscribere, & primum lapidem ponere: ut sancit Can. *nemo* de consecrat. dist. 1. Ibi enim legimus. *Nemo Ecclesiam ædificet, antequàm Episcopus civitatis veniat,& ibidem Crucem figat; publicè atrium designet: & antè præfiniat, quid ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam &c.* Potest tamen ipse Episcopus ad hæc omnia peragenda delegare Sacerdotem: ut notat glossa. Quia sunt actus jurisdictionis Episcopalis, quæ in alio residere potest: ut constat de Vicario Generali, qui habet jurisdictionem Episcopi (ut jam monui) ex Jure, quo jurisdictio Episcopi,& jurisdictio Vicarij Generalis sunt una eademque jurisdictio, unum & idem tribunal. Hic Sacerdos delegatus nequit ædificationem Ecclesiæ permittere: nisi Patronus, seu ædificans eam dotet pro sufficienti Ministrorum stipendio, pro necessariis ornamentis providendis, & aliis similibus: quippe cùm hæc obligatio non aliter permittendi ædificationem Ecclesiæ incumbat Episcopo deleganti can. *Cùm sicut* de consecrat. delegato etiam incumbere debet.

III. Ut Ecclesia apta reddatur divino cultui, est benedicenda, vel consecranda. Hæc Benedictio fieri potest per simplicem Sacerdotem, ab Episcopo delegatum: consecratio autem per Episcopum Diœcesanum, vel per alium ab ipso ad id munus commissum can. *Nemo* de consecrat. dist. 1. can. *Aqua* de consecrat. Eccles. Ex quo sequitur, nullam fore consecrationem, factam à simplici Sacerdore ex commissione Episcopi. Hic obiter quæri potest, an simplex Sacerdos possit ex commissione Sedis Apostolicæ consecrare Ecclesiam? Affirmant plures, quos citat Bassæus verbo *Ecclesia* num. 16. Huic responsioni lubens subscribo; nam si simplex Sacerdos possit authoritate summi Pontificis confirmare: ut docet communior Theologorum pars, eâdem authoritate poterit etiam consecrare Ecclesiam. Licèt per consecrationem Ecclesia non recipiat gratiam, quæ est qualitas spiritualis subjecto materiali inhærere repugnans, recipit tamen quamdam virtutem spiritualem, per quam apta fit divinis laudibus, & ponitur sub speciali protectione Dei juxta illud 2. Machab. cap. 3. vers. 38. & 39. *Si quem habes hostem, aut Regni tui insidiatorem, mitte illùc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eoquòd verè Dei virtus quædam sit in loco; nam ipse, qui habet in Cœlis habitationem, visitatur, & adjutor est loci illius: & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit.*

IV. Ex Canone *cùm ex eo* de pœni. & remiss. Episcopus potest in die consecrationis Ecclesiæ concedere unius anni Indulgentiam.

dulgentiam; & in anniversario dedicationis, & aliis quibuscumque occasionibus potest Indulgentiam concedere dierum quadraginta tantùm. Quia Episcopus non habet plenam potestatem concedendi Indulgentias, sed solùm eam, quam accipit à Papa, cui facultas distribuendi thesauros Ecclesiæ concessa fuit in persona Petri à Christo Domino dicente Joan. 21. *Petre pasce oves meas.* Episcopus electus & confirmatus potest Indulgentias concedere, etiamsi non sit consecratus: cùm hæc potestas non sit actus Ordinis, qui per consecrationem ipsi confertur, sed jurisdictionis, quam per electionem & confirmationem assequitur: ut tenent omnes Canonistæ communiter, ac Theologi. Exinde sequitur, summum Pontificem posse statim post sui Canonicam electionem Indulgentias concedere pro tota Ecclesia: quamvis nondum consecratus fuerit.

V. Licèt per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo non consequatur remissionem peccatorum mortalium: quia non habet vim, nec rationem Sacramenti; existimo tamen probabiliter, quòd consequitur remissionem peccatorum venialium secundum illud psal. 84. *Benedixisti Domine terram tuam... Remisisti iniquitatem plebis tuæ*: nam quàmvis consecratio hæc non sit Sacramentum, potest tamen reponi inter Sacramentalia, & remittere peccata venialia eorum, qui ingrediuntur domum Dei consecratam; sicut aspersio Aquæ benedictæ, communio panis benedicti &c. remittunt illa. Hæc consecratio majori sanctitate, & solemnitate recolitur, quàm consecratio aliarum rerum. Quia repræsentat sanctitatem totius Ecclesiæ; sicut consecratio Altaris repræsentat sanctitatem Christi Domini.

VI. Semel consecrata Ecclesia non potest denuò consecrari. Ratio D. Thomæ est, quia Sacerdotium Christi est æternum: ut testatur Propheta Regius psal. 109. Dicens, *tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech*; ideoque omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium ejus, debet esse permanens, & durare permanente re consecratâ. Igitur non est iterùm consecranda: nisi parietes igne absumpti fuerint, aut diruti ex majori parte Can. *Ecclesiis* de consecrat. dist. 1. Nam majori parte deficiente, tota Ecclesia censetur defecisse. Quia major pars sumitur pro toto. Vel si alter casus in Jure præscriptus contigerit: ut legitur in Concilio Nicæno relato in dist. 1. de consecrat. can. *Ecclesiis*, ubi legitur; *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi; nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cujuscumque semine pollutæ fuerint; quia sicut infans à qualicumque Sacerdote in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti semel baptizatus non debet iterum baptizari; ita nec locus Deo dicatus est iterum consecrandus, nisi propter causas, quas superiùs nominavimus; si tamen fidem sanctæ Trinitatis tenuerint, qui consecraverunt: alioquin qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt.* Ex ultimis verbis hujus textûs sequitur, Ecclesiam ab Episcopo hæretico consecratam, esse iterum consecrandam.

VII. Non desunt Doctores asserentes, Ecclesiam ab Episcopo excommunicato non denunciato consecratam, esse ex vi hujus textûs iterum consecrandam. Sed nullam video rationem, quâ deffendi possit hæc opinio: nam Episcopus excommunicatus tenet fidem sanctæ Trinitatis; cùm sit membrum Ecclesiæ: ut dixi supra cap. 1. num. 10. Ergo probabilius est, Episcopum excommunicatum posse validè consecrare Ecclesiam, quàmvis illicitè. Deinde privatio potestatis validè consecrandi Ecclesiam, à jure incurrenda per hæresim est in materia odiosa, quæ potiùs est restringenda, quàm amplianda, & consequenter ex vi textûs jam allati, non potest extendi ad Episcopum excommunicatum: cùm textus loquatur de Episcopo hæretico tantùm, seu de eo, qui non tenet fidem sanctæ Trinitatis, neque est actu membrum Ecclesiæ. Denique ex extravag. *ad evitanda* non tenemur devitare excommunicatum non denunciatum; ideoque nulla est ratio obligans ad consecrandam Ecclesiam jam consecratam ab Episcopo excommunicato non denunciato.

VIII. Ecclesia, in qua sepultura fuit tradita hæretico, vel pagano, vel judæo, vel excommunicato notorio, est reconcilianda, cadavere priùs exhumato, si discerni possit Can. *Ecclesiam* de consecrat. dist. 1. Ponitur hæc conditio; quoniam si ab aliis corporibus discerni nequeat, non est tunc exhumandum; nè colligendo zizania, simul cum eis eradicetur & triticum. Melius est tolerare in tumulo corpus excommunicati, quàm de eodem extrahere corpus viri justi & fidelis, qui mortuus

est in osculo pacis: ut monent Doctores; & quàmvis corpus illud non extrahatur, non minùs locus est reconciliandus; nè pollutus remaneat sepulturâ hæretici, pagani, judæi, vel excommunicati denunciati, quos jus Canonicum privat Ecclesiasticâ sepulturâ can. 24. quæst. 1. can. *Sacris* de sepult. nam licèt non potuerit ab aliis corporibus ibi inhumatis dignosci, non minùs locus ille est pollutus, & consequenter est reconciliandus, & purgandus. Quantùm ad priores, putà hæreticum, judæum & paganum, numquàm sepeliendi sunt in loco sacro. De excommunicato autem observandum est, an dederit signa pœnitentiæ ante mortem; si ea dederit, & non fuerit in vivis absolutus, non est sepeliendus in loco sacro, donec authoritate Superioris absolvatur: antequàm corpus tradatur sepulturæ; si verò jam sepultus fuerat ab illis, quibus dederat signa pœnitentiæ, reverà non est exhumandus: sed est in ipso loco absolvendus à censura. Si autem contingat, quòd nullum pœnitentiæ signum dederit, est privandus Ecclesiasticâ sepulturâ; & si jam sepultus fuerit, est exhumandus, & procul à loco sacro jaciendus; nam ex sancto Leone Papa relato in primo Canone causæ 24. quæst. 1. quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

IX. Quando dubitatur, an Ecclesia consecrata fuerit, & dubium nequit deponi aliquâ notâ in libris Ecclesiæ, vel in parietibus apparente, nullâque testium proborum assertione, potest consecrari can. *Ecclesia* de consecrat. dist. 1. Id probari potest hac Regulâ Juris in 6. *ignorantia præsumitur, ubi scientia non probatur.* Quia ubi non probatur Ecclesiæ consecratio, ipsa Ecclesia præsumi debet non consecrata. Ad deponendum hoc dubium, sufficit unius viri probi & honesti testimonium: ut refert Innocentius in cap. 1. de consecrat. Eccles. asserens ad hoc sufficere semiplenam probationem: si nulli inde nascatur præjudicium.

X. Effusio sanguinis polluit locum sacrum, modò sit injuriosa; quippe si fortuita sit, non violat Ecclesiam: quàmvis ex hac effusione vulneratus moriatur. Quia tunc sanctitas loci minimè contemnitur; aliàs sequeretur, quòd occisio hominis, quæ non raró contingit in locis sacris ornandis, aut reparandis, pollueret Ecclesiam, quod nullus Canonista concedit. Idem sentiendum est de occisione injusti aggressoris facta ab aggresso cum inculpata tutela, & de vulnere inflicto per hominem furiosum, seu insipientem. Ex his quidem casibus nulla infertur injuria, nullusque contemptus Ecclesiæ. Deinde non committitur sacrilegium per hujusmodi percussionem, nec incurritur excommunicatio; ideoque nulla inde nasci potest loci sacri pollutio: ut tenet communior Doctorum sententia. Licèt ex pollutione Ecclesiæ sequatur pollutio Cœmeterij, saltem contigui: tamen ipso polluto non polluitur aliud, quàmvis contiguum; sufficit enim quæcumque divisio Phisica: ut unum remaneat inpollutum, polluto alio; & ut sint duo Cœmeteria pro mortuis sepeliendis. Parùm refert, quód hæc duo Cœmeteria sint unius & ejusdem Ecclesiæ, eidemque contigua. Quæ si contingat ambo simul pollui aliquâ effusione sanguinis, aut humani seminis, Ecclesia minimè polluitur: quia minor pars non sumitur pro toto, sicut major. Unde cùm Ecclesia sit major, atque dignior Cœmeterio, dum illa polluitur, pollui debet istud, non è conversò. Ut sanguinis effusio sufficiat ad hujus pollutionis effectum, necesse est. Primò, quòd sit injuriosa: ut jam monui. Secundò quòd sit satis gravis. Hæc enim vox *effusio* copiam denotat: ut advertunt Doctores; & ideo, ut locum sacrum polluat, debet esse injuriosa, & non modica: aliàs sequeretur, quòd illa sanguinis effusio, quæ solet accidere in rixa puerorum, pariter & modicus sanguinis fusus ex injuriosa percussione, polluerent locum sacrum: quod nullus Canon hactenùs concessit. Necesse est tandem, ut injuriosa percussio, ex qua sanguis effunditur, recepta fuerit in loco sacro: nam si vulneratus extra Ecclesiam, recepto vulnere ipsam ingrediatur, vel Cœmeterium, ibique sanguinem effundat, Ecclesia non polluitur: quia hæc effusio censetur fortuita, & Ecclesia, quàm vulneratus ingreditur, non est locus percussionis, sed refugij & curationis.

XI. Ex hoc ultimo sanguinis effusioni requisito, ut locum sacrum polluat, rectè colligitur, quòd si aliquis existens intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, jactu lapidis injuriosè alterum foris existentem vulneret, non inde polluitur Ecclesia: quia pollutio nascens ex effusione sanguinis non

oritur immediatè ex actione (quæ est in agente, seu percutiente, juxta Philosophos nostros) sed ex passione, quæ in vulnerato recipitur; ideircò locus, in quo existit iste, polluitur: non autem ille, in quo existit percutiens; cùm non percutiens, sed percussus effundat sanguinem. Quapropter si vulneratus in loco sacro statim exiret, & nonnisi post egressionem effunderet sanguinem, non minùs pollueretur locus sacer. Quia in ipso vulneratus passus est percussionem, quæ est causa effectiva sanguinis effusi.

XII. Nemini licet divina persolvere officia, aut mortuos sepelire in Ecclesia notoriè polluta; alioquin vana esset constitutio, Ecclesiam post notoriam pollutionem esse reconciliandam præcipiens: cùm in hac ipsa Ecclesia Sacerdotes eadem officia licitè peragere possent. Si autem contingat, Ecclesiam violari effusione seminis, aut sanguinis humani, vel homicidio licèt facto sine effuso sanguine: v. g. per venenum, aut strangulationem, debent officium inchoatum intermittere. Quantùm ad Missæ sacrificium advertendum est, quòd si contingat, Ecclesiam violari jam sacro inchoato Canone, Sacerdos debet sacrificium perficere, & Missam prosequi usque in finem: quia tunc hostia est in ultima dispositione ad consecrationem, & Missa censetur quasi substantialiter incœpta. At si Canon inchoatus non sit, debet Missam intermittere: inde enim nulla sequitur necessitas perficiendi sacrificium, quod incœpto Canone censetur substantialiter incœptum. Hæc verba *Te igitur clementissime Pater* sunt prima verba Canonis, quia ab ipsis in missali Romano incipit titulus Canonis.

XIII. Cùm pecunia, quam fideles pro Ecclesia contribuunt, sacra sit, ad solam Ecclesiæ fabricam impendi potest: ut rectè colligitur ex illo 4. Regum cap. 12. vers. 4. & 5. *Dixitque Joas ad Sacerdotes; omnem pecuniam Sanctorum &c.* Idem habetur ex 2. lib. Machabæorum cap. 3. Rationes hujus pecuniæ administrandæ reparationibus Ecclesiæ, coram Ordinario, aut eo, quem Ordinarius commiserit, reddendæ sunt; quin Judices Sæculares in his rationibus se immiscere valeant: ut declarant varia Edicta Regum Galliæ, scilicet Caroli IX. anno 1571. Henrici IV. anno 1609. & Ludovici XIII. 1619. Idemque decernit sancta Synodus Tridentina sess. 22. de reformat. cap. 19. ubi legitur, *Administratores, tam Ecclesiastici, quàm Laici, fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, eleemosynæ montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: Consuetudinibus & Privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis: nisi secus fortè in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset.*

XIV. Ut in Oratoriis privatis Missa celebretur, necessaria est specialis licentia Prælatorum. Ita sentiunt communiter Doctores: inter quos solùm difficultas est, an qui habuit licentiam celebrandi in Oratorio domûs suæ, si se transferat in aliam permansurum, possit in posteriori domo uti ipsâ licentiâ? Nonnulli negant. Tutius tamen est cum distinctione respondere: dupliciter enim considerari potest illud privilegium, ut reale scilicet, & personale. Si sit reale, Dominus in cujus gratiam privilegium fuit concessum, nequit ipso privilegio uti in alia domo, in qua permanet, & habet domicilium; quia videtur primæ domui annexum; quàmvis finis *cui* licentiæ celebrandi sit ille, qui eam obtinuit: ideoque dum se in aliam domum transfert, ad eamdem minimè transit licentia celebrandi. Si sit personale, certum est, quòd transit in domum, in qua habitat ille, qui privilegium obtinuit. Quia privilegium personale seu concessum, expressis in Indulto nomine & cognomine privilegiati, perseverat cum persona, & cum eadem extinguitur: ut constat ex Jure. Eâdem ratione, si privilegium sit reale, seu domui annexum, aut Oratorio, permanet ibi; & ille, qui hanc domum acquirit, potest eodem privilegio perfrui: quia ex Regulis Juris in 6. is qui in jus succedit alterius, eo Jure, quo ille, uti debet. Hîc tamen obiter observa, quòd si privilegium illud ab Episcopo fuerit concessum, & ille, qui obtinuit illud, se transferat in domum alterius Diœcesis, tunc illicitum est eo privilegio uti absque nova proprii Episcopi licentiâ; cùm privilegia non valeant extra concedentis territorium.

XV. Agitari potest altera difficultas, scilicet an habens privilegium à Papa, vel ab Episcopo Diœcesano, ut possit audire Missam in Oratorio domûs suæ, possit exigere Oratorium in villa sua, & ibi Missam

audire, & è conversò? Respondeo negativè. Quia privilegium erigendi Oratorium in propria domo Laïcis concessum, est in materia odiosa; igitur est potiùs restringendum, quàm ampliandum de domo ad villam, aut è conversò: nisi in indulto exprimatur hæc extensio, & erectio Oratorij ad plenum impetrantis nutum relinquatur. Unde si Oratorium sit pro domo, in qua habitat, mandatum habet suam executionem, & licentia audiendi Missam in domo effectum sortita est. *Dices* istud privilegium audiendi missam in domo, est personale; ergo sequitur personam: ut patet ex jam dictis supra de illo, qui transit in aliam domum, ibi diu permansurus. *Respondeo* maximam inter utrumque casum esse disparitatem. Quia ille qui transit in aliam domum, ibi permansurus, relinquit priorem: ut supponimus, & habet unum Oratorium in domo, in qua habitat, seu in loco domicilij; iste verò, de quo agitur, haberet duo Oratoria, unum in domo, & aliud in villa, quæ habere nequit ex vi privilegij audiendi Missam in domo sua, aut habendi Oratorium in domicilio suo.

CAPUT XXXIV.

De clavibus Ecclesiæ.

I. OMnibus Fidelibus indubitatum est, Deum dedisse Christo Domino omnem potestatem in Cœlo, & in Terra: ut constat ex Evangelio Math. cap. ult. vers. 18. in quo legitur, *& accedens Jesus locutus est eis, dicens: data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* De ipsa potestate vaticinatus fuerat ante adventum Messiæ Isaïas cap. 22. vers. 22. his verbis: *Et dabo clavem domûs David super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Hoc quidem nomine *clavis* significatur potestas ligandi atque solvendi; ut fatentur omnes. Indubitatum est pariter eisdem Fidelibus, Christum Dominum hanc potestatem ligandi atque solvendi contulisse Apostolis suis: ut rectè infertur ex illo Joan. 2. vers. 22. & 23. *accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nec valet adducere illud Isaïæ 43. vers. 25. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Quo probatur, Spiritu sancto sic attestante, potestatem ligandi atque solvendi in Deo dumtaxat residere. Non valet, inquam, quia clavis illa David, quæ aperit & claudit, quæque data fuit Christo juxta illud Apocalips. cap. 3. vers. 7. *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David: qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit*, est triplex. Prima est clavis authoritatis, quam habet solus Deus, qui authoritativè aperit Cœlum. Secunda est excellentiæ, quam habere meruit Christus, qui morte sua aperuit Cœlos. Tertia autem est ministerialis, quam habent Sacerdotes, qui ministerialiter remittunt peccata: ut monet Apostolus 2. ad Corinth. cap. 5. vers. 18. dicens *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Isaïas loquitur de clave in primo sensu, non autem de clave ministeriali, quâ Sacerdotes Christi Cœlum aperiunt, delendo peccata post Baptismum commissa.

II. Deus duplicem authoritatem aut duas claves contulit Ecclesiæ suæ; quarum una est potestas Ordinis, & altera Jurisdictionis. Per priorem Sacerdos conficit Sacramenta, eaque administrat Fidelibus. Per posteriorem judicium profert in foro conscientiæ: nam Christus Math. 18. vers. 4. misit leprosum curandum ad Sacerdotes: qui quidem leprosus, juxta sanctorum Patrum sententiam, est figura peccatoris, & lepra figura peccati in tribunali Pœnitentiæ remittendi virtute clavium à Sacerdote tamquàm à Judice, qui pro Christo legatione fungitur, ut aït Apostolus cap. citato vers. 20. Idem declarat sacra Tridentina Synodus sess. 14. cap. 5. his verbis: *Quia Dominus noster Jesus-Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquàm Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur,*

III. Hæc clavis seu Jurisdictio fori interioris, aut conscientiæ, necessariò præsupponit clavem Ordinis & characterem Sacerdotalem. Hinc est, quòd solus Presbiter potest solvere atque ligare: nemo

quidem valet potiri potestate circa corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia; quin habeat potestatem circa ejusdem corpus naturale & reale, quod est vi verborum sub speciebus Eucharisticis. Unde Episcopus consecrati jam Sacerdotis capiti manus imponit, & dicit ei: *accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, ut recipiat clavem Jurisdictionis, seu potestatem absolvendi à peccatis. Verùm hæc clavis aut Jurisdictio per eadem verba non reducitur ad actum secundum: quippe cùm nequeat exerceri nisi in subditos, quos per prædicta verba *accipe &c.* non obtinet, idem Sacerdos non fit actualis Judex per Episcopum consecrantem, sed per Episcopum ei designantem subditos pro Jurisdictione in ipsos exercenda, ut expressè declarat Tridentina Synodus sess. 14, cap. 7. ubi legitur: *Quoniam igitur natura, ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet Jurisdictionem.* Idem decernunt Patres ejusdem Concilij in sess. 23. cap. 15. istis verbis: *Quàmvis Presbiteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quàcumque etiam immemorabili non obstantibus.*

IV. Præter Jurisdictionem, aut clavem fori interioris, altera habetur in Ecclesia Jurisdictio, quæ est fori exterioris & contentiosi circa personas & res Ecclesiasticas exercenda, ut rectè colligitur ex illo Math. 18. vers. 15. & 16. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* [Hoc est dic Episcopo aut Prælato Ecclesiæ, qui cùm sit Pastor & Rector, in delinquentem suam exercebit Jurisdictionem: ut exponunt sancti Patres] *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquàm Ethnicus & Publicanus.* Hæc Jurisdictio non præsupponit necessariò, neque requirit characterem Ordinis: cùm juxta omnium Doctorum sententiam Episcopus electus & confirmatus, licèt nondum consecratus habeat Jurisdictionem in foro exteriori, quam statim exercere potest per se; ut sæpè dictum est.

V. Cardinalis habet in Ecclesia sui Tituli Jurisdictionem quasi Episcopalem cap. *Hisque* de majorit. & Obedient. Et si non sit Presbiter, potest eam delegare alteris licèt nequeat per se eam exercere, si careat Ordine: ut docent Caïetanus, Silvester & alij. Tandem Prælati Regulares, quales sunt Generales Ordinum, Provinciales, Abbates, Guardiani, Priores & alij Superiores Regulares, quibus incumbit animarum cura, habent jurisdictionem in subditos, quibus præsunt; tota etenim Jurisdictio, quam olim habebant Episcopi in Religiosos, translata est ad Superiores Regulares, sanctâ Sede sic ordinante: ut monui supra cap. 21. num. 1. & 2. Horum omnium quilibet habet potestatem delegandi, si Superiores locales excipias, de quibus pro jurisdictione deleganda discutiendum est juxta uniuscujusque Religionis statuta: licèt quilibet Superior localis habeat ex officio potestatem absolvendi, ut Parochus. Non desunt Doctores asserentes, hanc Jurisdictionem Superiorum Regularium esse immediatè à Christo; idque colligunt ex verbis Math. relatis in num. præcedenti. Ab hac sententia tamen recedo. Quia talis modus Prælationis, & superioritatis in Religiosos non est immediatè institutus à Christo; nec Regularium Ordinum institutio est de Jure Divino, sed de Jure pontificio; & consequenter Jurisdictio Prælatorum Regularium est de Jure Ecclesiastico, & emanat immediatè à sancta Sede. Ita communior opinio.

VI. Summus Pontifex habet claves aut Jurisdictionem in tota Ecclesia Christi: quia est successor, cui ipsemet Christus commisit eam, quemque constituit Pastorem ovilis sui his verbis Joan. ultimo vers. 15. & 16. *Pasce agnos meos... Pasce oves meas*: inter quas erant Apostoli, quorum Episcopi sunt successores. Hanc ipsam veritatem fatetur universa Ecclesia in oratione Officij Cathedræ sancti Petri

Romæ celebrandi die 18. Januarij: cujus verba sunt hæc, *Deus qui Beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus Regni cælestis ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti*; quæ non possunt intelligi de Pontificio determinato, seu unius Diœcesis particularis nimirùm Romanæ, sed de Pontificio totius Ecclesiæ Christi: quæ omnes & singulos Fideles comprehendit, & in qua sunt oves Christi à Divo Petro pascendæ.

VII. Hujus supremi Pontificij concessionem Petro factam fuisse colligitur ex variis Petri prærogativis: ex quibus non seorsim, sed simul sumptis, ejus super alios Apostolos infertur primatus; quarum prima est, quòd Christus non mutavit nomen aliis Apostolis, sed soli Petro; qui, quoties in Evangelio recensentur nomina Apostolorum, primo loco semper ponitur, & de ipso scriptura loquitur tamquàm de Principe Apostolorum. Secunda est, quòd à solo Petro Christus amoris signa exigere voluerit, & ipsi primo revelare Divinitatem. Tertia, quòd soli Petro inter omnes Apostolos primùm post resurrectionem Christus apparuerit, & Angelus mulieribus ad Christi monumentum obstupescentibus resurrectionem ipsius annuntians, Petrum proprio nomine vocaverit dicens: *Ite, dicite dicipulis ejus & Petro: quia pracedit vos in Galilaam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Quarta, quòd Petrus suâ authoritate alios congregaverit ad eligendum novum Apostolum in Judæ proditoris locum &c.

VIII. Alio argumento probari potest Petri Primatus. Ubicumque sunt multa regimina ordinata, necesse est, quòd detur universale regimen supra particularia regimina: sed in Ecclesia Christi sunt plures Episcopatus particulares, quorum unus non ordinatur ad alium; & quorum Episcopi inter se nullam dicunt dependentiam. Igitur Episcopi Ecclesiæ (quæ est unum corpus, regnum, exercitus, domus, ovile) debent ad aliquem Episcopum, aut ad aliquod regimen universale ordinari; ut conservetur unitas corporis, regni, exercitûs, domûs, ovilis, sub uno & eodem capite, Rege, Duce, Domino & Pastore visibili habente super omnes Fideles Jurisdictionem, quam Christus contulit Ecclesiæ suæ: nam forma regiminis Ecclesiæ non est mutata, nec mutatibur usque ad finem mundi. Post Christi in cœlos ascensum est eadem, ac erat ante: sed ante erat commissa Petro his verbis *pasce oves meas*. Ergo in successore ejusdem Petri residet Jurisdictio generalis pro tota Ecclesia Christi. Quia Christus tradidit Petro formam regendi Ecclesiam ut perpetuò duraturam: ideoque durat adhuc in successoribus Petri, seu in summo Pontifice.

IX. Contra supremam Divi Petri Jurisdictionem sic objici potest. *Primò* Apostoli non agnoscebant Petrum ut primatem & superiorem: ut rectè colligitur ex illo Lucæ 22. vers. 24. *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*; ideoque censebant se Petro æquales; verosimile quidem est, quòd nulla fuisset contentio inter Apostolos, si Petrus fuisset major ex ordinatione Christi. *Secundò* Christus non magis Petro, quàm cæteris Apostolis suam commendavit Ecclesiam: omnibus enim dixit, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos: hac cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum &c.* Inde infertur, Apostolos fuisse æqualiter missos à Christo pro regenda Ecclesia. *Tertiò* Christus & Ecclesia unum constituunt corpus Mysticum ex capite & membris juxta illud 1. ad Corinth. cap. 12. vers. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tantùm corpus sunt: ita & Christus.* Ergo Jurisdictio divi Petri non est Jurisdictio primatis & capitis: hæc quidem Jurisdictio residet in Christo, sed est Jurisdictio membri & personæ particularis, sicut Jurisdictio aliorum Apostolorum. *Respondeo* ad primum, hanc contentionem fuisse factam, antequàm Apostoli accepissent Spiritum sanctum, & antequàm Christus dixisset Petro *Pasce oves meas*; per quæ verba Petrus constitutus fuit Pastor Ecclesiæ Christi. Ergo non nocet hæc objectio. Ad secundum idem respondeo. Quia hæc verba *Pasce oves meas* ampliorem jurisdictionem conferunt divo Petro, quàm ista *accipite Spiritum sanctum.* Ratio est. Quia priora verba Petro dicta fuerunt, & ipsi soli commiserunt gregem Christi: posteriora autem tam aliis quàm Petro dicta fuerunt; & consequenter tantam isti quantam illis contulerunt jurisdictionem, ac proinde Petrus majorem obtinuit jurisdictionem quàm cæteri Apostoli. Ad tertium dico, quòd Christus est Ecclesiæ ca-

put invisibile, primarium & internum, modo invisibili influens in Petrum & alios Apostolos; Petrus verò caput visibile, externum & secundarium. Quia Christus propriâ virtute influit, & regit perpetuò Ecclesiam, ut testatur ipsemet dicens Math. cap. ult. vers. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: Petrus autem & successores ejus regunt eam virtute Christi Domini; quod non implicat.

X. Hanc ipsam potestatem aut clavem Jurisdictionis summus Pontifex habet sinè consensu & consilio Cardinalium, quàmvis ipsi Cardinales designent, aut eligant personam, cui ex vi promissionis à Christo factæ Petro juxta illud Math. 16. vers. 19. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, confertur, factâ legitimâ electione, suprema Jurisdictio, quæ non est ex homine: ut declarat Innocentius Papa tertius Can. *Novit* de Judic. Ubi aït, *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.* Episcopus habet Jurisdictionem in suo Episcopatu sinè consensu & Consilio Capituli Ecclesiæ Cathedralis, & independenter ab illis, à quibus ad Episcopatum designatus & electus fuit: cùm nullam Juridictionem habeat ante confirmationem.

XI. Infinitum in Ecclesia habemus thesaurum meritorum Christi: de cujus plenitudine Fideles accipiunt, nedum gratiam & gloriam, sed etiam pœnarum remissionem: nam Christus, ut eriperet nos de tenebris, & vocaret in admirabile lumen suum, non solùm meruit nobis gratiam & gloriam, sed etiam pro pœnis peccatis nostris debitis satisfecit abundanter: hæeque meritorum superabundantia est Indulgentiarum thesaurus. Claves hujus thesauri datas fuisse Petro probat illud Math. 16. vers. 19. *Et tibi dabo claves Regni Cælorum &c.* hæc enim verba non solùm includunt potestatem absolvendi à peccatis, & à præceptis vel obligationibus, sed etiam ab omnibus impedimentis: quæ si non solvantur, ligatus non potest intrare in Regnum Dei. Quàpropter Christus non dixit Petro loco citato *Quemcumque solveris*, sed *quodcumque*. Ac proinde vinculum pœnæ temporalis ex culpis actualibus relictæ, cujus relaxatio fit per Indulgentiam, spectat ad claves Regni Cœlorum; nam Indulgentia definitur apud omnes Doctores, relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa homini existenti in gratia, à Prælato per applicationem thesauri ecclesiastici. Ita Bonacina & alij, quos citat disp. 6. q. 7. punct. 1. num. 1.

XII. Hîc obiter observandum est, per Indulgentiam non remitti culpam, sed solùm pœnam temporalem: alioquin Indulgentia esset Sacramentum conferens gratiam ex opere operato, quod est falsum. Unde quando in Bullis Jubilæi, aut in aliis Indulgentiam concedentibus fit mentio de remissione culpæ & pœnæ, non licet inde inferre per Indulgentiam remitti culpam simul cum pœna, sed solùm concedi facultatem eligendi Confessarium, qui possit à peccatis reservatis absolvere: ut notant Emanuël Sa, Valentia, Bonacina & alij. Observandum est insuper Indulgentiam dividi in plenariam & temporalem. Prior nullum tempus determinat, & totam pœnam remittit: posterior verò conceditur ad certum tempus, v. g. ad quadraginta dies, vel ad annum, & remittit tantam pœnam, quanta in concessione exprimitur. Observandum est tandem, relaxationem pœnæ, quæ fit per Indulgentiam temporalem: verbi gratiâ septenam, non esse ita intelligendam; ut homo, qui illam consecutus est, liberetur à pœnis in Purgatorio luendis spatio septem annorum: sed ut obtineat tantam pœnæ remissionem, quantam obtinuisset, si spatio septem annorum pœnitentiam egisset secundùm sacros Canones. Hinc est, quód ille, qui lucratus estIndulgentiam septem ãnorum, si in Purgatorio permanere debeat per quatuordecim annos, Justitiâ Dei sic ordinante, ibi per quatuordecim annos permanebit, minorem tamen pœnam sustinendo. Quia hæc Indulgentia temporalis pœnam & non tempus minuit: hoc colligitur ex eo quòd summus Pontifex in forma Indulgentiarum non dicit: relaxamus tot annos v. g. septem pœnæ, sed pœnitentiæ, ut notat Bonacina.

XIII. Solus homo fidelis potest esse particeps thesauri Indulgentiarum: quia concessio aut distributio illarum est actus Jurisdictionis à Christo Apostolis traditæ, & pertinet ad articulum de Communione Sanctorum, ut advertunt Doctores; ideòque infidelis & alij, qui Apostolicæ Juris-

dictioni minimè subjiciuntur, nequeunt esse participes hujus Communionis. Non sunt membra Ecclesiæ Christi, nec ipsi uniuntur per fidem, quæ est primum vinculum, quo homo efficitur membrum Christi: ut protestatur Innocentius III. Can. *Veniens* de Presb. non baptiz. Ergo non possunt recipere influxum Ecclesiæ, nec frui ejusdem thesauro. Idem dico de excommunicato vitando, quàmvis contrito: quoniam non obstante contritionis actu afficitur pœnis contra excommunicatos latis, quæ subsistunt, donec accedat absolutio: inter quas pœnas est privatio bonorum Ecclesiæ. Ita sentiunt ferè omnes contra Emanuëlem Sa, qui excommunicatos etiam vitandos admittit ad participationem thesauri Indulgentiarum: modò agant ea, quæ in concessione Indulgentiarum præscribuntur; ut quis consequatur earumdem beneficium. Prælatus qui Indulgentiam concedit aliis, potest eam lucrari: quia potestas concedendi Indulgentiam, aut relaxandi pœnam temporalem debitam peccatis, nullum debet largitori afferre præjudicium; nec debet ipse Prælatus Indulgentiam concedens esse deterioris conditionis, quàm inferiores.

XIV. Summus Pontifex virtute clavium, quas dedit Christus omnibus summis Pontificibus in persona Petri, potest aperire thesaurum Indulgentiarum etiam pro defunctis in Purgatorio existentibus: ut existimant communiter Doctores contra Lutheranos. Revera non prosunt ipsis per modum judicij & authoritatis: quia Ecclesia nequit directè ligare animas in Purgatorio existentes; sed prosunt per modum suffragij, auxilij & adjutorij Ecclesiastici: quia Ecclesia potest easdem animas adjuvare nedum per preces, suffragia, sacrificia & similes actus pios illis applicatos; ut definitum fuit in Trident. sess. 25. in decreto de Purgatorio: sed etiam per applicationem satisfactionis Christi & meritorum civium Cœlestium. Indulgentia præterea dividitur in personalem, realem & localem. Personalis est illa, quæ conceditur alicui personæ, & ipsi quasi inhæret. Realis est illa, quæ conceditur alicui rei mobili v. g. Imagini, Rosario, & similibus. Localis verò est illa, quæ conceditur alicui Ecclesiæ, Capellæ, Oratorio, Altari & similibus. Hæc concessio tamen fit in ordine ad personas: quia Indulgentia non conceditur tali loco, ut ipse locus effectum consequatur; sed ut homines in ipso loco orantes Indulgentiarum beneficium obtineant. Idem dico de Indulgentia reali, cujus effectum consequitur ille, qui secum defert rem, cui concessa fuit.

XV. Sacerdos, qui ex officio aut ex eleemosyna recepta tenetur celebrare in Altari privilegiato, cui concessa fuit Indulgentia pro defunctis, ut huic obligationi satisfaciat; & præsertim si sit pro singulis diebus, non debet necessariò dicere Missam *de requiem*: quidquid dicant nonnulli, qui referunt Decretum sacræ Congregationis Rituum datum die primâ Junij 1602. cujus verba sunt hæc: *Missa celebrata in Altari privilegiato pro defunctis, non suffragatur, nec Indulto satisfit, nisi sit de requiem: licèt in Indulto non exprimatur.* Ratio nostra est. Quia hoc Decretum non intendit dispensare in Rubricis generalibus, nec animas Indulgentiarum beneficio privare. Igitur Sacerdos, cui incumbit obligatio celebrandi quotidie in Altari privilegiato pro uno defuncto, suæ obligationi satisfacit: si in die festo dicat Missam de Sancto, hæcque Missa prodest animabus in Purgatorio existentibus; aliàs prædictum Decretum privaret easdem animas beneficio Indulgentiarum, saltem in diebus solemnibus, vel dispensaret in Rubricis generalibus. At, quia utrumque est improbabile, Decretum est intelligendum de diebus, in quibus nulla est prohibitio circa Missam *de requiem*. Sacerdos, qui sub titulo Altaris privilegiati tot simul & successu temporis Missas recipit, quot per duas hebdomadas dicere non valet, peccat graviter: quia animabus defunctorum injuriam affert; cùm eas beneficio ecclesiastico privet, aut differat applicare: quin habeat potestatem differendi.

XVI. Non desunt Doctores existimantes, Indulgentias non prodesse defunctis in Purgatorio existentibus; qui, dum viverent, non curarunt sollicitè pro peccatis satisfacere, nec habuerunt devotionem ad suffragandum defunctis. Ita Caietanus & alij, qui hujusmodi defunctos Indulgentiarum beneficio privari putant, atque indignos judicant in pœnam & vindictam indevotionis illorum, ac incuriæ. Hæc sententia videtur mihi proscribenda. Quia ratio obtinendi beneficium Indulgentiæ, non est meritum personale, præcedens in subjecto, cui applicatur Indulgentia: sed est gratia, in qua juxta communem sententiam reperiri

debet

debet esse anima; ut Indulgentiæ fructum consequi valeat. Quia pœna æterna peccato debita remanet, quandiu subsistit culpa, quæ per gratiam deletur atque remittitur: non autem per Indulgentiam, quæ est relaxatio pœnæ temporalis tantùm, ut jam monui; atqui anima, quæ existit in Purgatorio, est in statu gratiæ. Ergo est digna recipere influxum meritorum Christi atque Sanctorum per modum suffragij: cùm nullum obicem ponat, nec prorsus obstet negligentia præcedens; etenim hæc indevotio aut incuria, quam anima habuit in hoc mundo, vel est mortalis culpa, vel non. Si mortalis, deleta fuit per dolorem internum, & per Pœnitentiæ Sacramentum conferens gratiam ex opere operato. Si non fuit mortalis, non impedivit influxum gratiæ in hac vita: nec consequenter impediet in Purgatorio influxum Indulgentiæ, seu relaxationis pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ: nec veniam, quæ ex Regulis Juris non datur nisi correcto.

XVII. Quamvis Indulgentia plenaria & Jubilæum eumdem effectum habeant, nimirùm relaxationem pœnæ tēporalis debitæ peccatis remissis; nihilominùs in Jubilæo aliquid discernimus, quod in Indulgentia plenaria minimè reperitur, utpotè Jurisdictionem aliquam Cōfessariis ab Ordinario approbatis concessam: quâ ipsi Confessarij in Jubilæo possunt commutare vota, & absolvere à peccatis sanctæ Sedi reservatis juxta tenorem Bullæ; Etenim per Indulgentiam realem aut localem, quamvis plenariam, jurisdictio Confessarij peccata audientis in loco, cui concessa fuit ipsa Indulgentia, minimè extenditur: bellè quidem si ea audiat in loco, in quo Bulla Jubilæi recepta & promulgata fuit ab Ordinario. Licet peccatum reservatum inculpabiliter oblitum in confessione facta tempore Jubilæi, possit post Jubilæum absolvi, si ejusdem peccati memor fiat pœnitens; nequit tamen Confessarius post Jubilæum commutare votum inculpabiliter & involuntariè oblitum tempore Jubilæi. Ratio disparitatis est. Quia peccatum reservatum & sinè culpa omissum, fuit indirectè remissum in confessione facta tempore Jubilæi: votum autem, cujus commutatio non fuit petita, etiamsi ex oblivione, nullatenùs commutatum fuit in commutatione aliorum; ac proindè Confessarius nequit commutare illud post Jubilæum, quamvis vovens beneficium Jubilæi lucratus non fuerit propter indispositiones, aut defectum alicujus conditionis. Hujus rei argumentum est. Quia Jurisdictio Confessarij pro votis commutandis erat commensurata tempore Jubilæi; ideoque cessat cessante Jubilæo. Et jus pœnitentis, qui Jubilæum lucrari neglexit, extinguitur. An verò ea vota, quæ commutata fuerunt virtute Jubilæi, remaneant certò commutata, si pœnitens illud lucratus non fuerit? Duæ sunt sententiæ; sed affirmativa videtur mihi probabilior: quia hæc commutatio non requirit statum gratiæ, nec effectum indulgentiæ, scilicet relaxationem pœnæ temporalis; idcircò potest compati cum indispositionibus & impedimentis ad consecutionem gratiæ & remissionis pœnæ. Inde aliud potest efformari dubium: videlicet an Confessarius valeat post Jubilæum commutare vota emissa ante Jubilæum, si vovens Jubilæum lucratus fuerit? Affirmo etiam. Quia vovens ex vi Jubilæi, quod lucratus est, obtinuit jus illius commutationis. Ita Bassæus & alij.


XVIII. Disputatur, an Parochus tempore Jubilæi sit approbatus in tota Ecclesia? partem affirmativam tuentur Bassæus & plures alij, quos citat. Eorum ratio est. Quia Parochus juxta Concilium Tridentinum est approbatus à jure, quod est supra jus particulare Episcoporum. Sed hæc ratio non convincit; & ideò sententia opposita est tuenda tamquàm probabilior: nam Jurisdictio, quàm Parochus habet ex beneficio aut cura, nequit se extendere extra Parochianos, quos Jus commisit ipsi; aliàs Jurisdictio Parochi esset extensa, sicut jurisdictio Episcopi, saltem quoad confessiones audiendas & in foro pœnitentiali Sacramentali: quod videtur mihi improbabile. Quia jus Parocho concessum habet suum territorium, sicut Episcopatus. Igitur extra territorium seu Parochiam non est proprio jure Confessarius. Deinde ut Sacerdos confessiones audiat etiam tempore Jubilæi, debet esse approbatus ab Ordinario; ut solitò præcipit summus Pontifex in Bulla Jubilæi, nullâ mentione factâ de Beneficio parochiali. Ille Ordinarius potest tantùm intelligi de Ordinario Pœnitentis aut loci, in quo audienda est confessio, aut Confessarij; at in nostro casu Parochus in aliena Diœcesi non est ratione beneficij approbatus ab Episcopo loci, nec pœnitentis: ut supponimus; nec ab Episcopo suo pro aliena Diœcesi, nec à jure:

P

quia jus approbat Parochum juxta naturam beneficij, scilicet pro Parochia. Ergo nequit reputari approbatus tempore Jubilæi pro tota Ecclesia. Adversantis sententiæ deffensores addere possunt, quòd virtute Jubilæi præter approbationem ab Ordinario obtentam, est alter titulus pro confessionibus audiendis etiam tempore jubilæi, nimirùm Parochiale beneficium. Minùs nocet hæc additio. Quia beneficio Parochiali non acquiritur major Jurisdictio pro confessionibus audiendis tempore Jubilæi, quàm approbatione Ordinarij; quia Bulla Jubilæi non approbat simpliciter Confessarios, nec dat simplicibus Sacerdotibus potestatem absolvendi; sed eorum jurisdictionem extendit, non circa personas: itaut Confessarius approbatus ab Ordinario pro personis Sæcularibus determinatè, possit audire Moniales, sed solùm circa peccata; cùm possit absolvere à peccatis Episcopo & sanctæ Sedi reservatis (servato tamen tenore Bullæ) à quibus absolvere non poterat ante Jubilæum, etiamsi sit Parochus. Ergo Parochus tempore Jubilæi non habet Jurisdictionem in altera Diœcesi, nec in alienos Parochianos, sed tantùm in proprios, hancque ampliorem: cùm se extendat ad peccata reservata sanctæ Sedi, ad quæ antea minimè extensa erat.

XIX. Quæritur, an Parochus, qui Parochiali beneficio renunciavit, possit tempore Jubilæi eligi pro confessionibus audiendis absque nova approbatione Episcopi Diœcesani? Rodriguez & alij affirmant. Eorum ratio est. Quia per renunciationem beneficij parochialis non amisit approbationem, quæ juxta Tridentinum provenit ex beneficio Parochiali. At hæc ratio non convincit; ideoque opinio opposita est tuenda tamquàm probabilior: nam Jurisdictio, quæ confertur Parocho pro confessionibus audiendis, consideranda est sicut ea, quæ ab Episcopo confertur Sacerdoti; cùm ex Tridentino sess. 23. de reformat. cap. 15. beneficium parochiale, & approbatio Episcopi sint tituli æquales pro jurisdictione obtinenda. Unde sequitur, quòd sicut hæc posterior cessat factâ & acceptatâ dimissione, cessat pariter Jurisdictio Parochialis beneficij, factâ & acceptatâ renunciatione ejusdem. Insuper ex eodem Concilio nullus Presbiter potest confessiones audire nisi ab Episcopo approbationem obtineat, vel beneficium parochiale habeat; sed Parochus qui beneficio suo renunciavit, non habet beneficium Parochiale: alioquin essent duo Parochi in una Parochia. Ergo ille, cui collatum fuit beneficium, duntaxat est verè Parochus & approbatus à Jure pro confessionibus audiendis.





LIBER SECUNDUS,

QVI EST.

DE LEGIBUS ET PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

CAPUT I.

De Legibus in communi.



NATURA Legis liquidò demonstratur hac definitione: *voluntas ejus qui præest populo, debitè promulgata, cum intentione obligandi subditos ad prosecutionem boni & fugam mali.* Hac definitione constat 1. Legem esse Regulam & mensuram agibilium; proprius quidem effectus Legis est obligare subditos: ut faciant quod præcipitur, & ut omittant quod testatur pro bono publico. 2. illos, qui populo præsunt cum authoritate plenaria, posse condere Leges. Inter quos computamus summum Pontificem in universa Ecclesia; qui cùm habeat jurisdictionem & potestatem spiritualem in omnes Fideles, juxta illud Joan. 21. *Petre pasce oves meas* potest Legem ecclesiasticam condere in universo Orbe Christiano, Archiepiscopos, Episcopos in propriis Ecclesiis, Concilia Generalia à summo Pontifice approbata & confirmata, Legatos sanctæ Sedis in Provinciis ad quas mittuntur Can. *Nulli dubium* de officio legat. Capitula Generalia in Religionibus approbatis. Tandem potestas condendi Leges Civiles competit Principibus, ac Reipublicæ Magistratibus; alioquin inter homines horribilis esset confusio. Quia ubi non est Gubernator, corruet populus Proverb. 11. Constat denique ex ultimis verbis definitionis, Leges sive Civiles, sive Ecclesiasticas posse obligare subditos in con-

scientia; quoniam illicitum est fugere bonum, & amore prosequi malum. Idem suadet Apostolus ad Roman. 13. *Ideo subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam* ut fusiùs dicemus infra.

II. Acceptatio populi minimè requiritur, ut lex obliget: authoritas enim non subsistit in Principibus dependenter à populo, ideoque independenter ab ipso possūt ratione ejusdem jurisdictionis condere leges, modò sint justæ, honestæ & rationabiles. Idem suadet allata definitio: nam si lex sit voluntas ejus qui præest populo, lex potest independenter à populi acceptatione condi, sicut qui præest, potest licitè velle ea, quæ justa & rationabilia sunt; nec obstat illud Gratiani can *in istis* dist. 4. ab adversariis adductum. *Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem, cùm moribus utentium comprobantur.* Quia hæc authoritas non est de virtute obligandi præcisè, itaut lex non valeat obligare, nisi fuerit recepta; sed de duratione legis, quæ certò per usum firmatur, sicut per dissuetudinem, aut non usum sæpè abrogatur. Ita plures recentiores Canonistæ, quos citat & impugnat Bonacina.

III. Ut lex humana obliget in conscientia, & sub culpa mortali, necessariò requiritur gravitas materiæ. Quia Deus, per quem Reges regnant, & potentes decernunt justitiam, hujusmodi obligationem suâ lege numquàm imponit in materia levi. Præter materiæ gravitatem alia requiritur conditio, scilicet legislatoris intentio; licèt enim obligatio ad culpam in materia gravi à lege promulgata oriatur, nihilominùs emanat impedibiliter, & per voluntatem legislatoris impediri potest (alioquin non posset dispensare ipse legislator) ideoque necessariò præmittenda est legislatoris intentio. Quæ autem materia sit gravis, aut levis, nullam assigno rationem, sed eam judicio prudentiæ relinquo: moneo tamen, materiam præceptam, aut prohibitam cum hac particula *In virtute Spiritûs Sancti*, aut *Sancta obedientia*, ut præcipere solent leges Ecclesiasticæ, esse gravem. Idem dico dum additur pœna gravis, ut excommunicatio, vel pœna mortis. Ratio nostra est. Quia ex regulis juris pœna debet proportionari culpæ, & consequenter gravi culpæ dumtaxat gravis injungenda est pœna. Insuper gravitas materiæ potest dignosci ex ipsius necessitate in ordine ad finem legislatoris, qui si sit ad bonum Reipublicæ, aut communitatis absolutè necessarius, materia præcepta, vel prohibita semper censetur gravis, quamvis secundùm se sit levis v. g. in nocte loqui, vel in cellam alterius ingredi, secundum se est quid leve; tamen apud Religiosos, quibus præcipitur silentium, est quid grave ratione finis legis, utpotè silentij & solitudinis.

IV. Quàmvis legislator nequeat obligare sub mortali in materia prorsùs levi, ut probat assertio præcedens contra Armillam & Sylvestrum; assero tamen contra eosdem, quòd non potest obligare sub veniali tantùm in materia gravi; quàmvis se explicet ipse legislator, & dicat se velle obligare sub veniali tantùm: nam sicut non est in ejus potestate obligare graviter in materia levi, nec debet esse in ipso potestas obligandi leviter in materia gravi: ubi enim est grauis difformitas ad rectam rationem, ibi esse debet grauis obligatio. Ita Caspensis, & alij contra plures adversantis sententiæ assertores; quorum ratio est. Quia leges humanæ obligant secundùm intentionem legislatoris, ut dicunt communiter Canonistæ. Sed non nocet hæc ratio; cùm Canonistæ non loquantur de intentione absolutè, sed de intentione justa & rationabili. Legislatores portant gladium Dei, à quo acceperunt potestatem justam & rationabilem in ordine ad voluntatem divinam, quæ cùm prohibeat gravia sub pœna gravi, & levia sub pœna leui, ad hoc tenentur homines.

V. Disputant Canonistæ, an lex humana obligans sub mortali, obliget etiam cum periculo vitæ? Omissis variis sententiis affirmo, si ex transgressione legis sequatur ruina boni publici, aut communitatis. Quia salus totius debet conservari, etiam cum dispendio alicujus partis; cùm natura dictet caput esse membris præferendum. Hinc est quòd Prælati, & Magistratus possunt in tempore pestis præcipere Sacerdotibus, & præcipuè Curatis & Medicis, ut maneant in civitate pro succurrendis infirmis. Si verò periclitetur salus personæ particularis, dubio negativum affero responsum. Quia hoc patet in lege de jejunio, de Missa audienda in die festo &c. quæ non obligant cum periculo vitæ. Adrianus, & alij adversarij hanc ultimam partem sic impugnant. Peccatum mortale cum quovis periculo est vitandum: ex quo principio inferunt legem

obligantem sub peccato mortali esse observandam, etiam cum periculo vitæ. At hæc ratio non officit. Quia quæstio non est, an liceat peccare in periculo vitæ. Cùm responsio negativa sit communissima. Sed est, an in periculo vitæ lex humana obliget semper, quod non probat adversariorum argumentum.

VI. Hìc obiter observa, quòd lex obligat etiam cum periculo vitæ, dum violatio redundaret in contemptum legislatoris, aut Reipublicæ, vel Religionis, ut probat exemplum Eleazari 2. Mach. 6. qui laudabiliter mortem sustinuit, nè legem Mosaycam violaret, & carnes porcinas ederet in odium & contemptum legis, ac Religionis judaicæ. Hinc est, quòd, si quis comminando mortem alteri, cum induceret ad omittendum sacrum in die festo in odium Ecclesiæ Romanæ, & potestatis summorum Pontificum, tunc obligaret lex de Missa audienda: majoris enim momenti est, & utilitatis defensio fidei & potestatis Ecclesiæ Romanæ, quàm vitæ propriæ conservatio.

VII. Contra hæc insurgunt nonnulli. Quia conservare vitam propriam est de jure naturali, quod est juri positivo præferendum; & indè concludunt, nullam legem humanam posse in aliquo casu obligare cum periculo vitæ. Hæc conclusio est falsa. Quia exponere se propter honestatem boni communis, vel utilitatem publicam, aut honorem Religionis, est etiam de jure naturali, atque consentaneum rationi, quæ dictat totum esse parti præferendum.

VIII. Peregrinus tenetur servare legem territorij, in quo est, & per quòd transit; cùm legislator possit jus dicere in proprio territorio. Ita communior opinio. Difficultas est, an teneatur etiam servare leges proprij territorij, quandiù est peregrinus, & absens? Paludanus, Sylvester, & alij Canonistæ affirmant. Quia (inquiunt) esto sit absens, adhuc est subditus legislatori proprij territorij. Ab hac opinione tamen recedo. Quia non est illi subditus proximè, nec actualiter, ut requiritur ad obligationem legis, sed solùm remotè, & in actu primo. *Dices*, Sacerdotem Latinum per Græciam transeuntem teneri celebrare in azimo: licet lex Græcorum sit de fermentato. Respondeo 1. cum nonnullis hoc esse falsum; non enim desunt Doctores existimantes Sacerdotem Latinum posse in Græcia consecrare in fermentato. Resp. 2. quòd si suppositum est verum, hoc provenit ex speciali mandato summorum Pontificum, quo Sacerdos Latinus tenetur servare morem suæ Ecclesiæ. Cui mandato irrevocabiliter se subijciunt Sacerdotes Latini in susceptione Ordinis Sacerdotalis. Quæ quidem subjectio est quasi de genere voti, & aliquid spectans ad Religionem Romanam, contra quam nulla potest esse lex, nisi injusta, quæ non obligat. Ergo licèt Sacerdos Latinus transiens per Græciam teneatur consecrare in azimo, non sequitur peregrinum ligari lege sui territorij, quando est in loco, ubi non viget.

IX. Deducendum est ex dictis in numero præcedenti, quòd Diœcesani Ecclesiastici, quando sunt in alia Diœcesi, non tenentur celebrare officium Sanctorum propriæ Diœcesis, etiamsi sint extra ipsam transeundo. Dicendum est insuper, quòd Regularis prædicans quadragesimam in oppido, in quo nullus est Conventus, non tenetur recitare officium juxta legem Diœcesis; etiamsi ibi celebretur secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Concilij Tridentini. Quia ratione exemptionis ligatur lege de officio recitando in suo ordine, quæ cùm sit à summo Pontifice, est præferenda legi Episcopali, quæ ligat Ecclesiasticos. Si verò non sit lex, sed privilegium de tali officio recitando, potest frui ipso extra Conventum; sicut in Conventu.

X. Ut Subditus adimpleat legem de officio recitando, vel Missa audienda: v. g. non sufficit illi habere voluntatem recitandi officium, vel audiendi Missam in die Festo, si dùm recitat officium, vel audit Missam, habeat voluntatem non satisfaciendi præcepto: necesse enim est insuper, quòd non habeat voluntatem formalem contrariam præcepto. Quoniam si diceret: volo recitare officium, vel audire Sacrum ex sola devotione, & nolo satisfacere legi, certò non satisfaceret; quidquid dicant Sanchez, Suarez, Vasquez & alij. Ratio nostra est. Quia licet eliceretur opus præceptum, tamen subditus non esset obediens, nec formaliter conformis legi, ut requiritur. Ita Azorius, Navarrus & alij. Adversariorum ratio est. Quia legislator non præcipit opus esse eliciendum cum intentione adimplendi præceptum vel non. Sed simpliciter eliciendum, seu officium recitandum, vel Missam esse audiendam in die festo. At hoc est gratis dictum. Quia legislator præcepit opus esse elicienddm cum intentione, & animo adimplendi præceptum, seu id quòd præcipit

leges enim præcipiunt actum externum humanum & liberum: qualis esse nequit sine actu voluntatis circa præceptum; aliàs qui recitaret officium cum voluntaria distractione, adimpleret præceptum: quód est falsum.

XI. Ecclesiam potuisse habere potestatem præcipiendi actus merè internos nullus ibit inficias. Quia Christus, cujus est sponsa, habuit jurisdictionem in actus purè internos. An vero de facto detur lex humana præcipiens directè actus internos? Duæ sunt sententiæ. Sed negativa est communior & certior. Quia *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* 1.Reg. cap. 16. Indè ortum habuit vulgatum illud *Ecclesia non judicat de occultis*, eos tamen aliquando præcipit indirectè, scilicet quandò actus externus dependet ab interno, saltem secundùm esse morale virtutis, ut v. g. dum præcipit orationes, & preces esse effundendas cum intentione, & attentione, ac devotione.

XII. Nulla lex humana præcipit omnes virtutes, nec prohibet omnia vitia. Quia lex debet esse possibilis, & secundùm naturam & secundum consuetudinem patriæ: at lex humana præcipiens omnes virtutes, non esset possibilis: quia major pars hominum caret virtutis habitu, à quo pendet potestas cavendi omnia peccata. Ideoque impossibile est obedire legi humanæ omnes virtutes præcipienti, & prohibenti omnia vitia. Ita Juliensis. Nec obstat dicere, quód lex divina prohibet omnia vitia. Ratio disparitatis est. Quia lex divina dirigit ad finem vitæ æternæ, & dat media ad vitanda vitia. At lex humana tendit ad pacem Reipublicæ, & non dat media. Igitur sufficit quod prohibeat vitia, quæ adversantur tranquillitati Reipublicæ.

CAPUT II.

De lege divina veteri.

I. PRæter legem naturalem scriptam in cordibus nostris teste Apostolo ad Rom. 2. aliam habemus, scilicet positivam ex libera alicujus legislatoris voluntate nobis impositam. Hæcque dividitur in divinam, & humanam. Quia Deus, qui est rerum omnium Dominus, potestatem condendi leges hominibus contulit; ut suadet illud Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Prior dividitur in veterem, seu Mosaycam, & novam seu Evangelicam. Posterior verò in Canonicam seu Ecclesiasticam, & civilem, aut politicam. Lex vetus est illa, quam Deus dedit Moysi per ministerium Angelorum in monte Sinai: ut testatur ipsemet legislator Exod. cap. 20. Nova autem est ea, quam Christus tulit, & partim per seipsum, partim per Apostolos promulgavit. Lex Canonica est illa, quæ fertur authoritate Ecclesiastica, Civilis autem à sola potestate sæculari procedit.

II. Lex vetus à Moyse data fuit populo Judaico tantùm; cùm ipsi soli promulgata & intimata fuerit Exod. 19. quare Propheta Regius Psal. 147. ait *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Et Paulus ad Roman. 3. vers. 1. & 2. *Quid ergo amplius judæo est? aut quæ utilitas Circumcisionis, multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ratio tanti beneficij secundùm Sanctos Patres est. Quia Christus ex illa gente nasciturus erat. Hìc obiter observa, obligationem legis veteris Judæis propriam, esse intelligendam quoad præcepta, quæ erant propria illius legis: nam præcepta moralia per eamdem legem manifestata, obligabant etiam gentiles, non quatenus tradita erant per legem scriptam & Hebræis promulgatam, sed quia ad legem naturæ spectabant: ut dicemus infra.

III. Cùm non simus sub lege sed sub gratia ut monet Apostolus Rom. 6. vers. 14. idest non sub lege Mosayca, sed sub Evangelio, tuendum est cum omnibus, legem veterem fuisse necessariò per Christum evacuatam, & abrogatam; ut declarat idem Apostolus ad Hebræos 7. dicens *Translato Sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat.* Difficultas solùm est, an hæc ipsa lex vetus desierit quoad omnia præcepta, scilicet ceremonialia, judicialia, & moralia? circa hoc dubium, duæ sunt opiniones. Sto tamen pro illa, quæ asserit legem veterem non desiisse quoad præcepta moralia, sed solùm quoad ceremonialia, & judicialia. Ita Beccanus tract. 3. cap. 4. q. 7. Bellarminus lib. 4. de justif. cap. 6. & alij quos citant, & impugnant recentiores nam Christus non venit solvere legem veterem, sed adimplere saltem quoad præcepta mo-

ralia, ut notant omnes expositores; cùm Christiani non teneantur servare præcepta ceremonialia, nec judicialia legis antiquæ. Idem suadet illud Baruch. 4. *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum, omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam in mortem*: quod non potest intelligi, nisi de præceptis moralibus, cùm cætera non observentur in Ecclesia Christi; ideoque lex vetus adhuc obligat Christianos quoad eadem præcepta moralia, ad quæ probanda Sancti Patres utuntur authoritate veteris testamenti. Tandem tenemur observare præcepta moralia scripta in lege veteri: ergo &c. Adversarij respondent hujusmodi obligationem, quâ astringimur, non oriri ex lege Antiqua, sed ex nova, quæ habet eadem præcepta moralia. Resp. hoc argumentum non solvere rationem patrum: dicere enim quòd præcepta moralia non obligant, quatenus sunt in lege veteri, sed solùm quatenus sunt in nova, idem est ac dicere, quòd sola nova obligat, & quod antiqua penitùs desiit. Quòd est rejiciendum. Quia opus hic labor est.

IV. Ad responsionem quæ rationem nostram impugnat, iterum respondeo, quòd non implicat, duas leges, unum & idem præcipere: nam lex naturalis, & quintum præceptum decalogi prohibent occisionem; quin liceat dicere legem naturalem fuisse abrogatam per decalogum, quo tenemur non occidere. Eadem ratione existimo, quòd non valet inferre legem antiquam fuisse abrogatam quoad præcepta moralia, ex eo quod nova nos astringat ad eadem præcepta, cùm non implicet quod duæ leges idem præcipiant.

V. Abrogatio legis antiquæ quoad præcepta ceremonialia, & judicialia, non fuit in morte Christi, sed in die Pentecostes per publicam novæ legis promulgationem; ut docent communiter Scotistæ, & plures alij cum D. Bonaventura. Idem docet Tridentinum sess. 6. cap. 4. ibi enim declarat, peccatum originale non posse post promulgatum Evangelium deleri sine lavacro baptismi, aut ejus voto: ex quo facilè infertur legem de baptismo suscipiendo (quæ est in lege nova) incæpisse obligare post promulgationem Evangelij, & antiquam desiisse. Quæ quidem promulgatio non fuit facta in morte; quàmvis in ipsa Christus eam confirmaverit Sanguinis sui effusione, & in ipsa morte consummata fuerint omnia, quæ scripta sunt de Filio hominis; sed in die Pentecostes, in quo Apostoli repleti fuerunt Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis magnalia Dei, & audiri ab omni populo pro promulganda lege Christi Domini. Doctores adversantis sententiæ probant legem antiquam vim suam amisisse in morte, ex his, quæ acciderunt in Passione Christi & ex illo Joan. 19. *consummatum est*. Sed hæc omnia probant mortem Christi esse causam abrogationis antiquæ legis, sed non probant, hujusmodi causam tunc suum habuisse effectum, scilicet obligationem legis novæ respectu omnium hominum immediatè post Passionem Christi Domini. Quia causa ista nequit effectum suum ponere, nisi sit cognita; cùm nullus teneatur ad incognitum. Nec potest esse cognita, nisi per promulgationem publicam, & intimationem, quæ in die Pentecostes facta fuit.

VI. Distinctio inter legem veterem, & novam à Theologis assignata, à fine minimè desumenda est, bellè quidem ex modo ducendi in finem: ut monet D. Thomas 1. 2. quæst. 107. art. 1. ambæ enim tendunt ad eumdem finem: ut scilicet homines subijciantur Deo rerum omnium creatori. Vetus fuit quasi puerorum pædagogus. Noua verò seu Evangelica est lex charitatis, quæ est vinculum perfectionis, ut inquit D. Paulus

VII. Omnia præcepta legis veteris, seu decalogi pertinent ad legem naturalem (si tertium excipias, quod est de sanctificatione Sabbati, licèt quantùm ad determinationem temporis sit legis divinæ positivæ & scriptæ) Ratio est, quia lex naturalis præcipit omne illud, quod ex natura sua & intrinsecè bonum est, & prohibet omne id, quod ex natura suâ & intrinsecè malum est. Non enim omnia mala, mala sunt quia prohibita; cùm plura sint prohibita, quia mala. Nec omnia bona sunt bona: quia præcipiuntur; cùm plura, quia bona sunt, præcipiantur; sed ea, quæ in lege veteri præcipiuntur, vel prohibentur, præcipiuntur quia sunt intrinsecè bona: & ea, quæ prohibentur, sunt intrinsecè mala; idest prohibentur, quia mala sunt: nam unum Deum colere, parentes honorare, est ex se bonum, seclusâ lege scriptâ, & assumere Dei nomen in vanum, occidere &c. sunt intrinsecè mala, etiam seclusâ lege veteri, & prohibentur à solo

dictamine legis naturalis. Hæc omnia præcipiebantur hominibus ante Moysem; & illi, qui ea observabant ratione naturali mandante, salutem consecuti sunt; aliàs extrà Sinagogam nulla fuisset salus, quod est falsum; ut probat Jobi innocentia. Igitur præcepta legis veteris pertinent ad legem naturalem.

VIII. Quàmvis lex vetus fuerit sancta, ut monet Apostolus ad Roman. 7. dicens *Lex quidem Sancta, & mandatum Sanctum, & justum & bonum* & valdè utilis populo judaico, fuit tamen minùs sancta, & perfecta quàm lex nova ob varias rationes: nam lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est, inquit Joannes cap. 1. & legi veteri successit nova, sicut visio beatifica succedet fidei; ideoque lex Evangelica est sanctior, & perfectior lege Mosayca. Hanc majorem novæ legis sanctitatem probant suspiria antiquorum Patrum Messiam expectantium.

IX. Modò nulli licet observare præcepta ceremonialia legis antiquæ; sunt siquidem quædam protestatio fidei de Christo venturo, quam nullus potest habere: quin peccet mortaliter; cùm unusquisque sub pœna damnationis æternæ teneatur credere Christum natum, & passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum & sepultum: ut sancitur nedum in variis Sacræ Scripturæ locis, sed etiam in Symbolo Apostolorum, qui annunciaverunt, in hoc Symbolo quod viderant; nec potuerunt facere ea, quæ audierant, ut ipsimet testantur in suis actibus cap. 4. vers. 20. ubi dicunt *Non enim possumus quæ vidimus: & audivimus non loqui*; Ideoque nullus potest sine peccato mortali observare præcepta ceremonialia legis veteris. Quia protestaretur falsum, putà Christum nasciturum, atque moriturum. Nec valet dicere fidem antiquorum patrum adventum Christi præcedentium, esse unam & eamdem fidem substantialiter. Ratio discriminis est, quia hæc fides diversimodè significatur ab antiquis, & à nobis. In illis significabat Christum venturum, in nobis autem significat, & sancit Christum natum; igitur desiit in prima significatione; desierunt quoque & ceremoniæ, quibus antiqui eam protestabantur. recesserunt antiqua, ut noua sint omnia.

X. Secùs discurrendum est dè præceptis judicialibus legis antiquæ: hæc enim fuerunt per Christi mortem evacuata, sed non remanserunt mortifera, nec mortua, sicut præcepta ceremonialia. Ratio hujus differentiæ est. Quia ceremonialia fuerunt per se primò instituta ad figuranda Christi mysteria, ut futura. Judicialia autem instituta fuere ad regendum, & gubernandum populum Dei. Hinc fit, quòd nulli licet observare præcepta ceremonialia legis antiquæ: quia nulli licet protestari, aut credere, vel manifestare se credentem Christum nasciturum. Et licet observare judicialia, quatenus sunt de bono regimine populi, modò hæc observantia non fiat animo adimplendi legem veterem. Quia vim obligandi amisit, sed solùm animo regendi, & dirigendi populum: quippè hæc observatio præceptorum judicialium non præjudicat veritati fidei legis novæ, sicut observatio præceptorum ceremonialium; quæ cùm fuerint de Christo promisso, nequeunt sine peccato adimpleri post Evangelium, quo tenemur credere Christum datum, & dicere cum D. Joanne *verbum caro factum est*.

CAPUT III.

An præcepta divinæ legis adimpleri possint extra statum gratiæ.

I. DUpliciter adimpleri possunt legis præcepta, absolutè scilicet, & condicionaliter. In primo sensu, est ea observare faciendo id, quod præcipiunt, vel omittendo id, quod prohibent præcisè quoad substantiam actûs; quatenus ejus omissio, aut admissio includit pœnam transgressoribus legum destinatam. In secundo autem est ea observare faciendo id, quod præcipiunt, vel omittendo quod prohibent in ordine ad præmium seu vitam æternam juxta illud Math. 10. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* In primo sensu hujusmodi præcepta adimpleri possunt extra statum gratiæ; alioquin non furans, non occidens, non fornicans &c. non observarent mandata Dei, si in peccato mortali existerent: quia legem Dei non adimplerent, cùm essent extra statum gratiæ. Quod est falsum. Peccarent pariter contra præcepta affirmativa illi, qui in peccato mortali existunt, si unum Deum colerent, parentes

rentes honorarent, diem Sabbati sanctificarent: nam in sententia eorum, qui dicunt præcepta decalogi obligare ad opera formata, non adimplerent præcepta ex defectu gratiæ sanctificantis, ideoque peccarent mortaliter. Quod etiam est falsum. Tum quia conscientia dictat peccatori Deum esse colendum, parentes esse honorandos &c. Tum quia meliùs est peccatori Deum colere, parentes honorare, quàm non colere; & consequenter, qui in peccato existit, non peccat contra legem decalogi, si Deum adoret, parentes honoret &c. ac proinde servat mandata quoad obligationem absolutam. Nec valet objicere illud Deutero. *Justè quod justum est, exequaris*: ex quo adversarij colligunt, Deum non solùm præcipere justitiam in facto, seu cultum, honorem parentum, aliosque actus, quos in decalogo præcipit, aut prohibet, sed etiam justitiam in modo, seu gratiam, dum hæc omnia fiunt. Non valet inquam. Quia hæc verba Deuteronomij non obligant sub mortali, ad modum, quo quis facit opus Deo placitum & meritorium vitæ æternæ, sed ad modum aut justitiam, quæ excludit deformitatem intentionis, & facit animum justum ad evitandum peccatum; etenim ut quis adimpleat præcepta, est necesse, quòd velit ea adimplere, dum urget eorum observantia, non autem quód sit Sanctus, & justus.

II. In posteriori sensu nullus potest observare mandata, qui non existat in gratia, sinè qua nullum opus est meritorium; nam D. Augustinus in illud psal. 36. vers. 27. *Declina à malo & fac bonum* inquit *declinans à malo semper vitat pœnam; quàmvis non semper promereatur palmam.* Quibus verbis probat ille Sanctus Doctor, non furantes, non occidentes &c. semper observare legem in primo sensu, scilicet quoad obligationem absolutam, cùm vitent pœnam legum transgressoribus destinatam, non verò quoad obligationem conditionalem, scilicet si velint ad vitam æternam pervenire; cùm semper non promereantur palmam: quod non potest accidere, nisi quando sunt in peccato mortali; cùm palma non detur nisi propter opera facta in gratia sanctificante, quæ est principium meriti, & semen vitæ æternæ. Igitur ut, quis satisfaciat legi, ejusque præcepta adimpleat, aut non peccet contra legem, non est necesse, quòd existat in gratia & charitate, benè vero si velit præmium consequi, & ad vitam æternam pervenire: in hoc enim sensu locutus est Jesus Math. 10. dicens *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Qui faciunt, quod Deus præcipit, aut non faciunt, quod prohibet, si sint in peccato, tenera non obtinent præmium à Deo promissum omnibus, qui diligunt illum; sed non incurrunt pœnam, nec suplicia, aut tormenta, quæ patientur illi, qui non faciunt id, quod Deus præcipit, & faciunt quod prohibet.

III. Assertum nostrum impugnant adversarij hac ratione. Deus obligat nos ad observantiam præceptorum, eo modo, quo possibile est ea observare, ut observantia nobis prosit, scilicet ut obtineamus præmium; & consequenter, ut transgressores reputat eos, qui ea observant extra statum gratiæ; cùm sine gratia, & charitate, nihil nobis prosint opera. Respondeo, argumentum esse verum quantùm ad obligationem conditionalem, & assecutionem præmij, quod est vita æterna. Duo enim sequuntur ex præceptis decalogi, pœna scilicet, & gloria. Illam incurrunt transgressores, istam verò obtinent observantes præcepta in statu gratiæ. Undè cùm colens unum Deum, honorans parentes &c. non fit transgressor, quàmvis sit in peccato, non debet incurrere pœnam. *Dices* ergo debet obtinere gloriam. *Nego* instantiam. Quia gloria non datur illis, qui legem adimplent præcisè, sed qui eam adimplent in statu gratiæ. Tum quia gloriam (quæ est vita æterna) quis non meretur, nisi per opera facta in gratia. Tum quia dato & non concesso, quòd peccator purâ observatione præceptorum mereretur gloriam, non posset eam obtinere, quia habet impedimentum utpotè peccatum mortale, quo meretur excludi à gloria, & à regno cælorum in quod, teste scripturâ, nihil coinquinatum intrabit.

IV. Ex resolutione hujus dubij sequitur, illum, qui aliquid restituere tenetur, adimplere legem de restitutione faciẽda, etiamsi sit extra statum gratiæ; cùm facta restitutione, non habeat bonum alienum, nec sit propriè alterius boni detentor. Sequitur pariter, pœnitentem non teneri adimplere satisfactionem, aut pœnitentiam satisfactoriam à confessario injunctam, in statu gratiæ, ut ipsius præcepto satisfaciat: aliàs pauci præceptum istud adimplerent, cùm pœnitentiæ à confessariis injunctæ per

plures dies sæpè iterandæ sint, ut dùm in jejunio, aliovè pœnali opere consistunt; à quibus tamen non desistunt, etiamsi peccent durante satisfactionis tempore. Imò peccarent, si propter peccatum istud interveniens putarent se à pœnitentia solutos, & desisterent. Quia satisfactiones injunctæ in Sacramento, sunt sub mortali adimplendæ, nec pœnitentes existimant se obligatos ad iterandam pœnitentiam satisfactoriam in peccato mortali factam, nec ad hoc eos obligant confessarij. Deindè si, ut adimpleretur pœnitentia Sacramentalis, necessarius esset status gratiæ, omnes in confessione tenerentur declarare omissionem pœnitentiæ, saltem tamquàm peccatum dubium. Quia quilibet dubitare posset an pœnitentiam in statu gratiæ adimpleverit, cùm teste scriptura nemo sciat, an sit odio, vel amore dignus, nec dicere possit: purus sum & mundus à peccato; sed hoc est contra communem doctorum consensum: nullus enim tenetur se accusare de pœnitentia facta, eo quod extra statum gratiæ facta fuerit: ergo ut pœnitens satisfaciat præcepto confessarij, & pœnitentiam adimpleat, non est necesse, quòd in statu gratiæ existat.

V. Major difficultas est inter Doctores, an satisfactio adimpleta in mortali, suum effectum sortiatur, seu valeat ad remissionem pœnæ temporalis remanentis post absolutionem à culpa, & pœna æterna? plures absolutè negant cum D. Thoma, & volunt hunc effectum dependere à gratia, quæ dignificat opus, illudque gratum reddit. Alij negant, sed addunt quòd postea, homine redeunte in gratiam per contritionem, vel susceptionem novi Sacramenti, satisfactio quæ facta fuit in statu peccati mortalis, obtinet effectum suum. Ita Caïetanus, Coninch, Sotus, & alij. Tertia opinio quæ est Scoti in 4. dist. 15. quæst. 1, affirmat. Doctorem in hac parte præter Scotistas omnes, sequuntur Navarrus, Amicus, Diana & plures alij, qui docent pœnitentias à confessario injunctas, & ex præcepto à pœnitente adimplendas: ut v.g. jejunium quindecim dierum, preces, peregrinationes, & similia opera jussu confessarij peragenda suum sortiri effectum: quàmvis adimpleantur extrà statum gratiæ. Ratio est, quia effectus, quem ex opere operato habet satisfactio Sacramentalis, est sola remissio pœnæ temporalis, in quam ex divina ordinatione commutavit æternam Sacramentum debitè susceptum. At non implicat, quòd satisfactio talem effectum operetur ex virtute meritorum Christi, quæ quidem virtus non tollitur per peccatum satisfacientis, sicut beneficium applicationis sacrificij non tollitur per peccatum Sacerdotis. Opus enim à Confessario injunctum habet eam ex meritis Christi, & ex Sacramento pœnitentiæ debitè suscepto. Nec tollitur per incapacitatem, aut indignitatem satisfacientis, vel pœnitentis in peccato existentis. Quia effectus hujus satisfactionis Sacramentalis, nimirum remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ, non est beneficium incompatibile cum peccato, cùm non sit gratia sanctificans, nec præmium supernaturale, quod gratiam exigit in præmiando, sed est præmium aliquod temporale, ut notat Mastrius. Pœnæ temporalis remissio non est reconciliatio, sed est satispassio, quam confessarius injungit illi, quem cum Deo reconciliavit in Sacramento pœnitentiæ, cujus beneficia, aut effectus non tolluntur absolutè per subsequens peccatum; sola gratia sanctificans per Sacramenta collata tollitur: non verò remissio peccatorum, itaut peccata remissa reviviscant, nec remissio pœnæ æternæ; cùm non opponantur peccato supervenienti, sicut gratia. Igitur ut satisfactio Sacramentalis suum sortiatur effectum, non est absolutè necessarium, ut satisfaciens sit in statu gratiæ.

VI. Doctores oppositæ sententiæ sic arguunt. Satisfactio non potest suum sortiri effectum, nisi acceptetur à Deo: sed Deus non acceptat opera peccatorum, teste scriptura Ecclesi. 34. vers. 23. dicente *Dona iniquorum non probat altissimus*: ergo satisfactio Sacramentalis facta in peccato mortali, non valet ad remissionem pœnæ temporalis remanentis post absolutionem à culpa, & pœna æterna. Respondeo argumentum esse verum de satisfactione, aut opere placante, & reconciliante hominem cum Deo: non autem de satisfactione, aut opere simpliciter debitam pœnam solvente; nam reconciliatio non fit sine gratia, quâ homo fit amicus & gratus Deo, sed satisfactio debita, aut injuncta pro delicto jam remisso, fit sine ipsa, cùm sufficiat quòd satisfaciens solvat quantùm debet, & quòd Deo solvat voluntariè pœnam injunctam ad punitionem peccati commissi, confessi, & remissi. Quòd ab inimico fieri potest,

suppositâ Dei promissione de condonanda tali pœna sub conditione talis operis præcepti à confessario, ut observat Mastrius. Hæc opinio Scoti est conformior divinæ misericordiæ, ut fatetur Leander, cùm asserat Deum acceptare solutionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis jam dimissis; quàmvis ille, qui solvit, sit in peccato mortali post confessionem commisso, & priusquàm satisfactio in eadem confessione imposita adimpleatur & tollit omnes scrupulos, quos pati possent fideles dubitando, an satisfactio in gratia facta fuerit vel non. An suum habuerit effectum vel non. Ideoque est probabilior opinione oppositâ.

VII. Quàmvis nullus, ut præcepto Confessarij satisfaciat, teneatur adimplere pœnitentiam sacramentalem in statu gratiæ. Nec idem status necessariò requiratur in pœnitente, ut ipsa pœnitentia satisfactoria suum sortiatur effectum, ut ex dictis supra constat; tutius tamen est elicere opus satisfactorium à Confessario injunctum, antequàm peccatum adveniat: hoc monitum, addo, ut pœnitentia sit grata Deo, & acceptetur in ordine ad præmium, quod præparavit Deus omnibus inquirentibus illum. Idem dico de præceptis divinis, quæ si observentur in statu gratiæ, ducunt ad vitam æternam, quæ est finis noster.

CAPUT IV.

De Lege nova.

I. HÆc lex à Christo instituta fuit pro universis hominibus viatoribus: data enim fuit pro omnibus nationibus, ut omnes gentes obligarentur ad eam suscipiendam & observandam, ut testatur ipsemet Christus dicens Apostolis *euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui non crediderit condemnabitur*: his verbis siquidem liquidò constat, Legislatorem jussisse promulgationem universalem Evangelij, & ejusdem omnibus intimationem, procùldubio ut ab omnibus susciperetur & observaretur sub pœna condemnationis æternæ; cùm promulgatio & intimatio legis ad ejus observantiam exigendam tendant. Hanc veritatem suadet ratio: nam ex Apostolorum Principe Epist. 1. cap. 3. Christus mortuus est pro omnibus; cùm ibi dicat *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, Justus pro injustis, ut nos offeret Deo.* Igitur lex, quam condidit in Cruce, quæ est lex nova, seu Evangelica, debet obligare omnes homines, pro quibus mortuus est Christus, ad eam suscipiendam sub pœna privationis beneficij Passionis, ac Mortis Christi universorum hæredis, cui Deus dedit omne judicium Joan. cap. 5. vers. 22.

II. Lex Evangelica triplicia continet præcepta, nempe Moralia, Sacramentalia & Fidei. Prima declarantur ex illo Math. 10. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: per quæ, præcepta Decalogi (quæ propriè ad mores pertinent) intelligebat Christus, ut monent omnes Interpretes. Quàpropter Lex vetus non fuit per novam abrogata quoad præcepta Moralia; imò in hac parte perfectiùs exposita: venit enim Christus ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus Joan. 10. Secunda seu præcepta Sacramentalia demonstrant Sacramenta Ecclesiæ, scilicet Baptismus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei &c.* Tertia verò seu præcepta Fidei noscuntur ex illo Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Joan. 17. *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum-Christum.* Licet his præceptis fidei, Lex nova nihil addiderit credendis in Lege antiqua, quantùm ad substantiam. Tamen articulis fidei aliquid est additum, & additio ista est sicut expliciti ad implicitum, & determinati ad indeterminatum: ut notat Alensis quæst. 56. memb. 8, *ad tertium.* In Lege veteri erat velamen notitiæ, ut ait Apostolus 2. ad Corinth. 3. *Velamen in lectione Moisi manet non revelatum.* Erant pariter in eadem Lege promissio gratiæ & umbra gloriæ. In nova verò est revelatio notitiæ fidei: *Nos autem revelatâ facie gloriam Dei speculantes in eadem imagine transformamur*, inquit idem Apostolus. Insuper in ipsamet Lege nova sunt exhibitio gratiæ Dei, & imago præmij. Undè Joan. 1. ait *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Christum.* Et D. Hieronimus lib. 1. adversus Pelagianos cap. 9. *In Lege promittitur, in Evangelio impletur, ibi initia, hic perfectio est, in illa fundamenta jaciuntur, hic fidei & gra-*

tia culmen imponitur. Quare Lex nova nuncupatur Lex gratiæ.

III. Christus Dominus præcepta judicialia non instituit in Lege nova, quia Rempublicam civilem non condidit, sed spiritualem Communitatem, cujus regimen præcipuum spirituale est, & ad finem supernaturalem ordinatum: venit enim salvum facere, quod perierat: Luc. cap. 19. vers. 10. Sed quia optimo Ecclesiæ regimini expedit sæpè mutari leges pro temporum & occasionum varietate, maluit Christus Leges judiciales condendi authoritatem facere suo in terris Vicario nempè summo Pontifici, cui dixit in persona Petri *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis* Math. 16. quàm ipse eas statuere; cum leges à se latas voluerit esse stabiles & invariatas, & Leges judiciales summorum Pontificum variabiles sint, atque mutabiles, ut probat Historia Ecclesiastica, in qua legimus, olim summos Pontifices condidisse Leges, & Ritus instituisse, quæ quidem Leges modó non vigent, nec obligant in Ecclesia Christi.

IV. Disputatur, an in Ecclesia sit potestas dispensandi in præceptis & institutis novæ Legis? Panormitanus, Felinus, Deias & alij asserunt summum Pontificem habere potestatem hanc à Christo pro recto & idoneo Ecclesiæ regimine. Ab hac opinione tamen recedo; si sermo sit de dispensatione propriè dicta, itaut summus Pontifex possit obligationem Legis removere ab actu, manentibus omnibus circumstantiis & conditionibus, secundùm quas actus erat materia præcepti, & ad eum quis tenebatur. Ratio universalis est. Quia nullus inferior potest per se dispensare in lege Superioris, nec auferre obligationem, quam ipse imposuit, & consequenter Papa non potest quidquam condere, vel mutare circa ea, quæ Dominus per seipsum, vel per Apostolos suos determinavit in Lege nova; alioquin Papa posset dispensare in isto præcepto *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Etiam in isto *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et in similibus præceptis Evangelicis. Quod est falsum. Idem declarant plures summi Pontifices can. *Sicut quædam* dist. 14. can. *Sunt quidem* 25. q. 1. Christus supra firmam Petram suam fundavit Ecclesiam, ideoque necesse est, quód habeat præcepta firma & solida, invariata & immutabilia; ita communior Canonistarum, & Theologorum opinio.

V. Ratio adversantis sententiæ est. Quia summus Pontifex plenam habet in Ecclesia potestatem, juxta illud Math. 16. *Quodcumque ligaveris super terram &c.* Quibus verbis adversarij volunt, Christum suo in terris Vicario contulisse potestatem solvendi etiam obligationem præceptorum, quæ sunt in Evangelio. Huic rationi respondeo Christum revera potuisse talem facultatem concedere Petro & successoribus ejus, ut possent aliquem ab obligatione legis Evangelicæ liberare. Tamen non constat, nec legitur, Christum talem potestatem reliquisse in Ecclesia: nam verba allata non sunt intelligenda de jurisdictione supra Leges, & præcepta Christi; itaut quis possit, Papa sic mandante, vindictam sumere de inimicis suis v. g. vel Sacerdos aliam materiam, quàm panem & vinum consecrare. Quia potestas summo Pontifici tradita à Christo, non est in destructionem, sed in ædificationem: nam Cœlum & Terra transibunt, verba autem Christi non transibunt. Unde hæc verba *quodcumque ligaveris &c.* sunt intelligenda solùm de jurisdictione supra homines in ordine ad absolutionem, retentionem absolutionis sacramentalis, excommunicationem &c. ut inquit Mastrius. Nec valet dicere, quód sæpè dispensat Papa in votis, quæ sunt de Lege divina. Quia hoc non est propriè dispensare aliquem à Lege Divina manentibus omnibus conditionibus & circumstantiis, sed solùm declarare, & interpretari aliquem non obligari ad materiam alicujus Legis in casu dubij ex rationabili causâ evidenter nota à sancta Sede, vel judicare aliquâ circumstantiâ casum non comprehendi sub Lege Evangelica, quód non est propriè dispensare, nec liberare à Lege Evangelica.

VI. quàmvis Lex nova sit Lex amoris, & libertatis: ut monet Apostolus ad Rom. 8. dicens. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba Pater.* Nihilominùs Fideles per Legem Evangelicam non eximuntur ab obligatione parendi Legibus humanis. Quia Christus constituit Apostolos Principes super omnem terram, & potestatem omnium Principum Sæcularium commendavit, velut à Deo derivatã. Quare Christus Math. 22. ait *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* D. Petrus epistola 1. cap. 2. vers. 13. ait; *subditi igitur estote omni humanæ crea-*

ture, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum. Libertas nobis à Christo data non est exemptio ab obedientia Superioribus præstanda, sed à dominio peccati, vel à spiritu & timore servili, vel ab onere Legis Mosayeæ: liberati autem à peccato servi facti sumus justitiæ, ut inquit Apostolus Rom. 6. vers. 18. Nec valet objicere illud ejusdem Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Quia ibi loquitur in iis, quæ Deum offendunt, in quibus fidelis non debet effici servus hominum, eis scilicet ita se accommodando, ut eis obsequium impendens, quæ Dei sunt, deserat.

VII. Legi Evangelicæ nulla alia succedet; cùm sit usque ad finem mundi duratura: *Nam non præteribit generatio hac*, id est Congregatio Fidelium Christi, ut vertit D. Chrisostomus: *donec omnia fiant* inquit Christus Math. 24. Deinde homo in lege nova habet Sacramenta perfectissima, quæ sunt verè fontes aquæ salientis in vitam æternam, seu gratiæ sanctificantis, quam conferunt omnibus illis, qui ea dignè & debitè recipiunt; igitur nulla alia Lex debet succedere; cùm hæc sit perfectissima & efficacissima, tam in ordine ad gratiam acquirendam in remissionem peccatorum, quàm ad consequendam gloriam, in qua sistit omne bonum. Quare Apostolus ad Heb. 7. ait *Melioris testamenti sponsor factus est Christus.* Hoc est, melius est novum Testamentum, quàm vetus juxta glossam. Quia meliora bona confert, id est gratiam; & ad gloriam conducit, quæ cùm sit finis noster, certùm est quòd legi novæ nulla alia lex potest succedere, quæ ducat ad majorem perfectionem; visio quidem beatifica est perfectè satiativa, ut suadet illud psal. 16. vers. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

CAPUT V.

De Lege Ecclesiastica.

I. CUm duplex sit hominum finis, unus naturalis, & alter supernaturalis; duplex esse debet inter homines legislativa potestas. Una Ecclesiastica ordinans ad fœlicitatem supernaturalem, & alia civilis ad fœlicitatem naturalem dirigens. Illa est excellentior, quàm civilis, seu politica: quia est ordinis supernaturalis, non solùm quantùm ad principium á quo derivatur, utpote à Christo, sed etiam quantùm ad finem ad quem dirigit, qui est salus animæ, quamvis multa præcipere videatur, quæ in substantia sunt ordinis naturalis; hæc enim præcipit, ut per ea melius consistat ordo Ministrorum Ecclesiæ Christi, qui Deo sacrificia offerre, eaque populo ministrare debent, Sacramenta cæteraque munia Ecclesiastica obire, ut Fideles faciliùs salutem operentur. Idcirco personis Ecclesiasticis dumtaxat concessa fuit potestas condendi Leges Canonicas pro regimine animarum.

II. Summus Pontifex habet potestatem condendi Leges Ecclesiasticas in tota Ecclesia Christi, omnes Christianos obligantes in conscientia: ut probant illa duo testimonia Math. 16. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum* & Joan. 21. *Pasce oves meas*: nam claves significant potestatem ligandi, & solvendi, aperiendi & claudendi. Verbum *pascere* etiam significat eamdem potestatem: juxta illud 2. Reg. cap. 5. vers. 2. *Tu pasce populum meum Israël, & tu eris Dux super Israël.* Eamdem potestatem habent Episcopi in suis Diœcesibus can. *Si quis* de major. & obed. Concilium generale legitimè congregatum habet etiam potestatem condendi Leges pro tota Ecclesia; cùm universam Ecclesiam repræsentet, & ex 15. cap. Act. constet Apostolos in Concilio Jerosolimitano sedentes sanxisse Leges. Itidem Concilium Nationale in Natione, & Provinciale in Provincia, ut constat ex universali, & perpetua Ecclesiæ praxi. Quantùm ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante existimo, quòd eâ non pollet: nam non licet Collegio Cardinalium aliquas leges condere, vacante Sede Apostolica, nisi solùm per modum provisionis, & id exigente summa necessitate: ergo nec licet Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vacante Sede Episcopali, cùm ampliorem jurisdictionem non habeat. Nec valet dicere, Capitulum Sede vacante habere jurisdictionem Episcopi, & consequenter posse leges condere, sicut Episcopus. Quia habet eam per modum transeuntis, & provisionaliter tantùm, donec constituatur Episcopus. Leges autem cùm perpetuæ esse debeant, fieri non possunt,

nisi ab authoritate se habente per modum permanentis. Denique Capitula Generalia, & Provincialia Regularium possunt condere Leges juxta uniuscujusque Ordinis privilegia. Quia competit ipsis jurisdictio in subditos.

III. Disputant Canonistæ, an potestas condendi Leges competat Episcopis jure Divino, vel solùm jure humano, seu Pontificio? D. Thomas, Caïetanus, Bellarminus & alij stant pro jure humano, quia (inquiunt) Episcoporum jurisdictio, in qua fundatur jus condendi Leges, est immediatè à Papa. Alij volunt potestatem condendi Leges convenire Episcopis immediatè ex concessione & institutione Christi. Ita Alphonsus de Castro, Vasques, Vulpes, & alij recentiores, quibus lubens subscribo. Ratio nostra est. quia potestas condendi leges competit Episcopo eodem jure, quo ipsi convenit jus regendi, & visitandi oves: nam jus illud regendi ac visitandi ordinatur ad gubernationem & curam animarum; hæc autem cura & gubernatio recta à Legibus dependent, ac proinde potestas visitandi oves, & potestas condendi leges in Diœcesi pro bono communi ovium, & Ecclesiæ, sunt ejusdem juris. Sed Episcopus habet jure divino potestatem visitandi, & pascendi oves suas; positus siquidem est regere Ecclesiam suam à Spiritu sancto, & ex eo quo est Episcopus, est Pastor & Rector animarum, quæ in Episcopatu sunt. Igitur eodem jure, scilicet divino, habet potestatem condendi Leges ecclesiasticas in tota Diœcesi obligantes, dummodò communibus legibus Ecclesiæ non opponantur. Ad rationem in contrarium adductam dico jurisdictionem Episcoporum fuisse institutam à Christo, & ab ipso Apostolis concessam juxta illud Math. 28. vers. 19. & 20. Et accedens Jesus locutus est eis dicens *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Quibus verbis suadetur Christum suam Apostolis contulisse potestatem super animas, & facultatem ipsis præcipiendi: nam præceptum, quo tenemur obedire Episcopis, qui sunt successores Apostolorum, est immediatè à Christo, ac proinde ab eodem est etiam potestas præcipiendi quantùm ad ea, quæ salutem nostram concernunt. Etenim Ordo Episcopatûs habet jure divino jurisdictionem super animas, ut suadet illud Math. 18. vers. 18. *Quæcumque Ligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlis.* Quàmvis jure humano seu Pontificio Episcopi habeant jurisdictionem super hunc vel illum populum; cùm nullus Sacerdos possit Episcopus fieri independenter à sancta Sede, in qua jure divino residet jurisdictio in universam Ecclesiam, & ab ipsa sancta Sede possit de uno ad alium Episcopatum transferri, ut in primo libro dictum est.

IV. Mortaliter peccant qui Legem ecclesiasticam, & Præceptum Prælati violant; quia hæc lex obligat in conscientia, ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ semper hanc potestatem in suis Prælatis agnovit, & docuit transgressionem præcepti Prælatorum esse peccaminosam. Peccant etiam mortaliter qui contemnunt Prælatum fatuè præcipientem: quàmvis enim tunc licitum sit judicare præceptum ejus esse irrationabile, ut tradit Mastrius post Doctorem subtilem, illicitum tamen est per inobservantiam contemnere illud. Quia dicitur Math. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Nec valet dicere Prælatos habere potestatem in Ecclesia præcipiendi secundùm leges divinas dumtaxat, & in iis quæ sunt juris divini: & consequenter Fideles non teneri obedire eis in omnibus iis, quæ ipsis præcipiuntur ab Episcopis. Non valet inquam. Quia potestas Prælatorum latiùs se extendit, quàm ad ea, quæ sunt juris divini: Apostoli enim multa præceperunt, quæ non erant de jure divino: & Christus ipsis contulit potestatem regendi ac puniendi subditos, & consequenter potestatem ferendi leges ad mores Fidelium magis reformandos juxta temporis exigentiam.

V. Cùm pœna sit duplex, spiritualis scilicet & corporalis, aut temporalis, Lex ecclesiastica potest esse pœnalis, sicut Lex civilis, & obligare ad pœnam. Utrum verò utraque obliget ante Judicis sententiam: quando intimatur & promulgatur cum hac clausula *ipso facto.* Omissis variis Canonistarum sensibus nego (si censuræ pœnam excipias) quia Lex humana pœnalis prout pœnalis est, non ita obligat delinquentem, nec cogit ipsum ut sibi pœnam infligat; nimis enim rigida esset, sed obligat tantùm ad tolerandam pœnam, tam privativam, quàm positivam, quæ actionem requirit; alioquin transgressor esset agens & patiens, & minister, aut executor legis

contra transgressores: quòd est improbabile, quia lex pœnalis est actus jurisdictionis, quæ delinquentes punit, vel puniendos declarat Judicis ministerio. Ita Sotus, Lezana, & alij Canonistæ.

VI. Authores, qui oppositam tuentur sententiam, sic arguunt. Primò istæ clausulæ *ipso facto. Lata sententia. Absque ulla declaratione*, non possunt apponi in Lege nisi ut suadeant pœnam esse subeundam ante Judicis sententiam, nec possunt alium habere finem; aliàs nulla esset differentia inter prædictas clausulas, & istam *ferendæ sententiæ*. Secundò pœnæ per quas jus acquirendum impeditur, obligant ante declationem Judicis: nam Beneficiarius, qui non recitat horas canonicas, tenetur pro rata restituere fructus beneficij absque ulla declaratione, & sic de aliis pœnis in variis legibus præscriptis. Ad primum. Respondeo hujusmodi clausulas non esse intelligendas in rigore, nec prout sonant, exceptis casibus supra exceptis; cùm odiosa sint benignè interpretanda. Sed solùm ut excludant declarationem pœnæ, non verò declarationem delicti per Judicis sententiam. Unde clausulæ non apponuntur, ne Judex declaret delictum, sed nè imponat pœnam arbitrariam: ergo est differentia inter alias clausulas, & istam *ipso facto*; cùm hæc admittat tantùm sententiam declaratoriam delicti, & alia scilicet *ferendæ sententiæ* admittat sententiam condemnatoriam & declaratoriam: nam propter illam, Judex solum declarat delictum, & propter istam Judex declarat & condemnat. Ad secundum dico, quòd restitutiones, inhabilitates, impedimenta & similia, quæ in legibus imponuntur, non sunt propriè pœnæ, sed conditiones, quas sæpè leges imponunt ad possessionem alicujus rei, vel ad acquisitionem, quarum defectu, gratia concessa deperditur vel non acquiritur concedenda.

CAPUT VI.

De Lege Civili.

I. Legislatores Civiles, & temporales possunt condere Leges obligantes ad culpam mortalem, & ad pœnam æternam, ut docet D. Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium dicens *Quicunque legibus Imperatorum, quæ pro rei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.* Quod intelligit de gravi supplicio apud Deum, apud quem propter culpam mortalem, tale supplicium acquiritur. Idem colligitur ex illo 1. Petri cap. 2. vers. 18. *Servi subditi estote in omni timore Dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Deindè plures leges civiles obligant ad pœnam mortis, triremium, confiscationis bonorum &c. ut probat praxis: certum autem est hujusmodi pœnas non nisi propter culpam mortalem incurri posse, cùm gravissimæ sint. Quia rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit can. *cognoscentes* de constitut. Nec valet dicere potestatem principum sæcularium esse merè temporalem, & politicam, & consequenter non posse se extendere ad aliquid spirituale. Quia licet hæc potestas sit temporalis ratione objecti; cùm secundùm se sit tota de rebus temporalibus; tamen ratione obligationis, quam inducit, potest dici spiritualis: præcipit enim quatenus stat sub ordine divinæ potestatis juxta illud Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Ideoque potestas sæcularis obligare potest in conscientia. Quoniam *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt.*

II. Conveniunt Canonistæ in rerum venditione, legem pretium taxantem, esse sub mortali observandam. Sed disputant, an servanda sit absolutè, itaut nullus mercator valeat pretium illud augere? Molina, Navarrus, Mastrius, & alij docent legem v. g. frumento pretium statuentem, non esse servandam tempore magnæ sterilitatis, & inopiæ, sed mercatorem posse tunc illud vendere secundum communem æstimationem, juxta quam venduntur ea, de quorum pretio nulla lex existit. Corduba, Azorius, Faber, & alij negant licitum esse hujusmodi pretij augmentum. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior. Quia hæc lex pro bono communi solitò fertur, scilicet ut membra reipublicæ commodiùs subsistere valeant; ideoque cùm bonum commune sit bono particulari præferendum, mercator non potest licitè in venditione frumenti, carnis, & similium pretium præfixum à lege habentium, excedere

pretium taxatum, etiam tempore sterilitatis, quamvis in ejus detrimentum vergat: nam si stante lege, maxima obveniret frumenti abundantia, populus teneretur emere juxtà pretium à lege taxatum, & mercator posset illud licitè tali pretio vendere. Eadem ratione mercator tenetur servare legem adveniente sterilitate; nec potest propria authoritate excedere pretium. Quia liberaret se à damno cum detrimento reipublicæ contra voluntatem legislatoris, qui tale pretium assignavit pro bono publico.

III. Conveniunt etiam licere principi privilegium concedere, ut non nisi certi mercatores in suo regno certas, ac determinatas merces vendant. Tale quidem privilegium sæpè ob justam causam, aut bonum commune concedere necessè est, modò ipse princeps pretium taxet. Sed disputant, an omnes subditi teneantur in conscientia huic privilegio, aut legi obtemperare? Plures negant, & volunt mercatores posse tutâ conscientiâ vendere, nonobstante privilegio, aut deffensione principis. At opinio opposita mihi videtur probabilior, & tutior. Quia tale privilegium bonum commune respicit. Mercatores enim his suffulti privilegiis obligant se ad providendum de grano, & similibus rebus absolutè necessariis Reipublicæ. Igitur ne se exponant periculo magno amittendi sumptus sine lucro & nè in republica desint necessaria ad usus humanos, subditi tenentur ex justitia obtemperare legi prohibitivæ, & à venditione hujusmodi rerum se abstinere, nedùm propter pœnam à lege contravenientibus impositam, sed etiam propter conscientiam. Nec valet dicere quòd hujusmodi prohibitio nocet aliis, qui vendere possent, & emptoribus, qui leviori pretio merces emerent ob venditorum pluralitatem. Non valet inquam. Quia ut lex rationabilis & justa censeatur, non est necessè quòd damnum privatorum, in quorum præjudicium est, præferatur bono principis & Reipublicæ; cùm bonum commune sit particulari præferendum; sed sufficit quod ad bonum commune tendat, sitque conformis recto regimini etiamsi nonnullis particularibus noceat.

IV. Quæritur an in his, quæ communiter ad usum vitæ humanæ emuntur, ut in pane, vino, & oleo, lex possit aliquod tributum licitè imponere? duæ sunt sententiæ, Caietanus, Ledesma, & Angelus negant. Quia in hoc tributo plus gravantur pauperes, quàm divites; ideoque lex esset injusta, & irrationabilis, si in hujusmodi bonis tributum imponeret. Sed cùm hæc ratio non convincat, tuenda est sententia, quæ affirmat, & asserit hujusmodi leges posse esse rationabiles: nam pauperes, qui hæc omnia emunt, sunt operarij, & artifices, & possunt altiori pretio sua opera divitibus locare, ut victum & solitum lucrum sibi comparent propter tributi solutionem. Ita Silvester, Navarrus, & alij, quos citat, & sequitur Mastrius disp. 6. num. 18. Hoc non obstante omnes Canonistæ monent, tributa in rebus ad vitam necessariis non esse imponenda sine urgentissima necessitate. Quia hujusmodi tributa solitò graviora sunt tributis, quæ imponuntur in rebus ad luxum, delicias, redditus, & ad similes effectus pertinentibus.

V. An justa fraudantes tributa peccent, & obnoxij sint restitutioni? duæ etiam sunt sententiæ. Poncius, Beja, Castrus, Emanuel, Sa & alij verbo *gabella* respondent negativè. Ab hac sententia tamen recedo: Christus enim affirmat Math. 22. dicens *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Idem Paulus Rom. 13. vers. 7. *Redd te ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal cui timorem, timorem, cui honorem, honorem* sed solutio, aut pecunia, quâ tributum solvitur, est principis: ergo est ex justitia principi reddenda, & absque ulla fraude exequenda ex illo deuteron. 16. vers. 20. *Justè quod justum est persequeris: ut vivas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Idem suadet etiam ratio: nam quicumque scienter, & liberè justam legem transgreditur, peccat, & astringitur obligatione restituendi, si retineat id, quod à lege legitimè exigitur. Nonnè hæc omnia fiunt ab illis, qui justa fraudant vectigalia? ergo tributa non sunt solvenda solùm ex vi obedientiæ, sed ex justitia commutativa: principi enim, salus, & securitas populi ex officio incumbunt: populo autem solutio tributorum. Hanc sententiam tuentur Caietanus, Tabiena, Lugo, Faber, & alij.

VI. Ex hoc dubio nascitur aliud resolvendum, scilicet an hæc obligatio solvendi tributa, sit talis, ut gabella etiam non petita ab exactoribus, sit solvenda, &

& bona invecta illis spontè sint præsentanda, ut tributum solvatur? authores in præcedenti dubio citati pro nostra parte negant: dicunt enim sufficit, quòd ille, qui merces defert, non occultet eas, nec fraude utatur ad eas occultandas: Quia tunc, ipsis exactoribus culpa imputanda est, cum teneantur omnem adhibere diligentiam, ut tributum solvatur. Poncius noster disp. 59. & Caspensis disp. 9. sect. 4. addunt, quòd illi, qui occultant merces ne ab exactoribus tributum petatur, non peccant nec tenentur illud solvere, donec petatur. Utraque opinio reijcienda est. Et in praxi, tuenda est altera, quæ affirmat merces esse præsentandas, & tributum esse solvendum, etiamsi non petatur ab exactoribus; ita Covarruvias, & alij quos citat & sequitur Villalobos 2. p. diff. 10. tract. 5. ratio est. Quia justum tributum debetur principi ex justitia, tamquam res ipsi debita, & ad illum pertinens; igitur, sicut debitor tenetur solvere debitum, & reddere quod debet; etiamsi à creditore non petatur, tempore assignato: debitoris enim est reddere juxtà illud Math. 18. vers. 28. *redde quod debes*. Ita pariter ille, qui bona advehit cum obligatione solvendi tributum, tenetur illud solvere, etiamsi non petatur, dum pervenit ad locum pro solutione accipienda destinatum: nam exactores sunt propriè solutionum receptores, quorum munus principale, non est petere, sed recipere. Hac de causa, solitò in itinere publico habitant. Nec durum est, quidquid dicat Mastrius, subditos teneri inquirere exactorem, cùm debitoris sit quærere creditorem, ut solvat. Imò durius est imponere, principi, aut ejus exactori, vel receptori obligationem inquirendi eos, qui merces deferunt, tenentur solùm eos expectare in certo, & determinato loco, ut tributum recipiant. Et mercatores tenentur ad eumdem locum ire, ut solvant.

VII. Ille, qui emit merces à mercatore, qui vectigalia fraudavit, non astringitur obligatione restituendi, quamvis certò sciat tributum fraudatum fuisse, dummodò in pecunia consistat vectigalis solutio. Quia hoc est onus personale ipsum mercatorem merces advehentem afficiens, quod ad emptorem non transit, sed ad venditorem, qui legem transgressus est. Dixi *in pecunia* quoniam si tributum, ex quota, aut parte aliquota mercium, solvendum sit, emptor emens à mercatore, quem noscit tributum defraudasse, tenetur solvere. Tunc tributum est veluti onus rei impositum, cum ipso ad emptorem transiens, aut accessorium sequens principale; etiamsi ad fraudandam gabellam, ipse emptor nullo modo cooperatus fuerit. In tali quidem casu, officiales possunt debitam quotam suscipere tamquam quid debitum; quin injuria fiat emptori; cùm res pro Domino clamet. Revera venditor tunc tenetur emptori idem restituere, quia est causa damni, quod emptori advenit.

CAPUT VII.

An transgressor legis humanæ teneatur subire pœnam.

I. PRæter legem purè præceptivam; quâ aliquid præcipitur, vel prohibetur, nullâ appositâ transgressoribus pœnâ, datur lex pœnalis, in qua transgressoribus illius, aliqua pœna imponitur, quæ est etiam jùsta, & rationabilis, atque ûtilis pro communi bono, ut colligitur ex Gregorio X. in Concilio Lugdunensi relato in can. *exigit* de cens. in 6. Undè hìc examinandum est, an transgressor legis pœnalis teneatur in conscientia subire pœnam à lege impositam. Pro cujus rei intelligentia, est observandum, quod lex humana aliquando præcipit, aut prohibet aliquid sub pœna ipso facto incurrenda, & aliquando sub pœna incurrenda post judicis sententiam. Difficultas præsens, non est, an obliget ante judicis sententiam: de hoc enim dictum est satis in cap. præcedenti num. 5. sed solùm est, an pœna post judicis sententiam incurrenda, à transgressoribus sit sub mortali subeunda, post ipsius intimationem; vel an licitum sit eam evadere tuta conscientia, & absque ulla obligatione restituendi, si pœna in pecunia consistat; vel amittendi aliquid, si pœna sit privativa, seu in mera privatione consistens, ut sunt v. g. privationes officij, loci, vocis &c. itaut non teneatur in conscientia officium dimittere, pecuniam in pœnam impositam solvere &c.

II. Post sententiam justam à judice latam pro pœna corporali subeunda, ob transgressionem legis humanæ, transgressor te-

netur subire illam, nedùm passivè se habendò, scilicet eam patienter ferendo absque ulla actione ex parte sui, ut docent nonnulli, sed etiam activè, seu exequendo propria actione ea, quæ ad ipsum spectant, veluti ad principiùm activum v. g. si pœna consistat in exilio, tenetur in conscientia ad locum exilij sponte proficisci. Si in solutione pecuniam, tenetur solvere; etiamsi non requiratur; quia ad hoc cogitur per judicis sententiam, ad cujus executionem requiritur ex natura rei actio ex parte condemnati. Si verò contingat inflictionem pœnæ non exigere ex natura rei actionem delinquentis, id est si fieri possit, & solitò fiat absque ulla ejus actione, sive libera, sive coacta, ita ut sufficiat quòd ipsam pati possit, qualis est v. g. pœna mortis, aut mutilationis, vel incarcerationis perpetuæ, non tenetur propria actione concurrere ad pœnam, seu se occidere, mutilare, aut incarcerare:quia legislator non intendit obligare reum, ut destruat seipsum, nec ut in seipsum sit executor in pœnis, quas abhorret natura: impossibilis enim, & injusta esset hæc lex. Sic docent omnes canonistæ.

III. His addo cum Petro Fuliensi de leg. cap. 9. resol. 2. quòd per se loquendo, occidere seipsum, vel mutilare causâ subeundi pœnam à lege impositam, esset peccatum grave contra legem naturalem; quippe cum lex, quæ præciperet homini reo ut occideret seipsum, esset injusta, talis pœnæ executio non posset per illam honestari. Hinc est quod dãnatus ad bibendum venenum propriâ manu, tenetur illud, recusare, quia sic esset directè, proximè, & positivè causa suæ mortis, quæ cùm possit infligi absque ulla damnati actione, ipse damnatus ad illam cooperari non tenetur, saltem directè, proximè & positivè. Imo peccaret si cooperaretur. Quare dico contra nonnullos canonistas recentiores, justè damnatum ut fame pereat, teneri sumere cibos sibi ab aliquo amico oblatos, ut tradit Gonetus de legib. disp. 6. num. 4. post D. Thomam 22. q. 69. art. 4. ad 2. Ratio hujus Doctoris est. Quia non sumere cibum sibi ministratum, est seipsum occidere, & ad sui occisionem liberè concurrere; non licet tamen reo de carcere fugere, seu illùm infringere: etiamsi illi immineat pœna capitalis, aut mutilationis. Quia reus, qui carcerem non infringit, non sibi directè, nec positivè mortem infert, sed mortem justè illatam, æquo animo sustinet, ut lex præcipit. At sibi eam inferret non sumendo cibos oblatos. Ratio discriminis est. Quia ex recusatione cibi oblati, naturaliter nascitur mors, sicquæ privatio cibi est veluti executio sententiæ mortis per famem: sed ex detentione in carcere non nascitur naturaliter, & proximè mors rei, nec ipse reus per detentionem fit executor sententiæ mortis, nec pœnæ capitalis, aut mutilationis: ergo valet ratio disparitatis. An vero post fugam reus teneatur in carcerem redire? Responsio negativa videtur mihi probabilior. Quia activè oncurreret ad occisionem sui. Ad quod non tenetur, ut dictum est supra.

IV, Omnes Canonistæ concedunt eamdem obligationem subeundi mortem non incumbere reo injustè ab iniquo judice damnato: tunc enim reus potest licitè seipsum à sententia injusta eripere, & mortem fugere, etiam judicem, & ministrôs occidendo, si non possit aliter vitam suam conservare: cùm hoc sit de jure naturæ, ut inquit Mastrius de leg. num. 155. an verò idem jus habeat reus post sententiam justam tantum secundum allegata, & approbata? ut quando ipse reus cognoscit se innocentem, & verè est talis à parte rei; & est reus secundum allegata tantùm à falsis testibus. Negat idem Doctor. Tamen opinio opposita videtur mihi probabilior. Tum quia reus tunc præsumere potest, Quòd judex si innocentiam ejus cognovisset, non condemnasset eum ad pœnam mortis, nec ad pœnam carceris: nam Mastrius ispe disp. 6. num. 26. asserit judicem non posse tutâ conscientiâ condemnare reum, qui per testes probatur reus criminis, quem judex privatâ scientiâ scit certò esse innocentem. Tum quia hæc regula generalis *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus* debet præferri sententiæ judicis. Nec obstant allegata, & approbata. Quia hæc non privant jure innocentiæ. Tum denique quia si Petrus v. g. convinceretur per falsos testes debere Paulo centum nummos, & judex condemnaret ipsum ad solutionem debiti, quod tamen Petrus non deberet: certum est quòd posset tutâ conscientiâ non solvere: ergo à fortiori reus, de quo est quæstio, posset, tutâ conscientiâ mortem fugere, & se deffendere.

V. Omnis lex prohibens non irritat actum, quem prohibet: multa enim fieri

prohibentur, quæ tenent si facta fuerint, ut patet in matrimonio de impedimentis non dirimentibus. Lex prohibens est irritatoria actûs. 1. quando expressis verbis injungit nullitatem actûs. Ut v. g. dum dicit, actus sit nullus, vel dum dicit *sub nullitate actûs*, vel sub aliis terminis æquivalentibus legislatoris mentem exprimentibus 2. quandò lex præscribit formam essentialem, juxta quam debet fieri actus: tunc enim ex omissione formalitatum essentialium, actus est nullus, ut patet in lege de electionibus, quæ sunt nullæ, & cassandæ, dum non fiunt secundum formam essentialem, aut substantialem, vel dum non fiunt juxta modum à lege præscriptum.

VI. Utrum qui facit actum, quem lex irritat, semper peccet? Respondeo cum distinctione, ut tradunt Azorius, Lezana, Bonacina & alij. Nimirum si ipsa lex sit Prohibitiva cum prima conditione, scilicet sub pœna nullitatis actus, tunc qui facit actum prohibitum, peccat contra legem, & actus est nullus, ac invalidus, cùm hujusmodi lex inducat obligationem non faciendi actum illum. Quandò autem lex est prohibitiva in secunda conditione, scilicet sine hac clausula *sub pœna nullitatis actûs* tunc qui facit actum, non peccat, licet actus sit invalidus, ut patet de testatoribus, qui dum testantur contra formam legis, eorum testamenta sunt nulla, sed ipsi non peccant. Quia hæc lex non inducit obligationem condendi testamenta, nec condendi ea sub tali forma, sed solum annullat testamenta aliter facta.

VII. Disputant Canonistæ an lex irritans actum, aut contractum obliget in conscientia, etiam quandò præsumptio in qua lex fuit fundata, non subsistit, seu non reperitur in casu? Salas, Suarez & alij affirmant. Quia inquiunt hæc lex fundatur in periculo fraudis, quod quidem periculum est certum & semper reperitur in casibus propter quos, aut in quorum favorem condita fuit lex. Alij vero negant. Hæc ultima opinio videtur mihi probabilior: nam hæc lex non Fundatur in periculo, ut putant adversarij, sed in fraude, & malo. Quia legislator non intendit vitare periculum nocendi minoribus (stante siquidem periculo, contractus potest non nocere minori) sed fraudes, ne indè detrimentum patiatur respublica: ergo dum non est fraus, lex fundata in præsumptione, non invalidat actum in foro conscientiæ. Quia hæc lex non obligat nisi ex præsuppositione fraudis, qua deficiente, contractus remanet in conscientia validus: initus enim fuit bona fide.

VIII. Indè inferendum est quod minor qui ex mutuo summam pecuniæ recepit, tenetur in conscientia eam reddere, si illi data fuerit bona fide, & absque ulla fraude; quamvis lex principis irritet actum, aut contractum mutui cum minore initum: etenim ratione legis irritantis, minor nequit bona aliena retinere. Hæres etiam ex testamento contra Solemnitates ordinarias condito, potest tutâ conscientiâ accipere, & retinere hæreditatem, si certus sit testamentum esse sine fraude, aut non fuisse conditum contra formalitates ob malum finem, vel violenter. Sic docet major pars canonistarum in can. *Cum esses* de testam. horum omnium ratio principalis est. Quia cessante fine legis irritantis, nimirum fraude, cessat vigor legis, scilicet irritatio actûs, saltem quoad forum internum & judicium Dei, qui intuitur, cor, & videt voluntatem mutuantis, aut testatoris esse rectam.

CAPUT VIII.

An lex cessare possit.

I. Quamvis lex humana de sua ratione debeat esse perpetua, nihilominùs cessare potest. Quia non est perpetua, ita ut excludat principium & finem, ut lex æterna, vel finem tantum, ut natura Angelica, quæ est æviterna, sed est perpetua quatenùs dicit diuturnam longi temporis durationem, seu durationem indefinitam: Igitur potest cessare, ut de facto constat de variis legibus humanis, quæ abrogatæ fuerunt & revocatæ, vel per desuetudinem, vel per consuetudinem omninò oppositam cum præscriptione, vel per aliam legem oppositam ab alio æqualem potestatem habente conditam: nam si par in parem non habeat jus: successor principis potest prædecessoris sui legem revocare, & novam statuere.

II. Obligatio legis, adeoque lex ipsa cessat, cessante causa finali adæquata, & totali respectu totius communitatis ad cu-

jus bonum fuit condita; præsumendum quidem est legislatorem non velle obligare subditos ad servandam legem, quandò generaliter cessat causa ob quam condidit illam; alioquin lex videretur injusta. Hoc non est præsumendum, dum cessat causa partialis tantùm, vel totalis respectu unius: nam qui ex speciali Dei gratiâ nullum pateretur inordinatum motum, teneretur observare jejunium quadragesimale, sicut cæteri. Quia lex de jejunio servando subsisteret, subsistente causâ universali & totali ob quam hæc lex fuit condita. Nec nocet can. *cessante* de appell. in quo legitur *cessante causa, cessat effectus*. Quia intelligendus est de causa universaliter seu respectu communitatis ob quam condita fuit, non autem de causa particulari. De qua ad universalem non valet consequentia.

III. Cessat pariter per abrogationem. Hæcque dupliciter fieri potest à legislatore, vel à successore eamdem jurisdictionem habente. Primò tollendo obligationem legis, seu revocando legem, absque nova institutione alterius. Secundò statuendo legem contrariam legi antiquæ in hoc, conveniunt omnes. Difficultas solùm est an quando lex abrogatur, requiratur abrogationis promulgatio, ut cesset antiquæ legis obligatio? plures absolutè negant. Alij affirmant, si revocatio fiat in secundo modo, nimirum statuendo legem contrariam. Quia lex nova debet necessariò promulgari, ut promulgata fuit antiqua, cui est contraria, qua promulgatione promulgatur etiam abrogatio legis. Ita Lezana, Azorius, & alij quibus subscribo, Mastrius tenet promulgationem esse necessariam etiam dum aborogatio fit in primo sensu, non taliter, qualiter necessaria est, dum lex promulgatur, sed sufficienter, seu itaut subditi agnoscant legem esse revocatam, ut liberentur ab onere legis. Fateor hoc esse verum si necessitas respiciat utilitatem subditorum, ut per promulgationem revocationis sentiant se liberos; & falsum si respiciat obligationem legis. Quia factâ revocatione, etiam privatâ, lex cessat obligare: quippè solitò non obligat plus quam legislator intendit, undè cùm non intendat obligare per legem, quam revocat, nulla lex obligat post revocationem: etiamsi non fuerit promulgata revocatio.

IV. Per derogationem etiam cessat obligatio legis, non in toto, sed solùm in parte: magnum quidem est discrimen inter abrogationem, derogationem, & dispensationem legis. Quando lex tollitur absolutè, dicitur abrogata. Quandò aboletur secundum aliquam sui partem, dicitur derogata. Dispensatio autem est, quandò obligatio legis tollitur respectu talis personæ, temporis &c. quamvis inferior non possit superioris legem abrogare, nec derogare; potest nihilominùs in ipsa dispensare, non absolutè absque ulla restrictione, ut volvere Sotus & Covarruvias post D. Antoninum. Quia dispensare est tollere vim legis ex parte, & respectu personæ, quæ dispensatione donatur quod spectat ad eum dumtaxat, qui legem condidit, vel qui æquali cum eo pollet potestate; sed solùm in quibusdam casibus expressè, vel tacitè sibi concessis. Ratio est quia si in nullo casu liceret inferiori prælato dispensare in lege superioris, lex magis in communitatis damnum cederet, quàm in utilitatem illius; cùm nimis durum esset, & nocivum utilitati publicæ, pro quocumque casu ad superiorem recurrere.

V. Casus in quibus prælatus inferior potest dispensare in lege superioris, sunt. Primo quando materia est levis, & lex obligat tantùm sub veniali, quia pro culpa levi, nec pro levi beneficio est semper recurrendum ad superiorem prælatum. Secundus casus est, in his, quæ frequenter occurrere solent, qualia sunt jejunium, festa celebranda, in quibus sæpe dispensant prælati inferiores. Tertius est quando dispensat ex consuetudine legitimè præscripta, quæ cùm sit jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex can. *consuetudo* dist. 1. tunc conceditur prælatis inferioribus potestas dispensandi in lege superioris. Quartus est quandò urget maxima dispensandi necessitas, estque periculum in mora, & recursus ad prælatum majorem valdè difficilis. Quintus tandem est quandò est dubium utrum casus egeat dispensatione, vel non: Quia tunc præsumptio stat pro prælato inferiori. Ita omnes Canonistæ.

VI. Quamvis omnes Doctores conveniant nullum inferiorem posse legem Superioris abrogare, nisi ab ipso potestatem habeat, ut colligitur ex Clementina *ne Romani Pontificis*. Disputant tamen an possit legem à se conditam abrogare, si à Superiore fuerit confirmata? Plures affirmant eorum ratio est. Quia confirmatio non ex-

trahit legem inferioris à suo ordine, sed eam in suo statu relinquit, & consequenter abrogari potest ab eo, à quo lata fuit, cùm per confirmationem supra conditorem suum non elevetur. Opinio opposita videtur mihi probabilior. Nam lex inferioris, quæ per superiorem confirmatur, ab ipso accipit robur, & virtutem obligandi subditos, fitque altioris ordinis, seu potestatis superioris, hinc est quòd leges, aut constitutiones ordinum Religiosorum, quæ à Sancta sede confirmatæ fuerunt obligant, ac si essent Apostolicæ. Igitur nullus legislator inferior potest propriâ authoritate legem suam abrogare, si à Superiore confirmata fuerit; cùm fiat lex superioris, sal-tem quoad vim obligandi; & abrogare sit vim illam tellere. Deindè nullus inferior potest propriâ authoritate revocare, nec irritare quod à Superiore factum, aut concessum fuit in ordine ad subditos; ideoque nequit revocare confirmationem legis suæ à Superiore factam, quam tamen revocaret, si eamdem legem confirmatam abrogaret, quia abrogando legem, confirmationem utique revocaret. Ad rationem adversariorum dico legem inferioris per confirmationem extrahi à suo ordine, nam confirmatio Superioris est necessaria, & necessariò petenda, ut lex inferior obliget, vel non? Si primum, lex est superioris, & ab ipso, aut de ipsius consensu abroganda, quoad vim obligandi. Quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ex cap. de regul. juris. Si secundum. Confirmatio data, non est minoris momenti; cùm fuerit acceptata, & à superiore confirmata, & consequenter nequit ab inferiore abrogari. Quippeeum ex can. *proposuisti* de for. compet. causa semel affectata apud superirius tribunal, non possit, eo inconsulto devolui ad inferius tribunal, nec lex semel confirmata à superiori, valet ab inferiore abrogari.

VII. Prælatus inferior cui concessa fuit potestas dispensandi in lege Superioris, nequit in ipsa dispensare sine justa causa, ut colligitur ex jure Canonico can. *requiritis* 1. quæst 7. ubi glossa verbo *plerisque* ait. *Dispensatio est juris communis relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui jus habet dispensandi.* Huic glossæ subscribunt omnes Doctores hac ratione freti, scilicet quia Superior, qui legem condidit, non censetur ipsi concessisse facultatem dispensandi sine justa, & rationabili causa. Nec potest dispensatus tutâ conscientiâ uti illa dispensatione, cùm sit nulla & invalida. Ex eo quod dispensans limites authoritatis suæ excesserit. Ita omnes Canonistæ.

VIII. Difficultas solùm est, an dispensatio à Superiore Prælato concessa, ut sit valida, requirat etiam justam & legitimam causam? negativè respondeo contra nonnullos. Ratio communis est. Quia lex obligat quandò legislator vult quod obliget; ideoque potest validè eximere aliquem ab illius obligatione; cùm obligatio legis sit effectus formalis moralis voluntatis ipsius legislatoris, qui non vult lege suâ obligare talem, vel talem, seu illum quem dispensat etiamsi nulla subsistat causa. Adversarij existimant dispensationem esse invalidam. Quia legislator in sua lege sic dispensans excedit limites potestatis, quam accepit à Deo, vel à populo, quorum intentio est, dispensationem non esse concedendam sine justa, & legitima causa. At non valet hæc ratio. Tum quia legislator in lege propria, aut potestate quam accepit, non excedit limites potestatis suæ sic dispensando, sed eam excedit solùm obligando subditum ad id, ad quod non potest illum obligare: nam excedere limites potestatis, est obligare ultrà potestatem, vel ultrà subditorum vires. Non verò dispensare, aut non obligare præcisè. Tum quia ex illa intentione solùm sequitur legislatorem dispensare illicitè (quod concedimus cum communi sententia) non autem invalidè. *Instabis* si hæc responsio valeret, valeret utique de dispensatione Prælati inferioris in lege Superioris, & valida esset ejus dispensatio sine justa & legitima causa. Quod suprà negatum manet. Nego paritatem: quia intentio Dei, vel reipublicæ est, quòd legislator cui concessit potestatem condendi legem, habeat plenariam potestatem, & quòd ab ipso dependeat obligare, & instituere legem, & ideo dùm ligat, validè ligat, dum dispensat, validè dispensat. Sicut ministri Sacramentorum, qui licet intentio Christi sit, quòd ministrent ea in fide & charitate, tamen dum ea ministrant extra statum gratiæ, ea ministrant validè; licet illicitè. Inferior autem non habet plenariam hanc potestatem in lege Superioris, sed solum potestatem conditionalem, seu potestatem in necessitate tantum exercendam: sicque

invalidè dispensat, dum sine causa dispensat.

IX. An dispensatus sine legitima causa à Superiore, possit tuta conscientia uti dispensatione quam Superior concessit ei liberè? Martinonus, Cajetanus, & alij negant. Caspensis, Gonetus, Sylvester & alii affirmant. Quia inquiunt dispensatus utitur jure suo, seu indulgentiâ dispensationis, quæ verè valida est. Huic opinioni subscribo, nam ille cui sine legitima causa concessa fuit dispensatio, utendo ipsâ, utitur re validâ; cùm ex suppositione sit validè dispensatus: ideoque si non adimplet legem, seu non faciat quod præcipit, aut facit quod prohibet, non peccat: quia non subjicitur legi ex vi validæ dispensationis.

X. Dissident Doctores, an lex naturalis cessare possit per dispensationem, id est an Deus, qui est author naturæ possit dispensare in præceptis naturalibus? pro majori intelligentia responsionis nostræ observandum est, præcepta naturæ esse in duplici genere. Quædam enim sunt veluti prima principia in practicis per se nota, ex quibus deducuntur conclusiones ut v. g. *Non habebis Deos alienos, non sumes nomen Dei in vanum, honora parentes*, quæ licet sint præcepta decalogi, sunt etiam de jure naturæ, ut tradit Scotus. Alia sunt præcepta naturæ, quæ deducuntur ex primis principiis ut v. g. non retinere bona aliena, & alia præcepta, quæ deducuntur ex isto principio. *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.* His suppositis dico quod, Deus non potest propriè dispensare in lege naturali in primo sensu, scilicet in his, quæ natura præcipit, aut prohibet tamquam prima principia, quæ sunt per se bona, vel mala, præcisis prohibitione, aut jussione, sive sint intrà, sive extrà decalogum. Ratio est. Quia bonitas, aut malitia horum actuum, qui à lege naturali prohibentur, vel præcipiuntur, non pendet ab extrinseca Dei voluntate, sed ex intrinseca natura objecti suis circunstantiis affecti: ergo Deus, qui non potest improbare bonum, nec approbare malum, non potest dispensare in his præceptis naturæ, seu velle quòd homo faciat id quod est per se, & intrinsecè malum, aut quòd habeat Deos alienos &c. cùm dispensare, idem sit ac dare licentiam, ut quis licitè agat contra id quod lex naturalis præcipit, invariatis omnibus circunstantiis ex parte materiæ.

XI. Quantum ad præcepta secundi generis. Dico Deum posse dispensare. Quia hæc non habent bonitatem, vel malitiam intrinsecè, sed ex lege, id est sunt bona, quia præcepta, & mala quia prohibita: nam divisio bonorum, quamvis sit conformis legi naturæ, non est tamen ita strictè, ut Deus non possit illam tollere, volendo omnia bona esse communia, ut de facto voluit in statu innocentiæ, & consequenter Deus potest dispensare in lege, & jure naturali furtum prohibente, & sic de cæteris ejusdem generis, seu quæ non sunt de lege naturæ strictè, sicut ea, quæ sunt primi generis, seu prima principia per se nota.

CAPUT IX.

De conscientia.

I. Conscientia quæ est judicium, quô aliquid bonum, aut malum esse judicamus, dividitur in rectam, erroneam, dubiam, scrupulosam, & opinativam, seu probabilem juxta varios judicandi modos: intellectus enim vel rectè judicat aliquid esse faciendum, vel fugiendum, & dicitur conscientia recta, vel errat, & dicitur conscientia erronea, vel nequé assentit, nequé dissentit, & dicitur dubia, vel judicat aliquid esse fugiendum ex levibus fundamentis, quæ vir prudens meritò spernit, & dicitur conscientia scrupulosa. Quia ob rationes leves judicat ex timore non licere quod licet, vel assentit quidem uni parti, sed cum formidine circà partem oppositam, & dicitur conscientia opinativa, seu probabilis.

II. Operans contra conscientiam rectam peccat can. *litteras* de rest. spal. ibi enim Innocentius III. ait *Quod est contra conscientiam ædificat ad gehennam.* Ratio Theologorum est. Quia conscientia præsertim recta, est proxima actionum nostrarum regula alias regulas, atque leges, æternam scilicet, & naturalem applicans intimando voluntati boninitatem moralem, vel malitiam objecti, finis, & circunstantiarum; ideoque voluntas dùm operatur cõtra conscientiam, seu illud judicium, deviat à sua regula & peccat; cùm faciat id, quod

judicat esse malum, vel non faciat id, quod judicat esse bonum & faciendum. Imò non desunt Canonistæ, qui volunt operantem contrà conscientiam rectam, peccare duplici culpa in confessione explicanda, unâ quia facit contrà legem, & alterâ quia facit contrà conscientiam, quæ sunt duæ regulæ. Sed displicet mihi hæc opinio. Quia illæ duæ regulæ subordinantur, & una est intimatio alterius; ac proindè operans contrà conscientiam rectam, seu judicium practicum conforme legi, non duo, sed unum peccatum committit; cùm multiplicitas præceptorum non multiplicet peccatum; aliàs furari esset duplex peccatum. Quia prohibetur à lege divina, & humana, quod est falsum. Ita Bardus, Corduba, & alij, qui addunt Deum non posse dispensare, ut quis agat contrà conscientiam rectã eo quod cõscientia sit participatio, & intimatio legis naturalis, & æternæ, in quibus Deus nõ potest propriè dispensare. Quia Deus, qui perfectissimus est, non potest velle id, quod est contrà legẽ naturalem, & æternam, ut notat Scotus in 3. dist. 39. ut constat ex dictis suprà cap. 8.

III. Peccat pariter ille, qui operatur contra conscientiam invincibiliter errantem: hæc enim se habet in existimatione operantis ut vera, & recta; quamvis in se erret, & deviet à vero, & consequenter æqualiter obligat voluntatem, ut eam positivè sequatur. Quia ipsa voluntas tenetur amplecti bonum, & fugere malum juxta modum ab intellectu, seu potentia cognoscitiva præscriptum, cùm sit potentia cæca, quæ non errat formaliter, nec culpabiliter sequendo ducem, etiamsi ipse dux erret invincibiliter, ut probat factum Jacob, qui non peccavit accedendo ad Liam, quia errore invincibili seu dictante conscientia invincibiliter erronea, putabat ad suam uxorẽ accedere, sicut ad Rachel Genes 29. at si error conscientiæ procedat ex ignorantia vincibili, tunc voluntas nequè ad operandum, nequè ad non operandum obligatur, sed tenetur antequam agat illum errorem deponere, per diligentem discussionem rationum, & circunstantiarum, quæ ad casum pertinent, ut monent D. Thomas quæst. 18. art. 6. D. Bonaventura 2. dist. 36. art. 1. quæst. 3. & Scotus. Quia dum error procedit ex ignorantia vincibili, crassa, & supina, est voluntarius, saltem in causa, utpotè in ignorantia vincibili, voluntariè retenta, quæ à peccato non excusat. Quippè ignorantia dicitur invincibilis secundum quid, seu in ordine ad nos, qui illam vincere non possumus; ideoque ut operans ipsâ excusetur à peccato, omnem diligentiam adhibere debet; alioquin est voluntaria, & culpabilis. Quare Jesus Filius Sirach cap. 32. vers. 24. ait *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.*

IV. Quamvis teneamur sequi dictamen conscientiæ invincibiliter erroneæ, licitum tamen est contrà hujusmodi conscientiam operari sequendo sententiam Superioris, & confessarij, præsertim si in opinione errantis, Superior, & confessarius sint viri docti, & probatæ vitæ; illi enim quibus est commissa animarum cura, speciale lumen à Deo acceperunt ad regendas animas, quibus se subjicere est prorsùs inculpabile, & ideo errans potest licitè Superioris, aut confessarij judicio adhærere, & contra conscientiam invincibiliter erroneam operari. Alia adhærendi ratio est. Quia quilibet in propria causa cæcutire solet, qua propter tutius est tunc dictamen Superioris, aut confessarij, quàm proprium sequi. Nec officit illud Apostoli *quod non est ex fide peccatum est* quô Canonistæ probant necessitatem sequendi dictamen conscientiæ. Quia tunc errans nullam censetur habere notitiam, aut fidem, nisi notitiam Superioris cui se subjicit, & cujus dictamen sequitur, ut de proprio lumine diffidens. Ita plures freti hac regulâ. *Tutum est sequi sententiam præpositi sui, & judicio illius propriam conscientiam deponere.* Tunc hujusmodi ignorantia invincibilis respectu inferioris, aut pœnitentis errantis, censetur vincibilis, imò vincitur de facto, Superioris, aut confessarij judicio.

V. Superior & confessarius teneantur admonere, & corrigere subditum, quem vident, in materia fidei (à qua dependet salus) laborantem invincibiliter conscientiâ erroneâ ut v. g. dum subditus credit solam attritionem extra Sacramentum justificare, & consequenter se posse ad Eucharistiam accedere, modò sit attritus de peccato mortali, quandò non habet copiam confessarij. Hujus obligationis causa est. Quia licet non peccet ratione erroris invincibilis, sumendo Eucharistiam, præmisso attritionis actû; manet tamen semper in peccato commisso, de quo tantum attritionem habuit. Quodve extrà Sacra-

mentum remittere non potuit attritio, ut colligitur ex tridentino sess. 14. cap. 4. peccat igitur Superior, aut Confessarius, qui non corrigit pœnitentem, aut subditum de tanto errore de quo oriri potest, ipsius pœnitentis, aut subditi æterna damnatio: nam ex can. *præterea* 23. quæst. 8. qui non impedit errantem, quem corrigere debet, & potest, consentit. Eâdem obligatione astringuntur dum pœnitens, aut subditus conscientiâ invincibiliter erroneâ credit esse peccatum, quod non est peccatum, vel credit esse peccatum mortale, quod est tantum veniale. Quia tunc est in occasione proxima peccandi, quia licet hæc credendò non peccet durante erroris invincibilitate, nihilominùs potest operari contra talem conscientiam, & sic operando peccaret: ergo nè sit in hac potentia, aut occasione peccandi, seu agendi contra conscientiam invincibiliter erroneam, est corripiendus, ut errorem deponat, hebeatque conscientiam rectam.

VI. Movetur difficultas an Confessario liceat admouere pœnitentem de errore invincibili in opere consummato ut v. g. virum, qui duxit in uxorem, consanguineam in gradu dirimente matrimonium; si certò præjudicat virum illum uxorem putativam non Derelicturum, nec dispensationem accepturum. Respondeo negativè; durante enim hoc errore non peccat petendo, aut reddendo debitum conjugale; cùm non operetur contra conscientiam, quæ dictat illi se posse habitare cum uxore, quam inculpabiliter duxit. At suppositio quod admoneatur, & videat errorem, tenebitur se abstinere à debito conjugali. Quia conscientia, deposito errore, sic dictabit ei. Undè cùm ex suppositione non derelinqueret uxorem, nec vellet dispensationem, melius est eum relinquere in tali errore, quàm admonere, nè peccet habitando cum uxore sua, seu nè sit in proxima occasione operandi contra conscientiam. Secùs discurrendum est de isto & simili casu ante consummationem operis, seu Matrimonij celebrationem: tunc enim Confessarium astringit obligatio non obstante prævisione illa de nullitate admonitionis. Quia ante Matrimonij consummationem, pœnitens non est possessor bonæ fidei, sed liber: nec in occasione peccandi per admonitionem præcedentem Matrimonium. Imò removetur ab occasione; cùm conscientia dictet ipsi consanguineam non esse ducendam uxorem. Igitur Confessarius, qui tenetur ducere pœnitentem per vias rectas, tenetur eum admonere nè incidat in errorem.

VII. Operans contra conscientiam æqualiter erroneam circa duos actus simul incompossibiles, non peccat, Eliciendo, aut Eligendo unum v. g. mulier, quæ videt Maritum extremâ necessitate laborantem. Videt ex alia parte quòd tenetur audire Missam conscientia propter errorem dictat illi utrumque esse faciendum sub peccato. Aliundè impossibile est, quod faciat simul utrumque, seu quod assistat marito, & missam audiat, nec è converso. Quia durante erroris invincibilitate non est sufficienter libera, nec sufficienter indifferens ad peccandum; cùm non possit se determinare ad utrumque simul, seu ad sequendum utrumque dictamen; aliàs actus non essent incompatibiles, nec possit se determinare ad unum dictamen, quin necessariò sequatur Omissio alterius. Ita Palao, Bonacina, Marandus & alij contra Medinam.

VIII. Id quod conscientia erronea judicat esse malum præcisè, scilicet non judicando an sit malum mortale, vel veniale. Ut v. g. dum intellectus judicat aliquid esse prohibitum, sed dubitat an sit prohibitum sub mortali, vel sub veniali, non est faciendum sub mortali, durante hujus erroris invincibilitate, etiam si postea deposito errore inveniatur id, quod factum fuit, non esse prohibitum sub mortali, sed solum sub veniali. Ratio est quia ille, qui in tali errore operatus est, se exposuit occasioni & periculo peccandi mortaliter. Ita Azorius, Sanchez, contra Navarrum & Valentiam stantes pro veniali.

IX. Præter conscientiam rectam, & erroneam, datur alia, nimirùm dubia juxta ea, quæ dicta sunt num. 1. & est duplex, speculativa scilicet, & pratica. Prior est illa, quæ considerat an aliquid in se præcisè sit licitum, vel non, & dubitat postea an sit licitum, ut v. g. dum quis dubitat an res, quæ possidet sit sua, vel non. Posterior verò est illa, quæ considerat an hoc sit, hic & nunc in tali circunstantia, faciendum, vel licitum sit modo facere illud, ut est v. g. dum quis dubitat an hanc rem restituere teneatur, & remanet in dubio. Theologi conveniunt non esse peccatum operari cum conscientia speculativè dubia, dummodò operans practicè judicet

hic

hic & nunc tale opus esse sibi licitum. Ratio omnium est. Quia regula actionum nostrarum non est scientia, seu cognitio speculativa, sed judicium practicum, quod circumstantiarum qualitatem, & conditionem perpendit. Nec implicat quòd aliquid in speculatione, seu secundum se consideratum, appareat dubium, & in praxi sit certum ratione alicujus circunstantiæ: ergo si judicium sit determinatum, operatio erit prudens, & recta, quidquid sit de cognitione speculativa. Conveniunt etiam quod operari contra conscientiam practice dubiam, est peccatum. Ratio est. Quia sic operans se exponit periculo peccandi. Quod verum esse sic convinco. Nam dubius an hodiè teneatur jejunare ratione circunstantiarum attentè consideratarum, si non jejunet; & jejunare necesse sit, peccat. Ergo dato quod jejunare non fuerit necesse, rèverà non peccavit contrà præceptum jejunij; sed exposuit se periculo peccandi, hinc est quòd non licet operari contra conscientiam practicè dubiam. Nec valet opponere quod nullum præcedit judicium dictans opus illud esse illicitum. Quia præcedit judicium dictans operari cum tali dubio, esse periculosum. Et ad istud judicium sequitur aliud dictans periculum esse præcavendum. Quia, qui amat periculum peribit in illo. Quod sufficit ut illicitum sit operari contra conscientiam practicè dubiam. Id quod in tali dubio suadere possum, est, eligere partem tutiorem pro salute consequenda, & recurrere ad Deum per orationem, ut dubium deponere, & mentem illuminare dignetur, ut monet. Josaphat 2. Paralip. cap. 20. vers. 12. *Sed cum ignoremus quid agere debeamus hoc Solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*.

X. Dubium solitò dividitur in dubium juris, & in dubium facti. Primum est illud, quo quis dubitat an sit lata aliqua lex, ut si dubitetur, an sit præceptum jejunandi hodiè. Secundum est illud quo, quis dubitat an fecerit actum, quem lex præcipit, vel prohibet, ut si dubitetur an observaverit jejunium in tali vigilia: dubium juris non obligat can. *Animarum* de constit. in 6. in quo declaratur ignorantiam legis excusare, modò non sit Crassa. A Fortiori excusabit dubium invincibile juris. Ex hoc enim Canone & ex 65. regula juris in 6. *In Pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis*. Sequitur quod invincibiliter dubitans v. g. an sit lex de jejunio observando hodiè, potest licitè non jejunare, quia pro ipso stat possessio. At hæc regula non valet, dùm dubium est an lex obliget: tunc enim sic dubitans tenetur jejunare; quia possessio stat pro lege, quæ ex se habet vim obligandi, & est in hac possessione post sufficientem promulgationem, de qua non est dubium in nostro casu. Si verò dubium non sit, an lex obliget, sed solum an obliget in hac circunstantia v. g. dum intervenit istud dubium, videlicet an jejunium obliget cum periculo vitæ. Tunc non obligat, quia possessio non stat pro lege: Sed pro subdito, qui ut colligi potest ex 51. regula juris est in possessione interpretandi voluntatem legislatoris, qui præsumitur non intendere eum tanto periculo obligare. Sed si dubium sit tantum de aliqua circunstantia actûs eliciti. Videlicet an in voto de jejunio observando intervenerit deliberatio sufficiens ad obligandum, possessio stat pro lege, & dubitans tenetur jejunare. Quia jure suo, seu possessione censetur privatus per certitudinem juris, & facti, seu legis, ac voti. Hinc est quòd Religiosus, qui certò scit se emisisse vota, tenetur ea observare, licet invincibiliter dubitet an habuerit perfectam deliberationem. Quia possessio stat pro Religione, in qua vota solitò fiunt, & fieri debent cum plenitudine cognitionis. Idem dico contra Vasquez, & Salam, dùm dubitat de legitima Superioris sui potestate; quippecum Superior sit in possessione, inferior, durante dubio, tenetur illi obedire; etiamsi omnes inferiores sint in eodem dubio, quia injustum est Superiorem jure suo spoliari per sibi subditorum dubitationes, inquit D. Bonaventura.

XI. Dum dubium est circà rem præceptam à Superiore, seu an sit licita, vel non, possessio stat pro Superiore. Sic inferior tenetur obedire, & potiùs judicio Superioris, quàm proprio adhærere. Ita Azorius, Valentia, & alij contra Marchantium in Tribun. Sacram. tom. 1. tract. 5. tit. 4. q. 3. & plures alios. Indè obiter inferendum est contra Mastrium disp. 6. num. 20. quòd si sit dubium an aliquod tributum sit justum, an non? potius judicandum est in favorem reipublicæ, quæ illud imposuit, quàm in favorem subditi. Quia possessio in omni Superioritate stat pro jure Superiorum. Si verò contingat Superiorem dubitare etiam an res, quæ præcipit sit licita. Assero quòd inferior, hoc dubium agnos-

cens, tenetur non obedire nè se exponat periculo peccandi; tunc enim ipse inferior non habet undè potiùs Superioris judicio, quam proprio adhærere possit ad vitandum peccandi periculum, quidquid dicant Corduba, & Ledesma.

XII. Controversia est inter Canonistas, utrum Confessarius dubitans an habeat jurisdictionem, aut approbationem, possit audire Confessiones? Naldus, Coninch, Reginaldus, & Diana p. 4. tract. 3. resol. 38. affirmant, si adsit necessitas sumendi Eucharistiam, vel si pœnitens prævideat non posse per longum tempus confiteri; cum onere tamen posteà confitendi eadem peccata alteri certam jurisdictionem habenti; Ita sentiunt prædicti Canonistæ, excepto Diana, cui non placet hæc conditio de Confessione iteranda. Alij quos sequor negant. Quia tunc confessarius Sacramentum exponeret nullitati, quæ ex defectu jurisdictionis necessariò sequitur. Deindè quemadmodum ignorantia præsumitur, ubi scientia non probatur, ut traditur ex 57. regula juris. Ita pariter Sacerdos præsumitur non approbatus, seu non admissus, si nullam habeat scientiam de sua approbatione, possessio tunc stat pro lege de jurisdictione obtinenda. Quia ut dixi numero præcedenti. In omni Superioritate, possessio stat pro jure Superiorum. Nec obstant rationes ab adversarijs adductæ. Quia necessitas, quæ eximit à jurisdictione, est ea, quæ cõtingit in articulo, aut periculo mortis, de cujus genere non est necessitas sumendi Eucharistiam, nec altera. Quia pœnitens potest adire confessarium certam jurisdictionem habentem. Vel dispensari à Communione, & Confessione ob absentiam confessarij approbati. Aliàs sequeretur propter hujusmodi necessitates, quòd nedum Sacerdos dubius de jurisdictione sua, sed etiam simplex, seu non approbatus posset hunc pœnitentem absolvere à peccatis, sicut posset eum absolvere si existeret in articulo, vel periculo mortis, quod nullus canonista hactenus concessit.

XIII. Quando pœnitens dubitat an peccatum quod commisit sit mortale tenetur confiteri illud ut mortale: meliùs enim, atque tutiùs est augere in dubio confessionem, quàm illam minuere. Plures volunt quòd pœnitens teneatur confiteri illud posteà ut veniale certum, si deposito dubio cognoscatur veniale. Hoc tamen improbo. Quia peccatum veniale remittitur; licet declaratur ut mortale ob majorem conscientiæ securitatem, & confessionis integritatem; cum eadem absolutione absolvantur, & remittantur mortale, & veniale.

XIV. Licitum est operari contra conscientiam simpliciter scrupulosam, quæ est fluctuatio mentis, & inconstantia, quæ ex levibus, & debilibus fundamentis nascitur. Quia conscientia scrupulosa est semper valdè periculosa. Dixi *Simpliciter scrupulosa*: Quoniam si sit resoluta in partem aliquam, & hanc putet esse licitam, & honestam, etiamsi eam existimet talem ex levibus fundamentis. Tunc illicitum est operari contra conscientiam invincibiliter scrupulosam ut infertur ex can. *Inquisitioni* De sentent excom. & ex can. *per tuas* de Simon. non quod conscientia sic considerata obliget Ratione scrupuli, cujus definitio est hæc: ***Anxietas quædam mentis cum quadam dubitatione, & trepidatione in agendo, conscientiam torquens, & turbatam reddens ex levibus, & incertis conjecturis orta.*** Sed ratione erroris invincibilis ut notat Marchantius: Etenim conscientia scrupulosa mediante hoc judicio practico, quoad unam partem se resoluit, transit in erroneam; quæ necessariò sequenda est durante erroris invincibilitate.

CAPUT X.

De Conscientia probabili.

I. Difficultas hic resolvenda, est an in conflictu duarum opinionum, quarum una est probabilior alterâ, liceat sequi probabilem relictâ probabiliori. At ut clariori methodo resolvatur, non nulla præsupponenda sunt. Primò quæstionem intelligendam esse solùm in praxi, seu quandò tenemur operari, & exercere aliquam actionem moralem cui subest peccandi periculum; non autem in speculatione, nec in materiis merè scholasticis

Secundo opinionem probabilem esse illam, quæ habet aliquas rationes veritatem illius suadentes; alioquin esset improbabilis. Probabiliorem verò esse illam, quæ fortioribus fundamentis apparet conformior veritati, ac rationi naturali. Ter-

tiò unam opinionem posse dupliciter esse alterâ probabiliorem, intrinsecè scilicet, seu à motivis intrinsecis, & rationibus intellectum magis convincentibus de veritate propositionis. Et extrinsecè, seu à pluralitate Doctorum Probabilitas intrinseca est præferenda extrinsecæ. Tum quia potiùs ponderandæ sunt Doctorum rationes, quàm numerandi Doctores, qui opinionem deffendunt, non enim ad multitudinem dicentium habendus est oculus, ut pro certo licet inferre ex illo exodi 23. cap. 1. vers. 2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à vero devies*: Sed ad dicentium rationes, quibus veritas comprobatur. Tùm quia interdùm plures, unâ, & eâdem ratione deffendunt opinionem, cujus oppositam unus deffendit pluribus rationibus longè efficacioribus. Supponendum est tandem opinionem probabiliorem esse distinctam à tutiore. Hæc enim est tutior. Quæ magis removet à pericuIo peccandi; illa autem est probabilior, quæ est rationi conformior, & fortioribus innititur fundamentis. Ex hac observatione sequitur opinionem probabiliorem posse esse minus tutam, & opinionem tutiorem posse esse minus probabilem. Id verum esse probat opinio de confessione adhibenda statim post peccatum, quæ est tutior oppositâ, & ipsâ minus probabilis, ut fatentur omnes Theologi.

II. Non licet ex duabus opinionibus oppositis, quarum singulæ sunt probabiles, eligere illam, quæ minus probabilis apparet, relictâ probabiliori. Ita D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Alensis, & alij quàm plurimi Doctores gravissimi. Hæc Doctrina est contra plures recentiores, quos citant & sequuntur Mastrius, & Bonacina. Prima nostræ hujus conclusionis ratio est. Quia tenemur operari rectè, & in quantum in nobis est cum certitudine morali de honestate morali operationis nostræ moralem formidinem excludente; cùm ut actus sit moraliter bonus, & ut talis ab operante cognoscatur, debeat ita conformari prudentiæ, (quæ est generalis regula humanorum actuum) ut ipse operans sit moraliter certus de rectitudine operationis suæ, & ducat se per vias rectas; per quas justum deducit Dominus. Hinc ipsam Doctrinam confirmat scriptura Eccleiast. 37. vers. 20. dicens *Ante omnia opera Verbum verax præcedat te, & ante omnem actum, consilium stabile.* Hoc est judicium stabile, seu firmum absque ulla formidine, id est cum omni certitudine tibi moraliter possibili, & consequenter juxta dictamen probabilius quod nequis esse moraliter certius. Idem docet Scotus in 3. dist. 25. quæst. 1. 5. *Præterea videtur* circà medium ubi ait *in moralibus quandò sunt altercationes de aliquo peccato, quandò primo est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat quòd non licet sic mercari, & alius dicat quòd licet. Tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare quousque veritas pateat aliundè. Si enim ita esset quòd unus Doctor diceret aliquem peccare moraliter, nisi sic faceret, & alius quòd peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus, ideo benè videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur.* His Verbis Doctor subtilis vult in conflictu duarum opinionum in moralibus, nullam esse resolvendam antequam veritas appareat, sitque certitudo aliqua, quod liceat sic operari, seu mercari; at ille, qui sequitur opinionem minus probabilem, relictâ probabiliore, non habet de honestate operationis suæ omnem certitudinem, quam habere potest, ut rectè & honestè operetur. Etenim sequendo minus probabilem, relictâ probabiliori, dato quòd habeat aliquam certitudinem: tamen non habet tantam, quantam habere potest, & quam de facto haberet sequendo probabiliorem. Nec ante actum habet consilium stabile, quod ex scriptura debet omnia opera præcedere, quia per probabilioris opinionis fundamenta, infirmantur opinionis minus probabilis rationes, cùm semper remaneat in aliqua dubitatione & formidine, quam non habet sequendo probabiliorem: ergo qui sequitur opinionem minus probabilem non operatur rectè, nec investigat veritatem antequam agat, & consequenter peccat sponte, ac propriâ electione, recedendo ab eo, quod judicat proprius ad veritatem consequendam, hoc fine, & intentione ut adhæreat oppositæ parti, quam judicat à vero remotiorem.

III. Voluntas opinionem minus probabilem eligens in opinionum probabilium conflictu, & secundum illam minus probabilem operans, agit contra conscientiam rectam: certum enim est. Quòd ipsa voluntas non potest eligere utramque opinionem; alioquin non essent oppositæ.

Certum quoque est, quòd intellectus non judicat utramque esse eligendam, nec minus probabilem esse præferendam probabiliori; cùm nullus affirmare audeat opinionem solidioribus vallatam, firmioribusve fulcitam rationibus, non allicere, ac determinare potius judicium, quàm opposita, cujus fundamenta non habent tantam soliditatem. Igitur si in tali conflictu voluntas eligat minus probabilem, agit contra judicium rectum, quô opinio probabilior proponitur illi ut præferenda, & eligenda, rebellatque adversus propriam conscientiam. Quod sine peccato fieri nequit, ut jam monui. Non valet dicere voluntatem tunc operari juxta proprium dictamen; ex eo quod ratio dicter in tali conflictu opinionem minus probabilem esse tutam, certam & conformem legi, licet probabilior sit magis tuta, & conformis legi. Non valet inquam hæc instantia. Quia durante conflictu, intellectus dictar, & judicat minus probabilem esse relinquendam: nam non judicat utramque esse sequendam, utramque simul aliquem sequi posse; cùm sint oppositæ, nec judicat minus probabilem esse sequendam, & probabiliorem relinquendam. Quia sicut positis præmissis veris tenetur assentiri conclusioni, ut docet Philosophus, ita pariter positis præmissis verioribus tenetur assentiri conclusioni veriori, quæ est in favorem opinionis probabilioris, ac proindè, dum voluntas relinquit opinionem probabiliorem, ut minus probabilem sectetur, operatur contra judicium practicum, & conscientiam rectam, & remanet cum formidine. Vix enim potest, rejectâ probabiliori, agere, sciens unam ex his propositionibus *Licet sic mercari. Non licet sic mercari* esse falsam; quin dicat intrà se, *erro relinquendo eam, quam veriorem judico* vel saltem quin dicat *fortè erro*. Quod certò non dicet sequendo probabiliorem.

IV Doctores adversantis sententiæ, ut Barbosa, Sanchez, Filliucius, Lezana & alij, tuentur judicem suo prævaricari officio, si spontè causam adjudicet parti, cujus videt jus minus probabile. Quia debet sequi judicium intellectûs, & secundum exigentiam juris, sententiam proferre. Idem sentiunt de medico, qui ægroto medicamentum adhibet minus probabile, relictò probabiliori pro recuperanda sanitate. Quare Gregorius XIII. Const. 29. quæ incipit *cum officio* obligat medicos sub gravi pœna ad medicamentorum examen, proculdubio, ut probabilius adhibeatur ægroto. A fortiori tam medici, quàm infrimi, tam rei quàm judices spirituales tenentur ad electionem opinionis probabilioris; etenim prudentia Christiana, politicâ longe perfectior, postulat, ut id, quod judicatur proprius, verius, & efficacius ad salutem consequendam, eligatur, relictô minus verô, & minus efficaci, quoniam si in causis in quibus agitur de periculo corporis, aut rerum temporalium, illicitum sit sequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori, quomodo id licitum erit in causis inquibus agitur de salute animæ? sanè hoc plurimùm dolendum est, inquit Prosper Fagnanus. Quia magis formidanda est mors æterna, quàm temporalis can. *Faciat Homo* juncta glossa 22. quæst 2. & Magis Cavendum est à judice, & medico Spirituali, quàm à temporali juxta illud Math. 10. vers. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt Corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & Corpus, & animam perdere in Gehennam.*

V. Assertionem nostram sic impugnant adversarij. Operans secundum opinionem probabilem, non operatur temerè, nec imprudenter; etiamsi relinquat probabiliorem; hæc quidem opinio, aut conscientia, eo ipso, quo est probabilis, est conformis dictamini rationis, vera, ac certa; ideoque licitum est secundum illam operari. *Nego* antecendens. Quia prudentia Christiana ex D. Augustino 4. de trinit. cap. 9. consistit in præcavendis insidijs juxta illud Philosophi 6. Eth. *Prudentia est veluti oculus animæ*; ille autem, qui operatur secundum opinionem probabilem, sciens, & potens operari secundum probabiliorem, non potest existimari insidiarum præcautor; cùm se exponat periculo peccandi, seu transgrediendi præceptum, pro quo stat probabilior opinio: ut faveat libertati pronæ ad malum; & consequenter meritò imprudens est existimandus, quia in hoc casu, scilicet eligendo minus probabilem, & reliquendo probabiliorem, facit quidquid deterius facere posset, si studiosè imprudenter agere vellet in causa præsenti, ut potè in prosecutione veritatis. Ad probationem fateor opinionem, eo ipso, quo est pro-

babilis, esse conformem rationi, veram, & certam, modò consideretur solitariè, quia rationes ipsius plenè convincunt intellectum, in ejus sola consideratione detentum. Sed in conflictu probabilioris oppositæ, non est conformis rationi, nec judicio practico judicanti probabiliorem esse sequendam, & probabilem rejiciendam. Et dato quòd appareat vera (nolo asserere verum comparatum cum veriori esse falsum) non potest in tali conflictu apparere, nisi ut minus vera, seu ut veritas diminuta, in qua est periculum ut plures inferunt ex illo Psal. 11. *Salvum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à Filijs hominum.* Igitur prudentia dictat opinionem minus probabilem, seu minus veram esse relinquendam, & probabiliorem, seu veriorem esse sequendam. *Instabunt.* Opinio minus probabilis in tali conflictu est difformis, vel conformis rationi. Si primum, est improbabilis, de qua non est quæstio. Si secundum: ergo potest quis eam licitè sequi. Dico quod non est conformis, sed difformis, non positivè, ita ut intellectus judicet ipsam esse falsam, sed negativè; quia intellectus plenè demonstrat probabiliorem esse præferendam, & eligendam.

VI. Addent, homines non teneri ad id quod est melius & perfectius, sed sufficere bonum & securum. Alioquin jugum Christi non esset suave, nec onus ejus leve, cum tenerentur omnes ducere vitam religiosam quæ est perfectior, & fideles tenerentur sumere communionem Paschalem in Dominica Palmarum. Quia hoc est securius; ergo nec tenemur sequi opinionem probabiliorem. Respondeo argumentum non esse ad propositum. Quia obligatio eligendi opinionem probabiliorem, est in materia de præcepto circà quod sunt duæ opiniones, quarum una est probabilis, & negat. Altera verò est probabilior, & affirmat; in cujus serie non est opinio de vita Religiosa ducenda, nec obligatio sumendi communionem Paschalem in Dominica Palmarum. Cùm nullum sit præceptum de vita Religiosa ducenda. Et præceptum istud de communione Paschali quindecim dies comprehendat. Undè argumentum pro hac parte valeret; si opinio probabilior esset pro die Palmarum, & probabilis esset pro quindecim diebus: tunc enim communio sumenda esset Dominica Palmarum in nostra sententia. Sed probabilior stat pro spatio quindecim dierum, pro quo stat præceptum; & ideo licitè una harum dierum sumi potest Sacra communio pro adimplendo præcepto.

VII. Dicent insuper licitum est in conflictu probabilioris, & tutioris opinionis, sequi probabiliorem, relictâ tutiore; aliàs teneremur confiteri statim post peccatum commissum? eadem ratione licitum esse debet sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Ita adversarij concludunt. Sed falsa est illatio. Quia opinio probabilior est ratione conformior, quàm probabilis; tutior verò magis recedit à periculo peccandi. At in concursu tutioris & probabilioris, opinio probabilior semper remanet rationi ac veritati conformior: probabilis autem in concursu probabilioris, & quandò quis tenetur operari, & exercere aliquam actionem moralem cui subest peccandi periculum, non apparet conformis rationi; cùm judicium practicum detineatur in contemplatione probabilioris, & probabilem negativè improbet, & postponendam illam judicet. Undè cùm licitum sit operari id, quod conscientia dictat absque formidine, esse operandum, ex eo quod sit interna regula morum. Et numquam liceat se exponere periculo peccandi, sequitur quòd non licet operari juxta opinionem probabilem in concursu probabilioris, quamvis licitum sit operari secundum opinionem probabiliorem, relictâ tutiore. Quoniam operans secundum conscientiam probabilem, relictâ probabiliori, exponit se periculo peccandi, cui non se exponit operans secundum probabiliorem. Et operans secundum conscientiam probabiliorem, relicta tutiore, solùm minus recedit à periculo peccandi, quàm sequendo tutiorem, & ideo non valet paritas; cùm sufficiat recedere à periculo peccandi; & operari absque ulla formidine alterius opinionis oppositæ, & secundum conscientiam conformem rationi. Quod certò contingit illi, qui operatur secundum probiliorem opinionem, relictâ tutiori v. g. si Petrus dubitaret an domus in qua habitat sit sua, vel alterius, certum est quòd si esset obligatio semper sequendi opinionem tutiorem, teneretur reddere domum, quamvis secundum aliam opinionem rationibus fulcitam, posset eam retinere. Quia reddere domum est tutius: sed hoc esset onus intolerabile: ergo non

tenemur semper ad tutiorem, sed sufficit sequi probabiliorem, etiam in conflictu tutioris; cùm probabilior sit tuta; & à periculo remota; quamvis tutior sit magis remota; probabilis autem sit in periculi formidine.

VIII. Hanc doctrinam minimè destruit hæc celebris regula juris *in dubiis tutior pars est eligenda* cui plurimùm confidunt adversarij existimantes in hoc concursu tutioris, tutiorem esse eligendam relictâ probabiliori, quæ est minus tuta. Primò quia resolutio in opinionibus probabiliori, & tutiori, non est in dubiis, cùm ambæ sint certæ. Secundò quia in prædicta regula. Nomen *tutior* ut observant Marchantius, & Gonetus, non sumitur comparative sicut *dulcius* ad *dulce* itaut ex necessitate eligendi partem tutiorem, sequatur necessitas admittendi partem tutam. Quæ sit quid positivum respectivè ad partem tutiorem. Sed sumitur adversative, aut contrariè, quemadmodum sæpè in Sacra Scriptura sumitur comparativum *melius* ut in cap. 42. vers. 14. Ecclesf. *melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in approbrium.* In epist. 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 9. *melius est nubere, quàm uri* & in cap. 13. vers. 22. & 23. Danielis ubi Susanna à Senibus impudicis ad peccandum sollicitata, ait, *Si hoc egero mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus vestras; sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Certò his verbis Apostolus non loquitur comparativè, ita ut declaret uri esse bonum, & nubere melius, sed solum nubere esse bonum, & uri esse malum. Nec Susanna declarat peccare esse bonum, & mori esse melius, sed solum mori esse bonũ, & peccare, esse malum. In eodem sensu accipienda est prædicta regula *in dubiis tutior pars est eligenda* quia non facit istum sensum. *In dubiis tutior est eligenda, & tuta est relinquenda*, sed facit istum, *in dubiis pars tuta est eligenda, potius quàm non tuta* vel illum *in dubiis pars tuta est eligenda* Ratio hujus rei est. Quia in dubiis oppositis, qualia sunt hæc *facere hoc, est peccatum. facere hoc non est peccatum* impossibile est quòd unum sit verè tutum & aliud tutius, tunc enim unum semper est non tutum, & aliud tutum, licet solitò dicatur tutius, ut patet etiam ex frequenti usu loquendi, non enim rarò dicitur, tutius est diligere inimicum, quàm eum occidere, quin tamen occidere sit minus tutum, aut bonum, quàm diligere: ergo quamvis liceat sequi probabiliorem relictâ tutiore, non licet sequi probabilem, relictâ probabiliori.

IX. In concursu duarum opinionum æque probabilium adhibenda est diligens discusio, adhibendæ sunt quoque ad Deum preces, à quo si nulla illustratio obtineatur, illicò eligenda est ea, quæ graviores habet authores, ut olim jussit Theodosius Imperator; si verò contingat Doctores esse ejusdem gravitatis, aut momenti, ita ut nullum possit agnosci discrimen, operans eligere poterit, quam voluerit, introducere usus, aut consuetudo, ut suadet illud Genes. 29. vers. 26. *respondit Laban non est in loco nostro consuetudinis, ut minores antè tradamus ad nuptias.* Et si nullus usus fuerit, poterit eligere quam voluerit. Sed si ex illis opinionibus æque probabilibus, una sit tutior, tunc operans tenetur eligere tutiorem, quia licet non habeat rationes, quæ convincant intellectum de veritate, ut dubium deponi possit, elongat tamen à periculo peccandi, sicque debet præferri alteri probabili, & dari locus huic regulæ *in dubio tutior pars est eligenda.* Ita Silvester verbo *dubium* quæst. 2. num. 2. ubi ait. *Si detur casus quòd opinio securior sit minus probabilis notabiliter, non est eligenda necessariò, quia cessat ratio dubij. Si autem probabilitas hinc indé esset æqualis, tutior est eligenda necessariò, quandò ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis.*

XI. Verùm hæc regula juris *in dubiis tutior pars est eligenda* patitur aliquam exceptionem: quandò enim contingit utramque dubij partem esse tutam, & regulam esse sumendam comparativè, non videtur esse necessarium, quod eligatur ea, quæ est tutior, ut monet Cabassutius in Theoria lib. 3. cap. 13. num. 12. sed solùm dum sumitur in sensu explicato num. 9. scilicet illud nomen *tutior* adversativè, aut contrariè, tunc quidem necessè est sequi tutiorem; cùm opposita sit non tuta: nam si absque ulla exceptione accipienda esset, & absolutè, sequeretur quòd non liceret eligere probabiliorem opinionem, tutiore relictâ, quod improbatur ab omnibus; quia ex communissima sententia, licet sequi opinionem probabiliorem, rejectâ tu-

tiore ut tenent D. Thomas, D. Bonaventura, D. Antonius, Scotus & alij. Igitur hæc regula juris *in dubiis tutior pars est eligenda* obligat tantùm, dùm pars opposita, est *non tuta* prout in num. 9. dictum est: quoniam si adhibita omni diligentia, una pars inveniatur tuta, sequi eam quis potest, quamvis altera sit tutior, præsertim dùm ad sequendam partem minus tutam invitat hæc 65. regula juris *in pari causa potior est conditio possidentis*. Hæc enim regula in dubio favet possessori. Notanter dixi *adhibita omni diligentia*: Quia stante dubio, & non adhibita diligentia ad addiscendam veritatem, seu ad deponendum dubium, malum est eligere partem minus tutam; etiamsi id, quod eligens operatur, non sit peccatum ex genere suo, ut monet glossa in can. *ad audientiam* de homicidio. Ratio est. Quia temerè & imprudenter se exposuit periculo peccandi.

XI. Non desunt Canonistæ existimantes hanc regulam *in pari causa potior est conditio possidentis*. Habere locum in materia justitiæ dumtaxat; non autem in materia aliarum virtutum in istis (inquiunt) necessariò eligenda est pars tutior, non obstante possessione; ab illis tamen recedo. Quia tam debemus vitare periculum peccandi in dubiis legis, præcepti, restitutionis, irregularitatis, & similium virtutes concernentium, quàm in materia justitiæ. Ideoque si in materia justitiæ licitum sit sequi partem minus tutam, quia in pari causa potior est conditio possidentis, licitùm quoque erit eam sequi in aliis dubiis; cùm non magis debeamus vitare periculum peccandi in materia justitiæ, quàm in materia aliarum virtutum. Hinc est quòd hæc regula juris *in dubiis tutior pars est tuenda*, non est semper sequenda necessariò, ita ut numquam liceat sequi oppositam, seu alteram si sit tuta, ut suppono. Durum quidem est obligare ad jejunium, aut ad continentiam perpetuam, illum, qui dubitat an votum emiserit, antequam deponatur dubium: quamvis jejunare, & in continentia vivere, tutius foret. Quia pro ipso, durante dubio, stat possessio libertatis, atque præsumptio. Idem dicendum est de similibus casibus, de quibus potest esse dubium. Undè existimo prædictam regulam de tutiori parte eligenda in dubiis, obligare dum de valore Sacramentorum agitur. Quia in administratione Sacramentorum, dubia sunt relinquenda, & certa tantùm amplectenda, nè exponantur nullitati: obligat etiam, dùm dubitans potest absque magno detrimento sequi tutiorem; etiamsi pars opposita sit tuta, ut v. g. qui dubitat an hodiè sit dies festivus, tenetur audire missam: hoc enim est tutius & fieri potest sine detrimento. Si dubitetur an puer fuerit baptizatus, debet baptizari sub conditione. Et hoc est tutius, ideoque fieri debet pro securitate salutis parvuli, & sacramentorum valore. Ratio nostra est. Quia dubia opposita circa valorem Sacramentorum, non sunt ambo tuta, ita ut unum sit tutum, & aliud tutius, sed unum est semper non tutum, & si aliud appelletur tutius, hoc est adversativè; in aliis autem materiis prædicta regula non obligat: certum enim est quòd si possessor agri revocet in dubium, an ager ille sit suus, an alterius, manente dubio, non tenetur agrum alteri abdicare, quamvis hoc tutius foret, sed eum retinere potest, donec dubium deponatur, & possessor sciat agrum ad alium pertinere. Quia in pari causa, melior est conditio possidentis.

XII. Unius Doctoris authoritas non facit opinionem probabilem; ita ut licitum sit in praxim eam deducere, præcisè quia est tanti Doctoris, seclusò rationum ejus judiciò. Ita fagnanus in can. *nitaris* num. 406. ubi plures citat pro hac sententia, quam impugnant Navarrus, & Lezana, verbo *opinio* num. 3. opinionis probabilitas ex conformitate ad legem, non verò ex Doctoris authoritate est desumenda. Non nomine nec authoritate Doctoris ad scopum veritatis accedimus, sed Doctoris ratione. Idcircò non Doctor, sed Doctoris ratio legi conformis, facit probabilitatem opinionis. Igitur tàm pœnitens, quàm confessarius non debent in uno Doctore ita confidere, ut existiment se posse tutâ conscientiâ illius opinionem sequi, præcisè quia est unius Doctoris, nulla adhibita diligentia pro ejus ratione examinanda, an sit conformis legi, vel an sit aliâ probabilior. De necessitate hujus admonitionis nos plenè convincit error Martini de magistris. Qui olim docuit simplicem fornicationem non esse peccatum mortale. Nonnè confessarius, aut pœnitens, qui hunc Doctorem in Hispania aliundè celeberrimum, sequeretur tantâ famâ motus, à veritatis scopo plurimum

aberraret, & pœnitentes quos duceret simul cum ipso in foveam caderent? Confessarius, qui videt pœnitentem unius Doctoris opinionem sequentem, tenetur in conscientia opinionem illam examinare, quidquid dicant plures, quos impugnat Rodriguez. Etsi post examen reperiatur improbabilis, aut falsa, pœnitentem dimittere absque absolutione, nisi confiteatur se peccasse, habeatque propositum de cætero non sequendi illam. Quia eligendo unius Doctoris opinionem sine prævio judicio circà ipsius rationes, exposuit se periculo peccandi. An verò eadem obligatione dimittendi pœnitentem astringatur confessarius, si post examen videat opinionem præcisè propter authoritatem unius Doctoris electam, esse verè probabilem? duæ sunt sententiæ, sed affirmativa videtur mihi præferenda. Nam opinio probabilis consequens, non justificat factum præcedens, nec minùs se exposuit periculo peccandi (licet de facto non peccaverit in operatione cum illa opinione probabili) quàm si opinio fuisset falsa & improbabilis. Ideoque confessarius tenetur dimittere pœnitentem illum, nisi confiteatur se peccasse, habeatque propositum de cætero examinandi opiniones antequam operetur, an sint conformes legi vel non? indè infero contrà Dianam, confessarium teneri probabiliorem opinionem aperire in consultationibus ne exponat proximum periculo peccandi. Pariter & in tribunali, pœnitentibus ut absque ulla formidine operentur, etiamsi, id non petant, dùm pœnitentes ipsius judicio se prorsùs subjiciunt, & juxtà regulas ab ipso præscriptas vivere decernunt: tunc enim pœnitentes nullam aliam habent opinionem, nisi opinionem confessarij. Undè cùm confessarius teneatur eligere opinionem, quam probabiliorem judicat; tenetur eam aperire pœnitentibus, qui in tribunali nedùm judicandi, sed etiam docendi sunt.

XIII. Pœnitens, qui non vult abstinere se ab opere quod adhibita diligentia, operatur secundum opinionem probabilem nullâ aliâ apud ipsum existente opinione, probabiliori, est absolvendus, quamvis hæc opinio apud confessarium, & alios Doctores habeatur minus probabilis, ut docent graves Theologi, & Canonistæ. Medina in 1. 2. quæst. 19. art. 6. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ipse pœnitens non est culpabilis, prudenter operatus est juxtà dictamen conscientiæ certæ, & absque ulla formidine; cùm nullam aliam habuerit opinionem probabiliorem. Nec indè sequitur tunc Confessarium absolventem operari contrà propriam conscientiam, nec contrà probabiliorem opinionem, quam ipse tenet, quia prout sedet in tribunali practicè judicat pœnitentem hîc, & nunc, rectè dispositum, atque capacem absolutionis, ideoque conscientia absque ulla formidine dictat quòd est absolvendus, nullum quippè absolutioni ponit obicem, estque injustum illum benè in suo sensu morali fundatum, ad confessarij adigere opinionem. Si verò contingat posteà opinionem confessarij; concurrere simul cum opinione pœnitentis, quæ est minus probabilis, & ipsum pœnitentem esse convictum de majori probabilitate opinionis confessarij, tunc tenetur abstinere se ab opere illo, & sequi opinionem Confessarij; alioquin non est absolvendus. Quoniam vult liberè & sponte sua, se exponere periculo peccandi.

CAPUT XI.

Utrum contractus valeant in conscientia & si lege civili habeantur invalidi.

I. INter contractus humanos plures sunt validi in foro interiori, qui tamen nullam validitatem habent in foro externo: ut patet de promissione simplici liberaliter facta absque ulla formalitate juris civilis, quæ obligat sub pœna peccati mortalis, si res promissa sit alicujus momenti, quamvis in foro externo sit nulla. Promissio ex genere suo dat jus ad rem promissam, quod à promissario auferri non potest absque injustitia, quæ in re gravi est peccatum mortale, cùm non sit reddere alteri, quod suum est, nequè possit quis mutare consilium in alterius detrimentum ut declarat 78. regula juris in 6. Insuper frangere fidem est maximum peccatum (inde enim sequitur fundamenti omnium humanorum contractuum ruina, nimirum fidelitatis, à qua pendet humana societas.) Sed qui promissa non solvit, frangit fidem. Igitur peccat mortaliter, nisi res promissa sit levis, quam nolle dare, sit tantum

peccam

peccatum veniale. Ita Navarrus, Sotus, Lezius, & alij contrà Cajetanum, Poncium, Molinam, & alios existimantes promissionem simplicem obligare solùm ex honestate. Quanti autem valoris debeat esse res promissa, ut promissor peccet mortaliter, si eam promissario deneget. Non conveniunt Doctores. Nonnulli asserunt debere esse tanti valoris, quanti esse debet res furtiva, ut furtum sit peccatum mortale. Ita Navarrus & alij majorem exigunt quantitatem. Ita Sanchez, Caspensis tom. 2. tract. 19. disp. 2. num. 9. & alij quibus adhæreo. Quia ille, qui non dat centum nummos v. g. quos promisit, minùs peccavit, quàm ille, qui eos furatus est; ideoque materia poterit in furto sufficere, quæ tamen non sufficit, ut promissionis violatio sit peccatum mortale.

II. Major difficultas est, an ut promissio obliget in conscientia debeat esse acceptata à promissario, itaut promittens possit licitè rem promissam non offerre, si promissarius ignoret promissionem sibi factam. Plures ex nostris affirmant. Eorum fundamentalis ratio est. Quia ex sola promissione, promissarius non acquirit jus ad rem promissam. At hæc ratio non eximit promissorem ab obligatione offerendi rem promissam. Nam licet promissarius non habeat jus actuale, & possessum ad rem illam, nisi per acceptationem, habet tamen jus aptitudinale, aut fundamentale, quo privari non potest absque injustitia; cùm de facto per solam promissionem, Dominium rei promissæ ad promissarium transferatur, in quantum est in potestate promittentis. Hæc sententia est probabilior, & verior. Ita Covarruvia, Sylvester, & alij quibus adhæreo. Quia tota virtus promissionis ita pendet à voluntate promittentis, ut si volverit se obligare, maneat obligatus, etsi nolverit, non maneat obligatus. Et hoc independenter ab acceptatione, quæ solùm obligat promittentem, ad actualem translationem, aut concessionem rei promissæ: igitur promittens non potest licitè à promissione recedere, donec promissarius consensum præstet, vel præstare recuset, seu acceptet, vel non acceptet rem promissam. Certum enim est quòd qui sponte aliquid promisit, habuit animum dandi illud, si acceptetur. Ideoque nequit ab illa obligatione eximi, donec adveniat conditio, seu acceptatio, aut acceptio rei promissæ, vel cesset per denegationem rei promissæ à promissario factam.

III. Duplex est promissio: una est merè interna, & mentalis; altera verò externa actibus extremis explicita. Azorius, Reginaldus, & Bonacina docent promissionem internam, & mentalem nullam obligationem imponere sub peccato mortali, etiam in re gravissima. Quia per illam nullum jus acquiritur illi, cui promissio facta fuit seu promissario. At hæc ratio non nocet; cùm, ut dictum est supra, promissarius absque ullo actu externo, & sine acceptatione habeat jus aptitudinale ex vi promissionis liberæ. Undè altera opinio videtur mihi probabilior: nam promissio, quæ fit deo absque ullo actu externo, obligat. Debet etiam obligare ea, quæ fit homini; cùm ex parte principij sit una & eadem promissio. Nec valet objicere quod Deus intuetur cor absque ulla manifestatione externa; Homo autem externo signo indiget. Quia hæc externa manifestatio rei promissæ, aut notitia promissionis non est necessaria, ut promissio obliget promittentem, sed solùm ut à promissario acceptetur, vel recusetur, & consequenter promissio, licet sit incognita promissario, & interna, aut mentalis ligat sicut externa: hæc enim non habet vim obligandi in conscientia, nisi ex obligatione interioris, sicut actus merè exterior non maculat, nisi ratione actus interioris mali. Et actus externus bonus, non est bonus, nisi ex bonitate actus interioris.

IV. Ut promissio promittentem obliget in conscientia, debet esse libera ea libertate, quæ sufficit ad peccatum mortale: nam si sit involuntaria & coacta non obligat. Secundò debet esse vera, & sincera, seu facta cum animo promittendi, & se obligandi; cum sine consensu voluntatis, nulla actio teneat. Tertiò debet esse de re licita & honesta. Quia promissio de re illicita, jure naturali, & Canonico est irrita, & nulla can. *In malis* 22. quæst. 4. Idem suadet hæc promissionis definitio: *Est datio fidei firma, vera, deliberata, & spontanea de re licita.* q. debet esse de re propria. Quia ad veram promissionem sequitur donatio; cùm promissor teneatur rem promissam offerre promissario, qui potest illam accipere: itaut possit quis dare aliquid, duo necessario requiruntur. Primum est ut rei donandæ habeat dominium. Secundum ut ejusdem liberam

habeat administrationem quia non sufficit dominium sine administratione : ut patet in pupillis, & minoribus, qui non possunt quidquam de rebus suis donare quamvis rerum suarum sint Domini, quia carent administratione. Unde Apostolus ad Gelatas cap. 4. vers. 1. 2. ait *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt á servo cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.* Nec sufficit administratio sine Dominio : nam tutores, curatores, procuratores, quamvis eis credita sit administratio, donare non possunt ea, quæ administrant, quia carent Dominio.

V. Quamvis donatio ex natura sua sit contractus irrevocabilis, si fiat inter vivos; cum scilicet, quis ex mera liberalitate sic donat, ut etiam se vivo velit rem donatam esse donatorij; sunt tamen causæ ob quas licitè revocari possunt hujusmodi donationes. Prima est ingratitudo donatarij l. fin. de revocand. donat. An vero donatarius ingratus, seu qui actroces injurias in donantem effudit, violenter eum percussit, in inopia non aluit, & similia mala fecit, & continuò facit, possit tuta conscientia frui bonis ditis? plures affirmant talem donatarium non teneri ad restitutionem, nisi post sententiam judicis donationem irritantem. Quia inquiunt, est pæna, quæ donatoris querelam, & ingratitudinis probationem requirit. Hoc non obstante probabilius existimo donatarium ingratum non posse tuta conscientia frui donatione: ideo enim ingratitudinis probationes requiruntur, ut judex ipsum donatarium obliget ad restitutionem cum cognitione causæ, seu ut certus sit de ipsius ingratitudine, ex vi cujus lex revocat donationes, & ut donator possit juridicè bona donata reassumere. Sed in foro conscientiæ, donatarius est certus de sua ingratitudine, videt quod non habet conditiones requisitas à lege pro legitima donationis possessione, & meretur pœnam legis, seu privationem bonorum; cùm independenter à sententia judicis certus sit de ingratitudine sua. Scit insuper quod retinet eam contra donatoris intentionem : ergo debet absque ulla judicis sententia, sola conscientia judicante, subire pœnam ad quam subeundam nulla requiritur actio ex parte donatarij : est enim pœna merè privativa, aut conditio quam lex imposuit ad possessionem donationis, ut dixi supra cap. 5. in fine. Præterea donatarius nequit in conscientia donatione frui, nisi juxta donatoris intentionem; sed donator censendus est bona sua dedisse sub conditione gratitudinis negativæ; id est ea conditione ut ex donatione sibi nullum incommodum adveniret, igitur donatarius, qui donatoris intentionem fraudat, nequit tuta conscientia frui donatione.

VI. Secunda revocandæ donationis causa, est supervenientia liberorum nè paterna, quæ præcessit liberalitas vertat in horum detrimentum : præsumendum enim est in tali casu, donationem factam fuisse sub hac conditione, nimirum si non nascantur filij. Utrum donatarius teneatur donationem dimittere ante judicis sententiam adveniente nova prole, eodem modo, quo donatarius ingratus? affirmo. Quia hæc causa evocans est ex parte juris sicut ingratitudo. Et donatarius, quicumque sit, debet existimare quod si donator filios habuisset, talem donationem non fecisset, nec facere debuisset; ideoque non potest tuta conscientia uti bonis datis, sed debet præsumere, filijs existentibus, donatorem sua velle reassumere bona, eaque dare liberis suis. Ut jus naturale præcipit. Ita Valerius diff. 10. Indè quæri potest an donatio reviviscat, si filij post donationem nati, patre adhuc vivente, moriantur? nego. Quia per novam prolem fuit penitùs extincta. Et ideo non potest reviviscere, nisi per novam voluntatem donatoris. Ita Sylvester, Emanuël Sa, & alij. Tertia revocandæ donationis causa est, dum non sequitur id, propter quod donatio facta fuit. hac causa, omnes donationes conditionales, sunt revocandæ, nisi conditio adimpleatur. Imo ipso jure revocantur, & & donatori competit rei datæ vindicatio.

VII. Tandem revocari potest donatio, si sit Inofficiosa, seu si ipsa donatione stante, filij donatoris sive nati, sive supernascentes nequeant habere legitimam supra hæreditatem patris : nam dicitur donatio inofficiosa. Quia est contra officium pietatis, quæ postulat filijs legitimam esse relinquendam. Estque inofficiosa deppliciter, scilicet re tantum, & re & consilio simul. Dicitur inofficiosa re tantum, quando fit sine animo nocendi liberis. Dicitur in officiosa re, & consilio simul: Quando pater ex proposito dat bona sua in filiorum damnum. Prima est revocanda

usque ad legitimam portionem filiorum, etiamsi donatio facta fuerit Ecclesiæ, vel piæ causæ, ut notat Mastrius. Secunda autem seu inofficiosa re & consilio in totum revocari debet, ut notant communiter Doctores. Quantum ad donationem causa mortis potest usque ad mortem revocari, sicut revocari potest testamentum; nedum per expressam donatoris voluntatem, verum etiam per tacitam significationem, ut si quis rem à se mortis causâ donatam, transferat in alium ut observat Caballutius lib. 6. cap. 29. num 5. Hæc siquidem donatio habet ex jure hanc tacitam conditionem, puta si non revocetur.

VIII. Donatio inter conjuges viventes facta, est invalida, ut declarat Gregorius IX. in can. fin. de donat. Inter vir. & uxor. Ratio glossæ est *ne mutuò se amore spolient* ac proinde revocabilis est ad donatoris arbitrium. Verum si conjux donator nullatenus revocet, adveniente demum ejus morte, & altero conjugum superstite, firmatur, suumque sortitur effectum ut habetur ex eodem Canone: tunc enim cessat ratio prohibitionis, quam tradit glossa videlicet *nè mutuò se amore expolient*, Hinc est quòd conjux superstes potest tuta conscientiâ uti donatione modò alter conjux eam in vita, nec tacitè, nec expressè revocaverit. An vero donatio invalidâ inter conjuges firmetur morte Civili conjugis donatoris, v. g. exilio, professione in Religione approbata, sicut firmatur suumque sortitur effectum morte naturali? Respondeo quòd si in illo statu donator possit possidere, donatio non firmatur: nam si sit capax possessionis sive in particulari, sive in communi, v. g. Si professionem emisisset in religione cui competit jus possidendi, qui esset verè spoliatus, si donatio fieret valida, sicut valida fit per mortem naturalem: At si in illo statu mortis Civilis, conjux fiat incapax possessionis, donatio firmatur, cùm interveniat eadem causa, quæ de morte naturali, scilicet impotentia fruendi bonis. Deinde hæc constitutio de firmanda validitate donationis post mortem conjugis donatoris, est in materia favorabili; ideoque extendenda est ad mortem civilem (in sensu explicato) & conjux superstes potest tuta conscientia uti donatione, ac si alter conjux, mortuus fuisset morte naturali.

IX. Indè aliud nascitur dubium, scilicet an lex *Si tota*. c. de inofficios. Donation. Qua donatio revocatur per prolem postea susceptam se extendat ad filios naturales, vel solum intelligenda sit de filiis ex legitimo matrimonio natis? Sicut præcedens constitutio Gregorij IX. qua donatio conjugis confirmatur per mortem naturalem donatoris, extenditur ad mortem civilem? plures negant; sed opinio quæ affirmat videtur mihi probabilior. Ita Julius Clarus, & alij juristæ; licet lex loquatur de filijs ex legitimo matrimonio natis. Ratio nostra est. Quia hæc lex fundatur in obligatione, qua pater tenetur alere filium, eique relinquere jus suum naturale, sed pater tenetur in conscientia alere prolé naturalem, si possit, ut dicunt cõmunites Canonistæ: ergo donatio revocatur, si postea filius naturalis nascatur, etiamsi non legitimetur per subsequens matrimonium; plures dicunt hanc legem nõ extendi ad filios naturales, etiamsi legitimentur per subsequens matrimonium, sed volunt insuper quod ille filius naturalis legitimetur principis rescripto in quo casu (inquiunt) filius naturalis potest coram judice prosequi donationis inofficiosæ revocationem. Tamen hæc additio de legitimatione privilegio principis facta, non videtur mihi necessaria in foro cõscientiæ, ut donatarius sit in obligatione de qua dictum est supra num 6. modo certò sciat hunc filium esse filium naturalem donatoris.

X. Licet omnes conveniant testamentum posse juxta leges civiles revocari per testatorem. Disputatur tamen, an revocari possit tuta conscientia, si cum juramento factum fuerit tanquam ultimum, ut si testator jurasset se illud non revocaturum? Respondeo cum probabiliori opinione negativè. Quia juramentum semper est servandum, modò non sit contra bonos mores, & sine peccato servari possit: Igitur qui juravit se non revocaturum testamentum, peccat graviter, si revocet illud, nisi necessitate vitandi aliquod grave malum futurum cogatur; tunc enim testamentem esset revocandum non obstante juramento. Quia juramentum censeretur esse contra bonos mores, & consequenter non obligaret juxta 58. regulam juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Ita Julius Clarus, Sylvester, & alij cum quibus addo, quod

licet revocatio testamenti cum juramento conditi sit illicita, nihilominus esset valida. Secùs dicendum de religioso professo, qui testamentum condidit ante professionem. Hic enim nedum licitè, sed nec validè potest testamentum revocare. Ratio est quia post professionem nequit testari: nam omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, ideoque qui nequit testari, nec testamenta revocare potest.

XI. Disputatur insuper an testamentum conditum sine formalitatibus à lege civili præscriptis, valeat in conscientia? Covarruvias, Suares, Bonacina negant. Ex apposito Julius Clarus de testam. *quæst.* 9. Emanuel Sa, Reginaldus, & alij affirmant. Hæc posterior opinio videtur mihi tutior, & probabilior. Unusquisque enim jure naturali habet libertatem disponendi de rebus suis, & ille in cujus favorem distribuuntur, potest ea possidere, modó sit capax possessionis, eique res bona fide, & sine fraude datæ fuerint. Solemnitates à jure civili præscriptæ requiruntur, nè quid falsitatis in testamento incurrat, ut patet ex l. *quæstionem.* C. de fidei commisso. Unde ille qui habet hæreditatem ex testamento bona fide condito, potest eam tuta conscientia retinere; etiamsi juris formalitatibus careat. Tum quia ex §. *per traditionem* instit. de rer. divisione. *Nihil est tam conveniens naturali æquitati. quàm voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.* Tum quia non habet illam hæreditatem invito Domino; cùm certus sit de testatoris voluntate. Nec invita lege civili; quia certus est testamentum absque ulla fraude factum fuisse: ut supponimus, & lex civilis non intendit testatoris voluntatem irritare, sed solum fraudum suspicionem cavere. Eadem ratione asserendum est hæredem ab intestato (qui certus est de testatoris voluntate comprehensa in testamento, quod tamen est invalidum & nullum in foro fori, quia solemnitatibus juris caret) teneri in conscientia restituere hæreditatem illi, quem testator instituit hæredem, similiter, & legata.



CAPUT XII.

Prosequutio ejusdem validitatis in foro Conscientiæ.

I. QUamvis ex lege civili ubique recepta, celebrato locationis contractu, teneatur locator continuare conductori locationem usque ad præfinitum tempus. Nec valeat citra illud rem locatam repetere, quia conductor per eumdem locationis contractum, acquisivit jus in usum rei, usque ad tempus illud præfinitum. Quatuor tamen casus excipit Gregorius IX. in can. *propter sterilitatem verum invito* De locatione & conductione. In quibus potest rem locatam repetere, & conductor nequit ea frui tuta conscientia. Primus est, si conductor per biennium pensionem non solverit, modó ultra biennium res fuerit conducta. Nec de hoc conqueri potest conductor: frustra enim sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat ex 75. regula juris in 6. Secundus est conductoris abusus, ut si domum destruat, vel ibi meretrices alat, aut personas infames introducat; imo in tali casu, existimo locatorem teneri expellere conductorem ante tempus, ad vitandum scandalum, & ad tollendam occasionem mali: ad hoc quidem tenentur omnes. Tertius si improvisus casus accidat, per quem locata Domus, ipsi Domino necessaria sit pro habitatione sua, nec aliam commode invenire possit. Quartus tandem est si res locata egeat magna reparatione ut conservetur, quæ fieri nequeat ipso conductore ibi habitante, modò locator reparatione peracta, rem conductori restituere intendat.

II. Disceptatur inter Doctores, an licitum sit locare domum ei, qui putatur illâ abusurus ad peccandum? Lezius, Faber, & alij quos refert & sequitur Mastrius num. 148. affirmant, modò locator peccatum non intendat: quamvis sciat conductorem in ea fornicaturum & honestos vicinos perversurũ. Eorum ratio est, quia Dominus habet jus locandi domum suam; & ideo locat illam juxta ejus pro-

prium usum, scilicet ad habitandum; non autem ad peccandum. Si vero contingat conductorem ibi peccare, hoc est præter locatoris intentum, & consequenter non ad istum, seu locatorem (inquiunt) sed ad conductorem refundendum est peccatum. Ex adverso D. Raymundus in Summa. tit. de Negotijs Sæcularibus, Navarrus in Manual. cap. 17. num. 195. Sylvester, Rebellus, Villalobos, tom. 2. tract. 21. dif. 16. num. 3. & alij negant. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior & verior? nam ex Gregorio IX. in præcedenti numero citato. Locator potest repetere domum ante præfixum tempus, si conductor ibi alat meretrices. Imo ex dictis ad id tenetur. A fortiori tenetur non locare eam meretrici cognitæ, cùm locare ei domum, sit etiam præbere illi occasionem peccandi, quod semper illicitum esse, docent omnes Canonistæ. His adjunge neminem posse tuta conscientia locare domum exercenti artem, cui annexum est peccatum ut declarat Clemens V. in can. *Ex gravi* de usuris in 6. ubi ille summus Pontifex prohibet locare domum usurariis, alienigenis, quia locantes ad eorum peccata cooperari censentur: atqui meretricibus per se annexum est peccatum; ideoque domum locans illis peccat. Nec valet ratio adversariorum. Quia hæc locatio potius est abusus juris, quàm usus. Deindè charitas postulat, ut curemus de salute proximi, & ab ipso removeamus occasiones ruinæ, atque periculum, nè in periculo pereat: ergo non licet locare domum peccatori, si in ipsa peccare debeat, sitque honestos vicinos perversurus: quamvis intentio nostra non sit dare ei occasionem peccandi, quoniam sufficit quòd cognoscamus ipsum peccaturum, in loco ei concedendo; cum hæc cognitio reddat ejus actionem peccaminosam, nobis voluntariam: quænam enim actio est voluntaria, nisi ea, quæ fit cum cognitione finis & mediorum?

III. Sterilitas agrorum, & similium quæ locantur, casu fortuito superveniens citra conductoris culpam, est sufficiens causa remittendi ipsi partem solutionis cap. *Propter* de locatione & conductione, nisi possit compensari abundantia præcedente, vel intervenerit pactum locatoris cum conductore. Quo iste alteri pensionem integram solvere teneatur, quovis casu superveniente: his quidem suppositis, ob præcedentis abundantiæ compensationem, & pactum initum, nullum fit conductori damnum, nullumque ei restat jus cogendi locatorem ad solutionem minuendam; cum per pactum, suo cesserit juri. Si autem sterilitas mediocris sit. Tunc facienda est remissio prorata *Ibidem* hujus assertionis ratio est, quia solutio non ex propriis bonis conductoris fieri debet locatori, sed ex fructibus rei locatæ, & ex ejusdem utilitate provenientibus. Ita Bassæus verba *Locatio* 3. num. 2. Lezius, Filliucius, & alij, qui addunt eâdem ratione, locatorem posse tuta conscientia augmentum pentionis petere, quando aliquo anno, extraordinaria ubertas ex cæli Clementia, vel casu aliquo fortuito provenit: nam si aliquid pensioni detrahendum sit ob sterilitatem, æquitas etiam postulat, ut ob insolitam ubertatem, aliquid ei addatur. Huic sententiæ adhæreo (aliàs conditio conductoris esset melior conditione locatoris) nisi ex sola coloni industria proveniat hæc extraordinaria ubertas, vel ratione ejusdem ubertatis multum minuatur pretium; ita ut majorem pecuniam non accipiat conductor; quàm ordinariè solebat recipere. Quia ubertas pensionis augmentum permittens, non ex fructibus, sed ex eorumdem pretio desumenda est; cum in ordine ad solutionem in pecunia exhibendam, ponderanda sit, ut docent præcitati Doctores.

IV, Quænam sit sterilitas illa ad totius pensionis remissionem faciendam? Doctores non conveniunt. Plures dicunt sterilitatem esse magnam & sufficientem, quando ex communi judicio talis existimatur. Alij putant esse sufficientem, quando fundus non dat dimidiam partem fructuum, quos dare solebat annis proximè præteritis; dummodo per talem sterilitatem, non ita augeatur pretium, ut indè servetur idem reditus. Alij tandem tenent sterilitatem esse magnam & obligantem locatorem ad integram pensionis remissionem, quando detractis expensis, ac laboribus, fructus percepti non sufficiunt ad solvendam dimidiam pensionis partem. At licet hi dicendi modi probabilitate non careant. Existimo tamen solutione pensionis non esse prorsùs dimittendam, nisi quando nullus est colligendus fructus, ut contingit dum eluvione, hostium invasione, vel grandine segetes vastantur: tunc totius pensionis remissio facienda est; cum nihil remaneat undè conductor possit solvere expensas pro cultura, & semine factas: hæc enim non ad locatorem, sed ad conductorem pertinent;

& ideo hunc tuta conscientia ad solutioné cogere nõ potest locator, quia sic faciendo, bona ipsius conductoris habere vellet, quod est illicitum. Et nollet sustinere damnum, nec incommodum rei, cujus commodum habuit; quod est contra 55. regulam juris in 6. casu verò, quod valor fructuum expensas excedat, tempore sterilitatis, remissio facienda est. Prorata, id est ille excessus fructuum aut fructus, qui restant, deductis expensis, debent inter locatorem & conductorem dividi, ut quilibet ipsorum damni patiatur partem, ut ratio exigit.

V. Conductoris obligationes sunt, ut suo tempore pensionem solvat, nè utatur re, nisi prout locatur, & juxta conventionem. Altera obligatio est, ut rem locatam restituat integram, finito tempore, non antea. Quia tenetur stare conventioni. Undè si conductor aliter utatur re invito locatore, & ipsa res pereat, tenetur ad restitutionem. Quia peccavit contra justitiam. Dixi *invito locatore*. Nam si conductor præsumeret ipsum non dissentire, posset uti re conducta etiam ad alium usum, absque ulla restitutionis obligatione, à qua tunc eximeretur, bona fide, nisi ipse locator vellet rem sibi restitui.

VI. Minor, vel Pupillus non potest finita tutela, contractum locationis à suo tutore factum, dissoluere. Quia quæ tutor, aut curator agit, non suo, sed Pupilli, aut minoris nomine agit. Et si appellare necesse sit, etiam Pupilli nomine appellat cap. *Ex parte M. Domina* de appellatione. Et consequenter est in obligatione observandi contractum suo nomine factũ. Idem dicendum est de locationibus factis ab administratoribus Collegiorum, Hospitalium, Civitatum, atque conventuum, quibus commissa est contractuum cura. Si Dominus vendiderit alteri agrum, quem seminavit colonus, emptor non potest virtute contractûs venditionis, ipsum colonum expellere. Quia intempestivè cum damno fructuum expelleretur. Quod est prorsùs injustum: imo si locator vendendo fundum, fructus quoque vendidisset, conductor contra ipsum agere potest. Locationis vigor transit etiam ad hæredem universalem; cùm hæres in omnibus bonis testatoris succedat, & teneatur stare contractui locationis celebrato ab eo, cujus est hæres universalis. Quia in hoc casu, una eademque persona censetur cum testatore defuncto, cujus jura, & obligationes in ordine ad hæreditatem, transierunt in hæredem universalem. Secùs verò de hærede particulari, seu qui in agro, aut domo tantum succedit testatori, ut observant nonnulli. Hic enim non tenetur stare contractui locationis. Quia singularis successor non repræsentat personam locatoris, nec ipsius obligationes suscipit. Indè Doctores communiter concludunt quòd tunc conductor tenetur domum locatam dimittere ante tempus. Si hæres velit eam locare alteri. Probabile tamen judico hunc contractum non esse dissoluendum ab hærede.

VII. Conductor, qui in celebratione contractus locationis solvit pentionem, & ob solam temporis præventionem minuit de pecunia debita seu retinet sex, aut quinque nummos pro centum, est usurarius, quia hic solvendi modus est mutuum palliatum, ex quo provenit lucrum ob solam temporis dilationem, sicque conductor ille, qui debitum solvit in principio, quod solvere debebat in fine, animo retinendi lucrum, tenetur ad restitutionem, ut subtiliter notat Angelus à Clavisio in summa Angelica verbo locatio num. 22. cui adhæreo; cum in tali casu facta Conventione de pretio pro locatione solvendo, nullus remaneat titulus de lucro reportando.

VIII. Fidejussio est alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad satisfaciendum, casu quo debitor principalis solvere non possit. Cum ex glossa in tit. de fidejussor. Fidejussores sunt qui pro alienis debitis intercedunt, & fidem suam ita abstringunt, ut principali debitore non solvente, ipsi teneantur satisfacere creditori. Assignatur solitò duplex fidejussio, judicalis scilicet & extrajudicalis, seu privata. Prima pertinet ad causam criminalem, quando quis fide jubet ad constituendum reum, sub pœna pecuniaria, aut quando quis se adstrinxit in judicio se sistere reum, aut debitorem, quando opus fuerit, aut requisitus fuerit sub pœna pecuniaria; non autem sub pœna personali. Extrajudicalis pertinet ad causam civilem, ut cum quis fidem suam obligat creditori, & solvere promittit, si debitor principalis, tempore opportuno, solvere non possit. Ut hæc promissio in foro externo, & jure civili actionem pariat, debet esse in scriptis. At in foro conscientiæ, sufficit quòd sit verbalis, & expressa consensu. Fidejussor nequit à creditore magis obligari, nec ad majora, quàm debitor principalis pro quo fide jubet; cùm personam ipsius debitoris

gerat, & teneatur solum in defectum illius; potest tamen licitè arctiùs obligari v. g. cum juramento, vel cum Hypoteca, vel cum instrumento publico, ut fidejussoris obligatio teneat, sitque valida. Necessarium quoque est obligationem principalis debitoris esse validam, & licitam: nam fidejussio est invalida, quando contractus, quo debitor principalis se obligavit, est invalidus, ut si quis fidejusserit pro solutione usurarum, aut pretij promissi pro re sacra à laïco vendita, fidejussio erit nulla. Ratio est quia accessorium non tenet, dum deficit principale, ad quod sequitur, ut Archiepiscopo Mediolanensi declarat Innocentius III. in cap. *Inter dilectos §. cum igitur privilegium Henrici* de fide instrumentorum.

IX. Disputantur Doctores, an ut quis sit fidejussor possit licitè pecuniam moderatam accipere à debitore pro fidejussione? plures quos refert & sequitur Mastrius num. 163. affirmant; etiamsi fidejussor nullum patiatur detrimentum, vel periculum, molestias, aut labores fide jubendo. Ratio est (inquiunt] quia obligatio, quam in se suscipit ad solvendum pro debitore, & ad habendam pecuniam paratam ad tale effectum, est pretio æstimabilis, secluso quoque periculo. Probabilius tamen est, id licitum esse solum, dum fide jussor subit periculum solvendi, aut alias molestias, habita ratione periculi, aut quantitatis debiti, ex quibus sequitur lucrum cessans, aut damnum emergens. Quia periculum dumtaxat cui se exponit est pretio æstimabili. Etenim fidejussio est actus benevolentiæ, amicitiæ, vel charitatis, ut advertit Clavasius. Injustum est igitur aliquid accipere à debitore pro sola fide jussione, seu secluso periculo; cùm ex Apostolo charitas non quærat quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi. Ita docent Faber Stephanus à Sancto Gregorio, & alij. Hinc est creditorem non posse licitè aliquid accipere à fidejussore volente à fidejussionis obligatione se eximere, si in fidejussione nullum sit periculum. Quia hæc pecuniarum acceptio esset fidejussori purum damnum; creditori autem lucrum ex mutuo proveniens. His addo quod si contingat creditorem prorogare debitori tempus, ad quod se obligaverat fidejussor, finito primo tempore v. g. anno, fidejussionis contractus cessat & fidejussor remanet liber nisi obligaverit se simpliciter præciso tempore. Quia obligatio indeterminata existit, durante debito. Hæc obligatio se extendit ad fidejussoris hæredem, ipso fidejussore defuncto L. *potest accipi* ff. de fidejussor. Cum fidejussoris locum obtinuerit suscipiendo hæreditatem, de cujus fundo accipi debet solutio debiti, casu quo debitor non possit solvere. Hæc enim fidejussio cùm accessoria sit, sequitur naturam principalis, seu bonorum fidejussoris, qua obligatur creditori, casu quo debitor non possit solvere ex can. *pervenit* de fidejus. Debitor non solum tenetur restituere debitum quod fidejussor pro ipso soluit creditori; sed etiam damna, quæ passus est, modo ipsius fidejussoris culpa non intercesserit.

X. Pignus hic accipitur pro contractu, quo res alicui traditur ad securitatem crediti; indè plures nascuntur obligationes, quarum nonullæ ad debitorem pertinent. Et aliæ ad creditorem. Prima debitoris obligatio est, nè det alteri pignus jam uni traditum; nisi in casu quo sufficiens esset alteri creditori ejusdem debitoris, à quo datum fuit. Pignus enim ad hoc datur, ut ex ejus pretio, creditor restet indemnis, si debitor non possit solvere, aut solvere recuset. Unde si illud alteri det, non exhibita solutione, privat creditorem jure, quod habet in pignus, decipit fraudulenter unum ex creditoribus, & violat naturam, ac finem contractus, nisi sit pro illo creditore sufficiens. Secunda est, ut solvat omnes expensas quas creditor fecerit in conservando pignore, nè periret, aut deterius redderetur l. *si servus* ff. de pignor. modo expensæ illæ, necessariæ fuerint, ut notat glossa in lege citata. Quoniam si voluntariæ sint, aut utiles tantum, eas solvere non tenetur. Quia hujusmodi expensæ tendunt ad creditoris arbitrium, aut ad altiùs pignoris pretium, quod creditor sibi comparare non potest in præjudicium debitoris, ipso invito. Tertia est, ut pignus recuperari non possit ante integram solutionem debiti, ad cujus securitatem traditum fuit; cùm ipso pignore recuperato, debitum esset in primo statu, & extra securitatem. Nec sufficit quod maxima pars fuerit soluta: creditor enim pro qualibet minima parte, potest retinere illud l. *quamdiu* C. de distrac. pignor. Ultima tandem debitoris obligatio est, ut solvat debitum; quamvis perierit pignus, modo ruina absque ulla creditoris culpa advene-

rit, nisi ab ista obligatione per pactum eximatur. Ratio est, quia pignus non fuit datum creditori in solutionem debiti, sed in securitatem ejusdem, creditor autem tenetur primo curare nè culpa sua, etiam levi, pignus pereat, aut deterius fiat eadem cura, qua res suas conservare solet; cum de facto pignus, suum sit sub conditione non solutionis. Secundo non potest uti pignore cum damno debitoris; nisi sit de consensu expresso, vel tacito ipsius. Tum quia hoc est lucrum de mutuo recipere ob dilationem temporis. Tum quia per usum rès fit deterior. At vero si pignus talis naturæ sit, ut usu non pereat, aut usus talis sit, ut non tendat ad pignoris ruinam, vel deterioritatem, creditor potest eo uti moderatè ut v. g. equo nè citò posteat. Ita Mastrius, Bonacina, & alij observant. Tertio tenetur creditor restituere pignus statim post solutionem debiti, idque in eodem statu, in quo illud receperat, & si sua culpa perierit, vel deterioratum fuerit; tenetur satisfacere debitori. Quarto tandem tenetur computare in sortem fructus, si quos ex pignore perceperit cap. *conquestus* de usur. Quia quælibet res pro suo Domino fructificeat, detractis tamen expensis, & laboribus: ad illum enim ad quem expectat res, spectaret etiam ea, quæ ex ipsa re naturaliter sequuntu.

XI. Difficultas solum est inter Doctores an fructus ex negligentia creditoris amissi, sint etiam in sortem computandi. Astesanus, Bonacina & alij quos refert, & sequitur Mastrius disp. 5. num. 166. affirmant & concludunt creditorem, qui incultum agrum accepit in pignus, si non colat eum, teneri computare in sortem fructus, quos produxisset, si coluisset eum. Huic sententiæ assentior modo negligentia sit de pura & voluntaria omissione culturæ agri, aut locationis domus, vel alterius rei; hoc enim est velle libere damnum inferre debitori contra justitiam: nam si negligentia sit solum de majori cultura, aut locatione, quæ omnem possibilem diligentiam exigit, existimo quod non tenetur computare fructus indè amissos. Quia non est pignoris possessor malæ fidei, cum colverit agrum, aut domum locaverit absque ullo dolo, perceptosque redditus in sortem computaverit. Nec video unde teneatur ad summam diligentiam aut inquisitionem conductoris ob majores redditus in debitoris commodum obtinendos; nisi ex charitate, quæ non obligat ad restitutionem; ideoque creditor tenetur in sortem computare fructus perceptos, non autem eos quos ex majori ipsius diligentia pignus produxisset. Clavasius verbo *pignus* num. 12. in fine negat absolutè creditorem teneri computare in sortem fructus percipiendos, si sorti non sit satisfactum. Nec peccat non locando domum, nec agrum colendo; modo nulla adsit culpa, quia tunc non est possessor malæ fidei, & censetur velle solutionem debiti differre: non autem procurare damnum debitori. At si sorti sit satisfactum, & pignus illud retineat, peccat contra justitiam si agrum non colat, & fructus, percipiendos non computat in debitoris commodum. Ita idem Doctor. Hæc sententia est valdè probabilis, sed opposita videtur mihi probabilior & tutior: nam licet sorti non sit satisfactum, non locare domum v. g. est privare debitorem redditu & fructu pignoris, eique auferre medium solvendi debitum, quod fieri non potest sine ipsius detrimento, quod est contra justitiam.

CAPUT XIII.

De obligatione judicum.

I. NUllus potest judicium exercere; quin habeat potestatem & jurisdictionem, cùm non sit major defectus, quàm defectus potestatis. Hæcque est quadruplex, ordinaria scilicet, delegata, arbitraria, & accessoria. Prima competit judici ex officio à principe, vel à Republica instituto. Secunda ex commissione ordinarij, qui potest delegare. Tertia est ea quam quis habet ex partium consensu, quo in judicem eligitur pro lite determinanda. Quarta tandem seu accessoria est ea quam quis habet in eum, qui licet sibi subditus non sit origine, nec domicilio, sit tamen talis ratione delicti, quod intra jurisdictionis suæ limites commisit. Ut colligitur ex can. *postulasti* de foro compet. Undè, qui absque aliqua ex his jurisdictionibus se in officium judicij ingerit, nedum nulla sunt ea, quæ ab eo fiunt, ut constat ex hac 26. regula

regula juris in 6. *Ea quæ fiunt à judice si ad ejus non spectat officium viribus non subsistunt*, sed etiam ipse peccat mortaliter, & astringitur obligatione restituendi damnum, quod ex judicio sequitur, ut suadet hæc 14. regula juris in 6. *Non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet se immiscet.*

II. Præter potestatem debet habere scientiam, & notitiam legum divinarum, & humanarum, quia ut justè & debitè puniat, non sufficit illi habere testium depositionem, qua convincitur reus, sed requiritur insuper, ut judicet secundum leges; ideoque judex tenetur restituere damnum, quod ob suam ignorantiam accidit litigantibus, tam in substantia, quàm in superfluis expensis: tenetur enim in judicio servare formam à jure, & legibus præscriptam, & si eam ignoret, peccat contra justitiam, & consequenter cum obligatione restituendi; tandem judex debet esse firmus in exequenda sententia à se lata, & in omni judicio semper Deum præ oculis habere, omnes mundi illecebras despicere, atque munera juxta illud regis Josaphati monitum lib. 2. paralip. cap. 19. vers. 6. & 7. *Videte quid faciatis non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum dil'gentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptatio, nec cupido munerum.*

III. In delicto contra bonum publicum commisso, nullus judex potest remittere, vel relaxare pœnam à lege statutam, ut docent communiter Canonistæ. Quia jus naturale sancit bonum publicum esse præferendum bono particulari; sed extra talem casum scilicet dum est contra bonum particulare; diversi sunt Doctorum sensus. Plures concedunt de judice supremo, seu principe, qui cum habeat plenariam potestatem, dispensare potest in lege punitiva, etiam recusante parte, si hoc ex justa causa faciat. Huic sententiæ Lubens subscribo, modò princeps, aut judex supremus pœnam remittere intendens, satisfaciat parti Læsæ, ob damnum illatum. Quia ipse princeps non potest licitè velle damnum partis, quamvis licitè possit ob aliquam causam justum sibi notam, remittere, aut relaxare pœnam à lege taxatam. Mastrius id negat, si ille qui injuriam passus est nolit eam remittere. Quod videtur mihi superfluum. Quia pars non habet jus ad injuriam, sed solum ad satisfactionem, seu reparationem damni; nec quærit in judicio principaliter injuriæ punitionem, sed raparationem. Igitur princeps, modo satisfaciat parti læsæ, potest licitè relaxare pœnam à lege taxatam. Secùs discurrendum est de judice inferiori, qui cum non possit in lege Superioris dispensare, nec pœnam à lege taxatam relaxare; etiamsi pars consentiat. Quia à consensu partis nullum jus accipit circa legem inflictivam, ut patet in Episcopis, aliisque prælatis curam, atque jurisdictionem habentibus, qui non possunt relaxare pœnas Ecclesiasticas, quas Papa statuit pro quibusdam delictis; in quibus tamen dispensare potest ipse Papa. Ita communiter Canonistæ.

IV. Quando pœna non est certa, nec determinata in lege pro delictis puniendis, tunc judex, etiam inferior, potest eam secundum prudentiam suam imponere. Quia legislator relinquit illam ad arbitrium judicis. Hac de causa in hoc legum genere solitò apponitur hæc particula *ad arbitrium Superioris*, absque ulla pœna determinata.

V. In causis civilibus judex non potest procedere, nisi prius requisitus fuerit, nec post requisitionem judicare; quin prius litigantes ad concordiam revocare tentaverit ad vitandas expensas, ut charitas exigit. Undè dum pro causis judicandis sufficit expertorum, seu prudentum relatio; judex non potest sub pœna restitutionis damnorum, vacationum, & expensarum se transferre ad ipsa loca, nisi scripto requiratur à partibus, ut monet Caballutius lib. 4. cap. ult. n. 24. In criminalibus verò procedere potest, quin requiratur à parte offensa. Imo ad id tenetur in criminalibus reipublicæ perniciosis, qualia sunt v. g. furtum, homicidium & similia, quæ necessario punienda sunt, nè aliis tribuatur audacia patrandi similia crimina, ex quibus sequeretur ruina reipublicæ. Tunc enim procedere debet per inquisitionem, ut reus puniatur, etiamsi non adsit accusator, nec denunciator, modo constet de existentia, aut de corpore delicti. Reapsè antequam procedat per inquisitionem contra aliquem particularem; opus est ut illius aliqua præcesserit infamia cau. *inquisitioni* de accusat. quamvis procedere possit ad inquisitionem Generalem, quin præ-

V.

cesserit infamia personæ can. *perniciosa* de offic. Jud. Quia dum author delicti in communi inquiritur, nemini fit injuria. Et fit illi personæ contra quam speciatim inquiritur. Idcirco illicitum est contra certam personam inquirere, nisi præcesserit infamia, seu frequens vox proborum ac honestarum personarum, vel gravia indicia, vel semiplena probatio can. *qualiter* de probation.

VI. Semiplena probatio, est minus jurati testis non suspecti asseverantis se vidisse, aut ab ipso reo audivisse. Gravia indicia sunt fuga suspectæ personæ, statim post perperratum, vel detectum crimen; modò gravis præcesserit inimicitia cum aliis conjecturis conjuncta, ut sunt querelæ, minæ &c. Inventio rei furto ablatæ penes aliquem, & similes circunstantiæ, quæ reum indicant, quæ licet ad judicium non sufficiant, nihilominus sufficiunt ad inquisitionem rei; prædictæ conditiones necessariò præmittendæ sunt, nè diffametur homo, & in grave discrimen absque sufficienti causa coniiciatur. Nam ut inquit Ostiensis, circa infamiam cautè procedendum est. Quia sæpe à malevolis, & calumniatoribus, aut levibus oritur. Judex in omni causa justum tenetur proferre judicium; alioquin nedum peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionem damni illati; quamvis plures sint in judicio judices, & ipse fuerit in suffragio ultimus, seu omnes alij reum injustè condemnaverint. Quia ex justitia rectum tenebatur dare judicium, aut suffragium, & ex suffragio istius ultimi, & ex aliis unum efficitur judicium, quod est unica causa effectiva damni. Deinde quilibet judex tenetur admonitionibus (si fieri possit) revocare injusta Collegarum judicia, ut notat Cabassutius lib. 6. cap. 16. num. 2.

VII. Disputatur an judex, facta inquisitione, & testibus auditis, teneatur condemnare illum, quem ipse privata scientia certò sit esse innocentem: quamvis per testes legitimè, & in forma iuridica probetur reus criminis? D. Thomas quæst. 67. art. 2. Sotus, Valentia, Reginaldus, Navarrus & alij affirmant. Ab hac sententia tamen recedo: & existimo quod nunquam licet judici proferre sententiam contra eum, quem certò scit esse innocentem. Tum quia hoc repugnat naturæ, dictamini conscientiæ, & officio judicis, qui tenetur procedere secundum justitiam, quæ cum tribuat unicuique quod suum est, non potest velle mortem innocentis. Tum quia repugnat juri divino: etenim occisio innocentis est intrinsecè mala, & à Deo prohibita Exod. 22. *insontem & justum non occides*. Tum quia judex debet propriæ scientiæ, ac cognitioni omni ex parte certæ postponere cognitionem alienam, quæ est testium. Quia notitia propria est certior scientiâ testium: cùm de ista; non autem de propria dubitare possit. Tum denique quia testes, qui contra reum falsa deponunt, peccant, & tenentur ad restitutionem damni quod ex judicio patitur ille, quem accusant: ergo judex, qui certò, & infallibiliter scit depositionem testium esse falsam, non potest tuta conscientia condemnare illum, quem testes falsò accusant; cùm illicitum sit perversæ intentioni adhærere. Hanc sententiam tenent. Filliucius, Rosella, Mastrius Panormitanus, Toletus, Angelus, & alij.

VIII. Ratio adversariorum est hæc. Judex est persona publica gerens vicem communitatis; ideoque tenetur uti notitia publica, quæ habetur secundum allegata, & approbata; aliàs judicibus aperiretur via ad non castigandos reos, quantumvis eorum crimen probaretur, quia facilè dicere possent, quod ipsimet privata scientia cognoscerent esse innocentes, quod esset maximum inconveniens in Republica. Ergo judex tenetur condemnare reum, qui per testes probatur reus criminis, licet judex privata scientia sciat ipsum esse innocentem. Respondeo Judicem non debere uti notitia publica, dum scit in conscientia, & in rei veritate, quod est falsa, quamvis sit persona publica. Ideo enim ex regula generali, debet judicare secundum allegata, & approbata, & in ore duorum, vel trium ponere omne verbum, ut servetur veritas, & nè in judicio erretur, vel potius nè innocens puniatur, atque nè reus maneat impunitus. Necessitas testium non potest alium habere finem: nam judicium non est à dispositione testium effectivè, sed solum instructivè: ergo dum judex certus est, quod errat, nec veritatem servat in judicio, si judicet secundum allegata, & approbata per testes, tenetur non judicare nè innocens moriatur. Quia testes proprio prævaricantur officio: obligatio enim qua judex astringitur ad audiendos testes, non est ut ipse in omni eventu judicet juxta ea, quæ allegant. Ita ut non possit aliter judi-

care; sed ut ab ipsis accipiat scientiam, aut notitiam delictorum, quam non habet, nec à se ipso habere potest. Neque indè aperiur judicibus via ad non castigandos reos. Imo clauditur ad puniendos innocentes; cùm potiùs de æquitate & justitia judicis præsumendum sit, quàm de veritate testium. Quia in criminalibus sæpius videmus testes contra veritatem exponere, quàm judices contra allegata, & approbata judicare.

IX. Ex his aliud dubium inferunt Canonistæ, scilicet an judex possit condemnare illum, quem certò scit esse reum criminis, licet non comprobetur per testes, vel alias legitimas probationes? Respondeo negativè. Quia tunc crimen censetur secretum, & occultum; cùm judici dumtaxat notum sit, & consequenter extra judicium: nam sicut in præcedenti dubio, illicitum est judicare secundum allegata, & probata, quia ex ibi dictis innocens punitetur, ut vere reus. Ita pariter illicitum est judici condemnare contra allegata, & probata. Quia videretur punire innocentem, & publico præberet scandalum; cum posset reputari crudelis. Undè tenetur judex in isto casu abstinere se à sententiæ prolatione, sicut in casu præcedenti. Quia ad prolationem sententiæ requiritur conformitas testium, & judicis simul ad veritatem facti, quæ nec in illo, nec in isto casu reperitur. In primo dubio judex scit accusatum esse innocentem, & testes sciunt eumdem esse reum. In secundo judex scit illum esse reum, & testes sciunt eumdem esse innocentem: ideoque non est conformitas judicis & testium ad veritatem facti, ut possit proferri sententia.

X. Crimen potest deferri ad judicem per viam accusationis, vel denunciationis can. *super his* de accusat. directus criminis accusator non potest admitti, vel audiri nisi postquam inscripserit, ac promiserit suscipere in se onus probandi crimen, quod si non probet, debet ex jure pati pœnam talionis. Can. *quisquis* can. *qui crimen* 2. quæst. 8. Denuncians verò non tenetur se inscribere pro juramento calumniæ, nec probare delicta quæ denunciat, sed sufficit quòd aperiat indicia, quibus judex ad ulteriorem inquisitionem faciendam moveri queat. Correctio fraterna debet necessariò præcedere accusationem, vel denunciationem judicialem, modò sit probabilis spes emendationis. Quia accusatio fieri debet cum minori detrimento famæ proximi, quo potest: unicuique enim mandavit Deus de proximo suo Ecclesiast. 17. vers. 12. ideoque si reus moneatur antequam denuncietur judici, fortè conservabitur ipsius fama. Et si sit spes emendationis, denuncians suum assequetur finem, scilicet delinquentis correctionem, quam intendere debet ut mandat Christus Math. 18. dicens *Si peccaverit in te frater tuus vade, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tùm*: ergo non licet accusare reum coram judice; quin præcesserit correctio fraterna. Ita D. Thomas, Scotus in 4. dist. 15. q. 4. Adversarij sic insurgunt. Finis accusationis, vel denunciationis coram judice est punitio criminis, aut publica vindicta delicti. Quare accusatio sæpe fit de delicto, de quo reus jam est emendatus & contritus. Ideoque potest quis licite accusare reum, vel denunciare eum judici, absque ulla prævia admonitione. Ita Navarrus & alij. Respondeo argumentum probare hanc obligationem præmittendi admonitionem ante accusationem, vel denunciationem, non esse ex debito justitiæ, nec ex natura accusationis judicialis: ita ut accusator, aut denunciator teneatur ad restitutionem damni quod patietur accusatus, sed non probat non esse ex debito charitatis, quæ operit peccatà, & quærit delinquentis emendationem, dum sperari potest. Ita Filliucius, Lezius, Bonacina, & alij, qui nostram tuentur sententiam.

XI. Licitum est denunciare judici delictum occultum præmissa correctione, & hac non audita; quamvis nullo modo probari possit, quando ex occulto illo delicto, aliquod malum spirituale, vel temporale imminet, quod solius judicis authoritate impediri valet, & delinquens emendari. Alioquin sequeretur istud præceptum Christi Math. 18. vers. 17. *Si non audierit dic Ecclesiæ* non posse licitè observari, pariter nec illud Pontificium de confessario sollicitante in tribunali mulierem ad turpia, denunciando, quod est falsum. Ita plures quos impugnat Lezius. Cujus ratio est. Quia delictum quod nequit probari, nequit puniri, & consequenter nec est denunciandum; cum ex ejus manifestatione, nihil aliud sequatur, nisi delinquentis infamia quam aperire est contra justitiam ac Charitatem. At non nocet hæc ratio. Quia licet non possit juridicè puniri,

potest nihilominus impediri authoritate judicis. Vel timore ipsius delinquentis; qui cum viderit se notum à judice, vel prælato, certò timebit. Moneo tamen in hac materia judicem, aut Prælatum teneri ad exactam observantiam ordinis à Christo prescripti pro correctione fraterna, & modo charitativo se gerere, nè diffametur accusatus.

XII. Nemo tenetur regulariter loquendo accusare reum coram judice, exceptis casibus infra deducendis; quia in ijs omnibus, quæ ex omissine accusationis juridicè timenda sunt, per denunciationem juridicam potest sufficienter provideri: nam ex jure, inscribere, ut accusatio requirit, est obligare se ad pœnam talionis, seu ad eamdem pœnam (si nulla sit probatio) quam reus convictus incurreret, ut jam monui. Ad quod absolutè nemo tenetur ob plura, & graviora mala, quæ advenire possunt accusatori ratione periculi deficiendi in probatione delicti ex defectu, vel malitia testium; maxime cùm ad publicum bonum satis sit deferre crimen judici publico, per simplicem denunciationem.

XIII. Sunt tamen casus in quibus præcipitur accusatio illis, qui legitimas delicti probationes habent, si non sit alia via ad vitandum damnum publicum v. g. in crimine hæresis, in crimine læsæ majestatis, proditionis, falsæ monetæ, incendij, &c. In quibus casibus tale crimen sciens, & probare potens, præmissa correctione, & emendatione insperata, tenetur accusare, vel saltem juridice denunciare reum, dum hujusmodi crimina sunt in fieri. Unusquisque enim tenetur impedire malum publicum. Si vero delictum sit commissum, & reus contrictus & emendatus, ita ut nullum supersit periculum damni, sciens non tenetur accusare, nèc denunciare reum judici, nisi fortè de illo juridicè interrogetur, & præcesserit infamia, vel indicia: in tali si quidem casu reus respondere teneretur ut docent Lezius lib. 2. cap. 30. dub. 6. n. 49, Sotus, Azorius, Bonacina, & alij asserentes quod unicus testis juridicè interrogatus in materia criminalis accusationis, vel denunciationis tenetur aperire judici veritatem. Quia inquiunt suppeditabit semi plenam probationem, ex qua poterit reus juridicè interrogari, carcere concludi, torqueri & similia pati, undè tandem criminis cognitio haberi poterit.

XIV. Quantum ad grave damnum alicui personæ particulari imminens, ille qui scit hujusmodi malum, quo vita proximi periclitatur (præmissa semper correctione fraterna) tenetur denunciare judici virum iniquum, ut correctione sua secreta malum impediat, vel admonere illum in quem insidiæ parantur, ut sibi caveat; tacendo tamen nomen illius iniqui, nè peccet contra charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Ita plures quos citat & sequitur Mastrius disp. 6. num. 35. *dices* peccabit etiam contra charitatem revelando judici per denunciationem. Nego; tunc agit ex vi præcepti correctionis, & dicit Ecclesiæ, quia non fuit auditus à delinquente.

XV. Illi qui non accusant, vel non denunciant delinquentem judici, si illum ex officio accusare teneantur, ut jus, aut bonum publicum servetur quales sunt fiscalis, custos silvarum, & gabellarum inspectatores, gubernatores, & alij officiales, qui ex officio tenentur accusare delinquentes contra bonum publicum, peccant mortaliter, cum obligatione restituendi pro damno illato ex omissione accusationis. Quia violant justitiam ut dicunt communiter Canonistæ. Cum quibus, tamen duo sunt excipiendi casus, in quibus non peccant, nec tenetur ad restitutionem. Primus est quādo delinquens peccavit ex mera ignorantia, aut ex gravi necessitate, vel infirmitate; tunc enim præsumendum est: quod sufficiet admonitio, quam Charitas postulat antequam reus accusetur. Præsumendum est etiam legislatorem nolle punitionem eorum qui taliter agunt; alioquin vellet per legem destruere Charitatem. Quod est omnino improbabile. Secundus est quando delinquens est defamilia, Domesticus, vel amicus legislatoris. Quia præsumendum est legislatorem nolle eorum punitionem in rigore justitiæ; Ideoque in his casibus non tenentur accusare, vel denunciare coram judice transgressores.



CAPUT XIV.

De reo, & testibus coram iudice.

I. JUxta omnium Canonistarum, atque Theologorum sententiam, ac interpretationem in varios textus, præsertim in can. *Qualiter & quando*. Can. *Cum oporteat* de accusat reus à judice quidem; sed non juridicè, seu secundum formam juris interrogatus de crimine suo, non teneturin conscientia fateri illud. Quia ex jure, judex qui non procedit servato juris ordine, nullam imponit reo obligationem aperiendi veritatem. Interrogatio juridica, seu servato juris ordine, est quandò præcessit infamia contra reum circa illud crimé, dequo interrogatur, eaque probatur per duos teste omni exceptione majores, & quæ nullatenus provenit ex malevolentia, quandò contra reum sunt gravia inditia, circunstantiæ, & conjecturæ, vel quandò contra reum est semiplena probatio, seu unius testis non suspecti depositio. Vel quandò interrogatio fit à judice, qui habet potestatem, & hanc non impeditam: Etenim, his omnibus remotis, interrogatio non est juridica, etsi reus cogatur à judice (quandò fieri non potest sine peccato) nec possit ab illo per oppellationem declinare, potest veritatem dissimulare, & ambiguè respondere, non tamen mentiri. Quia mendacium est semper illicitum. Similiter non tenetur reus confiteri quando dubius est, an judex interroget juridicè. Quia in dubijs melior est conditio possidentis. Ita omnes Doctores.

II. Difficultas est in modo dissimulandi veritatem, aut respondendi in tali casu, aut se defendendi sine mendatio. Si reus taceat, id silentium reputabitur affirmatio, & sic non se deffendit, & judici æquivalenter apperit veritatem, quam non tenetur aperire. Si loquatur, & velit loquendo, veritatem tacere (ut potest, cùm aliud sit veritatem tacere, & aliud mentiri) difficile poterit evadere periculum revelandi delictum. Undè existimo cum Doctore subtili in 4. dist. 25. quæst. 4. art. 3. litt. 9. (quem sequuntur communiter omnes scotistæ tam scholastici quàm Canonistæ, & ex extraneis Navarrus, Henriques, & alij quos referet Villalobos) quod tunc reus potest tutâ conscientiâ & sine mendatio, Sic respondere. *Non feci* vel *non commisi crimen hoc*. Probatur primò. Non mentitur sic respondens judici contra formam juris interroganti; quippecum hæc interrogatio sit iniqua, neminem obligat. Judex ille, qui non potest tutâ conscientiâ, nec debet interrogare reum, ex respectu ejusdé quasi persona; quæ non habet jus interrogandi, & consequenter reus non est in obligatione respondendi. Undè cùm reus in tali casu non teneatur aperire veritatem, & urgeat justa ratio, potest uti amphibologijs; quin mentiatur, dicendo *nescio* cum hac restrictione, *ad revelandum tibi*, ut legimus de Christo tum asserente, sine alio additamento, se nescire diem judicij Math. 24. vers. 36. *de die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus pater*. Tum fingente coram discipulis euntibus in quoddam castellum nomine Emmaus, se longiùs ire 4. vers. 28. nec mentitur dicendo *non commisi crimen hoc*, modò in mente habeat hanc restrictionem, *in judicio probabile aut de quo juridice accusari, aut denunciari possim*. Quia non negat absolutè crimen, sed solùm ut publicum: nec negat absolutè se esse reum, sed solùm se esse reum publicum, & revera non est publicè reus; ideoque non mentitur, sed occultat veritatem: licet enim non exprimat rem ut est in se; tamen non exprimit eam aliter, ac est in se, ut ad mendacium necessariò requiritur; cùm de facto, si sciat se commisisse crimen, non sciat ad revelandum illud unicuique. Et si negat se commisisse crimen hoc, neget se commisisse cum infamia, aut publicè. Quod verum esse iterum probo.

III. Ut quis non mentiatur, non est necessè quòd interroganti ita respondeat, ut revelet ei, aut manifestet id, quod petit; sed requiritur quód verbis negare intendat eam veritatem, quam ipse loquens cum altero, concipit; alioquin sequeretur quòd liberè respondere extra propositum esset mentiri. Quod est falsum. Sed reus, de quo agitur, respondens se non commisisse crimen hoc, vel se nescire in sensu explicato, non intendit negare veritatem: seu se commisisse crimen, sed solùm se commisisse illud publicè proban-

dum: revera non respondet interrogationi, sed non exprimit, nec intendit exprimere falsum: nam licet non dicat omne id, quod habet in mente, neque omne id, quod scit, tamen id quod dicit non est contra mentem suam, cùm sit verum, & sciat, aut intendat quod dicit: ergo non mentitur. Quia mentiri est ire contra mentem, non illius qui interrogat, sed illius qui respondet, seu loquentis.

IV. Contra assertionem sic objici potest. Reus interrogatus quamvis contra formam juris, tenetur revelare crimen. Primo nè impediat punitionem justam, quam resplubica debet infligere reis. Secundo nè per negationem criminis accusator notetur calumniâ. Certum enim est, quod si neget non poterit puniri, & accusator reputabitur Falsarius. *Respondeo* negando suppositum. Primò quia respublica non debet punire omnia crimina absolutè, sed solùm ea, quæ possunt puniri secundum ordinem justitiæ, seu quæ sunt allegata, & probata; inter quæ non est crimen de quo agitur; quod nequit puniri in forma juris, ut supponimus, & sit adhuc in foro interiori; de quo non potest respublica judicare. Secundo quia accusator reputabitur calumniator sua culpâ: debebat enim proponere accusationem secundum formam juris, scilicet cum probationibus legitimis; ideoque non accusato (qui Innocentiam suam defendit in publico) sed sibi imputare debet infamiam, quæ sequitur ex defectu convictionis rei.

V. Non desunt Canonistæ existimantes reum non teneri revelare veritatem contra se, quoties juridicè interrogatur, & præcedunt omnia in jure requisita, quandò ex confessione criminis sequi debet pœna temporalis. Ita Panormitanus, Armilla, Sylvester, Mastrius, Angelus & alij. Verùm sententia opposita est communior, ac probabilior, atque in praxi sequenda. Reus enim tenetur respondere & confiteri veritatem judici debitè, ac juridicè interroganti; etiamsi immineat pœna temporalis. Ita D. Thomas, 2. 2. quæst. 69. art. 1. Sotus, Paludanus, noster Villalobos lib. 2. tract. 16. diff. 1. Covarruvias, Navarrus, Lezius, noster Aretinus, & alij. Ratio est, quia judex juridicè interrogans imponit reo obligationem respondendi; quippecùm sit superior legitimè præcipiens, reus qui est inferior tenetur respondere, & veritatem facti illi manifestare. Insuper judex habet potestatem torquendi reum, ut verum fateatur. Poterit igitur eum obligare, ut respondeat; aliàs judex injustæ torqueret eum, si non teneretur respondere. Nec durum est accusatum teneri ex necessitate salutis, crimen publicè confiteri, illud que revelare judici. Quoniam hoc meritò patitur, estque sua sorte dignus. Nec valet dicere cum adversarijs legem humanam non obligare in tanto incommodo. Cùm lex inflictiva pœnas statuat; & volendo finem, vellit media ad finem, scilicet ad judicium, cujus medium, est delicti declaratio: nam legislator qui habet potestatem obligandi judicem ad interrogationem, habet etiam potestatem obligandi reum ad responsionem, ac veritatis manifestationem. Quia interrogatio &, responsio sunt veluti duo correlata.

VI. Confessarius rei juridicè, & secundum formam juris interrogati ac convicti, sed renuentis suum coram judice crimen fateri, etiam in mortis articulo, ita operari debet inquantum potest, ut reus suum crimen judici interroganti declaret. Sed si hoc ei persuadere nequeat, non est absolvendus, quidquid dicant Lezius, Sanchez, & alij. Quia donec sententia mortis executioni demandetur, reus est sub judicis potestate, & perseverat ejus obligatio ad revelandum judici crimen propter quod condemnatus fuit: nè moriatur in peccato mendacij. Et consequenter non potest absolvi durante legem violandi voluntate, seu existente ipso reo in negatione declarationis delicti, quod declarare debet sub mortali, ut dictum est supra. Ita docent Cabassutius lib. 4. cap. 6. num. 3. Mastrius disp. 6. num. 48. & alij

VII. Ad sufficienter probandum in judicio, reumque convincendum, duo testes conformes, & non suspecti sufficiunt, ut patet ex jure, & ex varijs Sacræ scripturæ locis deuteron. 19. vers. 15 & Math. 18. vers. 16. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Nullum testem teneri ex justitia offerre se ad testificandum, omnes concedunt. An vero ad id teneatur saltem ex charitate, aut alia virtute? communior opinio respondet affirmativè contra paucos existimantes nullum esse præceptum obligans

sub mortali ad spontè testificandum. Ratio nostra est, quia charitas obligat ad impediendum grave damnum proximi, & reipublicæ: ergo quandò testificatio sola illud impedire potest, hæcque haberi nequit, nisi sciens se offerat, existimo quòd ex charitate tenetur se offerre, si penitus ignoretur; licet non requiratur, modò testis possit sine detrimento probare ea, quæ allegaverit, & necessarium sit reipublicæ, quòd reus detenetus convincatur de delicto, de quo apud judicem accusatus fuit. Id verum esse probat usus monitorij.

VIII. Testis à judice interrogatus, servato juris ordine, tenetur veritatem sibi cognitam revelare, nedum ex obedientia, qua legitimo Superiori parendum est: sed etiam ex justitia, quæ præcipit testes esse audiendos, & juxta ipsorum depositionem, reos judicandos. Undè testis requisitus, & citatus, qui dicit falsum, vel tacet verum, tenetur restituere parti lesæ damnum quod indè illi advenit, si delictum plenè probare potuerit; cùm omissio probationis sit causa damni. Sunt tamen aliqui casus, quibus occurrentibus non tenetur aliquis testificari; etiam requisitus, citatus, & sub pœna censurarum Ecclesiasticarum obtestatus. Primò si sciat per secretum naturale & fiduciarium ab ipsa parte, quæ consilij, vel opis implorandæ causâ aperuerit delictum, ut contingit de advocato, Medico, Chirurgo & similibus personis, quæ secretum servare tenentur. Quia sunt personæ publicæ ex officio, ad quas miseri confidenter accedunt, ut ab ipsis solatium, ac remedium accipiant ad sublevandam miseriam, quam patiuntur. Hic obiter observa, hanc exceptionem non habere locum, si reus suam malam significaverit voluntatem ante admissum delictum. Quia illicitum est captare consilium ad malè agendum. Nec quandò necessarium est illud revelare ad grave reipublicæ, vel proximi damnum avertendum. In tali enim casu licet testi, tale secretum detegere; etiamsi jurasset se nulli dicturum. Quia tale juramentum non obligat; cùm sit contra charitatem, & bonos mores. Indè sequitur testem excusari etiam quandò ex revelatione ipsi, aut ei conjunctis personis grave damnum adveniret. Secundò si sciat rem de qua interrogatur, fuisse factam sine culpa mortali, vel propter ignorantiam, vel ob aliam circunstantiam, quæ delinquentem à peccato excuset in foro conscientiæ. Tertiò si rem audivit à viris levibus non sat fide dignis, vel rem didicit per injuriam v. g. aperiendo litteras, aut alium ad revelationem cogendo. Quartò si sit consanguineus, vel affinis delinquentis in gradu matrimonium impediente. Vel si sit de familia, aut Domesticus ejus, qui deliquit. Quintò tandem quandò scit rem ex auditu, seu à fide dignis, qui jam deposuerunt: hujus enim superflua esset depositio.

IX. Testis requisitus, & citatus potest pro labore itineris, pro expensis, pro lucro cessante, vel damno emergente, aliquid pro testimonio ferendo accipere. Quia unicuique licet sibi consulere. Hæc ratio non valet pro falso testimonio faciendo: tunc enim nihil accipere valet, quia ordinatur ad finem intrinsecè malum. Etsi aliquid acceperit pro itinere, & similibus ante depositionem falsam, tenetur illud restituere. Dixi *ante depositionem*. Quia si pecuniam receperit post factum testimonium falsum, absque ulla prævia conventione de pecunia danda, non tenetur ad restitutionem. Quia pecunia data ob turpem causam factam, non est restituenda illi, qui eam turpiter dedit: obstat enim propria turpitudo. Secùs verò sentiendum est de pecunia data, & accepta pro testimonio ferendo præcisè, seclusis labore, expensis, & alijs ut jam monui: hæc quidem pecunia pro solo testimonio accepta, debet restitui, quia testis requisitus, & citatus tenetur ex justitia respondere legitimo judici juridicè interroganti, eique veritatem facti aperire; idcoque tenetur ad restitutionem eorum, quæ accepit pro dicenda veritate. Sic Molina, Delugo & alij contra Bonacinam, Sotum, & Valentiam asserentes, quòd testes ex sola charitate tenentur testificari, & indè concludunt non ligari restitutione, sed solùm culpâ mortali.

X. Falsus testis etiam per veri suppressionem in præjudicium partis, nedùm peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionem damni, modò in illud efficaciter influxerit, id est modò fuerit condemnationis author per suam depositionem. Hanc circunstantiam addo. Quia si contingat anteriores testes admissos sufficienter eadem calumniâ reum onerasse, adeo ut iste adventitius, & supernumerarius, condemnationem ab alijs dudum

efficaciter causatam, non auxerit, non potest censeri condemnationis author, nec ad eam reparandam astringi. Quia malum, hanc ultimam depositionem præcedit, & consequenter illi imputari nequit. Nisi iste supernumerarius testis cum alijs; qui præcessere testibus, aut cum accusatore ipso conspirasset: sic enim esset concausa damni illati, sicut quilibet testis anterior: habuisset enim cum alijs eundem finem, nimirùm accusati damnum, & ruinam effectivè, id est ab ipso, sicut ab alijs, finis fluxisset.

XI. A peccato mortali, & restitutione excusatur testis, qui in judicio falsitatem alteri damnosam dicit, putans tamen ex memoriæ confusione verum dicere, modò moralem ad recordandum, & debitè testificandum adhibuerit diligentiam; alioquin ignorantia, aut memoriæ confusio esset vincibilis, atque supina à peccato minimè excusans. At si postea se falsum deposuisse animadvertat, tenetur in conscientia partem pro qua testificatus est, admonere, ut restituat pro damno, quod ex falsa depositione provenit, vel bonum quod ex ipsa accepit, si verò hæc pars admonita neglexerit, aut neglectura certò prævideatur, testis tenetur in conscientia testimonium suum coram judice revocare. Quia debet omnem ad reparandum damnum adhibere diligentiam. An vero ipse testis, qui ex memoriæ confusione falsitatem dixit, teneatur restituere, si pars pro qua testificatus est, restituere recuset, aut non possit *Respondeo* negativè. Quia falsum deposuit ex animi errore inculpabili. Cùm memoriæ Lapsus sit merè naturalis, eoque tempore invincibilis: ergo non tenetur ad restitutionem: ubi enim damnificatio fuit inculpata, nullus & pœnæ, aut obligationis restituendi locus. Deniquè testis, qui sine culpa falsum deposuit, non debet astringi tanta obligatione, quanta astringitur ille, qui malitiosè falsum deposuit: sed iste tenetur omne indè resultans damnum reparare etiam cùm propriæ vitæ periculo: ergo ille ad hoc non tenetur. Quia ex 23. regula juris in 6. *Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: Sed in eo nulla est culpa, ideoque non est puniendus pœnâ restitutionis, aut reparationi damni involuntarij.

XII. Quandò ex falsa depositione aliquis versatur in periculo vitæ, testis, qui falsa deposuit, tenetur in conscientia judicem certum facere de falsitate depositionis, omnemque operam adhibere, ut reum eripiat à morte, etiam cum propriæ vitæ periculo. Justitia enim exigit, ut Innocens eripiatur cum damno delinquentis, si aliter occurri non possit. Quia in pari casu, potior est innocentis conditio, quàm falsi testis, qui suâ culpâ innocentem ad tantum periculum adegit. Eadem ratione fretus, existimo cum Medina, Cabassutio & alijs contra Navarrum, quod Petrus v. g. qui Paulum occidit, tenetur seipsum prodere cum periculo vitæ, si Joannes sit de tali homicidio accusatus, incarceratus, & ad mortem damnatus, nec sit alia via, quâ Joannes falsò accusatus liberari possit: nam ex justitia, pœna reo est infligenda, non vero innocenti, qui non est in culpa ob quam justitia pœnam infligit.

XIII. Hic tamen obiter observandum est, quod supra dixi *Si non sit alia via* quia Petrus potest apud publicum notarium se accusare coram testibus, & statim fugere, aut per privatam scripturam à se, & testibus subsignatam rem sicuti & revera declarare, & presbitero quasi confessario mandare, ut postquam fugam capessiverit, scriptum illud apud judicem consignet, qui actum presbitero juridicum expediat ejus consignationis. Hæc sunt monita Cabassutij lib. 4. cap. 5. num. 6. id olim factum fuisse refert historia tragica de quodam falso teste Manuascensi, qui existens in articulo mortis scripturam consignavit confessario suo, quo reum se accusabat, ut innocentem falsò accusatum liberaret à morte, à quo de facto liberatus fuit; sed si hujusmodi media deficiant, ita ut non sit tempus instruendi hæc omnia, Petus, qui est injustus occisor, tenetur seipsum deferre, ut innocentem seu Joannem falsò accusatum eripiat, nisi homicidium factum fuisset sine culpa mortali, ut v. g. si Petrus occidisset Paulum, se vel sua adversus eumdem defendendo, ut monet idem Doctor. Ratio nostra est. Quia tunc Petrus esset reverà occisor, sed justus & inculpabilis. Ideoque innocens, sicut Joannes, saltem in foro conscientiæ.

XIV. Testis qui se abscondit, vel fugit, aut aliqua arte, vel fraude utitur, ut testimonium evitet, sive antè, sive post legitimam, atque juridicam citationem, peccat nedum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, cum obligatione restituendi damnum, quod ex illa testimonij omissione

omissione provenit. Ita Reginaldus, & Azorius, Navarrus, & Emmanuel Sâ, qui de tali teste discurrunt, sicut de illo, qui scripturam ad judicium causæ pertinentem malitiosè occultaret, vel locaret. Nec obstat dicere eum adversarijs testem non teneri ex justitia offerre se ad testificandum: non obstat inquam. Quia aliud est non se offerre, & aliud fugere, aut testimonium evitare. Quia stante primo, potest citari, & audiri cùm possit vocari à judice, ac requiri; at stante secundò, seu fugâ, id fieri minimè potest.

CAPUT XV.

De jure appellandi de judicio.

I. CUm appellatio sit quædam species deffensionis, debet esse de jure naturali, sicut ipsa deffensio. Omnis enim qui se gravatum prætendit, appellat ut à gravamine liberetur. Quod est naturale. In jure Canonico appellationi conceduntur decem dies, qui sunt computandi à die notificatæ sententiæ. Et hoc de momento ad momentum; idest, si primâ die mensis horâ octavâ lata fuerit sententia, appellatio debet fieri antequam expiret hora octava matutina diei decimæ ejusdem mensis; ut monet glossa in can. *non solum de appellat.* in 6. verbo *infra* (in regno Francico ille qui se gravatum prætendit, appellare debet intra dies quadraginta (comparandos à publicatione sententiæ) extra quos non datur recursus ad appellandum; supersunt tamen alia juris remedia, ut reus sublevet se à gravamine. Valet quidem dicere apud judicem Superiorem de nullitate sententiæ, & etiam implorare officium judicis ab eo, seu implorare ut examinet an gravamen sit justum, ut ab ipso gravamine liberetur (modò gravamen sit reparabile, quale est illud, quod consistit in perpetuâ privatione actuum legitimorum) sæpe enim contingit quod condemnatus, præsertim religiosus non potest, vel non audet ex reverentia adire Superiorem Supremum. Justum est igitur quod si in tempore accidat, superiorem advenire, causam suam apud ipsum dicere possit, ut à gravamine liberetur, si sententia ordinarij fuerit injusta, quæ cum sit ipso jure nulla, etiam citra appellationem can. *inter cæteras* de sent. & re jud. semper invalidari potest.

II. Appellans tenetur intrà triginta dies petere à judice à quo, seu ab illo, à quo lata fuit sententia, litteras dimissorias, quæ in jure vocantur *Apostoli* ad prosequendam appellationem; quod si intra illud tempus eas non petierit, habetur pro non appellante, & sic judex poterit, non obstante appellatione, ad ulteriora procedere; nisi reus sit simplex, aut idiota, juris apices nesciens: tunc judex rectus, & timens Deum debet ab eo petere an velit appellare, & si appellet, ei epistolas concedere, ut monet glossa in can. *ab eo* verbo *instanter* de appellat. in 6. quâ illicitum est deffensionem denegare reo, nedum positivè, id est, removendo ab eo viam deffensionis; sed etiam negativè. Hujus rei argumentum est. Quia judex inferior non debet immobiliter judicio suo adhærere, nec jus supremum sibi arripere.

III. Judex qui non defert appellationi, peccat contra jus naturale, quamvis videat causam appellationis adductam, esse frivolam, vel falsam, modò non sit notoriè, & evidenter talis: ut advertit glossa in can. *cum appellationibus* de appellat. in 6. sed si postea constet judici ad quem, appellationem esse temerariam, ipse judex nequit appellationis causam sibi retinere, nec sententiam prioris judicis sua authoritate exequi; sed debet ad priorem judicem partes remittere, qui sententiam suam executioni demandabit can. *cum in Ecclesia* de appellat. si autem constet illi sententiam appellationis esse dubiam, debet causam sibi retinere & judicare. Quia in dubiis potius reo, quam actori, & judici à quo, est favendum jus appellandi, tunc pro appellante stat. potest idem appellans expectare cassationem, vel mitigationem sententiæ per sententiam judicis ad quem.

IV. Pœna qua puniendus est judex appellationi non deferens, est privatiò officij. Can. *decreto* 2. quæst. 6. (utinam Superiores Generales curarent hoc decretum servari apud religiosos ut desiderat Pater de ameno in practica criminali tit. 3. num. 51.) Quia plura indè evenirent bona: sæpe enim prælati inferiores sententias executioni demandant, quæ à superioribus revocarentur, si ad ipsos perveniret ap-

pellatio & si malè judicaverit, aut ordinem juris non servaverit, aut notabliliter gravaverit, quamvis appellationi consenserit, debet citari & audiri à judice ad quem, antequam puniatur, aut per sententiam suo privetur officio; sed si ipse judex à quo, bene judicaverit, appellantis pœna est duplicanda ab ipsomet judice à quo, si appellatio fuerit à sententia interlocutoria. Si verò appellatum fuerit à sententia diffinitiva, pœna debet injungi à judice ad quem. Quia judex à quo, functus est jam officio suo, ut observat Doctor citatus.

V. Hic obiter observandum est cum eodem: quod reus non est sic puniendus quando indebitè appellavit, si probabile motivum afferat ex jure, quo aliquo modo probari possit appellationem esse rationabilem, aut quando smiplenè saltem probat causam appellationis subsistere in facto ut v. g. dum probat judicem à quo, esse familiarem, aut amicum inimicorum, aut aliorum cum quibus olim causam habuit. Ratio est inquit. Quia sicut accusans semiplenè tantum probans, evadit pœnam talionis. Ita à pari appellans, sine causa certa, ac legitima, debet evadere pœnam indebitè appellantium, si semiplenè probet appellationem esse legitimam.

VI. Quando sententia ex qua primum appellatum fuit, duabus aliis subsequentibus sententiis fuit confirmata, non licet ulterius appellare. can. *sua nobis* de appellat. nè liceat in una eademque causa tertio provocare: expedit enim inquit Cabassutius causarum judiciis modum præfigi, nè lites diutius protrahantur. Huic assertioni lubens assentior. Quia appellationis jus non est, ut reus judicij pœnam eludat, sed solum ut se deffendat, suamque tueatur innocentiam. Qua de causa, dum Papa judices delegat pro rebus judicandis; & apponit hanc clausulam, *remota appellatione*, Tunc non licet ulterius appellare, ut colligitur ex titulo de appellat. supposita quidem hac clausula, appellatio subsequens censenda est frivola, cum non apponantur nisi ob præcedentes confirmationes, vel ex vi authoritatis supremæ, à quo non licet appellare.

VII. In appellatione servandi sunt judicum gradus: etenim ex jure Romano, non licet, prætermisso judice medio, appellare, nisi appellatio fiat immediatè ad Papam can. *Dilecti* cod. tit. cæterum in Gallia ex jure concordati Bononiensis, non valet appellatio hæc immediatè ad Papam, quando autem ex partibus Gallicanis appellatio est ad Papam, committit Papa judices in ipsis partibus, nè cogantur Galli extra regnum causas prosequi, ut observat Cabassutius ex concordato Leonis X. & Francisci Regis. Apud Ecclesiasticos sæculares appellationum ordo est ab Archidiacono ad Episcopum can. *Romana Ecclesia* de appellat. in 6. & ab Episcopo ad Metropolitanum, hinc ad Patriarcham, aut Primatem, inde ad Papam. Ex eodem Canone infertur quod ab officialis sententia non potest appellari ad Episcopum: quia Officialis & Episcopus habent unum & idem tribunal, & censentur in materia jurisdictionis contentiosæ una eademque persona. Apud Religiosos ordo appellandi est à Superiore locali, seu à Guardiano ad Provincialem, à Provinciali, ad Generalem, à Generali ad sacram Congregationem, ut constat in constitutionibus ordinum.

VIII. Licet Religiosus non possit appellare à correctione suorum prælatorum facta secundum ordinis statuta can. *Reprehensibilis* cod. tit. bene quidem à gravamine injusto: nam quando subditus gravatur, potest licitè appellare ad suos, ac legitimos Superiores: juxta ordinem præscriptum ut à tali gravamine, & opressione liberetur. Quia hoc est de jure naturæ, nec censuram aut apostasiam incurreret, si prius petita licentia secundum formam juris, & non obtenta, superiorem adiret sine obedientia, aut licentia Superioris gravantis de hac re authenticum habemus judicium à Reverendissimo Patre Matheo à Sancto Stephano Ordinis nostri Generali emanatum die 24. Septembris anno 1698. in favorem R. P. Jacobi Victoria Provinciæ Valentiæ, qui ad ipsum habuerat recursum, & Romam adierat sine licentia R. Patris Commissarij Generalis Hispaniæ Aggravantis, prædictoque patri licentiam adeundi Romam negantis, & post discessum excommunicantis: Reverendissimus Pater Generalis habito prius consultorum voto, declaravit recursum legitimum, & decretum excommunicationis ac Apostasiæ, nullum. Nec obstat Tridentinum dicens sess. 25. de regular. cap. 4. *Nec liceat regularibus à suis conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.*

Quia non prohibet recursum per viam appellationis fundatæ in gravamine, ut legitur in declaratione ejusdem Concilij, sed solum recursum voluntarium. Ita Navarrus, Lezana, Barbosa, Mastrius, Sayrus, & alij quibus subscribo, addendo hanc rationem. Judex tenetur sub mortali deferre appellationi, ut monui supra num. 3. Unde sequitur quod gravatus appellans ad Superiorem gravantis, non potest sine culpa impediri ab ipso gravante; ideoque dato quod impediatur per injustam denegationem licentiæ, aut incarcerationem, si Superiorem adeat, utitur jure suo, & consequenter non potest notari Apostasia, nec censura ligari. Alias ex injustitia commodum reportaret Superioris vindicta, & frivolum esset jus appellandi regularibus concessum; cùm si necesse esset absolutè, habere licentiam aggravantis, gravatus non posset adire Superiorem aut judicem ad quem. Quia numquam eam concederet Superior aggravans,

IX. Ob injustitiam electionis, aut aliorum actuum ex quibus sequitur gravamen Religioni, ille cujus interest, appellare potest, ut prælati majores puniant delinquentes, & injustitias. Si verò in eadem causa plures sint gravamen patientes, & unus eorum appellaverit, & vicerit, victoria reliquis etiam profutura est, & omnes à gravamine liberantur can. *una sententia* de appellat. si communi jure juventur, idemque sit negotium, & eadem deffensionis causa; etiamsi appellans nomine proprio & non aliorum appellaverit. Quia judicium non respicit personam, sed injustitiam & delictum.

X. Appellatio regulariter duos effectus habet. Primus est devolutivus causæ ad judicium Superioris. Secundus est suspensiuvs sententiæ judicis à quo can. *proposui* cod. tit. sunt tamen casus in quibus appellatio sententiam non suspendit: nam sententia excommunicationis suspensionis, aut interdicti lata sub forma absoluta, non suspenditur per appellationem; sed tantum devoluitur ejus cognitio ad judicem Superiorem. Can. *cum ad hac* dixi *sub forma absoluta*. Quia sententia excommunicationis, suspensionis, aut interdicti lata sub futura conditione, omnino suspenditur, si sit appellatum ante conditionis eventum can. *Præterea*. Ideoque si judex à quo, post hanc appellationem censuræ, sententiam ferat, ea censura nullatenus ligat can. *Delictis*. Ex Tridentino sess. 25. de regular. cap. 13. decretum Episcopi ad componendas in processionibus publicis controversias, non suspenditur per appellationem. Idem privilegium habet sententia Episcopi in visitationibus circa reparationes Ecclesiæ, & provisiones de divinis officijs, & Sacris ministeriis. Ita Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 10. Hæc constitutio extendenda est ad prælatos regulares, dum inferiores visitant: jus enim istud non fundatur in reverentia Episcopali; sed in necessitate Ecclesiarum, quæ detrimentum paterentur, si appellatio suspensiva haberet locum. Nec potest prælatus visitans allegari suspectus, ut declarat Paulus V. cujus decretum habetur in remissionibus ejusdem Concilij.

XI. Suspicio gravaminis non est sufficiens appellandi causa: gravamen enim illatum, est causa immediata appellationis Can. *Suggestum*, ac proinde nullo modo licet à judice appellare, nisi actu gravaverit, quamvis ille qui gravari timet, possit judicem recusare, si præcesserit suspicio, & nondum inchoatus fuerit processus Can. *Quod suspecti* 3. quæst. 5. Undè appellatio absoluta à gravamine futuro, est reiicienda, nisi jam illatum fuerit aliud gravamen, quod in appellatione debet exprimi, ad hoc ut valeat appellatio à futuro; aliàs non tenet. Ita Abbas in cap. dilecti filij num. 6.

XII. Cum capitulum sede vacante Episcopo succedat in his, quæ sunt jurisdictionis, exceptis casibus expresso jure prohibitis. Ad capitulum, sede vacante devolui debent appellationes, de quibus Episcopus jure ordinario cognosceret, etiamsi capitulum sit Ecclesiæ Metropolitanæ viduatæ, & appellatio sit de sententia lata ab Episcopo suffraganeo. Ita plures Canonistæ, quos citat & sequitur Cabassutius. In juris Canonici Theoria lib. 2. cap. 24. num. 28. ubi ait, quod Capitulum sede vacante, Episcopo succedit, non in ordine, sed in jurisdictione, exceptis tamen quibusdam reservatis, inter quæ appellationis judicium non numeratur; sed solum beneficiorum collatio, quæ ad Episcopum dumtaxat spectabat, & litterarum dimissoriarum expeditio. Ita idem Doctor num. 23.

CAPUT XVI.

De obligatione parentum erga filios.

I. PAtentes tenentur sub mortali curare, ut filij nutriantur; quemadmodum enim arbor nutrit fructum suum jure naturæ, ita pariter parentes debent alimenta ministrare filiis, quibus vitam dederunt; hinc fit quòd ex jure civili, pensio alimentaria pupillorum, aut etiam adultorum, seu corpore, vel mente impotentium, ex bonis parentum suscipienda, aliis quibuscumque debitis præfertur. Quia dilationem nesciunt alimenta necessaria. Alimentotum nomine intelliguntur, victus, vestitus, medicamenta, aliaque ad vitam sustentandam, & conservandam necessaria; ex quo sequitur quòd graviter peccant parentes, qui sine justa causa, nimirum necessitate, filios etiam legitimos Hospitali, vel locis publicis exponunt. Quia sic filios deserere, videntur contra jus naturale. Sequitur etiam quòd mater tenetur, saltem sub veniali, filium lactare proprio lacte, nisi justa causa subsit, quâ excusari possit, quâ exstente, mater tenetur bonum quærere nutricem, ut filius debitè, & sufficienter nutriatur: matri enim incumbit obligatio alendi filium usque ad finem anni tertij; ideoque tenetur alere, si possit proprio lacte, si non possit, tenetur ei alimenta debita procurare. Postea verò ejusdem filij educatio spectat ad Patrem, usque ad emancipationem, nisi pater esset pauper, & mater dives: tunc enim spectaret ad matrem, usque ad emancipationem, nisi filius aliundè se alere possit; nam si ob aliquod donum personale, aut beneficium, vel officium, aut laborem non indigeat curâ parentum, patentes non tenentur illi necessatia administrare, nec illi restituere alimenta, pro eo tempore, quo aliundè uixit, quàm ex bonis paternis, aliàs debita; quippecum filio nutrimentum debeatur jure naturæ, & iste vixerit, nullum jus habet ad alimenta, quæ non consumpsit; nisi tunc vixerit pecuniâ creditò acceptâ: in quo casu justitia postulat ut pater ejusmodi debita filij solvat.

II. Graviter peccant parentes si diligentiam saltem mediocrem non adhibeant, ut acquirant bona, quibus filij alantur, & hæreditatem habeant juxta proprij status conditionem. Peccant pariter si dilapidando bona, ita pauperes, & impotentes se reddant, ut possint honestè secundum statum filios educare, & dotare. Tandem peccant si sine justa causa filiæ dotem negent, aut filium exhæredent. Inter justas causas, falsò à non nullis numerantur religionis inggressus, matrimonium, & susceptio ordinis Sacri, in consultis parentibus, quippecùm hæc omnia sint bona licita, & honesta, non eximunt parentes ab obligatione dotandi filios, & filias, ut tradunt plures Canonistæ: filius enim, qui talia agit, seu qui religionem ingredi, vel ordines suscipere, aut nubere vult, nequit impediri, modò sit sui juris: ergo nec ob eadem, privari hereditate paterna.

III. Obligatio alendi filios transit ad parentum hæredes, & ad eos, qui eorum bona habent titulo donationis. Non autem ad eos, qui eadem bona habent titulo oneroso, ut emptionis, permutationis legitimi ludi, &c. Quô bona legitimè acquiruntur ab emptore, ad quem transfertur dominium rei venditæ; cùm pater possit bona sua validè vendere, eaque consumere; quamvis enim sic agendo peccat, quia filios suos privat alimentis, & hæreditate paterna, quæ filijs jure naturali debetur, nihilominus validè vendit ea, quia eorum dominium habet. Eodem titulo onerosо, dispensantur emptores bonorum mariti respectu uxoris. Quia licet maritus teneatur uxorem alere, etiam facto divortio, tamen hæc obligatio non transit ad eos, qui bona mariti emerunt, aut alio justo titulo onerosо obtinuerunt: namque est vere bonorum suorum Dominus.

IV. Disputatur an parentes teneantur filios, aut filias spurias dotare? plures respondent negativè. Sed responsio affirmativa est probabilior, magisque pia, ac proinde in praxi consulenda, ut monet Juliensis. Dos enim in locum succedit alimentorum; undè cùm parentes teneantur jure naturali filium spurium alere can. *cum haberet* de eo qui dux. In matrim. Tenentur eodem jure illi dotem constituere, saltem juxta proportionem alimentorum debitorum, quibus dos succedit; alioquin se-

quæretur quòd ex procreatione illicita, pater commodum reportaret, cùm teneretur dotare filios ex copula licita natos, & non teneretur dotare eos, quos ex copula illicita habuit. Imponenda est eadem obligatio clericis, qui filios spurios habent; cùm eos alere teneantur ex fructibus Beneficij, si patrimonium desit. Imò tenentur etiam ex fructibus Beneficij filias spurias dotare, quin hanc apponant conditionem, scilicet ut soluto matrimonio, dos ad Ecclesiam revertatur. Quia datur per modum eleemosinæ, ut naturale est bonis Ecclesiasticis, quæ superfluunt, & pauperibus destinantur. Obligatio dotandi filiam spuriam fundatur in hoc videlicet, nè defectu dotis, nubere non possit, nec à periculo impudicitiæ averti; ideoque charitas id exigit à clerico: nam cùm fructus Beneficij in usus pauperum expendere debeat, eos in usus filiæ spuriæ expendere tenetur, ex jure naturali. Quia est alijs pauperibus ipsi propinquior.

V. Quamvis pater non teneatur alere filiam aliundè divitem, ut jam monui, tenetur tamen illi dotem constituere, si velit nubere, etiam invito ipso patre, sive cum digno, sive cum indigno, modo viginti quinque annos excesserit; cùm jus naturale à libertate parentum minimè pendeat, nec liberetur ab onere dotandi filiam ex proprijs bonis, si alius utpotè consanguineus, aut amicus sufficientem dotem ei constituerit, nisi in favorem, aut solatium patris facta fuerit illa dotis constitutio: tunc enim dos censeretur de bonis paternis esse; quia data fuit ut pater ab onere dotandi sublevaretur. Si verò contingat matrimonium mariti morte dissolvi, & dotem deperdi absque ulla filiæ culpa, pater tenetur eam iterum dotare, nè filia defectu dotis à secundis nuptijs excludatur l. *Si cum dotem* 5. 1. d. solut. matrim. Durante tamen primo matrimonio, pater non tenetur iterum filiam dotare, quamvis sine culpa filiæ, dos amissa fuerit: tunc enim cessat finis legis secundum dotem jubentis.

VI. Plures assignantur causæ ob quas filij possunt à parentibus exhæredari, quas octo versibus comprehendit fuliensis, in quarto præcepto decalogi. 1. Est patris percussio injusta, & cum peccato mortali conjuncta. 2. Gravis inimicitia. 3. si filius pro patre in carcere detento fideiubere nolit. 4. si parenti furioso, vel amenti succurrere negligat. 5. Si parentem in judicio accuset (exceptis hæresi, ac crimine lesæ majestatis), vel contra illum testis, advocati, vel procuratoris munus in crimine exerceat. 6. conspiratio in parentum necem, etiamsi effectus non sequatur. 7. Si parentis bona dilapidaverit cum gravi illius incommodo. 8. Si parentem captivum non redemit cum posset. 9. Si prohibet nè testamentum conficiat. 10. Si cum maleficis versari solet, ita ut etiam ipse maleficium exerceat. 11. Si novercam scienter cognoscat, vel patris concubinam. 12. Si cum parentes habeat Catholicos, ipse sit hæreticus. 13. Si filia minor. 25. annis luxuriosam degere vitam eligat, cum illius parentes velint sufficientem dotem & maritum dare. Ita idem Doctor; cum quo observandum est: quòd si filius, qui in aliquod ex prædictis criminibus impegit patri suo reconcilietur, antequam exhæredatus fuerit, non potest propter tale crimen exhæredari; quia exhæredationis causa tollitur per reconciliationem præcedentem.

VII. Parentes tenentur sub mortali liberos instruere per se, vel per alios in necessarijs ad salutem, eos verbis, & exemplis ad bonos mores inducere, & ab omni occasione, aut habitudine peccandi avertere, moderata correctione, vel verberatione, si eos corrigere necesse sit, ut occasiones peccandi fugiant, & mandata Dei observent. Quia bona spiritualia sunt temporalibus præferenda; Ideoque prius illa, quám ista sunt procuranda liberis; dixi *Moderatè* quia peccaret pater si immoderatè filium verberaret, cumque notabiliter, læderet, ut monent totus, Bonacina, Sylvester, Reginaldus, & alij post divum Paulum ad Eph. 6. vers. 4. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Tenentur tandem parentes filijs relinquere libertatem eligendi statum in quo vivere volunt, nec debent eos retrahere à statu quem elegerunt, modò non sit familiæ injuriosus, nec honestati; Undè peccant si eos invitos dolis, aut minis provocent ad matrimonium contrahendum, vel ad suscipiendum habitum in aliqua religione, vel ad suscipiendos ordines sacros: horum enim electio est à Deo, qui pueris inspirat statum ad quem eos vocat.

VIII. Quatuor personarum genera no-

mine parentum, præsertim patris comprehenduntur. Intelligi enim possunt personæ sequentes: nimirum persona patris, qui filium genuit, personæ superiorum potestatem spiritualem habentium, ut sunt Episcopi, Curati, Pastores, & alij quibus incumbit animarum cura; ob quam patres appellantur. Personæ etiam quæ potestatem sæcularem habent, ut sunt Reges, principes, duces, Domini, & Magistratus eodem nomine vocantur. De quibus omnibus (proportione servata) discurrendum est, sicut de patre cùm habeant subditos, sintque patres populorum; quibus tenentur subministrare alimenta, aliave præstare, quæ justitia, vel charitas exigit. Tenentur insuper prædicti patres subditis procurare (quātum in ipsis est), spiritualia. Ideo graviter peccant Domini si famulos suos impediant, nè dies festos debitè sanctificent, & alia, quæ observanda sunt observent.

IX. Dominus tenetur sub mortali, justum pretium solvere famulis suis, modo fideliter laboraverint, & debitam præstiterint operam: Dignus est enim operarius mercede sua. Si verò contingat famulum reliquisse Domino determinationem stipendij, tenetur in conscientia illi tradere stipendium solitum, seu juxta consuetudinem loci; cùm famulus non censeatur velle recipere quod Domino libuerit; sed quod juxta regulas æquitatis traditur. Tenetur etiam ad solutionem integri stipendij, quandò voluntariè, & sine ulla famuli culpa eum de domo expellit ante præfixum tempus, quia est sicut conductor, qui tenetur pensionem solvere, quandò ob impedimentum ipsi superveniens, non est usus suâ culpâ re conducta. Quando autem famulus absque ulla Domini culpa vult discedere; potest stipendium prorata petere; quin Dominus possit ei denegare illud, nisi ex discessu famuli, damnum ipsi Domino adveniat. Ratio primæ partis est. Quia Dominus expellendo famulum, exponit eum periculo indigentiæ, & miseriæ; quippecum proprio labore vivat, fortè post expulsionem ante tempus non laborabit; Igitur nè in hoc periculo sit, Dominus expellens ipsum ante tempus præfixum sine ulla causa, debet juxta conventionem factum solvere. Ratio secundæ est. Quia famulus à Domino discedens ante tempus constitutum, nulli periculo ipsum Dominum exponit (nisi ex tali discessu Dominus damnum aliquod incurrat); ergo potest stipendium petere, prorata temporis, & Dominus tenetur illud solvere, cùm culpa famuli recedere volentis, non sit Domino nociva ut supponimus.

X. Dominus non potest famulo abrogare partem aliquam stipendij promissi. Quamvis familia minuatur. Quia indè conventio non infirmatur, nec ipsi famulo imputanda est labori minitio. Eadem ratione famulus non potest majus stipendium petere, si contingat numerum personarum in ea familia augeri, nisi extraordinariè augeatur, vel minuatur; ita ut talis casus non censeatur à famulo, nec à Domino prævisus, & notabiliter laborem famuli augeat, vel minuat, vel nisi in contractu habita sit ratio numeri personarum; in hoc quidem casu contractui standum est, & stipendium solvendum juxta conventionem, & personarum numerum. Quia tunc stipendium est talis pretij; quia tot erant personæ.

XI. Quando famuli negligentiâ, res Domini pereunt, vel furtò auferuntur; quamvis non fuerint ipsi specialiter commissæ, ipse famulus tenetur in conscientia de damno ei, ex culpa etiam levi illato. Quia ratione officij, & famulatûs tenetur ex justitia curam habere, & damnum illud avertere si possit: nam proximus tenetur ex charitate; famulus autem ex justitia. Alioquin de bonis Domini famulo non incumberet major obligatio; quàm alijs: quod est improbabile, & contra naturam officij famulatûs. Hinc est quòd in tali casu Dominus potest tutâ conscientiâ famuli stipendium retinere, usque ad compensationem damni, quod culpâ famuli patitur: nam si famulus ex justitia teneatur, res Domini conservare, sequitur quòd dum suâ culpâ pereunt, ipsi perire debent, modò nulla possit excusatione se tueri, seu sit omninò culpabilis in amissione rei.

XII. Quamvis famulus, qui toto triennio, postquam à Domino discessit, stipendium promissum non petit, non possit illud in judicio repetere ut tradit Juliensis; tamen Dominus non potest illud denegare, nec retinere, tutâ conscientiâ. Nam præscriptio triennalis nullum jus tribuit Domino, nè teneatur stipendium, aut salarium reddere famulo, qui hoc non obstante, dignus est mercede sua. Ita communior opinio.

CAPUT XVII.

Ad quid lex obliget filios erga parentes.

I. NEdum ex quarto præcepto decalogi, sed etiam ex jure naturali, filij tenentur parentibus reverentiam exhibere tam internam, quàm externam. Hæc reverentia à filijs parentibus exhibenda, ad quatuor officia redigitur, scilicet ad honorem, amorem, obedientiam, & sustentationem. Quoad tria officia priora, nulla est disputandi occasio. Ideoque sunt supponenda, tamque certa, & ab omnibus admissa, ut de quarto, aut ultimo dicantur ea, quæ dici possunt. Undè graviter peccant filij, qui parentes infirmos non visitant, aut graviter egentibus facultates necessarias non subministrant: nam ex D. Thoma inter virtutes justitiæ annexas, pietas in parentes insignem locum tenet. Quarè in can. *Si quis filij* dist. 30. anathemate percutiuntur filij, qui parentibus in necessitate constitutis non subveniunt; igitur peccat mortaliter filius, qui de bonis, quæ acquirit, patrem indigentem non sustentat. Dixi *indigentem*: quia si sciat patrem proprijs bonis, vel officio quo fungitur, posse sustentari, non tenetur ex bonis suis conferre, nisi officium illud, vel ars esset indecens, ut observant plures Canonistæ cum Navarro cap. 14. num. 13. Bonacina, & alij. Tunc enim filius pro bono famæ teneretur eum à tali officio redimere, eum que de bonis acquisitis sustẽtare, modo indè ipse filius, non fieret deterioris status.

II. Disputant Canonistæ. An filius teneatur ex bonis proprijs solvere debita patris, à quo nullum bonum temporale obtinuit, nec obtinere expectat? plures jurisperiti affirmant; sed opinio negativa est probabilior. Quia obligatio reddendi mutuum, est personalis, vel solum ad hæredes transit si sit realis; cum de bonis debitoris sumenda sit debiti solutio; ergo filius qui nihil à patre accepit, seu qui non est hæres, nec debitor, non debet obligari ad solvenda debita patris sui; quemadmodum uxor non obligatur ad solvenda debita mariti de sua dote. Ita sentiunt Reginaldus, Molina, Mastrius & alij qui idem sentiunt, etiam de pecunia suscepta pro filij alimentis, seu de debitis pro filio alendo contractis. Quia inquiunt pater tenetur alere filios, & hi jus habent adversus patrem alimenta petendi, qua de causa mutuum illud à patre acceptum, semper contra illum urgebit, & numquam contra filium. Sed mihi displicet hæc ratio. Quia res aliena quæ in utilitatem tertij accipitur, hic in cujus utilitatem conceditur, tenetur in conscientia eam reddere, si ille qui eam accepit sit impotens, ac indigens l. *His solis* ff. condict. indebit: nam fructus clamat pro re à qua processit, & res pro Domino. Deinde hic filius est quasi fidejussor mutui; cùm in ipsius sustentationem consummata, & mutuata fuerit pecunia, & consequenter si pater non possit solvere, & filius possit; existimo quod tenetur in conscientia satisfacere creditori. Quia est causa mutui, saltem interpretativè; cùm præsumendum sit quod ipse filius consensisset, & mutuum pro sua sustentatione acceptasset. Nec valet ratio in contrarium adducta, quia pater non tenetur alere filios cum injuria, & damno proximi; sed de proprio labore, & bono, & si non possit ex his ipsos alere, debet eos ad hospitalia deferre,

III. Ita certa, & essentialis est ista filiorum obligatio subveniendi parentibus, ut filius in gravi necessitate parentum teneatur abstinere se ab ingressu religionis; etiamsi illam vovisset, modò non sit alius, qui possit, & velit subvenire, nec sit alius præsentaneus succurendi modus, quàm labor, aut industria præsens ac actualis filij in sæculo remanentis; nam si pater alium modum habeat, vel filio remanente in sæculo, pater sit in eadem necessitate, filius non potest se abstinere à religionis ingressu. Quia superfluum, vel inutile esset ei remanere in sæculo; cùm indè pater nullum reportaret commodum. Insuper requiritur ut filius remanens in sæculo, non sit in probabili periculo salutis; quilibet enim tenetur salutem animæ suæ, saluti corporeæ alteriùs præferre *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ut ait Christus Math. 16. vers. 26. Ratio assertionis est. Quia subvenire necessitati parentum est de jure naturali, & divino. Religionem ingredi est tantum de

consilio; sed ea quæ sunt præcepti naturalis, & divini, debent præferri illis, quæ sunt meri consilij, & illis quæ sunt præcepti divini tantum; cujusmodi sunt obligationes vota adimplendi, servandi castitatem perpetuam, ingrediendi religionem &c. Ergo in nostro casu, filius tenetur se abstinere ab ingressu religionis; quamvis illam vovisset. Hoc docent D. Thomas 22. quæst. 101. art. 4. Scotus in 4. dist. 15. q. 3. in Solution. ad 3. princip. quibus subscribunt cæteri omnes Doctores.

IV. Adversus hanc assertionem adduci possunt hæc verba divi Hieronimi in Epist. ad Heliodorum *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexilla crucis evola, summum genus pietatis est, fuisse crudelem.* Sed respondendum est D. Hieronimum non supponere necessitatem parentum, nec gravem, nec extremam quam nos supponimus; sed solum amorem. Quia certè nullus debet ob amorem parentum abstinere se ab ingressu religionis, quam vovit ingredi. Hoc enim esset honorare patrem plusquam Deum; quod est illicitum juxta illud Math. 10. vers. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Hanc ipsam obligationem abstinendi se ab ingressu religionis non exigit necessitas fratrum, Sororum, vel aliorum propinquorum, quia non tenemur ita strictè subvenire istis, secut Patri & Matri: nam filius est plus patris, & matris, quatenus unum ejusdem filij principium constituunt; ac proinde tenetur se totum pro patre & matre impendere, non verò pro fratre cujus non est pars.

V. Quæritur an si necessitas parentum post professionem religiosam supervenerit, filius teneatur à religione egredi ad eam sublevandam? omnes affirmant. Si necessitas sit extrema, & aliter sublevari non possint. Hanc assertionem probat ratio, quæ probat præcedentem. Addendæ sunt tamen aliquæ limitationes 1. ut egressio illa sit ad tempus. Quia cessante necessitate parentum, vel per mortem, vel bona adventitia, ad religionem redire tenetur, sublata enim causa remanendi in sæculo, non potest in eo amplius remanere; cum in tali casu obligatio votorum non tollatur, sed differatur 2. Ut præcedat notitia superiorum: necesse enim est in tali casu licentiam petere à superioribus, qui si eam denegent, licitus est exitus; cum jus naturale, & divinum sint supra jus positivum. Ratio hujus necessitatis petendi licentiam est. Quia si superiori ores velint parentes de bonis monasterij substentare, Religiosus nō potest exire. Quia tunc cessat causa egrediēdi, utpotè extrema parentū necessitas. 3. Ut religiosus semper habitum deferat, nisi habitu retento, nequeat operari, in quo casu, Episcopo consentiente posset habitum dimittere; quin esset apostata; nam jus concedensfinem, seu licentiam exeundi pro parentibus succurendis, concedit etiā media.

VI. Religiosus, qui à religione egreditur pro parentibus succurendis, & in sæculo manet, dimisso habitu, tenetur servare vota & præcepta religionis (excepta obedientia superiorum) quia cùm ille egressus sit ad tempus, non eximitur ab obligationibus, quas per vota contraxit; aliàs sublata parentum miseria, non teneretur ad religionem redire, quod est falsum. Si vero necessitas parentum non sit extrema, sed gravis tantum, ita ut vivere possint, sed cum maxima pœna & miserè, revera religiosus ne tenetur exire; potest nihilominus, modò prius à superioribus egrediendi licentiam obtinuerit.

VII. Si princeps tribueret liberam facultatem occidendi proscriptos à patria, filius non posset licitè occidere patrem. Quid quid dicant nonnulli jurisconsulti. Quia hoc charitati, & pietati repugnat, ut inquiunt Layman, Tamburinus, Mastrius & alij, qui idem sentiunt de parentibus respectu filij, ac de uxore respectu mariti. Nec licet filio manus violentas patri suo inferre, nisi quando filius vult se ipsum tueri à nece, quam sibi pater inferre intentat, ut advertit Mastrius, si alio modo se tueri nequeat, aut quando arma defert, ut rempublicam, aut principem deffendat, tunc enim potest licitè ab injurijs parentum rempublicam, & personam principis deffendere. Ea ratione qua præcipitur, totum esse parti præferendum: nam defendere personam principis, aut rempublicam est defendere se ipsum. Quia ex 80. regulâ juris in 6. *Partem non est dubium contineri in toto.*

VIII. Ista lex, qua filij tenentur succurrere parentibus, non solvitur morte parentum: etenim pietas ad mortuos se extendit. Ideo filius debet patrem defunctum debitæ sepulturæ mandare, ei preces, & sacrificia procurare, & alienum æs quod contraxit, solvere. Quia hæc omnia sunt necessaria patri post mortem, cùm indi-

gear.

geat sepeliri, à pœnis purgatorij liberari, & reddere unicuique quod suum est; né alieni boni detentione, tormentum patiatur in eo loco, in quo anima solvit usque ad ultimum quadrantem. Quare anima, quæ in flamma cruciatur, clamat *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, ut filij & amici pietate moti eam adjuvare dignentur. Peccant igitur filij parentum defunctorum immemores, quia despiciunt officia amoris, honoris; obedientiæ, & sustentationis, à quibus nequeunt absolutè dispensari. Tum quia sunt de jure naturali, & divino. Tum quia unusquisque potest hujusmodi officia præstare parentibus defunctis, modo sibi convenienti, ac possibili; quippecum filiorum status sint diversi, non tenentur omnes officia pietatis excercere uno, & eodem modo erga parentes defunctos.

IX. Hæc obligatio exercendi opera pietatis erga parentes defunctos, filios astringens, potest impugnari ex illo lucæ 9. vers. 59. & 60. cujus verba sunt hæc *ait autem ad alterum: sequere me; ille autem dixit. Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum, dixitque ei Jesus, sine tu mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Inde enim facilè colligi potest, filium non ita strictè ligari obligatione exercendi officia pietatis erga parentes defunctos, ut non possint excusari. Respondeo hanc instantiam assertioni nostræ minimè nocere. Quia Christus non prohibuit discipulum à sepultura patris, nec voluit eum in hoc pietatis officio dispensare, sed nullitatem responsionis ejusdem discipuli manifestare, ut monet D. Egrillus sic exponens eadem verba lucæ. *Discipulus ille non petiit quod patrem jam defunctum, sed adhuc viventem senectute sustentaret, usquequo sepeliretur: quod Dominus non concessit, quia erant alij, qui ejus curam habere poterant, lineâ parentela adstricti.* Deindè dato, & non concesso, quòd Christus prohibuisset discipulum à sepultura patris; indè non sequitur filium non teneri præstare parentibus defunctis hujusmodi officia pietatis. Quia voluit illum eripere à multis malis, ut advertit D. Chrysostomus, quæ solitò accidunt illis, qui non sequuntur Christum Dominum, quæ quidem mala accidere nequeunt filio, qui pietatis officia præstat parentibus defunctis.

X. Cùm partus, durante matrimonio, natus, sit legitimus, dummodo contrarium evidenter non constet, ut docent communiter Canonistæ, sequitur filium non teneri credere matri affirmanti eum esse illigitimum. Quia tuetur se famâ publicâ, & intentione juris, quæ notitiæ particulari prævalere debent. Nec adulter tenetur credere mulieri, quamvis juranti, & in articulo mortis existenti, si dicat ipsi, quod de eo concepit, etiamsi magna sit prolis cum adultero similitudo: ejusmodi enim signa sunt valde incerta, ut notat Cabassutius. At supposito quod filius credat matri, & illigitimum se reputet, tenetur hæreditatem restituere, ut de facto credere, & restituere tenetur, si mater de adulterio sit infamata publicè, & hoc præterea ipsi à matre revelatum fuerit: tunc enim filius nequit se tueri famâ publicâ, nec ipse credere se legitimum. Ita fuliensis. Nec valet sine dispensatione ad ordines promoveri. Quia tenetur se credere illigitimũ.

XI. Quamvis filius non teneatur obedire parentibus in his, quæ pertinent ad statum vitæ (puta religionis, vel matrimonij; cum non possit licitè ad religionem, nec ad cælibatum compelli: existimo tamen, quod peccat mortaliter si patre renuente uxorem conditioni suæ minimè convenientem ducat. Quia licet ei liberum sit uxorem ducere, non est ita illi liberum ut possit eam ducere cum injuria parentum. Ita plures Doctores quos sequitur Mastrius dis. 11. num. 90.

CAPUT XVIII.

De obligatione mariti erga uxorem & è converso.

I. Cum matrimonium sit viri, & mulieris maritalis conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. Ut docent communiter Theologi cum magistro sententiarum magis in animarum, quàm corporum conjunctione consistens can. *cum initiatur* 27. quæst. 7. necessè est, quòd inter maritum & uxorem sit mutua obligatio: hæc enim conjunctio nequit aliter subsistere. Tenentur mutuò honorem, & amorem interiùs, & exteriùs ex-

hibere ad invicem, debitum reddere. Nedum quando expresse; sed etiam quando signis tantum petitur: nam si mulier præ pudore, verbis debitum exigere non audeat maritus id agnoscens, tenetur illud redere. Quia effectus petitionis verbalis, nimirum unius conjungis necessitas, ab alio conjuge signis noscitur; Ideoque subsistit ratio reddendi debitum, nisi gravis causa non reddendi existat, qualis est necessitas, aut infirmitas corporis. Igitur conjux per se loquendo tenetur reddere debitum alteri petenti, post matrimonium consummatum. Tamen post matrimonium ratum conjugibus conceduntur menses duo, intra quos alter conjugum, alteri petenti potest debitum recusare, ut interea liber sit ad religionis ingressum can. *ex publico* de convers. conjug. quamvis conjuges per se loquendo non teneantur petere debitum, ut concedunt omnes. Tum quia motus carnis non urgent continuò. Tum quia licitum est conjugi abstinere se à copula, modó non adsit pollutionis periculum; per accidens tamen contingere potest, ut teneantur petere., scilicet dum unus conjux moraliter putat id esse necessarium in alio conjuge, ad vitandas pollutiones, ac tentationes; etiamsi conjux iste debitum aut remedium non petat, unus enim tenetur alium conjugem à malo præservare, si possit.

II. Maritus tenetur uxorem suam alere; cùm sit ejus caput, ut monet Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11. vers. 3. *Dicens volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput verò Christi Deus.* Hoc verum est etiamsi uxor ex culpa mariti; ab eo recesserit. Aliàs sequeretur quòd maritus ex culpa sua commodum reportaret, & ex peccato ab obligatione se eximeret, quod est falsum. Nec dispensatur in hac obligatione, si uxorem sine dote duxerit. Quia uxor non est caro mariti per dotem; Ideoque si nulla dos sit, maritus tenetur alere uxorem, quam dimisit ex sua culpa, nisi uxor sit dives: nam si habeat undè vivere possit, maritus qui nullam dotem recepit, non tenetur eam alere, si ab eo recesserit (dixi *si sit dives*) Quia si pater illius sit dives, hoc non sufficit, ut maritus non teneatur eam alere; cum post matrimonium consummatum, uxor non sit sub potestate patris; ideoque ad ipsum non spectat filiam uxoratam alere, quamvis sit dives.

III. Obligatio alendi uxorem incumbit marito, etiamsi dotem promissam, nondum acceperit, dummodo nondum elapsum sit tempus ad solvendam dotem, ab ipso marito concessum. Nec eximitur ab illa obligatione si parentes uxoris, qui dotem promiserunt, sint inculpabiliter in mora, ita ut verè eam reddere non possint, modò dolosè non promiserint. Maritus enim debet sibi imputare, quod fidejussores non adhibuerit. Quia tenebatur omnem moralem diligentiam præmittere pro dote obtinenda. Nam ex 86. regula juris in 6. *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare.*

IV. Quando uxor voluntariè, aut propriâ culpâ à marito recedit, maritus non tenetur eam alere; quamvis dotem integram acceperit. quia hæc obligatio alendi uxorem est conditionata, nimirum si cum illa cohabitet maritus ad usum matrimonij dixi *voluntariè* quia si non recedat à marito spontè, sed solum aliquo casu fortuito, aut culpâ, ex qua sequitur separatio v. g. ut si propter crimen aliquod uxor in carcerem conijciatur, maritus tenetur eam alere, (modò, non obstante crimine, dos uxoris apud maritum maneat.) etiamsi ex crimine sequatur perpetua inter maritum & uxorem separatio. Sic uxoris dos non fit deterior, nec à potestate mariti liberatur, quamvis per delictum, uxor sit ab ipso separata: namque dos conceditur ad onera matrimonij sustentanda, ac proinde maritus tenetur sustentare uxorem ab ipso per delictum separatam, si ejus dotem habeat.

V. Maritus, qui uxorem suam expellit ob adulterium (quod est prima & præcipua causa divortij juxta illud Math. 19. *Quicumque uxorem dimiserit nisi ob fornicationem*: non tenetur in conscientia eam alere, quamvis ad id teneri possit per judicis sententiam, usque ad adulterij probationem & divorcij judicium. Undè si uxor innocentem se probare intendat apud judicem, maritus tenetur eam alere durante lite, eique adhibere expensas ad litem prosequendam, nè earundem defectu ei. Denegetur deffensio, quæ est de jure naturali. revera uxor adultera litigando peccat ex duplici capite. Primo intendit judicem ad proferendam sententiam falsam provocare. Secundò impugnat veritatem in præjudicium mariti. At si maritus uxorem injustè, & maliiosè ejecerit, scilicet eo fine, ut adulterium committeret. Tunc maritus, non obstante adulterio, non potest illi alimen-

ta denegare, quia est causa adulterij; & ideo censetur renunciasse privilegio non alendi uxorem adulteram, aut privilegio dimittendi illam. Jus enim divortij non nisi innocenti competit: Quare can. *ex litteris* de divort. statuit quod si uxor, marito requirente, fuerit à cohabitatione separata, si postmodum ipse maritus fornicetur, cogendus erit dimissam uxorem resumere. Ratio glossæ est. Quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. Sed iste maritus de quo agitur, non est adulterij innocens; cùm uxorem dimiserit eo fine, ut adulterium committeret: ergo tenetur eam resumere, retinere, & alere.

VI. Eodem divortij privilegio gaudet uxor innocens erga maritum: quando enim iste adulteratur, & apud se concubinam habet, uxor potest agere ad separationem tori, & dotem repetere, ut notant Canonistæ. An vero uxor cujus maritus concubinam tenet, perdat dotem si adulteretur? negativè respondeo cum Decio, paulo à castro consul. 128. & alijs. Quia ex can. *intelleximus*, de adult. paria delicta, compensatione mutua tolluntur, ut jam dixi cum glossa in can. *Ex litteris* de divort.

VII. Disputatur an vidua teneatur in conscientia solvere de sua dote debita, quæ maritus contraxit pro ipsa uxore, & filiis sustentandis, si post mortem mariti nulla supersint illius bona? plures negant. Quia inquiunt maritus tenebatur eam alere; sed displicet hæc ratio; cùm maritus non teneatur alere uxorem de bonis proximi. Igitur sententia opposita videtur mihi probabilior; & in praxi tenenda, ac consulenda, nè detur maritis occasio vivendi splendidè ex bonis alienis; cum magno creditorum detrimento: plures enim sunt, qui mutuarent pecuniam ad fovendam voluptatem, vel ad familiæ splendorem, si scirent quod post mortem, nec uxor, nec filij tenerentur ad restitutionem, & ex illa bonorum dissipatione nullum familiæ damnum contingeret. Præterea uxor in nostro casu tenet pecuniæ mutuatæ fructum; cùm supponamus maritum ipsam de pecunia mutuata sustentasse: ergo tenetur de propria dote hujusmodi mariti defuncti debita solvere, saltem quoad illam partem, quæ in ipsius sustentationem versa fuit: nam ex 5. regula juris in 6. qui sentit commodum, sentire debet onus.

CAPUT XIX.

De Præcepto restituendi.

I. EX variis Sacræ Scripturæ, & juris Canonici textibus constat restitutionem esse de præcepto, & necessariam ad salutem consequendam. Difficultas solum est inter Doctores, an præceptum illud sit affirmativum, vel negativum. Plures stant pro affirmativo. Quia per actionem positivam exprimitur. Alij pro negativo. Quia restituere, reddere idem sonant, ac non retinere rem alienam. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior. Quia obligat semper, & pro semper eos, qui rem alienam irrationabiliter, & invito Domino retinent: nullus enim potest in conscientia retinere bona alterius absolutè, ita ut ea restituere numquam teneatur. Hinc est quod rem alienam injustè detinens tenetur eam restituere statim, quàm primum restitui potest, seu habere animum eam restituendi data opportunitate. Quia præceptum est negativum quod obligat semper, & ad semper: quemadmodum enim peccat, qui bonum alienum irrationabiliter accipit, etiam peccat, qui illud sic retinet. Igitur dum potest, illud reddere, tenetur. Revera nonnullæ à Doctoribus assignantur causæ, à restitutione excusantes, ut dicemus infra, sed hæ sunt ad certum tempus, vel ad certas conditiones, quæ obligationem restituendi non tollunt, sed ejus executionem differunt. Nam si hujusmodi conditiones obligationem penitùs extinguant, sunt extra casum, quia inde, possessor est vere Dominus rei, cum non teneatur restituere, ac proinde non improbant retinentem bona aliena irrationabiliter, aut Domino rationabiliter invito, teneri semper, & pro semper ad restitutionem.

II. Istud restitutionis præceptum obligat eos, qui rem injustè acceptam, vel alienam Domino rationabiliter invito apud se habent, sive bona, sive mala fide illam habeant. Quia res semper pro Domino suo clamat, ut restituatur illi à quo irrationabiliter ablata fuit. Unum dumtaxat observandum est discrimen, scilicet possessorem

bonæ fidei teneri, ſtatim ac noverit rem non eſſe ſuam, reſtituere ſi apud ſe eam habeat: etenim ſi durante bona fide, res perierit, non poſſeſſori bonæ fidei, ſed Domino periiſſe cenſetur. Ratio eſt quia retinuit illam ſine culpa ob bonam fidem, & conſequenter ex deſtructione inculpabili ejuſdem, nulla poteſt advenire poſſeſſori obligatio reſtituendi, niſi eam ita dederit, in luſus, aut convivia impenderit, ut aliam rem æquivalentem dediſſet, & impendiſſet: tunc enim eſſet loclupetior ex re aliena, ſi aliam æquivalentem non reſtitueret. Quod eſt prohibitum ex L. *Nam hoc natura* ff. de condictione indebiti ubi legitur *hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri* cui ſuffragatur Cicero 3. de officijs dicens *illud natura rationalis non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opeſque augeamus.* Igitur ſi rem quam bona fide poſſidebat ita donaverit, aut in Luſus, vel convivia impenderit, tenetur æquivalentem reſtituere, cum aliam æquivalentem impendiſſet in proprios uſus. Si autem nihil ejus vice fuerat impenſurus, ad nihil tenebitur, quia non poteſt dici factus locupletior ex re aliena, bona fide detenta.

III. At poſſeſſor malæ fidei tenetur rem reſtituere, etiamſi eam non habeat apud ſe; quippecum non potuerit eam licitè poſſidere, ligatur eadem obligatione reſtituendi eam, qua ligabatur dum eam habebat. Tenetur inſuper ſimul cum re reſtituere nedum fructus perceptos: quia res pro Domino fructificat, ſed etiam non perceptos ſuâ culpa, quos Dominus rei percepiſſet. Can. *Gravis* de reſtit. Spoliat. Quia eſſet cauſa iſtius damni. Reapſe hac ipſa obligatione reſtituendi Domino fructus perceptos aſtringitur, etiam poſſeſſor bonæ fidei, qui non reſtituit rem ſtatim ac novit eam non eſſe ſuam, ſicut poſſeſſor malæ fidei, ſi ad ejus emolumentum verſi fuerint; alias cum detrimento & injuria alterius fieret locupletior: quod eſt prohibitum ex lege citata; at ad obligandum poſſeſſorem malæ fidei ſufficit quod rem retinuerit mala fide, ut teneatur reſtituere rem, fructus perceptos, & eos quos ſua negligentia, vel culpa non percepit. His addo quoad poſſeſſorem bonæ fidei, quod ſi ex re aliena aliquid acceperit ex vi induſtriæ ſuæ, aut alicujus circunſtantiæ, quæ naturaliter Domino non adveniſſet, non teneretur illud cum re ſimul reſtituere, quia induſtria non eſt Domini rei, ſed poſſeſſoris bonæ fidei, nec indè Dominus fit deterior, cùm certò non habuiſſet ex ea id, quod poſſeſſor habuit. Ita docet Caſpenſis tract. 18. diſp. 1. ſect. 4. num. 33. ubi citat D. Thomam. Hic obiter obſervandum eſt, poſſeſſorem bonæ fidei, fieri poſſeſſorem malæ fidei, ſi ſtatim ac noverit rem eſſe alienam, eam non reſtituat. Quia tunc ceſſat bona fides, & conſequenter ipſi incumbit eadem obligatio reſtituendi fructus ſua negligentia non perceptos, quæ incumbit poſſeſſori malæ fidei.

IV. Nedum ille, qui injuſtè rem alienam accepit tenetur ad reſtitutionem. Sed etiam ille, qui injuſtè damnum intulit alteri per ſe, vel per alios. Eadem obligatione aſtringuntur illi, qui non impediunt damnum quod ex officio, & ex juſtitia impedire tenentur. Hinc eſt, quod omnes illi qui ad furtum, aut damnum alios compellunt verbis, aut Conſilio, adjuvant, aut inducunt, tenentur ad reſtitutionem rei ablatæ, & ad reparationem damni. Quia ex cap. 1. de off. & poteſt. jud. deleg. *Agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur.* Deinde damnum ab ipſis, aliquem accepit influxum novem modis: quibus quis poteſt ad damnum cooperari ſcilicet, mandato, Conſilio, rei approbatione, aut laude, conſenſu, recipiendo rem, aut refugium damnificanti præſtando, auxilium præbendo in malum, tacendo, non impediendo, & non manifeſtando. Ita omnes canoniſtæ communiter, qui hos prædictos novem modos, duobus ſequentibus verſibus comprehendunt.

Iuſſio, Conſilium, conſenſus, Palpo, recurſus
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans

Ut omnes iſti modi obligent ad reſtitutionem, ſeu ut illi qui concurrunt ad damnum alteri inferendum, cenſeantur concurrere aliquo ex novem modis, neceſſe eſt quod aliquid efficaciter influxerint: nam ſi non fuerint cauſa efficax damni illati, ex eo quod damnificans æque diſpoſitus erat illud damnum exequi, peccaverunt quidem, quia habuerunt voluntatem aut animum nocendi: ſed non obligantur ad reſtitutionem, quia nihil influxerunt in damnum,

nec ex ipsis effectus provenit, ita ut ipsis absentibus damnum non fuisset.

V. Quando quis dubitat an dederit Consilium, non tenetur ad restitutionem damni. Quia possessio stat pro innocentia; sed quando dubitat an suo Consilio quod damnificanti dedit, efficaciter influxerit in damnum illatum, tenetur ad restitutionem. Ita communior opinio contra Navarrum, & Filliucium: quia ad causam damni, seu ut quis reputetur causa damni illati, non est necesse quod influxus, aut impulsus sit effectivus, sed sufficit quod sit interpretativus, ut colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 62. art. 7. ubi ait *Tunc solum tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta.* Idem infertur ex Scoto in 4. dist. 15. quæst. 2. sed consiliator, qui certus est se dedisse Consilium, licet non sit certus de influxu efficaci, imo de ipso dubitet, habet tamen certitudinem probabilem, & interpretativam. Igitur ita dubitans tenetur ad restitutionem. Nec ab illa obligatione eximitur consiliator, qui consuluit injustam damnificationem, etiamsi postea revocaverit consilium, antequam damnum fuisset illatum. Quia revocando consilium injustum, non revocavit sufficienter ejus influxum, nisi efficaciter in animum malefactoris induxerit tale malum non esse faciendum. Ita communior opinio contra Petrum Navarrum, & Galonium consulentem absolute excusantes à restitutione facienda, si Consilium revocaverit. *Dices* mandans non tenetur ad restitutionem si antequam damnum eveniat, mandatum suum revocaverit mandatario sciente, ut constat ex jure: ergo nec consulens, si consilium revocaverit. *Nego* paritatem: quia mandatum datur in gratiam ipsius mandantis, & in gratiam ejus efficitur; & consequenter si mandatum retractetur, re adhuc integra, mandatum non efficitur influxu mandantis, sed solius mandatarij: At Consilium datur in gratiam recipientis, qui exequitur illud in proprium commodum. Igitur minimè præsumendum est consiliatorem revocando Consilium, revocasse etiam influxum, nisi malefactor desistat a prosecutione sui commodi, pro quo datum fuit ei Consilium.

VI. Si actio injusta, aut damnificatio à pluribus simul facta fuerit, quilibet tenetur ad restitutionem in solidum, id est singuli tenentur ad totius damni compensationem, tunc enim quilibet totius damni causa est, quamvis non solus, ita omnes. Cæterum uno restituente, alij liberantur respectu damnificati, qui nequit licitè aliam exigere restitutionem; alioquin ex damno fieret ditior. Non vero respectu illius, qui damnum integrè sua restitutione reparavit, quia quilibet tenetur illi prorata portionis restituere, nè ille, qui pro omnibus satisfecit, & damnum ab omnibus illatum reparavit, nimis gravetur, & alij bonum alienum retineant. Dixi *Simul* quia si omnes impulsu, & authoritate unius principalis agentis ad damnum univoce, id est, si jussu unius principalis concurrerint, eo restituente, alij non tenentur dare illi portionem: nam hic principalis agens aliis imposuit necessitatem damni, ideoque si satisfecerit, nullam meretur ab aliis restitutionem obtinere: licet singulis ad restitutionem teneantur in solidum respectu damnificati, ac si egissent quilibet propria authoritate, proprioque motu: quamvis enim omnes sint culpabiles, & ad restitutionem astricti respectu damnificati, non sunt culpabiles respectu principalis agentis, cujus mandato cæteri egerunt. Non valet tamen indè inferre illum, cujus impulsu, aut authoritate omnes egerunt, liberari etiam ab obligatione restituendi, si contingat quod unus ex illis satisfecerit: teneretur enim dare illi subdito, qui pro damna satisfecit, id quod ipse dedisset damnificato. Quia restituendi obligatio principaliter incumbit principali agenti, quo inculpato, inculpantur alij. Non è contra: hujus assertionis fundamentum est: quia qui per alium facit, per se facere videtur. Hoc nonobstante Clavasius verbo *Furtum* num. 16. impugnat assertum dicens: quod si unus satisfaciat illi, qui damnum suscepit, alij non tenentur restituere eidem satisfacienti prorata portionis; hujus Doctoris ratio est. Quia causa est turpis, & ille qui pro omnibus satisfecit, fuit concausa talis damni, & consequenter indignus est ut illi aliquid restituatur ex L. 2. & 3. ff. *De conditionibus ob turpem causam.* Respondeo cum Mastrio hoc esse verum, si ille, qui rem ablatam restituit, totam prædam acceperit, non autem si res ablata inter omnes divisa fuerit, cum nulli liceat retinere quod suum non est. Vel dico hoc esse ve-

rum & conforme legi quantum ad forum contentiosum, & falsum quantum ad forum conscientiæ. Quia obligatio restituendi illi, qui pro omnibus satisfecit, non incumbit cuilibet ex sociis, ratione turpitudinis actionis seu furti præteriti, sed ratione restitutionis ab uno, pro aliis factæ, quæ non est causa turpis, sed honesta.

VII. Quæritur an ille, qui alium impedivit à consecutione alicujus boni, teneatur ad restitutionem? Respondeo quod attendendum est, an jus impediti læserit; & an per vim, fraudem, vel calumniam impedierit. Undè si impeditus nullum jus habeat ad bonum, & si aliundè esset hujus beneficij capax, revera impediens peccavit, sed non ligatur obligatione restituendi, quia impediens nullam ei fecit injuriam, nec fecit contra justitiam; sed solum contra charitatem, nisi id fecisset in concursu, examine, & electione in quibus ille qui dignior agnoscitur, jus habet ut cæteris, quamvis dignis præferatur, ut in primo libro cap. 15. dictum est; ac proinde in his casibus, & similibus in quibus impeditus habet jus in re, vel ad rem; impediens quamvis nullam vim aut fraudem adhibuerit, sed solum preces, & suasiones, tenetur ad istius damni reparationem. Aliter sentiendum est, si impedierit per vim, fraudem illum qui nullum jus habebat: nam obligatio restituendi est solius justitiæ, & non aliarum virtutum debitum; at ille qui per vim, & fraudem impedivit aliquem nè assequeretur bonum ad quod nullum jus habebat, non peccavit contra justitiam, sed solum contra charitatem; igitur ad nullam restitutionem tenetur. Verum si illum per calumniam impedierit tenetur ad restitutionem, aut reparationem famæ; non autem rei, quam petebat, quæ cùm non esset sua, nec in jure, nec in possessione, non est ipsi restituenda.

VIII. Plures Doctores posteriorem asserti partem impugnant. Hoc argumento. licet impeditus per fraudem,& calumniam non habeat jus ad rem, quam alter ex gratuita voluntate, & absque ulla obligatione justitiæ, ei donare volebat, aut ei donare poterat, habet tamen jus, nè per media injusta, ab alijs impediatur ad bonum consequendum, quod ex alterius benevolentia sperabat. Ita Mastrius. Sed non convincit hæc ratio, nec infirmat nostram: nam jus quod impeditus habet, nè per media injusta impediatur, non fundat in impediente obligationem restituendi rem, quam sine jure sperabat, sed solum obligatione restituendi,id quod abstulit scilicet famam ad quam omnes jus habent ex illo Ecclesiast. 14. *Curam habe de bono nomine*. Quia jus quod impeditus habet, nè per injusta media impediatur, non est jus ad rem quam sperabat; alias Dominus rei teneretur illi eam dare; sed est jus ad famam, quam nullus potest licitè illi præripere: ergo impediens alium nè assequatur beneficium ad quod nullum jus habet, non tenetur ad restitutionem beneficij,aut damni quod patitur ex ipsius beneficij carentia: quamvis per calumniam impedierit illum.

IX. Detentor rei alienæ tenetur restituere eam Domino, pro quo ipsa res clamat. Et si ipsi fieri nequeat restitutio ob mortem, vel aliud impedimentum moraliter invincibile, fieri debet ipsius hæredibus, aut ejus hæreditatem habentibus. Ratio est. Quia de lege naturæ præsumendum est, damnificatum potiùs velle quòd illi, qui ipsius bona habet jure naturæ, vel ex electione habeant etiam bona restituta, quàm alij, ut inquit Scotus. Quando autem hæres, & propinqui sunt] incogniti; nec lapsu temporis, adhibita diligentia deprehendi possunt, & incertum est cuinam restitui debeat, restitutio facienda est Christo, quem Deus constituit hæredem universorum, seu pauperibus: qui ex D. Chrisologo porrigunt manum, & christus accipit Eleemosynam. Si vero post factam pauperibus restitutionem juxta formam præscriptam, contingat debitorem agnoscere verum Dominum rei, nihil amplius ab illo debetur, penitusque liberatur, ab obligatione restituendi: quamvis præcedens obligatio fuisset ex delicto injustæ acceptionis, & Dominus instet pro re sua recuperanda. Tunc enim debitor suam purgavit culpam,& operatus est juxta dictamē conscientiæ rectæ, quid quid ab ipso rationabiliter exigi poterat pro remissione obtinenda. Ita Lezius lib. 2. cap. 14. dub. 6. num 43. & Azorius, Bonacina & alij.

X. Quæritur an, si ille qui ad talem restitutionem tenetur, sit pauper possit sibi applicare rem illam, quæ juxta ea, quæ jam dicta sunt, restituenda est pauperibus? Respondeo affirmativè si sit verè egenus, habito prius consilio confessarij, vel Epis-

copi, qui judicabit an res sit magni momenti, & an excedat præsentem debitoris necessitatem. Ratio est. Quia ipse debitor non est pejoris conditionis, quàm alij pauperes, quibus certò in pari necessitate potest se præponere. Hanc sententiam tenent plures quos refert,& sequiturMastrius disp. 7. num. 49.

XI. Cum ad restitutionem sæpe faciendæ sint expensæ, ut res ad Dominum perveniat. Assero quod si restitutio sit de re accepta sine peccato injustitiæ, expensæ sunt creditoris, & res debet ad ipsum transmitti absque ullo debitoris bonæ fidei detrimento. Possessor bonæ fidei ad nullum damnum subeundum tenetur: nam creditor, qui in hoc casu sentiet commodum, debet etiam incommodum sentire. Quādo autem res est debita ratione injustæ acceptionis, restituenda est expensis debitoris: quia tunc debitor seu possessor malæ fidei; qui est causa expensarum, debet sibi eas imputare. Ita omnes Doctores unanimiter.Inter quos maxima controversia est, an possessor malæ fidei, seu fur teneatur proprijs expensis restituere rem Domino, si ipsæ expensæ necessariò præmittendæ,ut res adDominum perveniat, sint duplo majores. Quàm res restituenda. Cajetanus, Azotius, Sotus affirmant. Eorum ratio est. Quia possessor malæ fidei, est causa expensarum, & consequenter ex illis non debet minui Dominium rei. Ex adverso Salonius, Lezius, Aragonius, & Mastrius citant Scotum,& D. Thomam negant. Hæc opinio est probabilior, etenim in tali casu debitor poterit tuta conscientia rem debitam distribuere pauperibus, vel in alia opera pia erogare. Quia restitutio facienda est, nè debitor habeat bona creditoris ipso rationabiliter invito: sed debitor in hoc casu præsumere potest creditorem non esse rationabiliter invitum; cùm dictamen rationis inspiret ipsi satisfactionem non esse exigendam, cum tanto debitoris detrimento, ac damno: ergo debitor præcepto restitutionis plenè satisfacit distribuendo pauperibus pecuniam furto ablatam, si eam nequeat ad Dominum transmittere, quin duplum expendat; quia restitutio fit ut servetur æqualitas inquit Bonacina, magna autem esset inequalitas, si debitor restituere teneretur cum longè majoribus expensis, quàm res ipsa valeat: irrationabilis enim esset Dominus rei, si vellet restitutionem sibi fieri, & re restituenda pauperes privare; cum tanto debitoris gravamine. Fateor quod debitor est jure causa damni,ut dicunt adversarij,&consequenter quod debet illud,seu expensassubire,nō vero in isto casu, in quo expensæ longe excedunt debitum, quia non possunt rationabiliter exigi à Domino rei, seu à creditore, de quo præsumi potest,velle rem dari pauperibus, non autem velle simile damnum inferre debitori.

CAPUT XX.

Prosequtio ejusdem præcepti.

I. Res inventa in vijs, & alijs locis cujus Dominus penitùs ignoratur, nec invenitur, adhibita diligentia, est restituenda pauperibus, Ecclesiæ, vel hospitali, aut alijs locis pijs: etenim nomine pauperum intelliguntur hæc omnia loca. Nec inventor, nisi egenus sit, potest eam sibi retinere. Ita Scotus, cujus ratio est. Quia præsumendum est Dominum, qui rem illam amisit, velle potius rem suam amissam dari pauperibus, quàm in alios usus expendi; ac proinde nè res amissa possideatur invito Domino, saltem interpretativè, & probabiliter, restituenda est pauperibus juxta voluntatem Domini rei inventæ, si ipsi restitui nequeat: nam Dominus per amissionem rei non desinit esse Dominus: ideoque ut res, quam amisit, restituatur meliori modo quod potest, inventor non debet sibi illam retinere; cum præsumptio potius stet pro pauperibus, quàm pro eo, qui illam invenit, nisi ipse sit pauper, & eadem re indigeat sicut alter pauper. Hæc opinio videtur mihi probabilior, quàm opposita. Observandum tamen est,quòd si per Papam, vel principem bona inventa, alicui applicentur, eidem dari debent, nec potest inventor ea retinere tuta conscientia. Ita omnes communiter:quia lex superioris debet sub mortali in hoc observari.

II. Quantum ad Thesaurum propriè dictum, seu quatenus est vetus depositio pecuniæ cujus non stat memoria, ut jam Dominum habeat, dum invenitur in loco communi, & publico, si ad jus naturale

ſpectes, eſt inventoris; ea enim, quæ nullius ſunt, primo occupantis fiunt; cum ea retinere poſſit nullo invito. Si vero inveniatur in fundo, dividendus eſt cum Domino fundi, modò inventus fuerit caſu fortuito: nam ſi de induſtria ſit quæſitus, & inventus ſine conſenſu Domini fundi, ad Dominum eſt remittendus, propter injuriam quam inventor intulit ipſi: cenſetur enim inventor voluiſſe habere Theſaurum invito Domino. At ſi Dominus conſenſerit ut quæreretur Theſaurus in ſuo fundo, tunc ſtandum eſt pacto inter Dominum fundi, & inventorem inito. Si vero nullum fuerit pactum, inventor poteſt Theſaurum retinere, quia in caſu, Dominus conſentiendo videtur condonaſſe inquit caſpenſis.

III. Maxima difficultas eſt, an qui ſcit in fundo alieno latere Theſaurum, poſſit licitè, & ſine obligatione reſtitutionis emere fundum illum, non indicato Theſauro Domino agri, nec aucto pretio illius, ſed communi pretio, ac ſi ibi non eſſet Theſaurus. Caſpenſis, Sotus, Sylveſter, Lezius, & alij affirmant. Ab hac opinione recedo. Nam ſic emere, eſt emere mala fide, & abuti ignorantia inculpabili venditoris: ergo talis emptio eſt illicita, vitioſa, & reſtitutioni obnoxia, nec valet emptor tuta conſcientia poſſidere theſaurum in fundo, aut agro inventum. Quia non emit illum, cum nemo vendat, quod ignorat. Deindè venditor tenetur in conſcientia revelare emptori defectus graves rei notos ſibi, nè emptori noceat, ut docent D. Thomas 2. 2. quæſt. 77. art. 3. & D. Bonaventura in ſpeculo animæ cap. 2. nec excuſat ſe dicens *vendo rem cum omnibus ſuis defectibus* quia defectuum ignorantia, in qua eſt emptor, ita dat cauſam contractui, ut emptor non iniſſet illum, ſi defectus cognoviſſet: ergo eadem ratione emptor tenetur etiam, nè venditori noceat, revelare effectus, & valorem rei, quam emit, ſi venditor omnino eos ignoret: Quoniam ubi eſt eadem ratio, ibi eſſe debet eadem diſpoſitio juris l. *illud* ff. de leg. cum certum ſit quod ignorantia theſauri ita dat cauſam contractui venditionis agri, ut venditor non venderet illum tali pretio, ſi ſciret in eo eſſe theſaurum abſconditum. Ita Syranus, & alij quos refert, & ſequitur Clavaſius verba *emptio* num. 24.

IV. Doctores adverſantis ſententiæ objiciunt primo illud Math. 13. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.* In qua parabola nulla ſit mentio de manifeſtatione theſauri Domino agri facienda, ſed ſolum de pura emptione. Verũ non nocet hæc authoritas. Tum quia licet ibi nulla fiat expreſsè mentio de manifeſtatione theſauri, nulla etiam ſit de ignorantia theſauri in venditore agri. Et conſequenter indè inferre poſſumus emptorem emere agrum illum in quo eſt theſaurus, Domino ſciente, & exigente pretium juſtum pro emptione agri, & theſauri, ut probat hæc particula *vadit, & vendit univerſa quæ habet.* Tum quia hæc parabola non eſt ad rem ut fatetur Caſpenſis. Quoniam ibi theſaurus, eſt vel Chriſtus Dominus, vel prima gratia inquit idem Doctor. Secundo objiciunt ex ratione. Nam (inquiunt) theſaurus non eſt fructus agri, nec pars ejus, & conſequenter Dominus agri non eſt Dominus theſauri, niſi manifeſtetur illi, ad quam manifeſtationem non tenetur emptor, & indè concludunt quod emens agrum communi pretio, juſtè emit abſque ulla obligatione reſtituendi. Minus nocet hæc ratio. Quia falſum eſt theſaurum non pertinere ad Dominum agri, niſi illi manifeſtetur: eſt enim quaſi res acceſſoria quæ ſequitur naturam principalis, ac proindè licet non ſit fructus agri, eſt nihilominus Domini, cujus eſt ager, qui cùm res principalis ſit, theſaurus qui eſt res acceſſoria, debet ſequi ſtatum ejus, ſeu ad eumdem Dominum pertinere, etiam ante manifeſtationem: nam ex dictis ſupra num. 2. juxta leges, & communem doctorum ſenſum. Theſaurus inventus in aliquo fundo, inventore, & Dominò neſcientibus illum in tali fundo eſſe, eſt dividendus inter inventorem, & Dominum fundi: ergo etiam dividendus eſt in illo caſu, quamvis ſit incognitus Domino, cùm emptor qui ſcit in agro eſſe theſaurum, ſit vere inventor antequam agrum emat; cum certò ſciat in agro latere theſaurum. Fateor emptorem non teneri abſolutè ad Revelandum theſaurum. Sed nego quod poſſit agrum emere communi pretio, & totum theſaurum ſibi retinere. Quia facta ſuppoſitione quod velit agrum emere, tenetur revelare theſaurum, vel ad minus pretium augere in intuitu theſauri, nè

nè habeat quod non emit.

V. Utrum sciens pretium mercis mox esse minuendum, possit eam vendere citò, pretio currente, si ipse solus noscat abundantiam superventuram, præcisè intuitu diminutionis pretij; quin teneatur ad restitutionem? plures negant, quia merces ob abundantiam proximè futuram decrescunt in pretio, & ideo qui eas tunc currenti pretio vendit, injuriam facit emptori inscio; cùm damnum certò futurum voluntariè & fraudulenter infundat in ipsum, qui procul dubio non emeret tanto pretio, si id sciret. ex adverso valentia disp. 5. quæst. 20. punct. 4. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 5. Caspensis & Covarruvias affirmant cum D. Thoma. 2. 2, quæst. 77. arti. 3. ad 4. Huic sententiæ subscribo. Quia in hoc casu pretium currens est justum; cùm privata venditoris scientia communem existimationem minimè variet; sicque licitum est venditori uti jure suo, suasque vendere merces pretio communi tempore venditionis; alioquin teneretur conservare eas usque ad tempus abundantiæ; quòd est falsum. Deindè si mercator scit pretium mox augendum, potest merces emere pretio currente, ut probat exemplum Joseph. Genes. 41. Igitur eadem ratione vendere potest; idem quippè malum, quod vendendo fit emptori, emendo fit venditori.

VI. Illicitum est res cariùs vendere creditò, seu dilata ad tempus solutione, quàm valent numeratâ pecuniâ can. *In civitate tua* de usuris, nisi dubium sit an tempore solutionis, valor rei erit variatus, & venditor non intenderet vendere tempore quo vendidit: remota si quidem hac exceptione, contrahens vendit tempus, quod suum non est, & est usurarius. Res cariùs vendere ob solam solutionis dilationem, quàm de præsenti valeant: perindè est, ac si emptor pretium solveret, illudque daret venditori cum excessu, seu cum eo, quod exigit ultrà sortem. Unde dum adveniente tempore accipit pecuniam, quam non accepisset in principio venditionis, si ei numerata fuisset, accipit aliquid ultra sortem propter solam dilationem temporis, sicque est verè usurarius, & tenetur ad restitutionem. Hoc autem non contingit, dum venditor dubitat an tempore solutionis valor rei fuerit variatus, ratione æstimationis novæ, quia majus pretium probabile, quod reliquit, potest hujusmodi contractum excusare à labe usuræ, eumque licitum reddere; cùm excessus pretij non sit ob temporis dilationem; sed ob probabilem valorem futurum, quem obtineret mercator, si suas modò non venderet merces; nec contingit si venditor non sit determinatus ad vendendum, quia hoc non est vendere tempus, sed merces pro tali tempore; nec est velle aliquid ultrà sortem, sed recipere pretium naturale, seu vulgare; cùm pretium illud non imponatur pro temporis dilatione, sed pro alienatione mercis pro tali tempore destinatæ à venditore: qui non modo, sed tali tempore eam vendere decrevit.

VII. Illicitum quoque est emere res anticipata solutione, minori pretio quàm valituræ sint tempore traditionis: nam non ex illa, sed ex ista, seu ex traditione rei desumi debet justum mercis pretium, quia tunc venditor censetur esse in gravi necessitate pro qua sublevanda, cogitur merces suas vendere quovis modo; nonnullæ tamen sunt causæ, ob quas interdum licet eas emere minori pretio anticipata solutione; modò venditor interpellet emptorem. Primo propter lucrum cessans, quo emptor se privat anticipatè. Secundo si dubitet venditorem non esse traditurum mercem ob malignitatem, aut paupertatem, ex qua prævidet se non posse ab ipso mercem accipere tempore præfixo absque expensis, labore, ac molestia. Tertio si tam probabile sit merces tempore præfixo esse minus valituras, quàm plus; ita ut emptor, & venditor æqualiter exponantur periculo sortis: tunc enim uterque se exposuit æquali dubio damni. Quare quomodocumque postea contingat; tali pretio standum est, cùm prudentum judicio taxatum fuerit; & sicut crevit, decrescere potuerit. Undè si emptor, aut venditor tunc certò sciat quadam experientia, aut alia via, pretium vel augendum, vel minuendum tempore traditionis, contractus ex parte scientis est usurarius, & restitutioni obnoxius. Quia tunc non est utriusque æquale periculum sortis: nam commutanti non licet ponere se in tuto de lucrando, & illum, cum quo commutat, in damno, ut inquit Scotus. Quia hoc fraudem continet atque obligationem restituendi. Illicitum quoque est emere rem pecunia anticipatâ minori pretio, quàm re ipsa con-

tinet v. g. jus alterius ad centum nummos aureos ipsi debitos, ob quos recepit quinque quot annis; emi non potest minori pretio, nimirum nonaginta; ita ut emptor his nonaginta nummis quot annis recipiat quinque, quos licitè recipiebat venditor: ex hac enim anticipata solutione recipitur lucrum ultrà sortem, & plus habetur, quàm datum fuit, ob solam dilationem temporis.

VIII. Quæritur an licita sit emptio, vel venditio rei cum pacto, omni ex parte libero redimendi eam tempore præfixo juxta pretium datum? plures Canonistæ negant ex can. *ad nostram* de empt. ubi Innocentius III. usurarium declarat contractum, quo quis emerat domum cum pacto de ea retrovendenda. Ex opposito alij probabilius affirmant; quippe cum venditio sit libera, sequitur quod Dominus, sicut potest rem suam non vendere; ita potest venditionem limitare, seu vendere eam conditionatè, & emptori imponere onera, quæ imponere voluerit, dummodo pretium minuat juxta oneris oposiri æstimationem, ut tradit Mastrius: unusquisque enim rei suæ, quam tradit, & commutat, apponere potest leges, & conditiones, quas volverit, modò servet naturam justi pretij, sed domus eo pacto vendi potest, ut emptor eam numquam alienare possit, similiter poterit eam eo pacto vendere, ut emptor teneatur eam iterum venditori vendere; modò ipse venditor reddat acceptum pretium, & quod pro expensis, aut beneficijs, (si quæ sint,) datum fuerit, solvat. Si Petrus v. g. peteret centum nummos à Paulo, qui pecuniam dare non valet, nisi ei exhiberentur merces, ad valorem pretij medij centum nummorum, ab ipso emendæ numerata pecunia, certum est quòd ipse Petrus posset eas vendere Paulo pretio currente, sub tali conditione scilicet ut ipse Paulus eas ei iterum venderet anno sequenti eodem pretio, quo Paulus vendet eas alijs, hoc enim nihil aliud est nisi velle præferri alijs mercatoribus, cum Paulus sit mercator, velitque vendere merces, quas accepit à Petro cum intentione vendendi eas indiscriminatim mercatoribus: ergo licitum est emere, vel vendere rem cum pacto redimendi eam juxta pretium datum, in sensu explicato. Ad fundamentum aliorum dico can. *Ad nostram* non prohibere absolutè contractum de retrovendendo, sed solum quando præsumitur ipsum eum dolo, & fraude factum fuisse, scilicet cum animo redimendi merces meliori pretio, easque iterum vendendi altiori pretio; ut ex verbis textùs colligitur; quare improbandum est tanquam usurarium illud emptionis, & venditionis genus, quo quis mutuum roganti, offert merces ei vendendas altiori pretio; eo animo easdem merces protinus redimendi pretio minori, quod statim persolvitur ei, qui mutuum rogat; cùm indè mutuum rogans maneat obligatus ad refundendum hoc pretium præfixo temporis termino, simulque id quod super excedit usque ad complementum majoris pretij, in priori venditione stipulati.

IX. Doctor subtilis in 4. dist. 15. quæst. 2. Docet illicitum esse, & contrà justitiam rem suam cariùs vendere alteri, quia ei commoda, & valdè necessaria est: hæc enim utilitas, aut necessitas non est venditoris, sed emptoris, ut est manifestum, & ideo venditor, non potest intuitu necessitatis emptoris, cariùs rem suam ei vendere, nec tali prætextu augere pretium, in damnum emptoris, ad quem pertinet commodum, quod illi in incommodum verti minimè debet. Idem docent D. Thomas loco citato art. 1. Bassæus, Navarrus & alij, quos refert & sequitur Reginaldus, qui notat paucos confessarios istam venditorum injustitiam advertere. Illicitum quoque est, atque injustum, cariùs vendere res quæ nullum, solitò pretium habent, ob peculiarem emptoris affectum; nec in illis, utpotè gemmis, tabulis antiquis, & similibus: valet hæc regula. *Tantum res valet quantum vendi potest.* Ut existimant Lessius, Filliucius, Aragon, Diana, contra Sotum, Toletum, Molinam, & Reginaldum, qui prædictam regulam admittunt in hujusmodi rerum venditione. Ratio nostra est: quia pretium earum rerum, quæ nec ex lege, nec ex communi æstimatione taxatæ sunt, sumendum est ex intelligentis mercatoris judicio, qui attentis circunstantijs illas æstimare debet: justus enim valor numquam potest esse illimitatus; idcircò ipsum valorem dumtaxat, non vero emptoris affectum ponderare debet. Nec obstat privatio affectionis & oblectationis, quæ habetur ex possessione, & usu rei raræ, & insignis. Quoniam hæc privatio affectionis nequit præbere causam cariùs vendidi hujusmodi res illimitato, ac enormi pretio,

cùm affectus immoderatus non sit enormi pretio redimendus, sed potius ad aliquem discretionis modum reducendus. Minus obstat objicere nullam fieri injuriam spontè ementi, tantoque pretio emere consentienti, ut habemus ex hac regula juris *volenti non fit injuria*. Quia regulæ intelligendæ sunt intrà modum, & terminos rectæ rationis peritorum, rei singularitatem & raritatem agnoscentium. Disputant etiam Doctores an liceat vendere alicui domum. v. g. & sibi reservare redditus, donec solvatur pretium venditionis, seu domus emptæ? Sanchez, Tabiena & alij affirmant. Ex adverso Major, Rosella, & alij post D. Antonnium negant. Hanc posteriorem sententiam tueor, & existimo hujusmodi contractum esse illicitum & usurarium, quia per contractum venditionis Dominium domus transfertur ad emptorem, & substat periculo ipsius. Igitur ex justitia fructus debent esse emptoris, cujus est domus empta, cùm res Domino suo fructificare debeat, & ipse emptor debeat solvere de fructibus pretium. Vel de bonis proprijs si domus pereat, ante integram pretij solutionem: aliàs si domus periret, esset debitor domus, quam non haberet nec habuisset.

X. Omnes Canonistæ conveniunt rem emptam non perire venditori, sed emptori, si pereat, vel deterior fiat post ipsius traditionem, etiamsi pretium nondum fuerit solutum. Quia res dum perit, Domino suo perit, & consequenter emptori, qui per traditionem rei fit Dominus ipsius. Dissidium tamen est ante traditionem. Plures stant pro venditore, si res fuerint determinata in venditione, ut hic equus, hic bos, &c. Alij verò stant pro emptore. Hæc opinio est præferenda. Nam contractus venditionis rei determinatæ absolutè celebratus, sufficiens est jure gentium ad transferendum dominium, ut fatentur Lessius, Molina, & Sylvius primam tuentes sententiam. Quia mens sic contrahentium est, ut statim res vendita, tam in principali, quàm in accessorio pertineat ad emptorem, nisi aliter fuerit expressè conventum; sicque tenetur in conscientia subire damnum rei determinatæ, quam per emptionem fecit suam. Insuper tunc venditor, putà post venditionem, nequit rem illam in contractu venditionis determinatam, alteri vendere: ergo signum est quòd jam est emptoris, & si pereat, ipsi perire debet, nisi venditoris culpa pereat, fiatque deterior. Quia cura rei venditæ adhuc spectat ad venditorem, v. g. si venditor culpabiliter non custodiat rem venditam, aut si fuerit in mora tradendæ rei venditæ, tunc est in culpa, & res non emptori, sed ipsi perire debet, si tunc pereat, deteriorque fiat.

CAPUT XXI.

De ordine juxta leges servando in restitutione.

I. CUm sæpe contingat debitorem non habere sufficienter undè valeat omnibus creditoribus satisfacere, necesse est ut aliquem servet ordinem in restitutione facienda. Quandò in tali insufficientia reperitur, tenetur prius solvere debita certa, seu ea quorum Dominum noscit, quàm incerta: quia incerta restituenda sunt pauperibus jure positivo, certa autem debentur Dominis jure naturali: illicitum quidem est dare pauperibus bona alterius; cùm de proprijs bonis fieri debeat eleemosyna, & eisdem pauperibus restituenda sint ea dumtaxat, quorum Dominus ignoratur. Si verò contingat omnia debita esse certa, id est debitorem cognoscere eos quibus debet, & ipsum habere adhuc ea, quæ debet & bona esse insufficientia, priùs restituenda sunt ea, quæ extant: quia Dominium eorum est adhuc apud creditorem, nec potest in alium transire absque injustitia: certum quidem est, quod Petrus habens domum Pauli, & debens alijs, peccaret, si domum inter creditores divideret. Ex debitis autem certis, quæ non extant, prius restituenda sunt privilegiata scilicet ea, quæ debentur ratione dotis uxoris, legatorum, &c. Quàm alia non privilegiata, in quorum solutione, aut restitutione servandus est ordo antiquitatis creditorum ut constat ex hac. 46. Regula juris in 6. *Qui prior est tempore potior est jure*, nisi qui posterior est tempore, gravamen & necessitatem patiatur: tunc enim debitor potest tutâ conscientiâ eum preferre alijs, ut postulare videtur ordo charitatis, cui non contradicit citata regula juris.

II. Debita onerosa qualia sunt ea, quæ ex emptione, locatione, & permutatione proveniunt, præferenda sunt debitis gratuitis, seu eis, quæ ex gratuita promissione sunt. Realia pariter quibus affectatum est pignus, aut hypoteca, debitis personalibus seu Chirographijs sine pignore præferri debent L. *eos* 9. cod. qui potior in pign. hab. Ratio est quia creditor cui res obligatur ex aliquo ex prædictis contractibus, præter jus personale, quod habet in personam debitoris, quod habent alij creditores, habet insuper jus quodam in re obligata, quod alij creditores non habent.

III. Agitatur an debita onerosa sint præferenda debitis ex delicto? negant Cajetanus verbo *restitutio* cap. 4. & Navarrus. Alij volunt nullum esse ordinem in hac restitutione servandum. Ita Aragonius, Lessius, Mastrius, Cabassutius & alij docentes debitorem ex delicto seu furto, & ex contractu oneroso v. g. ex locatione, si non habeat undè utrique creditori satisfacere valeat, posse satisfacere cuicumque voluerit. Alij dicunt debitum ex delicto priùs esse solvendum. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior, modò nullus sit titulus anterioritatis, hypotecæ &c. Quo creditor ex contractu oneroso sit alteri præferendus; cùm quæstio sit de creditoribus in æquali gradu existentibus. Ratio est quia debitum ex delicto est gravius, & magis onerat conscientiam debitoris, quàm debitum ex contractu oneroso, seu ex emptione, locatione, aut permutatione: nam debitori ex furto non sufficit restituere rem ablatam, sed tenetur insuper peccatum furti declarare in confessione, etiamsi statim post furtum habuerit voluntatem restituendi, vel ad restitutionem fuerit impotens, nec potest absolvi nisi præcedat restitutio in re, vel saltem in voto. Debitori autem ex contractu oneroso, sufficit restituere, præsertim, si finito conventionis tempore, habuerit voluntatem solvendi debitum, vel ad restitutionem, aut solutionem fuerit impotens; ideoque priùs illud, quàm istud est solvendum; cùm à majori injuria, aut malo prius sit recedendum, quàm à minori, & debitum ex furto sit gravius, quàm debitum ex contractu oneroso; cùm sit culpabile nedum ratione rei acceptæ; sed etiam ratione injustæ acceptionis, & debitum ex contractu oneroso sit tantum culpabile ratione rei acceptæ.

IV. Utrum emptor rei furtivæ teneatur pro servando ordine Restitutionis restituere rem Domino, aut venditori? plures sunt sententiæ. Sotus, Azorius, Covarruuias & alij stant pro Domino rei furtivæ. Toletus, Gabriel, Abellius, Sylvester verbo. *Restitutio* 3. noster Alexander Alensis 1. p. quæst. 86. num. 3. art. 5. & alij quibus subscribo tenent restitutionem esse faciendam furi, qui eam vendidit, ut ab eodem emptor recuperet pretium, quod solverat, cum admonitione tamen restituendi Domino, cui subripuerat; licet enim unicuique bona fide agenti, juri suo præ alio consulere; nec tenetur alteri prodesse sibi nocendo, si possit sibi non nocere; sicque potest priùs ad furem, quàm ad Dominum recurrere, ut suam recuperet pecuniam, rem emptam restituendo. Nec per hunc agendi modum ipsa res constituitur in diverso, quàm quis præcesserat statu. Si verò emptor bona fide cognoscat se non posse pretium datum recuperare à fure; existimo quòd tenetur eam restituere Domino absque ullo jure petendi, aut compensandi pretium à se datum. Quoniam ratio allata tunc cessat, meliusque est rem à Domino, quàm à fure possideri; cum nec ipse emptor, nec fur possint eam licitè retinere, nec indè majus recipiet damnum emptor, si nulla sit spes recuperandi pretium quod solverat.

V. Hanc assertionem modificant Navarrus, Cabassutius & alij, qui aliter discurrunt de illo, qui scienter emisset rem furto ablatam, voluntque hunc emptorem obligari ad restitutionem faciendam domino, non furi. Ratio est quia, qui mala fide acquisivit, transtulit in se restituendì obligationem, qua fur venditor erat obstrictus, & tenetur titulo injustæ acceptionis, perinde ac fur à quo emit scienter. Sed ab his recedo, cum Lessio & alijs. Quia licet emptori constituere rem in primo statu absque injuria, aut damno Domini rei furtivæ. Nec per illicitam aut invalidam emptionem perdidit jus recuperandi pretium in emptione datum, nec jus consulendi sibi præ altero; cum obligatio restituendi optimè stet cum jure naturali, quo unusquisque potest se à damno eximere & consulere sibi præ altero. Quoad rationem probantem contrarium, dico emptorem transtulisse in se obligationem restituendi rem furtivam, quam scienter emit, mediatam, id est non potest eam li-

cite retinere. Non autem immediatam; ita ut hujusmodi obligatione teneatur eam restituere immediate Domino, & pretium solutum perdere. Quia tentare potest an possibile sit recuperare à fure pretium datum, restituendo illi rem emptam, cum eadem admonitione restituendi Domino, cui subripuerat; cùm non possit illud recuperare ab ipso Domino. Igitur qui scienter emit rem furto ablatam, potest illam furi restituere. Ut recuperet pretium quod solverat, sicut ille qui emit bona fide, modò omnem diligentiam & curam adhibeat, ut res furata ad proprium Dominum perveniat.

VI. Quamvis emptor bona fide rei furtivæ, teneatur eam restituere, quin habeat jus petendi & compensandi cum Domino pretium à se datum; tuendum tamen est quod si quis exiguo pretio rem majoris æstimationis redemerit à fure cum animo reddendi Domino, potest ab ipso Domino tuta conscientia petere pretium à se erogatum; cum habeat jus quærendi suam indemnitatem, & Dominus tenetur ei illud persolvere; aliàs inferret malum illi, qui negotium suum utiliter gessit; quod prorsùs improbandum est, atque etiam in foro externo, solvere teneretur, si rem emptam recuperare vellet, ut observat Cabassutius lib. 6. cap. 9. num. 14. ex L. *Si quis absentis* D. denegat. gest. & instit. de obligat. quæ quas ex contract. nasc. §. 1. quia pretium illud ab emptore datum sequitur valorem rei, quæ ad Dominum redire non potest cum re, nisi ipse Dominus solvat pretium emptori, qui cum animo reddendi eam emere voluit; alioquin Dominus præter rem suam, haberet pretium, quod emptor exhibuit tamquam medium, quo Dominus rem suam obtinuit; quod quidem medium est pretio æstimabile, & solvendum à Domino, qui rem suam recuperat.

VII. Quæritur an licitum sit absque ulla obligatione restituendi uti mixtione v. g. aquæ in vino, modò vinum indè non efficiatur deterius, eo quod venditur ab aliis pretio taxato. Affirmant Diana, Bonacina & alij. quorum ratio est, quia talis venditor vini nullum damnum infert emptori, qui non emit vinum deterius, eo quod alij vendunt, nec vendit illud majori pretio; sed non mihi placet hæc opinio, quia hoc non obstante, ille venditor vendit aquam pro vino, & vendit plus quam habet, & emptor emit quod suum est, utpotè aquam. Nec proprie dici potest industria hæc mixtio; quia industria sistit in bonitate, aut in modo, non autem in quantitate rei alterius, & deterioris naturæ. Sic Azorius, Ledesma & alij qui venditorem obligant ad restitutionem.

CAPUT XXII.

De facienda restitutione rei acceptæ ex Monopolio.

I. SIc definitur monopolium, *conventio, machinatio & industria aliquorum mercatorum, efficientium, ut ipsi soli aliquod mercium genus vendant, vel certo pretio vendant, & non aliter.* Unde monopolium dicitur quasi unus venditor ut advertit Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. arti. 2. §. *Sequitur* quoniam sic negotiantes maximum reipublicæ inferunt damnum. Quare concludit idem Doctor hujusmodi negotiatores esse vituperabiles, & à republica exterminandos, atque exulandos tamquam proditores, & perditores, nè reipublicæ amplius noceat.

II. Quatuor modis fieri potest monopolium, vel conspirando inter se de pretio, vel faciendo ut ipsi soli vendant aliquas merces, vel emendo omnes certi generis, easque supprimendo, donec earum pretium multum ascenderit, vel impediendo, nè aliundè asportentur ab alijs mercatoribus: ij enim quatuor modi ad eumdem cum monopolio finem tendunt, nimirum ut aliqui mercatores, cariùs vendant merces, fintque quasi unus vendens in damnum omnium reipublicæ subditorum, qui non possunt alibi hujusmodi merces emere, nec ibi absque gravi incommodo, quod ipsis minimè contingeret, si nullum fuisset monopolium, ut probat quotidiana experientia. Nedum venditores possunt propriè, monopolij committere, seu esse monopolæ, sed etiam emptores in nundinis, videlicet dum invicem conspirant de non emendis mercibus, nisi pretio inferiore infimo, quoniam sunt, aut efficiuntur quasi unus emens, sunt quoque causa damni, quod venditores in suis mercibus vendendis patiuntur injustè, &

ideo isti peccant, sicut illi, saltem contra charitatem, ut fatetur communis opinio, salva disquisitione an peccent etiam contra justitiam, & teneantur ad restitutionem de pretio excessivo aut remissivo? quod resolvemus juxta probabiliorem sententiam.

III. Circa hanc difficultatem duæ sunt opiniones. Lessius, Bonacina, Reginaldus & alij apud Mastrium disp. 5. num. 34. docent licitam esse conventionem mercatorum de non vendendo; nisi pretio supremo in latitudine justi pretij. Ratio est quia mercatores habent jus vendendi merces illo supremo pretio. Id etiam colligunt ex can. *Si quis clericus* 14. quæst. 4. quo declaratur venditorem accipere posse pretium, quod statuto tempore valere potest, qui quidem valor, supremus esse valet; alioquin nolle merces vendere pretio infimo, aut medio esset malum. Quod negant omnes; idcircò licet conveniant de non vendendo; nisi pretio supremo, nulli faciunt injuriam, nec peccant contra justitiam; cum justi pretij latitudinem non excedant. Sed non placet hæc ratio, quia pretium vulgare, aut naturale à mercatoribus, & præsertim monopolis minimè dependet; sed à communi prudentium æstimatione, juxta l. *pretia* 63. ad legem falcid. Igitur licet possint nolle vendere pretio medio, aut infimo, non valet eosdem posse vendere pretio supremo, ab ipsis præfixo, sed solum pretio à communi prudentium judicio, seu æstimatione determinato.

IV. Ex adverso Doctor subtilis loco citato, Rebellus, Faber, Sotus, Medina, Turrianus & alij quorum sententiam tueor; oppositam opinionem veluti probabilem deffendunt, & asserunt talem conventionem, seu conspirationem esse peccatum; nedum contra charitatem, in qua parte cum adversarijs conveniunt, sed etiam contra justitiam cum onere restituendi: lucrum enim ex monopolio proveniens, est turpe, ac injustum can. *Quicumque.* 14. quæst. 4. qui reverà expressè agit de clericis, nihilominus, de laïcis intelligi potest, ut observat Hugo in glossa. Prætetea talis conventio damnum infert reipublicæ & emptoribus, id que reparandum: seclusa quidem tali conspiratione, plures emerent pretio infimo, aut saltem medio, qui ex illa coguntur emere pretio supremo, & consequenter damnum infertur emptoribus, qui merces pretio commodiori emere nequeunt; cum monopolæ alia excluserint pretia; sub quibus frequenter fieret venditio; quod est jus aliorum abolere; ideoque monopolium est omninò contra justitiam; cum ab alio auferat quod suum est, nimirum jus emendi pretio medio & æstimationem mercium, quæ ad emptores, aut ad rempublicam spectant. Deindè per talem mercatorum conspirationem mutatur divisio pretij naturalis in supremum, seu rigorosum dumtaxat, & Consequenter injuriam faciunt monopolæ juri communi, & reipublicæ, ad quam spectat pretium constituere; auferunt queque à subditis commodum, quod concessisset eis, communis æstimatio, si nullum fuisset monopolium; idcircò certum est monopolas teneri ad restitutionem & reparationem damni, quod ex tali negatione respublica patitur; cùm lucrum ex ipsa proveniens sit injustum.

V. Quando mercatores convenerunt inter se de vendendarum mercium pretio rigoroso. Possunt quoque emptores inter se convenire, monopoliumque facere ad vexationem redimendam, & nolle emere merces; nisi pretio medio, vel infimo: licitum enim est unicuique, uti jure suo, & servare se indemnem, & prohibere nè venditores injuriam faciant emptoribus. Desistere tamen debent ab hujusmodi monopolio; statim ac venditores cessant à suo; cùm non amplius subsistat redimendæ vexationis causa. Sic Filliucius tract. 35. Reginaldus & alij; cum quibus quærendum est, an quando ex monopolio crevit pretium, alij mercatores, qui ejus participes non fuerint, possint eodem pretio, quo vendunt monopolæ, suas vendere merces? Rebellus negat ac concludit venditorem, qui in eo eventu merces suas vendidit, si postea cognoscat injustitiam pretij accepti ex aliorum monopolio provenientem, teneri ad restitutionem. Huic opinioni adhæreo. Quia pretium illud, in se est injustum, quia factum per medium injustum, id est per monopolium: namque pretium per vendentium fraudem factum non potest censeri justum ab illo, à quo cognoscitur fraus post venditionem.

VI. Tempore messis, aut vindemiæ omne triticum, vel vinum, aut maximam ejus partem emere vili pretio tunc currente, ut postea cogantur omnes emere summo pretio ab uno, vel à paucis, illicitum mo-

nopolium esse negant Turrianus, Delugo, Caspensis, Lessius & alij quorum sententiam rejicio, Fretus authoritate Divi Raymundi lib. 2. ff. de usuris §. nono. Ubi ille Sanctus Doctor ait *illos credo tanquam Nefandas Belluas detestandos. Qui ea intentione emunt aureos, vel alias monetas, vel res venales, & præcipuè victualia, ut de talibus caristiam inducant.* Item concilium Toletanum 4. citatum in can. & si illi 12. quæst. 2. in quo legimus *& si illi qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, æterni judicis voce in futuro condemnabuntur, quando magis qui auferunt pauperibus quod dederunt.* Revera hic canon de rebus Ecclesiæ conditus fuit. Nihilominus intelligi potest de mercatoribus, qui omne granum emunt vili pretio; animo vendidi illud Summo, cum intentione cogendi pauperes, ut emant illud; Indè ijsdem pauperibus auferunt copiam, quam non dederunt; ideoque inexcusabiles sunt à restitutione ut inquit Scotus: quoniam dum mercatores tantam emunt mercium copiam, cogunt cives ad pretium augendum, eisque summam irrogant injuriam; cum jus reipublicæ sit, ut quando tanta copia vini, aut frumenti est in civitate, pretium non augeatur. Ita Sylvester, Sotus, Faber, & Gaudentius.

VII. Monopolium fit cum aliquis vi, vel fraude impedit, nè major mercium copia aliundè asportetur; ut in republica hujusmodi mercium maneat caristia, & ut ipse solus merces suas cariùs vendat; tunc enim peccat contra justitiam cum onere restituendi, quia hoc est velle magnum detrimentum inferre reipublicæ. Dixi, *vi vel fraude.* Quia solis precibus, vel persuasionibus id curare, non videtur esse peccatum contra justitiam cum obligatione restituendi, ut docent Turrianus, Lessius, & Bassæus verbo *venditio* num. 27. Existimo tamen quod est peccatum contra charitatem, quæ præcipit bonum esse proximo procurandum, dum se offert occasio, neminique nocendum, cum ex apostolo, charitas non agat perperam, nec quærat quæ sua sunt.



CAPUT XXIII.

De justitia in cambijs servanda.

I. CAmbium ex natura sua, idem ac permutatio sonat; cum cambire idem sit ac permutare. Hic tamen sumitur pro permutatione numismatum, & quatenus definitur. *Lucrosa pecunia cum altera pecunia permutatio.* Qui dat ad cambium, campsor appellari solet, & qui ad cambium recipit, campsarius dicitur. Ars campsoria ex se satis periculosa est, cùm in ea campsor intendat lucrum recipere ex pecunia data, quæ ex natura sua inepta est pecuniam parere, & in ipsa arte campsoria sæpe admisceantur fraudes, vel usuræ; ideoque ut sine culpa, & delicto exerceatur; hic examinandus est modus, quo licitè fieri potest ipsa campsoria ars, quam valdè utilem, & reipublicæ necessariam judicant omnes. Quando enim sumus ex uno loco in alium transmigraturi; ratio naturalis dictat, non tutò à nobis pecuniam asportari, sed dandam esse potiùs mercatori commoranti in loco, unde abeundum est, ut reddatur in loco ad quem tendimus, ut vitentur latronum pericula.

II. Assignatur solitò duplex, reale scilicet, & fictum seu siccum. Cambium reale est legitima permutatio pecuniæ pro pecunia ex qua justè aliquid lucri capi potest (modo nullus adsit in pretio excessus) ut probat ejus necessitas, seu publicum commodum, ex cambio nascens, aut onera, & pericula quibus se campsores adstringunt. Fictum autem non est verè cambium, sed mutuum palliatum, seu mutuum, ementito cambij nomine, quo traditur pecunia sub adjectione lucri solvenda, nullo alio titulo quàm lapsu temporis, dilata in alium qui fingitur locum solutione, ut quando fingitur solutio alibi facienda, & fit in eodem loco, in quo datur pecunia, & accipitur aliquid ultrà sortem, post aliquos dies, aut menses: Istud cambium est usurarium & illicitum, nisi fortè justificetur per verum lucri cessantis, aut damni emergentis interesse, ut post Navarrum

in manual. cap. 17. num. 292. observant Caspensis, Cabassutius, alijque plures. Dicitur siccum, quia sterile est, & lucrum legitimum producere nequit, aut fictitium; eo quod speciem, seu quamdam cambij imaginem præseferat. Cambium reale subdividitur in minutum, & locale. Primum est dum quis dat pecunias majores pro minoribus, vel è converso. Item cum permutatur vetus cum nova pecunia, aurea cum argentea, vel argentea cum aurea. Plures cambium istud vocant manuale; quia de manu ad manum eodem loco, ac tempore perfici solet. Cambium locale est, quandò commutatur pecunia præsens; cum absente in alio loco, per Syngrapham solvenda. Istud cambium solite dicitur ad litteras, quia mitti solent litteræ ad locum, ubi pecunia remittitur campsario.

III. In cambio minuto aliquid accipere suprà valorem numismatis lege definitum, non est usurarium, nec illicitum; quia homines sæpe indigent minutâ pecuniâ ad res quotidianas vilioris pretij colendas, sicque egent commutatione minoris pecuniæ cum majori, vel è contra, quæ quidem commutatio multa includit onera pretio æstimabilia, quæ campsor publicus, & ex officio sustinere non tenetur absque ullo lucro: nam congregare pecunias diversi generis, easque habere paratas cuicumque cambire volenti, numerare pecuniam datam, & accipiendam ad petitionem & gratiam alterius, sunt stipendio digna; ideoque pro tanto onere & incommodo licet campsori publico, & ex officio aliquid accipere. Nonnulli idem tenent cum Medina etiam de campsore privato, qui absque ulla reipublicæ, aut principis authoritate hoc officium exercet; cùm idem onus in favorem alterius præstet. Sed ab illis lubens recedo cum Cajetano opusc. de cambijs tract. 7. cap. 6. quia campsor privatus, & per accidens pecuniam permutans non subijcitur talibus oneribus; & ideo nihil accipere potest ratione permutationis, nisi fortè justificetur per lucrum cessans, aut damnum emergens; in m... etanda pecunia, sed debet moveri solo mo... ...ivo charitatis, quæ ex apostolo benign..., & patiens est. Nec querit quæ sua su...t, sed quæ sunt Dei, & proximi, cui subvenire præcipit.

IV. L...citum quoque est in cambio minuto aliqu...d lucrum accipere ratione lucri cessantis, quod campsor publicus aliundè recepisset ratione pecuniæ nobilioris, purioris, antiquioris, aut utilioris, ut docet communior opinio contra Medinam disp. 399. quæst. 7. Ratio est. Quia pecunia, præter valorem, quo est pretium rerum, & mensura venalium (qui dicitur legalis extrinsecâ principis authoritate taxatus) habet valorem naturalem, atque usualem ratione conditionum, quas habet ex materia, vel figura ut v. g. ratione puritatis, vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis, copiæ, vel inopiæ ut notat Lessius dub. 2. Undè licet campsor nequeat lucrum accipere pro pecunia, quatenus pretium est, atque mensura rerum venalium propter valorem à lege taxatum, poterit tamen pro ea aliquod accipere lucrum ob valorem usualem, quo una moneta est altera pretio æstimabilior, asportatu commodior, & in locis pluribus expendibilior. Ratio Medinæ est. Quia princeps, vel respublica in taxando pecuniæ pretio, materiam & commoditates ejus consideravit. Ideoque (inquit) campsor nihil accipere potest ultrà valorem taxatum. At hæc ratio non nocet, quia princeps non intendit taxare monetam secundum omnem usum, quem in alijs regnis habere potest; sed solum prout est mensura rerum venalium, & solutionis debitorum, seu secundum usum primarium. Hoc lucrum quod ex cambio minuto accipi potest, desumendum est ex taxa principis, aut reipublicæ authoritatem habentis, vel ex communi æstimatione, & prudentis arbitrio, seclusis dolo & fraudibus, habita tamen ratione localis consuetudinis ut monent Doctores.

V. Varijs titulis, in cambio locali (quo campsor accipit pecunias, ut eas alibi restituat) aliquid lucrari potest. Primo ob assecurationem periculi, quia accipiens hic pecuniam, in alium locum trajiciendam, suscipit in se onus, & periculum transferendi eam, ut si pereat, non campsario, sed ipsi pereat. Quod est pretio æstimabile. Secundo ob translationem pecuniæ: hæc enim translatio de uno loco in alium locum, ubi quis eam desiderat pro sua commoditate, est etiam pretio æstimabilis. Tertio ob carentiam pecuniæ, & privationem commoditatis negotiandi ipsâ pecuniâ à campsore data; ideoque quo Longius est tempus, eo plus lucri exigere potest campsor; & quo Brevius, eo minus

exigere

exigere debet. Nec obstat dicere contra primum titulum, quòd campsor reipsa pecuniam non transfert. Quia campsor eam quasi transfert; cum faciat id, quod reali translationi æquivalet, & campsario tantum commodū præstet, quantum si reipsa transferret pecuniam; sicque hæc ratio campsarium dispensare non potest à solutione, nec campsorem à receptione lucri. Minus valet objicere contra secundum titulum, nimirum nullum campsori esse periculum in pecunia transferenda, eo quòd alibi eam paratam habeat. Ratio nostra est, quia hoc ipsius campsoris industriæ, aut fortunæ tribui debet. Ita Graff. 1. p. lib. 2. cap. 100. Reginaldus, Filliucius, Bonacina & alij quos refert, & sequitur Bassæus.

VI. Maxima controversia est inter Doctores, an licitum sit cambium cum recambio, id fit, quando Petrus accipit Massiliæ à Paulo campsore nummos centum solvendos Parisijs, sed quia est ibi omninò innotus, seu ibi nec pecuniam, nec amicum, nec negotia habet, Paulum rogat ut ei concedat aliquem correspondentem Parisijs residentem, ut nomine suo satisfaciat Paulo Massiliæ, & ipse Paulus campsor scribit famulo suo, aut correspondenti Parisijs existenti, ut se pro Petro obliget pro tali solutione sibi exhibenda Massiliæ, his acceptis correspondens nomine Petri eadem pecuniam recambit ad Paulum, ut centum nummos exigat à Petro. Affirmant Azorius p. 3. lib. 10. cap. 9. quæst. 2. Naldus, Salas, Lessius, Caspensis, Mastrius, & alij. Ratio eorum est: quia hic cambiendi modus publicè exercetur ab omnibus mercatoribus in Gallia, Hispagnia, & Italia, Scientibus summis Pontificibus, vel saltem locorum ordinarijs. Quod minimè permitterent, si contractus esset usurarius. Addunt prædictum cambium declaratum fuisse licitum in Sacra Congregatione anno 1584. Et in Bulla Pij V. Ideoque durum esset absque urgentissimis rationibus velle hunc contractum ita publicè & communiter receptum, damnare. Adducunt insuper nonnullas rationes prorsùs Metaphisicas, quæ in moralibus sæpe evanescunt. Ex adverso Sotus de justitia lib. 6. quæst. 10. art. 1. Rebellus, Molina, Caballutius, & alij oppositum sententiam docent. Et hanc tueor velut probabiliorem, & tutiorem, quia hoc cambium videtur siccum, hoc est mutuum usurarium, sed palliatum titulo ementito cambij localis: nam litteræ remittuntur inanes cùm datio, & solutio pecuniæ in eodem loco, eidemque campsori facienda sit cum lucro, quod non videtur exigi nisi ratione dilationis temporis: certum quippe est (ut suppono) respondentem campsoris Massiliensis Parisijs existentem, esse unam cum ipso personam in ratione contrahentis, ex quo fit, solutionem illam, quæ ab ipso respondente efficitur, esse fictam, & imaginariam; namque campsarius semper manet in eodem statu, utpotè debitor eidem campsori, qui reverà recipit Massiliæ cum cambio, & recambio centum nummos, quos ipse Petrus ibi acceperat. Et campsor manet in eodem jure recipiendi eosdem centum nummos ab eodem campsario cum cambio, & recambio, quia est una & eadem persana cum correspondente, ut suppono. Sicque Paulus non est propriè campsor, sed mutuarius usurarius, qui falso nomine obvelatur campsoris realis localis; quoniam contractus cambij requirit reales commutationes: commutatio autem debet esse plurium, & unius cum alio; ut probetur an qualitas commutativa adsit, quæ in hoc cambio minimè probari potest, cùm ibi non sit permutatio pecuniæ pro pecunia, nec sint duæ personæ in ratione contrahentis, campsor Massiliensis, & respondens Parisiensis; sed purum mutuum inter campsorem & campsarium; ideoque illicitum, atque usurarium reputandum est cambium, dum pro campsario respondet procurator, ex proprijs pecunijs ipsius campsoris.

VII. Ad rationes adversantis sententiæ. Dico primam nihil probare, quia multa fiunt, quæ tamen illicita sunt. Unde ad rigorem tantum probat opinionem esse probabilem. Ad secundam moneo cum gaudentio decretum Sanctæ Congregationis non declarasse hoc cambium esse licitum, sed solum non contineri in causis vetitis à Pio V. in constitutione 118. quæ incipit *in eam. pro nostro.* In qua ille summus Pontifex non concedit hunc modum cambij, sed solum cambium reale, locale; cùm Epistola ad Bononienses, sit de cambio denariorum, quod non est in isto casu, in quo agitur de eodem campsore, qui de propria pecunia dat ad cambium; & ad recambium, id est dat Massiliæ centum nummos alicui cum cambio solvendos Parisijs, & ibi per correspondentem qui sun-

git eos transmittere Massiliam tanquam ad alium campsorem, aliud accipit cambium. Itaque unus & idem campsor duo cambia accipit de eadem pecunia. Quod est illicitum.

VIII. Nullus campsor lucrum exigere potest à campsario, ratione laboris, quem consumit numerando pecuniam, vel scribendo litteras ad correspondentes mittendas: quamvis respondens campsoris exigere possit suam provisionem, seu lucrum ab eo, cujus nomine pecuniam suam exhibet, ut solvat. Ratio primi est: quia hic labor datur ex natura contractûs permutationis, & includitur in pretio, quod lucratur campsor: de ipso enim discurrendum est, sicut de emptore, qui nihil exigere potest ratione temporis, in quo venditori numerat pecuniam; cum hæc pecuniarum numeratio sit medium ad debitam solutionem necessarium. Ratio autem secundi est, quia respondens ex proprijs pecunijs campsario pecuniam restituendo, operam suam locat campsori, qui primò pecuniam accepit, præstat que obsequium pretio æstimabile. Potest adhuc campsor, vel nummularius justam accipere mercedem pro custodia pecuniæ, & obligatione eam reddendi; modo hæc exactio stipulata fuerit, vel adsit consuetudo. Idem dico de respondentibus campsoris, & campsarij; quia in omni contractu licitum est unicuique se indemnem servare, sibique consulere quantum postulat natura contractûs. Sic valentia punct. 3. & alij.

IX. Quando cambientes æquale ex cambio reportant commodum, est illicitum recipere lucrum; etiam illi, qui ab altero prævenitur. Sic explico casum. Paulus eget pecuniâ hîc Massiliæ, quam habet Lugduni; Petrus verò hîc Massiliæ existens, eget Lugduni pecuniâ, quam ibi habet Paulus; quo posito, dico Paulum cambiendo cum Petro, non posse ab ipso recipere lucrum, nec è converso; licet Petrus necessitatem Pauli sciens, hoc cambium postulet; quia ministerium est æquale utrique, æquale afferens commodum; & ideo nullum habet titulum, undè possit ex vi cambij, ab altero lucrum accipere. Nec valet objicere cum Caspensi, illum, qui cambium erogat majus recipere commodum, & consequenter rogatum posse ab altero lucrum petere. Quia rogatus, est in æquali necessitate. Præcipua enim ratio, ob quam campsor potest licitè lucrum aliquod recipere ex cambio, est, Beneficium campsarij, & ideo cum Petrus recipiat idem Beneficium, nullum debet recipere lucrum.

X. Campsor non tenetur pro extinctione capitalis computare illam debiti partem, quam post multa cambia, & recambia tradidit ei campsarius. Ita docent Filliucius, Salas, Bonacina de contract. disp. 3. quæst. 5. num. 23. & alij; nam quando ex debito principali, alia nascuntur debita, tanquam fructus ex radice; si tunc fiat solutio, censetur primo fieri pro fructibus illis dependentibus; non autem pro principali, ut patet in solutione censuum. Deindè si quid supersit de illis fructibus, computatur in sortem l. 1. c. *De solutionib.* & l. *si usuras* 21. c. *de usuris* præterea non peccant campsores nolendo acceptare solutionem sortis, nisi simul solvantur cambiorum detrimenta; cùm hæc detrimentorum solutio exhibenda sit à campsario sicuti sors ipsa; ideoque campsor potest prius velle solutionem lucri ex cambio provenientis, quàm solutionem sortis, cùm diversis titulis illi debeantur sortis lucrum, & sors ipsa.

XI. Disceptatur inter Doctores an campsor qui bona fide dedit Massiliæ pecuniam Petro ad cambium solvendum Romæ, existimans Petrum ibi habere pecuniam, & postea constat ei, Petrum nullam pecuniam habere, possit tuta conscientia tantum lucri exigere, quantum percepisset, si Petrus Romæ, non verò Massiliæ soluisset? Lessius dub. 7. num. 69. Molina disp. 44. Diana resol. 14. alijque plures gravissimi authores affirmant. Quia contractus in se licitus erat, ac bona fide celebratus, atque adimpletus ex parte campsoris; & ideo campsarius, seu Petrus tenetur illum adimplere ex sua parte, et si non adimpleat; campsor potest lucrum promissum accipere nè fraus, & dolus, ipsi campsario, seu Petro patrocinentur, & nè campsor perdat lucrum suum quod bona fide acquisivit in cambio. Altera tamen sententia est probabilior; tunc enim cessat motivum recipiendi lucrum cambij; nimirum translatio pecuniæ, aut permutatio pecuniæ pro pecunia, sicque non potest campsor tantum exigere, quantum percepisset; si campsarius in illo loco soluisset juxta contractum cambij (Secluso tamen lucro cessante, vel damno emergente) Ratio nostra est. Quia cessante motivo lu-

cri, non potest illud recipere, nisi ratione deceptionis; & fraudis campsarij, cùm contractus non fuerit verus ex defectu veræ promissionis ex parte campsarij; neque fuerit ex parte campsoris commutatio pecuniæ unius loci pro alio, ut dictum est. Sed non potest campsor recipere lucrum ratione deceptionis, aut fraudis in pœnam delicti à campsario commissi; cùm pœna non sit solvenda ante judicis sententiam. Aliundè secluso lucro cessante, aut damno emergente, nulla fit campsori injuria ex deceptione illa, quæ pro reparatione lucrum exigat, nullaque frustratur mercede campsor; cùm nullus præcesserit labor. Igitur non habet jus exigendi tantum, quantum percepisset, si campsarius in illo loco solvisset, & verum cambij contractum ex parte sua celebrasset. Ita Salonius, Caspensis, Salas, Bonacina, alijque plures.

CAPUT XXIV.

An aliquid excuset à præcepto Restitutionis.

I. IGnorantia invincibilis juris, vel facti excusat à restitutione; certum quidem est, quòd ignorans rem, quam habet, esse alienam, & hanc esse restituendam, non tenetur restituere illam, quandiu durat ignorantia, quæ tamen si crassa sit, aut vincibilis non excusat. Hinc est quòd si quis emeret à paupere, aut ab ipso gratis acciperet vas argentum v. g. Aut à milite calicèm teneretur ad restitutionem, nec sufficeret ipsi dicere. Ignoro an vas fuerit furto sublatum. Quia dubitare debuit pauperem vas illud per furtum habuisse, & militem per rapinam obtinuisse calicem; cùm praxi contrarium sit, pauperem habere vas argenteum, & militem habere calicem. Similiter discurrendum est in emptione, & venditione rerum, quæ vendentium, aut ementium statui repugnant, quoniam indè solet nasci suspicio sufficienter obligans emptorem ad inquisitionem, & ad diligentiam adhibendam, ut probet an res fuerit furto ablata.

II. A Restitutione excusatur qui cessit bonis suis, seu tradidit omnia bona sua creditoribus, ut eis debita prorata solvantur. Quia est impotens, & impotentiâ excusatur juxta hanc 6. regulam juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari* saltem pro præsenti; nam si ad Pinguiorem fortunam redeat, tenetur satisfacere debitis, quæ supersunt post ejus bonorum cessionem, quia per ipsam debita non fuerunt extincta, nec ea condonarunt creditores, nisi in receptione cessionis id expresserint. An verò hæc obligatio satisfaciendi debitis, quæ supersunt adveniente Pingujore debitoris fortuna, remaneat etiamsi bonorum cessio ignominiosè, aut ut dicunt Galli *avec discussion de bien* facta fuerit. Plures quos citat & sequitur Mastrius negant. Quia inquiunt dedit famam suam pro debitorum solutione, quæ cùm sit superioris ordinis, debitorem omnino liberat à restitutione. Altera tamen opinio quæ affirmat videtur mihi probabilior. Quia fama quamvis sit bonum superioris ordinis, non soluit debita, nec tollit obligationem restituendi, adveniente Pingujore fortuna, quoniam creditores non acceptant famam in solutionem debiti, nec ob eamdem datur; & consequenter debitor tenetur non obstante ignominia, restituere, & debita solvere, si ad Pingujorem fortunam redeat; aliàs commodum reportaret de infamia, quod est falsum. Ita Lessius, Filliucius, Bonacina, Villalobos & alij, qui affirmant in hac bonorum cessione, debitorem posse occultare bona, undè valeat secundum suum statum honestè sustentari. Quia nullus tenetur restituere cum maximo incommodo debita ex contarctu oneroso provenientia; dixi *ex contractu oneroso* quià si ex delicto sint, vel creditor sua privetur sustentatione, debitor tenetur in conscientia omnia creditori manifestare. Quia potiùs illi, quàm isti debetur miseria, aut incommodum.

III. Quando restitutio fieri nequit sine præjudicio creditoris, tunc debitor excusatur quandiu subsistit ratio præjudicij: quia in tali casu creditor non censetur rationabiliter invitus, cum debitor præsumere valeat creditorem nolle præjudicium sibi, nec alteri afferre. Quinimo debitor, qui restitueret creditori v. g. gladium prævidens illum gladio, aut alia re abusurum in damnum proximi, juxta communiorem Doctorum sententiam, peccaret contra charitatem. Et secundum rigidio-

res peccaret contra justitiam: quia injustè ageret præbendo instrumentum ad damnum proximo inferendum. Excusatur pariter à restitutione debitor dum restituere non potest sine notabili diffamatione, saltem quandiu durat periculum diffamationis. Quia tunc creditor esset irrationabiliter invitus, si nollet debitorem excusare à restitutione; cùm nullus teneatur restituere cum majori damno, quàm illud quod patitur creditor ex dilatione restitutionis. Dixi *sine notabili diffamatione*: quia diffamatus v. g. per præcedentia furta, aut delicta, non excusaretur à restitutione damni alteri illati; etiamsi ex restitutione istius damni occulti resultaret diffamatio, quia in tali casu diffamatio non esset notabilis, cùm non fieret deterioris æstimationis. Dixi insuper *cum majori incommodo*: quia quodlibet incummodum non est ratio sufficiens differendi solutionem, aut restitutionem: nam si incommodum, aut damnum quod debitor patietur ex restitutione, non sit majus eo, quod creditor patitur ex dilatione restitutionis, non est ratio sufficiens differendi. Quia in æquali damno potior est conditio creditoris, seu damni rei restituendæ, pro quo ipsa res clamat, & justitia exigit ut cæteris paribus, res potiùs serviat illi, cui debetur, quàm alteri. At si damnum aut incommodum quod patietur debitor, sit longè majus eo, quod creditor patitur, id est si sit in proprijs ipsius debitoris bonis, est ratio sufficiens differendi restitutioné: quia restitutio facienda est ut servetur æqualitas, ut ait Bonacina, nè debitor plus damni sustineat quàm intulit alteri.

IV. Obiter observandum, est quood damnum, quod non excusat à restitutione, si in pura privatione rei debitæ consistat: hoc enim non est damnum pati in proprijs bonis, sed solum restituere, quod debetur alteri. Nec est suum statum amittere, sed dimittere alienum, & reverti ad statum proprium. Item si damnum quod provenit ex restitutione consistit in privatione lucri, quod debitor obtinet mediante re aliena, non excusat à restitutione. Quia nemo potest licitè rei alienæ fructus colligere, cùm res pro Domino fructificet. Unde ut damnum sit ratio sufficiens differendi restitutionem, necesse est, quòd sit notabile, & in proprijs bonis.

V. Quando restitutio non potest fieri sine periculo peccati, excusatur debitor; nam si periculum sit nè uxor, aut filiæ debitoris se prostituant, vel nè filij dent se latrocinijs, nè ipse debitor per impatientiam incidat in desperationem; certum est quod potest restitutionem differre, quandiu durabit periculum salutis animæ debitoris, vel suorum. Tum quia jactura bonorum superioris ordinis excusat à restitutione, ut docet Scotus. Tum quia præsumendum est creditorem nolle rem suam, cum tanto debitoris damno spirituali, cum bonum spirituale sit temporali præferendum, & debitor magis teneatur animæ suæ, & suorum consulere, quàm debita temporalia solvere. Ita Lessius, Filliucius & alij.

VI. Restituendi obligatio tollitur quando debitor solvit creditori, creditoris sui. Ut v. g. si Petrus debens centum nummos Paulo, eos restitueret Joanni, cui Paulus debet etiam centum nummos. Hæc assertio est communis apud Doctores, si hæc solutio fiat, Paulo consentiente. Sed difficultas est an tollat obligationem restituendi saltem quantum ad forum conscientiæ, si fiat inscio Paulo? quantum ad me est, sto pro opinione affirmativa. Quia facta hac solutione, Petrus non habet rem alienam, & Paulus recuperavit suam per alium, scilicet per Joannem, cui ex justitia eamdem rem restituere tenebatur in conscientia, & ipsa solutione facta, non tenetur, & liberatur ab obligatione restituendi, parum refert omissio consensus Pauli, modò post factam restitutionem, ipse Paulus sciat Petrum restituisse Joanni centem nummos, quos illi debebat: nam Joannes nequit tuta conscientia dibitum exigere à Paulo, nec Paulus á Petro.

VII. Compensatio quoque tollit obligationem solvendi. Certum enim est, quòd si Petrus debeat Paulo centum nummos, & Paulus eos de bonis Petri acceperit loco debiti, liberatur à restitutione, quia hoc supposito, nihil habet invito Paulo, qui nequit rationabiliter exigere à Petro centum nummos; cum jam eos habeat, saltem æquivalenter. An vero hæc actio Pauli sit licita? Respondeo negativè. Quia occultæ compensationes aliquam furti suspicionem pariunt, suntque contra jus gentium, nisi interveniat aliqua causa excusans. Ut v. g. quando creditor non potest rem suam aliter recuperare propter defectum probationis in foro externo adducen-

dæ, vel malitiam debitoris, qui debitum negare intendit, vel ob alias similes causas, ex quibus oritur moralis impossibilitas recuperandi debitum, nisi creditor compensatione utatur.

VIII. Præscriptione etiam excusatur debitor à restitutione, modò sit continuata possessio per tempus à lege præscriptum. Quia ex 3. regula juris in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*, hæcque possessio fuerit bona fide cum titulo probabiliter præsumpto, putà donationis, emptonis, successionis, &c. Quia ex regula 2. ejusdem juris *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Requiritur insuper quòd res sit capax præscriptionis, & possessor capax Dominij: nam res Sacræ præscribi nequeunt. Et religiosi, qui sunt Dominij incapaces, prescribere non valent, quamvis à longo tempore rem alienam detineant bona fide. Ratio hujus assertionis est, hæc diffinitio præscriptionis *acquisitio Dominij rei alienæ per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito continuatam*: Etenim si per legitimam præscriptionem dominium rei acquiritur, ipsâ prescriptione debitor fit dominus rei.

IX. Quantum ad tempus legitimæ præscriptionis distinguendum est: in rebus mobilibus ut sunt animalia, vestes, pecunia, &c. Sufficit tempus trium annorum inter personas privatas, hinc est, quòd quando quis ex justo titulo. v. g. Emptionis, rem alienam mobilem per triennium possedit bona fide, scilicet credendo rem esse suam, aut nesciendo esse alterius, fit ejusdem rei Dominus, absque ulla obligatione restituendi, quamvis postea sciat rem illam fuisse alterius, ad præscriptionem autem bonorum immobilium privatorum, ut sunt prædia, domus, &c. Requiruntur anni decem inter præsentes, & viginti inter absentes, seu eos, qui sunt in diversis provincijs, modò res illa immobilis, aliquo titulo possideatur, quia si desit titulus, anni tringinta requiruntur, si non constet rem fuisse mala fide acquisitam. can. fin. de præscript. quia si res fuerit mala fide acquisita, ullo tempore non præscribit, ut patet ex 2. regula juris in 6. nedum à possessore actuali, sed etiam si fuerit mala fide acquisita ab eo, à quo possessor actualis habuit illam bona fide. v. g. Petrus bona fide emit à Paulo domum, quam ipse Paulus habuerat mala fide, existimo Petrum non posse tuta conscientia uti jure præscriptionis, sed teneri eam restituere Domino, aut Domini hæredibus, si sciat domum fuisse mala fide acquisitam à Paulo, sicut Paulus teneretur eam restituere. Ratio est: quia est 79. juris in 6. nemo potest plus juris in alium transferre, quam ipse habeat, aut sibi competere dignoscatur.

X. Argumentum firmans modũ acquirendi dominium per legitimam, & debitam præscriptionem sufficere in foro conscientiæ, est. Quia Scopus præscriptionis est, ut imposterum litibus ponatur finis & tutâ conscientiâ res detineatur: prescripto enim introducta est à jure in bonum publicum, & quietem civium, & familiarum, ut constat ex his verbis l. 1. de usurp. & usu cap. *Nè diu & ferè semper quarumdam rerum dominia incerta essent*. Igitur rerum dominium legitima præscriptione acquisitum, teneri potest in conscientia. Quia princeps potuit de bonis subditorum ita disponere, & velle dominium boni ex justo titulo, & bona fide per tale tempus possessi, ad possessorem licitè transferri; quin adversus ipsum possit haberi actio: etenim appropriatio rerum, & bonorum, non jure divino, sed humano fuit facta teste D. Augustino super Joan. tract. 6. dicente *unde quisque possidet, quod possidet? non ne humana voluntate? nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus. Jure ergo humano dicitur hæc domus mea est, hæc villa mea est, hic servus meus est, & per jura regia possidentur possessiones*: Ergo jure præscriptionis legitimæ, quod regium est, dominium unius, potest licitè transferri in alium.

CAPUT XXV.

De precepto audiendi missam.

I. OBligatio de missa audienda diebus dominicis, alijsque occurentibus per annum festis, incumbit omnibus fidelibus, nedùm ex universali Ecclesiæ praxi, sed etiam ex can. *Missas* de consecrat. dist. 1. nec possunt ab ipso præcepto excusari, nisi aliquâ impotentiâ Physica, vel morali, vel ignorantiâ. Prima, seu Physica impotentia excusat ægrotos in lecto

detentos, aut in cella, atque incarceratos. Secunda excommunicatos, eos qui indè grave damnum timent, custodes infirmorum in extremis exitentium, & alios, qui necessariò impedimento detinentur. Tertia, seu ignorãtia excusat eos qui invincibiliter ignorant hunc, vel illum diem esse festiuum. Tandem consuetudo patriæ etiam excusat ab auditione Sacri: certum enim est, quòd si juxta consuetudinem, fœminæ egredi non soleant tempore luctûs, etiamsi non sint infirmæ, non peccant, non audiendo missam durante illo tempore introducto per consuetudinem. Ita communiter omnes Doctores.

II. Ut quis præcepto de missa audienda satisfaciat. Primo necesse est, ut sit præsens, nedùm præsentia Physica, quæ in proximitate, aut in indistantia consistit, sed etiam morali, & humanâ, corpore scilicet, & animô; cùm si aliquis per aliquam notabilem partem missæ dormiret; quamvis involuntariè, præcepto huic non satisfaceret. Quia non interesset mente, & animo. Nam ut quis huic præcepto satisfaciat, debet habere intentionem saltem virtualem, & interpretativam audiendi missam, & attentionem, nè divagetur voluntaria mentis distractione. Secundò necessè est, ut audiat missam integram; ita ut pars ejus notabilis non omittatur. Quæ autem pars missæ omissa pertingat usque ad peccatum mortale, & præcepti violationem? de dac re diversi, diversa sentiunt. Emmanuël Sâ, & alij existimant, ad hoc præceptum adimplendum, sufficere audire à principio Evangelij usque ad communionem inclusivè, etiamsi nulla excuset necessitas. Communior tamen, & probabilior opinio est, notabilem partem esse à principio Epistolæ usque ad communionem inclusivè. Ita Suares, Delugo, Mastrius, Bonacina & alij. Indè quæri potest. An accedens ad audiendam missam, dum præfatio dicitur, teneatur audire eam, si non sit alia missa? affirmo contra Saucium. Quia consecratio, quæ remanet adhuc in fieri, est pars principalis missæ: reliqua enim pertinent ad ejus complementum. Et consequenter tenetur eam audire. At si accedat post consecrationem, ad id non tenetur. Nam si in feria sexta majoris hedomadæ occurrat festum, non tenemur adesse officio illius diei, nec obligat præceptum de missa audienda. Quia in die illa nulla fit consecratio.

III. Tenore hujus præcepti, ille, qui discedit à loco in quo obligat, tenetur audire missam ante discessum, si eo mane perventurus sit ad locum, ubi dies festus non colitur, & prævideat in loco illo non posse eam audire. Quia istud præceptum afficit fidelem quando potest missam audire in die festo, nec potest curâ, aut malitiâ suâ excusari. Quod contingeret in opinione contraria: etenim istud præceptum non afficit locum, sed personam in loco existentem, ideoque ante discessum ligatur præcepto, igitur post discessum violat illud, si missam non audiat. Quia fugere, aut recedere à loco, non est se à præcepto eximere. Sic docent Emanuël Sâ, Navarrus, Rodriguez & alij contra plures, quos citat & sequitur Bonacina disp. 5. quæst. 3. punct. 3. Eadem ratione auditio unius missæ non potest duorum dierum obligationi satisfacere, ut tenent omnes contra Caramuelem. Altera ratio est. Quia missæ obligatio, sicut officij divini suis diebus alligatur.

IV. Huic præcepto de missa audienda validè satisfacit, qui dum missam audit, divinum officium recitat, vel injunctam, confessario pœnitentiam in precibus vocalibus consistentem adimplet, quidquid dicant Sylvester, & Angelus. Quia hujusmodi orationes non tollunt corporis, & animi præsentiam auditioni missæ necessariam: una enim & eadem attentio ad utramque obligationem potest sufficere; cùm preces mentem ad Deum dirigant, ut patet in illis, qui dùm missam audiunt, recitant rosarium, vel officium beatæ Virginis Mariæ. Et duæ actiones à duobus præceptis mandatæ, possint simul perfici, modò ex se ipsis, vel ratione alicujus circunstantiæ, non sint incompatibiles. Ita communior & probabilior opinio, quam docent recentiores, Cabassutius, Mastrius & alij plures gravissimi authores.

V. Maxima difficultas est an ad satisfaciendum huic præcepto, sit necessaria attentio interior? pro Clariori hujus dubij resolutione observandum est, attentionem internam consistere in applicatione mentis ad missam, vel ad officium, hancque ut tradit Mastrius, esse triplicem. Potest enim esse ad verba in debito ordine proferenda, vel ad sensum verborum, vel ad Deum, & res divinas contemplandas. Externam verò in negatione distractionis externæ, quam attentionem habet ille, qui

tempore missæ, nullum opus externum agit, mentem ab auditione missæ distrahere valens. Unde, ille, qui mentem suam non applicat ad missam aliquo ex prædictis modis, nullam interiorem attentionem habet. Ille autem, qui dum missa celebratur, historias legit, confabulatur, aut aliud simile opus facit prophanum, nullam habet attentionem externam. Hoc supposito. Quæritur, an ut quis missam audiat, internam attentionem debeat necessariò habere, vel sufficiat ei nullum opus externum agere, etiamsi sit internè distractus? Lessius, Rosella, Sylvester, Layman, Diana, Medina, & alij existimant eum, qui interius voluntariè, & liberè interest missæ distractus, satisfacere præcepto audiendi sacrum, modò non assistat exterius distractus, seu occupatus aliqua occupatione externa moraliter incompossibili cum attentione interna. At quamvis hæc opinio celeberrimos habeat deffensores, est tamen postponenda: altera enim quæ internam attentionem requirit, est probabilior & tutior. Quia Ecclesia, quæ fideles obligat ad missam audiendam, obligat eos ad actum humanum, & religiosum, seu ad actum directum in Deum, qui quidem actus absque ulla prorsùs attentione interiori minimè haberi potest, cùm mentis sit in Deum inspicere, actusque nostros ad ipsum dirigere, & præceptis Ecclesiæ obedientiam præstare. Deindè ut quis debitè missam audiat, necessè est quòd sit præsens, nedùm præsentia corporali, & Physica, sed etiam morali, ut dictum est supra: ergo requiritur attentio interna, seu animi: etenim hac sublatâ, remanet tantum præsentia corporis. Eamdem sententiam tenent Cajetanus, Sotus, Mastrius, Suarez, Navarrus & alij etiam celeberrimi.

VI. Frustra adversarij opponunt Ecclesiam non posse actus internos præcipere, ac proindè nec attentionem interiorem, ut adimpleatur præceptum de missa audienda. Quandocumque enim ab Ecclesia exterior præcepitur actus secum involuens dispositionem interiorem; illa interior dispositio eodem præcepto continetur; alioquin intentio, ad validam sacramentorum administrationem necessaria, & contritio ad validam confessionem præmittenda, similesque actus interni, non essent de præcepto, quòd est falsum.

VII. Pœnitens qui tempore celebrationis missæ peccata sua confitetur sacramentaliter, huic præcepto non satisfacit. Quia aliam habet attentionem, quàm, quæ in missa requiritur: ista enim debet esse per modum orationis, illa verò per modum accusationis in judicio prolixas jurgiorum narrationes inter pœnitentem, & confessarium exigentis. Ita Cabassutius citans Bonacinam tract. de Eucharis. disp. 4. quæst. ult. pun. 11. n. 26. Cũ quibus pariter assero, eos, qui Sacro inservientes discedunt, ut deferant thus, vinum, aquam, hostiam, candelas, vel aliquid necessarium celebranti satisfacere huic præcepto de missa audienda. Quoniam talis egressus non tollit præsentiam moralem; nec attentionem, licet tollat præsentiam Physicam.

VIII. Disceptatur in e. summistas, an qui audiret missam unius sacerdotis à consecratione inclusivè usque ad finem Satisfaceret huic præcepto, si postea audiret missam alterius sacerdotis à principio usque ad consecrationem exclusivè? Emanuel Sâ, Navarrus, Sotus, Major, Bonacina, & alij quàm plurimi affirmant. Eorum ratio est: quia hæc diversitas, cùm sit merè accidentaria, non videtur impedire sacrificij integritatem, nec præcepti adimpletionem. Huic sententiæ adhærent Mastrius, & Cabassutius recentiores. Ego autem sequor oppositam tanquam probabiliorem, & tutiorem, præsertim post decretum Innocentij XI. editum die 2. Martij. 1679. Quo damnat 63. propositiones inter quas, est hæc, quæ est 53. *Satisfacit præcepto de audiendo sacro qui duas ejus immo quatuor simul à diversis celebrantibus partes audit*, Cabassutio sic testante lib. 5. cap. 13. Etenim Ecclesia præcipit, vultque, ut adsimus integro missæ sacrificio à Sacerdote conficiendo, eo modo, quo institutum fuit, ut fieret continuè ab uno Sacerdote: igitur Ecclesia præcipit ut audiatur missa continuè; ille autem duæ partes, aut medietates nequeunt unum integrum, & continuum sacrificium constituere, nec sunt una missa, sed duæ missæ truncatæ, & in individuo separatæ. Quis enim affirmare poterit ex illis duabus medietatibus, unam missam confici? nemo; cùm semper sint duæ medietates, totum suum quælibet respiciens, scilicet sacrificium. Indè patet diversitatem illam non esse merè accidentariam, sed essentialem, cùm quælibet medietas ad essentialem missæ suæ integritatem concurrat.

Alioquin sequeretur quòd posset quis à triginta Sacerdotibus simul in vicinis altaribus missas celebrantibus, omnes partes missæ, sine diversitate essentiali audire, & præcepto satisfacere. Quòd est absurdissimum. Ita Suarez disp. 88. sect. 2. de Lugo, Caspensis, Fagundez & plures alij gravissimi Doctores.

IX. Ut præceptum de missa audienda adimpleatur, sufficit eam à quocumque Sacerdote Catholico audire, modò non sit nominatim excommunicatus, interdictus, vel suspensus: nam si in die festo, nullus alius adesset Sacerdos, nisi censura ligatus, melius esset in die illo, missam omittere, quàm illam à tali Sacerdote audire. Tum quia censeretur nullum adesse Sacerdotem à quo missa audiri posset: quoniam agens ad operandum impotens, est sicut absens. Tum quia præceptum de excommunicato denunciato vitando, fortiùs ligat, quàm præceptum de missa audienda, ut notant Mastrius, Rodriguez, & Toletus. Eorum ratio est. Quia Ecclesia non intendit, per Sacerdotem censurâ ligatum, orare. Quoad Sacerdotem publicè, & notoriè concubinarium. Bonacina cum pluribus, quos refert de Sacrament. disp. 4. quæst. ult. punct. 12. affirmat missam ab ipso audiri posse. Ab hac opinione tamen recedo: id enim declaratum manet in can. *præter hoc autem* dist. 32. Idem docent Sylvester Covarruvias, Ricardus, Hostiensis, & alij canonistæ antiquiores, quos refert & sequitur Mastrius.

X. Quoad locum, quædam videtur esse difficultas inter Doctores. Marchantius in candelabro mystico tract. 4. cap. 7. & in resolution. moralib. cap. 8. affirmat, fideles teneri diebus dominicis, & festis majoribus, missam audire in Ecclesia Parochiali. Id probat ex Trident. sess. 22. decreto de observandis, & evitandis in celebratione missæ. Ubi legitur *Moneant etiam eumdem populum ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus dominicis, & majoribus festis accedant.* Sed quia hæc verba monitionem, non verò præceptum indicant, ut habetur in declaratione ejusdem concilij num. 20. & 21. partem oppositam tueor, cum communiori Doctorum sententia, & universali fidelium praxi, & existimo audientem missam in alia Ecclesia sine contemptu Parochiæ, satisfacere præcepto de missa audienda; cùm nullum extet ea de re præceptum, aut lex præceptiva, & deficiente lege, deficiat peccatum. An verò concurrente duplici festo de præcepto Ecclesiæ duplex committatur peccatum in omissione missæ? nego. Quia hujusmodi præcepta sunt ejusdem speciei, unum eumdemque actum præcipiunt sub eadem ratione formali obedientiæ. Ita communior opinio contrà nonnullos.

CAPUT XXVI.

De Sacrificio missæ.

I. Cum ex obligatione audiendi missam sequatur necessitas agnoscendi naturam & effectus hujus sacrificij, convenientiùs est potius hìc, quàm in quarto libro resolvere difficultates, quæ in hac materia occurrere possunt. Missa juxta communem canonistarum sensum, est actio Sacra, in qua Corpus Christi conficitur, Deo offertur, & à Sacerdote sumitur. Quare Theologi nostri Sacrificium sic definiunt. *Actio externa alicujus rei permanentis, à Sacerdote Deo exhibita, quâ significatur supremum Dominium, aut excellentia Dei, & subjectio Sacrificantis ad ipsum, mediante aliqua ipsius rei oblatæ immutatione.* Hac definitione, Sacrificium distinguitur à quacumque alia oblatione, quæ non est Sacrificium, & probatur missam esse verum Sacrificium, quod Christus in ultima cœna instituit, & Deo Patri obtulit, quantum ad substantiam seu rem oblatam, quæ est Corpus Christi, ut sancit Tridentinum sess. 22. de Sacrifi. Missæ cap. 2. Dixi *quoad substantiam* quia canon, lectiones, ceremoniæ, & ritus hujus Sacrificij, non sunt à Christo, sed ab Ecclesia, ut fatentur omnes. Quamvis in Ecclesia plures fiant oblationes Beatæ Virgini, aut aliis Sanctis; tamen non est, in ea aliud Sacrificium (præter Eucharistiam) quod Sacerdotes offerunt Deo viventi: nec potest aliud institui authoritate humana. Quia Christus instituendo adorandum Eucharistiæ Sacrificium, abstulit ab Ecclesia potestatem instituendi novum; cùm nihil dignius offerri possit Deo, quàm Corpus Christi. Et Christus dicendo Apostolis *Hoc facite in meam commemorationem* determinaverit

determinaverit Sacrificium novæ legis, ut veteris Sacrificia aboleret, sicut determinavit Sacramenta, quæ in figura contingebant judæis.

II. Christus nedùm est res, quæ propriè, & principaliter offertur in hoc Sacrificio, ut declarat Tridentinum loco citato cap. 1. Sed etiam principalis offerens; cùm Sacerdotes in persona Christi Sacrificium offerant, & ab ipso virtutem consecrandi acceperint. Undè Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. *firmiter* §. *una* de summa Trinit. & fide Catho. ait *in Ecclesia idem ipse Sacerdos est, & Sacrificium Jesus Christus* & Sacerdos dùm consecrat loquitur in persona Christi, & dicit *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei*, ut appareat Christum esse principalem offerentem, quamvis sit res, quæ offertur Deo Patri; cùm Christus ipse, in hoc Sacrificio Sacerdotis officium gerat sub speciebus panis, & vini. Hac ipsa ratione, actio Sacrificandi non inquinatur, etiamsi à malo ministro procedat, sed semper ex opere operato, suum consequitur effectum. Quia illa Sacrificativa actio non accipit suam honestatem saltem completam, quatenùs procedit à ministro visibili, sed quatenùs est à Christo offerente principali, mediante ministro seu Sacerdote, nedum in nomine Christi, sed etiam in nomine Ecclesiæ Dei offerente hoc Sacrificium, licet diverso modo. Nam in persona Christi, Sacerdos offert, tamquam inferior, nomine & virtute Superioris; à quo institutum fuit Eucharistiæ Sacramentum, nomine verò Ecclesiæ, tamquam Superior pro inferiori, aut tamquam pastor pro omnibus suis. Ita Bellarminus, Aversa, amicus, & alij, quorum ratio est. Quia Ecclesia prout à Sacerdotibus contra distinguitur, est populus fidelis, qui Sacrificium offert per Sacerdotem tamquam per Superiorem, & advocatum suum apud Deum.

III. Missæ Sacrificium offerri potest directè pro fidelibus baptizatis non excommunicatis, sivè vivis, sivè defunctis in purgatorio existentibus, ut probat ritus *Pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus &c.* Et *pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos præcesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis* quibus verbis excluduntur damnati; cùm non quiescant in Christo, nec dormiant in somno pacis; Pro infidelibus autem, hæreticis, & excommunicatis indirectè tantùm offerri potest, & de facto sic offertur; quatenùs scilicet pro incremento, & exaltatione Ecclesiæ, & quovis Schismate ab ea tollendo, offertur, quidquid dicant nonnulli existimantes missæ Sacrificium offerri posse directè, & æqualiter pro omnibus hominibus: nam Eucharistia in quantùm Sacramentum est, pro fidelibus baptizatis dumtaxat fuit instituta, & ipsis tantum dari potest, quoniam panis filiorum, non est mittendus canibus, & consequenter in quantùm sacrificium est, pro ipsis tantùm potest directè offerri. Ita communior opinio, quia incapax Eucharistiæ, est etiam incapax fructûs Sacrificij ex opere operato. Itaque infideles, hæretici, & excommunicati excluduntur,

IV. Quia excommunicati sunt in duplici genere: quidam enim sunt denunciati nominatim, & vitandi: quidam verò sunt tolerati, seu non denunciati. Hic quæritur, an hoc sacrificium possit directè offerri nomine Ecclesiæ pro excommunicato Tolerato? Coninch, Toletus, Sotus & alij affirmant. Ex adverso Bonacina, Valentia, Suarez & alij gravissimi negant. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior. Quia excommunicatus Toleratus, & excommunicatus denunciatus, aut vitandus, in foro interiori, & quoad pœnam spiritualem animæ omninò conveniunt (licèt in foro exteriori differant; cùm toleratus ex constitutione *ad evitanda scandala* possit in loco Sacro sepeliri, missam audire, & cum non excommunicatis conversari) nam si excommunicatus Toleratus nullam pœnam incurreret in foro interiori, ita ut posset Sacrificio frui, sicut conversatione, & sepulturâ Ecclesiasticâ, non esset excommunicatus, quia nullam pœnam incurrisset: ergo convenit cum excommunicato vitando, quoad privationem internæ suffragiorum communionis, vel nullo modo convenit cum ipso, quod est improbabile; cùm excommunicationis pœna sæpè incurratur ipso facto, & absque ulla denunciatione, homo maneat verè excommunicatus cum obligatione obtinendi absolutionem. Ad quid enim obtinenda esset absolutio ab ipso excommunicato Tolerato, si partem haberet in Sacrificio missæ, & suffragiis Ecclesiæ, quam habent fideles non excommunicati. Nullam aliam causam video, nisi ut partici-

pet cum non excommunicatis de Sacrificiis & suffragiis internis.

V. Præcipua adversariorum ratio est hæc. Excommunicatus Toleratus potest audire missam, ut constat ex prædicta constitutione. Igitur Sacerdos in missa, pro ipso, sicut pro aliis Sacrificium offert: ait enim *Et omnium circunstantium, pro quibus tibi offerrimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium.* Respondeo Concilium Constantiense ad evitanda scandala, & ad succurrendum conscientiis timoratis, solùm concessisse fidelibus, ut possint communicare cum excommunicatis non denunciatis quoad externam conversationem, tam in Ecclesia, quàm extra, ut dicemus in tertio libro. Et ideo quamvis excommunicatus toleratus sit in Ecclesia, & in numero circunstantium pro quibus offertur Sacrificium, nullum tamen recipit fructum: Quia est beneficium internum, quo excommunicatus, quamvis toleratus, privatur ob indispositionem ex delicto provenientem: scilicet excommunicationem, quam veré incurrit cum obligatione recurrendi ad prælatum pro absolutione obtinenda.

VI. Quamvis ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum intentio habitualis non sufficiat, sed requiratur actualis, uel saltem virtualis, ut docent Theologi; sufficit tamen hæc habitualis intentio ad validam Sacrificij applicationem. Ratio disparitatis est. Quia intentio requiritur ad conficiendum aliquod Sacramentum, ut influat saltem moraliter, & moveat in actum, ad hoc ut illum constituat in tali statu morali, nimirum Sacramentali; ideoque debet esse actualis, vel virtualis; cùm intentio, aut voluntas faciendi, debeat permanere, ut faciat, aut influat in effectum producendum: & intentio habitualis non permaneat, nec physicè, nec moraliter. At applicatio Sacrificij est mera donatio, & translatio fructûs percipiendi ex tali actu, quæ absque ulla intentione actuali, aut virtuali fieri potest, sufficit habitualis, quæ licet non sit actualiter, nec virtualiter; tamen permanet in promissione offerendi Sacrificium pro tali persona: nam quando Sacerdos vult conficere Sacramentum, & Sacrificium, necesse est, quòd actualiter, vel virtualiter intendat conficere illud. Quia hæc voluntas debet influere, & movere ad ipsum faciendum. At quando vult ut fructus talis actus, seu Sacrificij dum celebrabit, perveniat ad talem personam, non est necesse quòd actualiter, nec virtualiter intendat ei illam applicare. Sed sufficit quod semel pro tali tempore v. g. pro uno anno ei illum applicare intenderit, & hæc intentio retractata non fuerit. Quia hæc intentio, aut promissio, quamvis præterita, permanet in legitima obligatione, quam reliquit; hinc est quòd Sacerdos, qui tenetur quotidiè celebrare pro fundatoris anima, non est necesse quòd habeat intentionem actualem, vel virtualem applicandi missam, sicut necesse est quòd habeat illam ut celebret, sed sufficit quòd habeat habitualem.

VII. Sacrificium pro pluribus oblatum non æquè prodest cuilibet, ac si pro uno tantum offeratur, ut tenet communior opinio cum Doctore subtili quolib. 20. §. *De primò.* Idem docere videtur Ecclesia, quæ instituit unam tantum orationem esse dicendam pro uno defuncto in die obitûs ut patet in missali Romano. (Quamvis bonum sit orare pro alijs defunctis,) non aliâ certò ratione, nisi quia sacrificium pro uno solo oblatum, magis illi prodest, quàm si offerretur pro alijs simul, Imò sacerdotes tenerentur ex charitate omnibus defunctis applicare sacrificium missæ, dum ex justitia tenentur pro uno celebrare, si ille non minus reciperet, si idem sacerdos celebraret pro pluribus. Quoniam sacerdos tenetur ex charitate impetrare pluribus patientibus solatium, dummodò hoc facere possit per eumdem actum absque alterius præjudicio: at cùm nullus sacerdos ex justitia pro uno defuncto celebrans ad hoc teneatur, necessè est affirmare sacrificium pro uno oblatum magis ei prodesse. Præterea sacerdos qui plura à diversis personis accepit stipendia, posset unâ missâ satisfacere omnibus: hæc quidem missa unicuique prodesset, & sic nulli in eo casu fieret injuria. sed hoc est falsum, ideoque sacrificium pro pluribus oblatum non æquè prodest cuilibet, ac si pro uno tantum offerretur. Tandem duo sacrificia pro uno defuncto oblata, magis prosunt, quàm unum; alioquin superflua esset sacrificij multiplicatio. Igitur eadem ratione, unum magis prodest alicui, dum pro illo solo offertur, quàm si pro alio etiam offeratur.

VIII. Doctores adversantis sententiæ sic objiciunt. Valor sacrificij missæ est infi-

nitus: est enim sacrificium crucis, ex parte rei oblatæ, & ex parte principalis offerentis, & consequenter hoc sacrificium est infinitum, & tam prodest pluribus, quàm uni. Respondeo valorem sacrificij missæ pro defunctis oblati, non esse desumendum ex re oblata, nec ex principali offerente, sed ex divina voluntate, quæ ordinavit valorem sacrificij prodesse juxta sacerdotis applicationem, & oblationem; cùm oblatio sacrificij sit actio celebrantis; undè licet res oblata, & offerens principalis sint dignitatis simpliciter infinitæ, nihilominus influxus actualis, & immediatus est finitus, & consequenter limitat valorem sacrificij. v. g. Deus est agens virtutis infinitæ: tamen dum concurrit ministeriô creaturæ, limitatur ad productionem finitam. Nec obstat quòd res oblata sit infinita: nam beata virgo obtulit christum in templo, tamen hæc oblatio non fuit infiniti valoris.

IX. Addunt hæc verba canonis *non mediocriter* de consecrat. dist. 5.] *dum igitur pro cunctis psalmus, vel missa dicitur, nihil minus, quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Hæc verba assertionem nostram minimè impugnant. Quia juxta glossam intelligenda sunt de sacerdote celebrante, & docent ipsum celebrantem non minus recipere de fructu sacrificij dum dicit missam pro multis, quàm dum dicit eam pro uno solo. Addunt insuper. sacerdos offerens sacrificium pro circunstātibus tam offert illud pro pluribus, quàm pro uno solo, & parum refert quòd circunstantes sint pauci, vel multi; alioquin meliùs esset audire missam privatam cui paucissimi assistunt, quàm solemnem, & publicam, cui assistit omnis populus. Ita sacrificium pro pluribus oblatum, æque prodest cuilibet, ac si pro uno tantum offerretur. *Nego* paritatē. Quia sacrificij fructus quem assistentes recipiunt quatenus præsentes, & assistentes sunt, pendet ex ipsorum oblatione, id est recipiunt, quia cum sacerdote offerunt: undè cum oblatio unius circunstantis non augeatur per oblationem aliorum, sequitur quòd assistens missæ privatæ non magis recipit, quàm assistens missæ solemni.

X. Quamvis ex parte sacrificij oblati, missa de *requiem* non magis prosit defunctis, quàm missa de Sancto, cùm in utraque missa sit unum, & idem sacrificium; magis tamen prodest ex parte orationum, quas pro defunctis determinavit Ecclesia, quæque in missa de requiem dicuntur, non autem in missa de Sancto. Indè tamen non infero meliùs esse celebrare pro defunctis missam de requiem, quàm de Sancto, quia valor orationum haberi potest per intercessionem sancti, cujus suffragium in missa imploratur. Ita D. Thomas. 4. sent. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 1. ad. 5.

XI. Disputant canonistæ an sacrificium missæ potiùs prosit ei pro quo sacerdos ex justitia. v. g. ratione stipendij accepti, vel obedientiæ tenetur illud offerre, quàm ei pro quo illud offert? Barbosa, Gavantus, Ledesma, Leander, & alij dicunt: Deum attendere potiùs ad intentionem, quam sacerdos habere debet, quàm ad eam, quam defacto habet. Opposita sententia etiam suos gravissimos habet authores, scilicet Scotum quolib. 20. art. 2. 5. *de secundo articulo principali.* Mastrium, Aversam, Delugo, Suarez & alios. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior: nam sacerdos ex vi ordinationis est minister, & dispensator hujus sacrificij, ut suadent hæc verba *accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & defunctis.* Minister respectu oblationis, est dispensator & determinator virtutem sacrificij. Igitur voluntas quam sacerdos habet dum sacrificium applicat, prævalet voluntati quam debet habere ex promissione, vel ex obedientia, quemadmodum enim sacerdos potest sacrificium validè conficere, nolente quocumque alio, potest etiam illud offerre pro tali persona, nolente quocumque alio; Reverà peccat, sed valida est applicatio ejus, sicut Sacramenti confectio. Idem probat usus: nam superiores, aut sacristæ solitò dicunt sacerdotibus. *Offerte sacrificium pro uno defuncto* vel *pro alio* vel *offerte sacrificia juxta superioris mentem.* Quod indicat sacerdotis esse applicare sacrificium. Tamdem ex eodem usu constat, quòd sacerdos, qui sacrificium non obtulit pro eo, pro quo illud offerrere debebat ex justitia ratione stipendij accepti, tenetur pro eodem celebrare die sequenti. Ad quod non teneretur, si Deus attenderet potiùs ad intentionem debitam, quàm ad eam, quam de facto habet sacerdos.

XII. Alterius opinionis Doctores dicunt, quòd Prælatus potest subditorum intentiones irritas reddere circa missarum appli-

cationes, ſicut irritare poteſt, & annullare eorum vota, & juramenta, & conſequenter applicatio prodeſt ei, pro quo ſacerdotes tenentur celebrare. Ita Leander. At hæc ratio non valet. Quia ſacerdos non eſt hujus ſacrificij diſpenſator authoritate propria, nec authoritate ſuperioris. Nec diſpenſat illud ſub conditione, quòd ſuperior velit, ſicut vovet, aut vovere debet ſub eadem conditione, ſed authoritate Dei, & ex vi ordinationis, cujus validitas non eſt in voluntate ſuperioris; alioquin poſſet etiam irritare, & annullare Sacramenta, quæ ipſo nolente conficeret, ſicut irritat vota, quæ inferior emiſit, ipſo nolente; quod eſt falſum: nam ſacerdos, tam operatur ut miniſter chriſti quoad applicationem ſacrificij, ut probat hæc forma, quâ ordinatur *accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis, & defunctis*, quàm quoad conſecrationem, & ideo ſuperior nequit ſubditorum intentiones irritas reddere circa miſſarum applicationes.

XIII. Perſona pro qua ſacerdos ſacrificium offert, debet eſſe determinata: applicatio enim hujus ſacrificij nequit eſſe ſuſpenſa. Indè ſequitur contra Petrum Navarrum, Aragonium, Bonacinam, & alios, ſacerdotem miſſas non habentem, non poſſe illas celebrare anticipatè, ſcilicet pro eo, qui eleemoſynam dabit, & quem Deus daturum videt. Sic decrevit Sacra Congregatio Concilij tridentini ex mandato Clementis VIII. Sub die 15. Novemb. anno 1605. Ita Barboſa, Suarez, Corduba, Coninch, & alij. Sacerdos eſt fidelis diſpenſator, & miniſter applicationis fructûs ſacrificij, ac proindè neceſſe eſt, ut determinatè eos diſpenſet, & applicet, quando celebrat, nec poteſt miſſas celebratas applicare illi, qui poſt celebrationem dat ipſi eleemoſynam, ut celebret. Hoc non obſtante, exiſtimo tamen, quòd ſi ſacerdos certò ſciat ſacriſtam alicujus Eccleſiæ, vel amicum habere certas miſſas dicendas v. g. pro uno defuncto, poterit eas anticipare, id eſt antequam cum illo ſacriſta conveniat, celebrare pro eodem defuncto, & ſi poſtea ſacriſta, vel amicus det ei ſtipendium pro miſſis celebratis pro eodem defuncto, poteſt illud accipere abſque obligatione iterum celebrandi. Quia tunc applicatio fuit determinata ab ipſo ſacerdote. Cuilibet Sacerdoti interdicitur ex decreto Sacræ Congregationis ſive dives, ſive pauper ſit, pro una miſſa plura ſuſcipere ſtipendia. Alexander Papa VII. damnavit die 24. Septembris 1665. Hanc propoſitionem *duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem miſſa licitè accipere*: tot enim dicendæ ſunt miſſæ, quot recepta fuere ſtipendia, et ſi eas alteri ſacerdoti velit dare dicendas, neceſſe eſt quòd det ei ſtipendium acceptum, nullâ parte retentâ, declarat idem ſummus pontifex.

XIV. Sacerdos, qui non celebrat miſſam in loco, aut altari in quo celebrari debet juxta fundatoris, aut eleemoſynam concedentis intentionem, peccat mortaliter, niſi aliquâ legitimâ cauſâ excuſetur. Quia violat fidem. An verò ſi capellanus abſque diſpenſatione in alio altari celebret, teneatur iterum in altari à fundatore deſtinato celebrare, ſeu miſſas omiſſas ſupplere, aut acceptam pecuniam hæredibus, vel pauperibus reſtituere? Azorius, Riccius, & alij quos refert Leander affirmant. Barboſa, & Bonacina negant. Sed reſpondeo cum diſtinctione. Si fundatoris intentio fuerit, talem Eccleſiam, vel talem Sanctum in tali Eccleſia venerari per miſſæ ſacrificium, ſto pro prima ſententia. Tunc enim capellanus alibi celebrans violat fidem, & juſtitiam; ideoque tenetur ad reſtitutionem. Si verò fundatoris intentio fuerit cultus Dei præcisè, vel fructus ſacrificij, ſto pro ſecunda. Quia tunc non violat juſtitiam, ſed fidem dumtaxat; quia non privavit fundatorem debito ſacrificij fructu, qui in omni loco eſt æqualis valoris. Hinc eſt: quòd ſacerdos tenetur reſtituere ſtipendia miſſarum quibus non ſatisfecit, eaque alteri ſacerdoti remittere, ut miſſas celebret. Quantùm verò ad miſſas, quarum celebrationem nimiùm diſtulit, adeo ut veriſimiliter non profuerit ſacrificium ſecundum ſpecialem intentionem ejus, qui ſtipendia dedit, ut ſi ad obtinendum aliquem ſucceſſum, petita miſſa, fuerit eo uſque dilata, ut occaſio prætererit ante celebrationem? exiſtimo quòd non tenetur reſtituere ſtipendia, ſi eas celebrare poſſit, quidquid dicant nonnulli recentiores. Quia differre ſacrificium, non eſt violare juſtitiam commutativam, ſed ſolùm fidem. Licitum enim eſt inferre, Deum intuitu futuri ſacrificij conceſſiſſe beneficium illi, qui ſtipendium dedit; ſuppoſito quòd ante celebrationem miſſæ obtinuerit illud

cùm Deus sciat intentionem petentis, & facientis quod in se est. Sacerdos potest, quin mortaliter peccet missas differre per spatium trium mensium à die receptionis eleemosinæ, nisi illi, qui petunt eas, majorem requirant celeritatem, ut tenet communior opinio. Indè facilè infertur omissionem missarum pro quibus acceptum est stipendium, esse peccatum mortale, etiamsi sit tantùm de una, quidquid dicant nonnulli ob rei, seu stipendij parvitatem. Ratio nostra est. Quia obligatio celebrandi missam post acceptam eleemosynam, est in materia gravissima, licet eleemosyna sit parva, estque in genere justitiæ. Ita ferè omnes Doctores.

XV. Quamvis in sabbato Sancto missæ privatæ minimè celebrentur, ut probat usus: licitum tamen est, eas celebrare, si in illum diem incidat festum aliquod v. g. Annunciationis. Villalobos part. 2. tract. 8. diff. 19. num. 4. & alij id negant. Sylujus, Leander, Ledesma & alij tuentur nostram sententiam. Et addunt plures missas celebratas fuisse anno 1607. (Occurrente festo annuncaitionis) in Diœcesi Toletana. Hæc ultima opinio videtur mihi probabilior. Tum quia in illa die celebratur ubique missa solemnis. Tum quia nulla existit prohibitio in jure: nam in can. *Sabbato* de consecrat dist. 3. quem citant adversarij, nulla fit mentio de missa: ergo licitum est plures missas celebrare, ut fideles præcepto satisfaciant. Imò si missæ solemnes, quæ in majoribus civitatibus celebrantur, non sufficiant, ut omnes cives missas audiant, sacerdotes, qui in alijs festis ex obligatione celebrant, tenentur etiam tunc celebrare. Quia obligatio ligans populum ad audiendam, ligat parochos ad missam celebrandam. An verò tenerentur illa die in missis privatis recitare litanias pro introitu missæ. Respondeo negativè: quidquid dicant plures. Quia litaniæ non pertinent ad missam, sed ad officium in choro ante missam decantandum. Undè sacerdos tunc posset missam ordinariam celebrare incipiendo à *Kyrie eleïson* finita confessione, vel addendo introitum missæ diei sequentis, sic Hurtadus, Delugo & alij.

XVI. Quoad missæ interruptionem, omnes concedunt nullo modo esse admittendam sine necessitate. An verò necessitas audiendi confessionem morientis, vel baptizandi puerum morientem sit legitima? Azorius, & alij negant, si missa sit post canonem. Alij autem affirmant; etiamsi missa sit post consecrationem. Huic sententiæ lubens subscribo, modò nullum sit periculum relinquendi hostiam in altari; cùm de hujusmodi interruptione nulla existat in jure prohibitio, & ex regulis juris in 6. necessitas faciat licitum quod anteà erat illicitum. Ita Navarrus, Henriquez, Gavantus & alij.

CAPUT XXVII.

De celebratione festorum.

I. CUm diei festi cultus, sit actus religionis, nulla potestas sæcularis potest dies festos tamquam sacros instituere; quamvis pretextu civilis honoris, vel alio titulo valeat suis subditis præcipere, ut tali die à servilibus operibus se abstineant. Papa, & Concilium generale ab ipso Papa approbatum, habent potestatem instituendi dies festos sub mortali observandos in tota Ecclesia; quin Prælati inferiores valeant eos amovere, licet in necessitate possint dispensare. Eamdem potestatem habet Episcopus in sua Diœcesi, si dies festus, aut cultus sit de Sancto Canonizato, vel beatificato à Sancta sede, ut notat Fuliensis: quemadmodum enim non potest modò defunctum in Sanctorum numerum referre, nec potest authoritate propria illius festum instituere. Dixi *Modo*. Quia olim canonizatio peculiaris in aliqua provincia ad Episcopum pertinebat, ut colligitur ex D. Augustino tom. 7. Contra Donatistas, nunc autem nullus Sanctus coli potest, sine summi Pontificis approbatione can. *Audivimus* de reliq. & venerat. Sanctorum.

II. In lege veteri dies septima cultui divino erat consecrata, ut legimus in libro levitici cap. 23. vers. 3. *Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur Sanctus, omne opus non facietis in eo, sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris.* Hæc institutio diei sabbati pro supremo numini exhibendo cultu, jus naturale supponit; ipso enim jure homo tenetur aliquando rebus divinis vacare. Undè obligatio co-

lendi Deum, à lege Mosayca suum minimè accepit initium; bellè quidem obligatio colendi eum in tali tempore determinato. Transacta verò veteris legis nocte, in locum, hujus septimæ diei, quæ erat dies sabbati, successit sequens feria, quæ apud christianos est dies dominica, quæ est etiam septima incipiendo hebdomadam à die lunæ, seu à feria secunda inclusivè; ideoque diem septimum divino cultui consecramus, illum sacris precibus religiosè impendimus, & Sacro-sancto sacrificio missæ attendimus. Ut vacando orationi, & operibus pietatis, gratiam acquiramus, hancque acquisitam conservemus.

III. Prohibitio facta judæis nè operarentur in die sabbati, erat strictior prohibitione nobis facta in lege Evangelica, nè operemur in die dominica; sunt quidem opera ut decoctio ciborum, domuum, & corporum adornatio, & similia opera, quæ conceduntur in die dominica, quæ per legem antiquam prohibita judæis erant in die sabbati, ut apertè constat ex canone 2. Concilij Aurelianensis tertij, sub vigilio Papa celebrati anno Domini 540. Ibi enim legimus *Quia persuasum est populo, die dominica agi cum Caballis, & bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum praeparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad judaicam, magis quàm ad christianam observantiam pertinere probatur: statuimus ut die dominica quod ante fieri licuit, liceat. De opere autem rurali censuimus abstinendum.* Meritò condita fuit hæc constitutio, licentiam hujusmodi opera elicendi concedens. Quia jugum Chisti est suave, & onus ejus leve. Præterea observatio sabbati erat figuralis, pertinens ad protestationem veritatis, quæ nec in modico prætermitti potest, & consequenter indispensabilis apud judæos: observatio autem diei dominicæ est realis, non protestans, sed continens veritatem, & ideo non est penitùs rigorosa, nec ita indispensabilis in omnibus, ut fideles nequeant dispensationem obtinere in necessitate, quæ ex regula juris in 6. facit licitum, quod anteà erat illicitum.

VI. Judæi sanctificabant diem sabbati, & se abstinebant in eo, ab opere servili. Quia Deus septimo die requievit ab opere creationis. Undè ut huic exemplari tam vitæ activæ, quàm contemplativæ conformes fierent, & ut artificem mundi, sive laborantes, sive quiescentes imitari studerent, sex diebus hebdomadæ faciebant opus, septimo autem cessabant: quia sabbati requies erat; nos verò qui non sumus sub lege, sed sub gratia, ut monet Apostolus ad Romanos 6. vers. 15. diem Dominicam sanctificamus, non ex præcepto decalogi. (nisi quantum ad hoc quod est de dictamine legis naturæ) sed ex præcepto Ecclesiæ. Hujus mutationis ratio est. Quia fideles celebrant diem, in qua justificatum, & reparatum fuit genus, humanum, quæ quidem justificatio facta fuit in die resurrectionis Christi, ut inquit idem Apostolus ad Rom. 4. vers. 25. dicens *qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Nec in minori reverentia habenda est hæc dies, quam fecit Dominus, ut exultemus & letemur in ea, quàm dies in qua Deus requievit ab opere creationis, imò in majori veneratione est habenda. Tum quia opus creationis perficitur opere reparationis. Tum quia opus justificationis est dignius creatione mundi, ut docet divus Augustinus, cui adhærent omnes Theologi. Convenientiùs est igitur, divino cultui consecrare diem dominicam, quàm diem sabbati.

V. Præter diem dominicam, alios dies festos sanctissimè instituit Ecclesia, in quibus fideles tenentur ab opere servili se abstinere, & orationi, ac operibus pietatis vacare; hosque dicavit Christo Domino, deiparæ, Apostolis, Martiribus, confessoribus, & Virginibus, ut eorumdem sanctorum exemplò nos provocaret ad merendam gloriam, quam Sancti Pœnitentiæ fructibus, & virtutum gestis assequi meruerunt. In diebus festis prohibentur opera servilia, etiam seclusis scandalo, & contemptu, ut declaravit Alexander Papa VII. die 18. Martij 1666.

VI. Non desunt Doctores, qui cum Sylvestro, & Marchantio existimant licere puellis opera servilia exercere diebus festis ad vitandum otium, vel alias occasiones peccandi, absque ulla obligatione inquirendi, an sit aliud medium præter opera servilia, ad vitandum peccatum. Sed displicet mihi hæc opinio: nam licet melius sit laborare in die festo, quàm peccare; tamen non licet indè inferre, laborare in die festo esse bonum, & licitum; etiamsi peccatum evitetur occasione labo-

ris. Quia nulli licet assumere medium prohibitum pro assecutione boni, vel fuga mali, nisi in necessitate: sed dum puellæ habent in die festo aliud medium præter laborem ad vitandum otium, non sunt in necessitate laborandi: ergo peccant, si laborent, aut si non assumant aliud medium non prohibitum, purâ recreationem licitam, conversationem honestam, aut orationem, & preces ad vitandam otiositatem, vel aliam occasionem peccandi. Nec licet opera servilia exercere in die festo, ut lucrum detur pauperibus. Ita Suarez, Navarrus, & alij. Addo tamen quód hæc intentio excusaret à peccato illum, qui laboraret pro paupere in particulari, in necessitate gravi existante, si non posset aliundè succurrere illi, nec miseria pauperis posset differri, usque ad sequentem diem non festum: tunc enim præceptum de observandis festis non obligaret, eique præservandum esset præceptum de proximo in necessitate succurrendo, modò ex labore nullum sequatur scandalum.

VII. Ut perfectè agnoscantur opera in diebus festis prohibita, observandum est. opera mentis ut v. g. orare, meditari, studere, scribere, legere, & similia, quæ mentem occupant; & alia esse opera merè servilia, & mechanica: ut agros colere, vestes conficere, & similia, quæ à servis fieri solent. Alia tandem esse merè corporalia, sed omnibus seu Dominis, & servis communia ut v. g. iterfacere, venari, musicis instrumentis uti &c. Prima opera non prohibentur. Secunda verò sunt illicita, & prohibita ex illo levit. 23. *Omne opus servile non facies in eo.* Tertia tandem non sunt ita prohibita, ut non possint in die festo exerceri, sed solùm si sine necessitate fiant ob lucrum. Quia lucrum immutat naturam operis, quidquid dicant Cajetanus, Reginaldus, Filliucius, Azorius & alij. Quia opera servilia non solùm sunt ea, quæ à servis fieri solent; sed etiam quæ fiunt ob stipendium; quod datur servis, nisi necessitas operis excuset: nam ex Concilio Aurelianensi tertio nationali can. 1. opera aurigarum, coquorum, pistorum, famulorum, domum adornantium, & eorum qui corpora hominum adornant, diebus dominicis licitè fiunt, quamvis ob lucrum fiant. Quia hæc opera sunt omninò necessaria.

VIII. Saltare, instrumenta musica pulsare, choreas ducere, & similia hujus generis, non sunt actiones in die festo prohibitæ, nec serviles: quia sunt magis ob ingenij, quàm corporis recreationem, & magis propriæ, & convenientes dominis, quàm servis; ideoque sacris diebus fieri non vetantur, dummodò sine scandalo fiant: nam si ex Apostolo non sint facienda bona, ut indè eveniant mala, à fortiori omittenda sunt indifferentia, si indè possint evenire mala, scilicet scandala: præter scandalum, aliud addo, choreas ducere vetans in die festo, utpotè excessum temporis. Quia festorum Sanctificationi opponitur: plura enim sunt opera, quæ quamvis servilia non sint, tamen propter excessum temporis quod in illis impenditur, diebus festis sunt illicita, & prohibita, hoc præceptô. exod. 20. *Memento ut diem Sabbati Sanctifices*; cùm in choreis, Ludis, similibusque recreationis actibus per majorem diei partem continuis, festa non Sanctificentur: tales quidem actus animum à divino cultu nimium abstrahunt. Ideoque per totam diem saltare, Ludere &c. est mortale. Quia non est diem festum Sanctificare: dies quippe non sanctificantur per solam auditionem missæ, ut dicemus infra.

IX. Quamvis opera servilia dominicis, festisque diebus prohibeantur can. *conquestus* de feriis. Necessitas tamen sive publica, sive privata facit ea licita can. *Licet* eod. tit. (remoto quoad fieri potest scandalo) quod intelligendum est de necessitate imprævisa, & de ea, ex qua inevitabiliter sequitur destructio materiæ rei faciendæ: nam si illud opus servile præcedenti die fieri potuerit, vel sequenti fieri possit, necessitas operandi, non est sufficiens, nec excusat à peccato. Quoniam talis necessitas voluntaria censetur, estque culpabilis, sicut voluntas laborandi in die festo.

X. Quamvis ex vi præcepti opera servilia dumtaxat prohibita videantur: juxta illud levit 23. *Omne opus servile non facies.* Nihilominus ex illis operibus, quæ neque servilia, nec mechanica sunt: prohibentur judicia, & juramenta publica, acta pariter notariorum publica, si contractus matrimoniales, & testamenta excipias. Prohibentur insuper omnes processus judiciarij, & forenses strepitus. Contractus pariter emptionis, locationis, permutationis, & similes actus. Quia sub nomine mercatûs prohibiti, continentur. Verumtamen ju-

dicem privatim informare, advocatum consulere, consilia conficere, eligere &c. Quamvis dirigantur ad causas forenses, sintque ad ipsas dispositiones, nullatenus diebus festis prohibentur. Hæc enim nec servilia opera sunt, nequé actus publici, nequé strepitum judicialem præseferunt. Oblatio autem libelli contra partem citatam facta, est illicita die festo: quia est actus judicialis, licet procedat à litigante, sicut intimatio. Quia illa, sicut ista censetur facta judicis authoritate. Secùs sentio de appellatione, quæ die festo fieri potest licitè, quamvis jura ejus prosecutionem prohibeant. Quia appellatio interponitur ob propriam deffensionem jure naturali licitam.

XI. Hoc præceptum de celebratione festorum duo imponit. Primum est, ut ab operibus servilibus abstineatur, ut jam dictum manet. Secundum est, ut dies illæ divino cultui, aliisque piis operibus impendantur, ut sanctificentur. In quo autem consistat cultus ille, non conveniunt canonistæ. Plures existimant in sola auditione missæ consistere. Quia inquiunt Ecclesia nihil præcipit, nec invenitur scriptum aliud præceptum, nec traditione, nec consuetudine habetur. Ita Navarrus, Azorius, Layman & alij. Probabilius tamen est, istud præceptum præter missæ auditionem, ad alias orationes, & preces obligare, atque ad orationem, & dilectionem dei super omnia: nam præceptum adorandi Deum cùm sit affirmativum, nec obliget semper, debet obligare saltem dominicis, festisque diebus, ut monent Scotus, & Cajetanus.

CAPUT XXVIII.

De obligatione jejunij

I. EX variis Sacris Textibus liquidò constat Ecclesiam Romanam obligare fideles, ad observantiam jejunij sub peccato mortali, nisi aliqua justa causa excusentur. Hoc præceptum cùm sit affirmativum non obligat semper, sed solùm in diebus ab Ecclesia præscriptis, scilicet in quadragesima (exceptis diebus dominicis) in quatuor temporibus, & in vigiliis quarumdam festivitatum majorum, Christi Domini, Deiparæ, Apostolorum, & aliorum Sanctorum, de quibus consulendæ sunt locorum leges, & consuetudines Ecclesiarum particularium. Nec obligat omnes fideles; qui ad usum rationis pervenerunt, quamvis aliæ leges, aut præcepta Ecclesiæ eos tunc astringant: nullus enim jejunium Ecclesiasticum servare tenetur ante annum vigesimum primum completum, nec post annum sexagesimum, ut tradunt Doctores communiter, nec intendit Ecclesia obligare Christianos extrà tempus illud, ex vi hujus præcepti. Nihilominus adolescentes, qui ex voto, vel ex pœnitentia à confessario injuncta, vel ex obligatione comprimendi vitia; jejunare tenentur, non dispensantur ex vi hujus præcepti Ecclesiastici non obligantis ante annum vigesimum primum completum. Quia hujusmodi obligationes imponi possunt illis, qui ad usum rationis pervenerunt, quamvis Ecclesia ex vi hujus præcepti eas non imponat, & semel impositæ, sunt observandæ; alioquin Religiosi professi ante vigesimum primum annum, non tenerentur observare jejunia regulæ, quòd est falsum, cùm ante tale tempus licitum sit vovere, & sæpè necessarium jejunia imponere adolescentibus pro salutari pœnitentia; cùm jejunium comprimat vitia, quæ committere possunt ij, qui ad annum vegesimum primum nundum pervenerunt.

II. Jejunium solitò dividitur in naturale, & Ecclesiasticum. Primum consistit in carentia cibi suscepti in stomacho, quale est illud, quod Ecclesia exigit pro sumenda Eucharistia, aut missa celebranda. Aliud verò, de quo hic agimus, consistit in quadam abstinentia, vel cibi substractione secundum formam ab Ecclesia præscriptam, quæ juxta communem canonistarum sententiam conditiones statuit ad debitam jejunij observantiam. Prima abstinencia est à carnibus, ovis, & Lacticinijs. Quia à carne procedunt. Reverà hæc ultima non prohibentur jure Ecclesiastico extra quadragesimam, imò nec intrà quadragesimam in quibusdam locis, in quibus propter communem necessitatem, licitus est ovorum & lacticiniorum usus ex consuetudine approbatâ. Hinc est, quòd in locis in quibus non viget hæc consuetudo, Episcopus potest concedere licentiam manducandi ova, & lacticinia, imò debet eam concedere, si necessitas id postulet. Secunda est unica in die refectio: serò

enim

enim aliquid sumere, est ultrà præceptum Ecclesiæ, quæ ob corporum infirmitatem, (quæ mundo Senescente, semper magis augetur) ut inquit Mastrius, tacito consensu indulsit, ut præter illam refectionem modicum aliquid cibi serò sumeretur. Tertia, est hora refectionis sumendæ, quæ est hora meridiana, quæ non potest sine justa causa licitè præveniri tempore jejunij: non quòd sit mortale ante meridiem refectionem illam sumere, ut existimat Navarrus, sed solum veniale. Quia hæc violatio non est contra substantiam jejunij, sed contra circunstantiam. Eandem culpam seu venialem incurrunt illi, qui refectionem serò sumunt, & manè sumunt id, quod serò sumi solent: quia sine justa causa violant consuetudinem legitimè introductam.

III. Circà materiam, quæ serò sumenda est, nihil potest physicè determinari. Quia tacito Ecclesiæ consensu permittitur hæc refectiuncula, ob infirmitatis complexionem, quæ cùm non sit æqualis in omnibus, difficile est assignare mensuram pro omnibus: unusquisque enim debet suæ conscientiæ timoratæ judicium relinquere, & cavere à quantitate cibi, nè refectiuncula in cœnam transeat, cùm non fuerit permissa, nisi ut modica, nec ordinata propriè ad nutritionem, sed ad inducendum somnum, vel ad aliquam necessitatem vitandam in nocte, quæ quidem necessitas magis urget in uno, quàm in alio.

IV. In præcepto jejunij, duo consideranda sunt præcepta, unum negativum, & aliud affirmativum. Primum prohibet comedere carnes, & alios cibos vetitos in die jejunij. Aliud præcipit unicam refectionem esse sumendam, ut dictum est suprà. Qui sæpius comedit in die, reverà non peccat toties, quoties comedit, quidquid dicat Covarruvias. Quia præceptum de una refectione sumenda, est affirmativum, quod per secundam comestionem, quæ fit extrà prandium, & refectiunculam serotinam, violatur: quia per ipsam unum jejunium frangitur. Hanc sententiam tenent Azorius, Sylvester, Lessius & alij, contra Medinam, Montesinos, & alios Covarruviæ adhærentes. Qui verò comedit cibos vetitos in die jejunij, peccat toties, quoties comedit eos. Quia præceptum est negativum, & obligat durante die jejunij, sicut alia præcepta negativa: quemadmodum enim jurans nomen Dei in vanum, toties peccat, quoties jurat, sic etiam comedens cibos in die jejunij vetitos, toties peccat, quot sunt comestiones distinctæ; licet comedens cibos licitos, semel tantum peccet in die, quamvis sæpiùs manducet eos, intrà eandem diem. Igitur, qui per totam quadragesimam non jejunaret, tot peccata committeret, quot sunt dies jejunij, modò à carnalibus se abstineret, alioquin peccaret toties, quoties carnes comederet per quadragesimam. Hujus jejunij quadragesimalis institutione decima pars totius anni confertur Deo: nam à prima dominica usque ad Pascha sunt triginta sex dies jejunij, qui sunt decima pars anni.

V. Disputatur, an ille, quem Episcopus dispensat in esu carnium, quia pisces, & alij cibi quadragesimales plurimùm nocent ipsi, ita censeatur dispensatus, ut possit se dispensatum credere etiam in præcepto affirmativo jejunij Ecclesiastici, quod est de una tantum refectione sumenda? Plures affirmant: quia (inquiunt) abstinentia à carnalibus est de substantia jejunij, ideoque est absolutè dispensatus à jejunio. Ita Azorius, Filliucius, Diana, & alij, à quibus recedo. Quia horum præceptorum dispensationes sunt diversæ, nec una aliam includit, nisi Episcopus, aut alter dispensans mentem suam explicet. aliud enim est dispensare in abstinentia à carnalibus, quam jejunium præcipit, & aliud in duabus refectionibus, scilicet in prandio, & cœna à jejunio prohibitis. Ideoque dispensatus in esu carnium, non reputatur ita dispensatus, ut possit cænare. Deindè finis dispensationis est, nè pisces noceant, non verò nè refectiuncula serotina noceat: ergo dispensatus de quo agitur, tenetur in hac parte jejunare, seu uni dumtaxat refectioni stare. Quoniam dispensatio in tantum valet, in quantum sonat.

VI. Contra istud præceptum peccant nedum illi, qui jejunium liberè frangunt, sed etiam omnes illi, qui ad jejunium violandum inducunt, quia cum aliis in fractione jejunij cooperari censentur, ut caupones, patres familias, Villici & alij curam domûs habentes, qui cœnam, aut alteram refectionem, vel cibos prohibitos illis apponunt, etiamsi petantur, nulli enim præbenda est materia transgrediendi præcepta Ecclesiæ. An verò excusentur, si timeatur nè graviùs Deum offendant, scilicet blasphemando, vel aliud malum fa-

ciendo? Plures affirmant, sed displicet mihi hæc opinio. Quia idem dicendum esset de aliis præceptis, quòd est falsum: malum enim à malo non solvitur, nec licet facere malum, ut alter à malo liberetur, præsertim si ipse liberandus, se liberare possit inculpabiliter, ut contingit in hoc casu, nec valet dicere velle liberare alium à malo; esse bonum. Quia non sufficit bonum intendere finem; sed necesse est insuper mediis honestis uti.

VII. Impotentia sivè moralis sit, sivè physica excusat à jejunio Ecclesiastico. Quia ad impossibile nemo tenetur, ut declarat sexta regula juris in 6. Impotentes sunt, infirmi, convalescentes, debiles, mulieres prægnantes, & lactantes. Quia nequit illis sufficere unica refectio, debent enim identidem aliquid sumere. Pauperes etiam excusantur, non quòd possint absolutè plures refectiones habere intrà diem; quia cum possint conservare apud se alimenta, si restant post unam refectionem sufficientem, tenentur non cænare: Sed quia si nihil habeant nisi cibos vetitos, qui illis dantur, eos comedere possunt, pariter & pluries in die manducare, si exiguas eleemosynas acceperint, ad unam refectionem insufficientes.

VIII. Quamvis labor corpus notabiliter defatigans, excuset à jejunio: nihilominus observandum est, quemcumque laborem non excusare, sed solum illum, qui fit necessariò, vel ex officio. Hinc est quòd operarij, qui divites sunt, & aliundè habent undè se, & suos sustentare valeant, absque labore, aut defatigatione incompatibili cum jejunio, non excusantur. Quia cùm possint sine magno incommodo non laborare usque ad debilitatem (Si velint) sequitur quòd ad hoc tenentur, ut jejunent, existit enim præceptum de jejunio observando. Et nullum est præceptum, nullaque necessitas tanti laboris vires debilitantis; ideoque ita operari debent, ut possint servare præceptum Ecclesiæ. Idem dico de aliis, qui non laborant ex officio ut sunt, v.g. venatores, Lusores, Viatores, qui causa recreationis, & voluptatis, agendo ita vires debilitant, ut impossibile sit ipsis jejunium: peccant enim contrà præceptum Ecclesiæ, si non jejunent. Quia impedimentum jejunij est voluntarium, & propriâ culpâ ita defatigati redduntur, ut jejunare non valeant. Parum refert dicere cum adversariis, quòd præceptum jejunij non prohibet opera honesta, & licita, & consequenter quis potest ea elicere, & si ex ipsis fiat debilis, potest se licitè à jejunio dispensare. Non valet inquam hæc ratio. Quia præceptum jejunij prohibet liberam voluntatem non jejunandi, nedùm proximam, utpotè desiderium non jejunandi, sed etiam remotam, quæ est voluntas ludendi &c. ex qua voluntate, interpretativè sequitur alia, quæ est de violatione jejunij; cùm ex hujusmodi exercitiis, vires corporis ita debilitentur, ut non possit observari jejunium sine magno incommodo, & velle ludere, venari similesque actus laboriosos elicere, sit velle habere impedimentum ad jejunium absque ulla necessitate. Unusquisque tenetur abstinere ab actibus etiam licitis, si impediant ea, quæ sunt de præcepto: aliàs sequeretur quòd posset quis licitè dormire in die festo usque ad meridiem, nec peccaret contra præceptum de missa audienda; cùm Ecclesia in hoc præcepto non prohibeat somnum, sed hoc est falsum. Quia Ecclesia præcipiendo auditionem missæ, prohibet liberam positionem operis contrarij auditioni missæ. Ita pariter Ecclesia præcipiens jejunium, prohibet liberam actionem jejunio contrariam.

IX. Pater familias nequit in die jejunij imponere famulis opera cum jejunio incompossibilia, sine necessitate, id est si possit ea in alium diem differre. Ita Azorius lib. 7. cap. 21. quæst. 12. Emanuel Sà verbo *jejunium* num. 16. & plures alii, quos citat, & impugnat Leander tract. 5. disp. 8. quæst. 107. de præceptis Ecclesiæ. Quia paterfamilias debet domesticos suos excitare verbis, & exemplo ad observantiam mandatorum Dei: ex quo sequitur quòd peccat impediendo eos absque ulla necessitate ab observantia jejunij. *Dices* ergò domestici debent tempore jejunij abstinere se ab operibus. *Nego* instantiam. Quia quodlibet opus non excusat à jejunio, sed solum illud, quod per diem corpus notabiliter defatigat, & macerat, non verò illud, quod est leve, vel quod licet arduum, aut laboriosum sit, ex brevitate temporis fit leve: igitur pater familias, debet hæc omnia observare tempore jejunij, & cavere nè domesticos suos sine necessitate ita occupet, ut impotentes sint ad observandum jejunium. Adversarij sic insurgunt. Viri religiosi non dimittunt operarios ob jejunium, & juxta consuetudinem ubiquè receptam, omnes laborant

in diebus jejunij, sicut in alijs diebus, ut experientia demonstrat. Sed non nocet hæc ratio. Quia operarij, & domestici sunt diversi. Operarij si laborent, ut indè habeant undè se, & suos sustentare valeant, possunt licitè laborare, & jejunium frangere, ut dictum est suprà. Ideoque non sunt dimittendi tempore jejunij; sed domestici, qui sunt sub potestate patris familias, ab ipso debent ita regulari, ut possint observare præcepta Ecclesiæ.

X. Labor mentis quatenus talis est, non eximit ab obligatione jejunij. Ita plures contra Lessium; Mastrium, & alios. Quia non macerat corpus, nec vires ejus ita exhaurit, ut jejunium nocere possit, ideoque corpus eorum, qui student, jejunio est subijciendum, ut vitia comprimantur, & mens elevetur. Undè concionatores, Lectores, advocati, & alij, qui studijs incumbunt, non excusantur ratione laboris præcisè, nisi ita debilitentur, ut fiant impotentes ad jejunium observandum. Quòd si contingat, scilicet quòd ita debilitentur, ut fiant impotentes, ac debiles, & habeant aliundè sustentationem, debent sicut operarij se gerere, ut dictum est suprà, nisi necessitas Ecclesiæ, & reipublicæ exigat, ut talis concionator conciones habeat, & advocatus officium suum exerceat. Quia si sine necessitate studeant, & officia exerceant tantum spe lucri, nequeunt propter hoc à jejunio dispensari. Ita Pasqualigius, fagundez, & alij.

XI. Dispensatio legitima excusat à jejunio. Hæc dispensatio concedi potest à summo Pontifice, qui cùm sit suprà jus positivum Ecclesiasticum, potest licitè, ac validè dispensare; etiam sine causa, Alij verò prælati inferiores, quales sunt Episcopi, unusquisque in sua Diœcesi, & Prælati regulares possunt etiam subditos suos dispensare, sed cum causa, alioquin dispensatio esset nulla, & invalida. Justa causa est necessitas dubia, ut dum quis dubitat an habeat vires sufficientes ad jejunandum, vel non, de quo consulendus est medicus, qui si necessitatem videat, declarabit illam, & Episcopus dispensabit: sed caveant medici (ut inquiunt Toletus, & Mastrius) nè in hac parte sint prodigi: cautè enim debent in conscientia causas dispensationis perpendere, & examinare, nè Prælatus sine causa dispenset à jejunio, quod præcipit universalis Ecclesia. Quando autem necessitas est evidens, nulla est petenda dispensatio. Quia Ecclesia non intendit impotentes obligare, nec infirmos, aut debiles ligare jejunio, & consequenter nulla dispensatione egent.

CAPUT XXIX.

De annua confessione.

I. Quamvis præceptum de confessione Sacramentali sit divinum, ut dicemus in quarto libro, istud tamen de confessione annua est tantùm Ecclesiasticum, & obligat semel in anno omnes, qui post baptismum peccaverunt, ut declarat Sacra tridentina Synodus sess. 14. cap. 5. circa finem, & can. *Omnis utriusque* de pœnit. & remiss. quemadmodum enim peccaret ille, qui peccata sua non confiteretur in articulo, vel in periculo mortis, peccat quoque ille, qui etiam extrà utrumque, peccata sua non confitetur semel in anno. Quænam autem sit illa pars anni in qua fideles tenentur confiteri? duæ sunt sententiæ. Una stat pro tempore paschatis, seu à dominica palmarum usque ad Dominicam *in albis*. Altera verò negat hoc præceptum obligare pro aliquo determinato tempore, vultque sufficere peccata confiteri semel in anno, seu in aliqua die anni. Hæc posterior opinio est communior apud Doctores, ut inquit Mastrius. Prior tamen videtur mihi probabilior, licet non sit communior: nam. cap. *Omnis utriusque* quo fidelibus præcipitur confessio annua, determinat tempus paschatis, saltem implicitè. Quia præcipit confessionem, & communionem simul, & hanc in paschate, ut constat ex proprijs verbis *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistia Sacramentum*. Quibus constat 1. Confessionem annuam obligare semel in anno tantum, & hanc ordinari ad communionem paschalem, ut suadet hæc particula quæ immediatè sequitur *& injunctam pænitentiam studeat pro viribus adimplere*: hæc quippè pœnitentia in Sacra-

mento confessionis à Sacerdote injungitur. 2. Communionem sumendam esse in paschate, & consequenter tempus pro confessione annua, est tempus determinatum per communionem ad quam ordinatur, scilicet à Dominica palmarum, usque ad Dominicam *in albis*. Patres concilij fideles ad confessionem, & communionem semel in anno obligare volentes, scientes aliundè confessionem esse præmittendam, determinando tempus pro communione, determinarunt idem pro confessione, saltem implicitè. Quapropter parochi diligenter curant, ut parochiani peccata confiteantur in paschate, & Eucharistiam sumant. Deindè tridentinum loco citato declarat consuetudinem confitendi peccata tempore quadragesimæ esse retinendam, & ideo hoc tempus est determinatum per consuetudinem, & usum Ecclesiæ, hocque est paschale. Quia quandò jura nihil expressè determinant in aliqua re, accipienda est juxta communem modum, & consuetudinem. Ita Scotus in 4. dist. 17. quæst. Unica ubi ait *quoad quando, Ecclesia determinavit semel in anno, illud semel videtur ad minus esse circa pascha*. Bassæus verbo *confessio* 1. num. 9. & alij.

II. Non desunt Doctores asserentes istud præceptum obligare sub mortali, etiam eos, qui solùm peccata venialia habent. eorum ratio est. Quia Ecclesiæ præceptum, non est ut fideles confiteantur mortalia tantùm, sed ut confiteantur peccata sua: at venialia sunt peccata, & sufficiens materia confessionis: tenentur igitur ea confiteri, ut præcepto satisfaciant Ita. D. Bonaventura in 4. dist. 17. part. 2. art. 2. quæst. 1. Hurtadus, Sylvester, & alij, cum quibus existimo opinionem oppositam esse minus probabilem. Quia præceptum obligans ad aliquid determinatè agendum, aut solvendum, aut exhibendum, obligat in re sufficienti, si desit necessaria, nec eximitur à minori, ille, qui non habet majus, ut agat, solvat, aut exhibeat illud. Undè quando desunt peccata mortalia necessariò confitenda, & præceptum de confessione annua urget, sunt confitenda venialia, quæ sunt peccata, & sufficiunt pro confessionis Sacramento conficiendo. Prætetea finis hujus præcepti subsistit etiam cum venialibus: hæc enim confessio annnua præcipitur saltem in paschate, ut Eucharistia reverenter sumatur; & ideò cùm ut reverenter sumatur sint confitenda omnia peccata, sequitur quòd ex vi hujus præcepti, ille, qui habet tantum venialia, teneretur confiteri ea, ut adimpleret præceptum, in quantum illud adimplere posset.

III. Præcipua adversariorum ratio est. Quia Papa nequit præcipere sub mortali confessionem venialium, cùm non valeat præcipere nisi id, quod præcipit Christus, scilicet confessionem mortalium: istud enim præceptum Ecclesiasticum de confessione annua, est tantum determinatio præcepti divini quoad tempus, igitur non potest obligare, nisi ad mortalium confessionem, ad quam divinum determinatè obligat. *Respondeo* summum Pontificem obligare ad confessionem venialium, non absolutè, ita ut valeat decernere peccata venialia esse necessariò confitenda sub pœna nullitatis confessionis, ut in primo libro dictum est. Sed conditionatè, id est potest decernere quòd si mortalia desint, & præceptum de confessione urgeat, materia sufficiens apponatur, seu venialia confiteantur, ut præceptum observetur, cùm per eorumdem confessionem observari possit. Nec hoc est præcipere contra id, quod præcepit Christus. Quia non est præcipere peccata venialia esse materiam necessariam sacramenti pœnitentiæ, nequè venialia esse necessariò confitenda. Sed solum velle quod fideles semel in anno confiteantur peccata, eo modo quo erunt; idest si mortalia, ut mortalia; si venialia, ut venialia, ut gratiam, vel gratiæ augmentum recipiant, & ad sacram sinaxim accedant præmissa confessione omnium peccatorum, aut priùs obtenta absolutione venialium, & ut pastor agnoscat vultum pecoris sui per se, vel per alium à se delegatum.

IV. Qui venialia confessus est tempore paschatis, & sacram communionem dignè, ac reverenter recepit, si posteà antè dominicam in albis, peccet mortaliter, tenetur ex vi hujus præcepti iterum confiteri. Id impugnant communiter Doctores, qui præcedentem assertionem tenent. Quia confitendo venialia, quæ commiserat (inquiunt) satisfecit obligationi suæ de annua confessione. Sed hoc non convincit: hæc quidem satisfactio, non est talis, qualem præceptum primariò exigit, id est venialia, non sunt ea peccata pro quibus principaliter statutum fuit præceptum de annua confessione; cùm sint solùm mate-

ria sufficiens sacramenti, & sufficienter fideles subjiciant obligationi confitendi semel in anno, quâ omnes fideles utriusque sexus ligantur. Ideoque adveniente mortali, quod est materia principalis, & necessaria, accessorium, & sufficiens non solvunt, nec satisfaciunt præcepto; cùm durante tempore solutionis, debitum subsistat, si debitor habeat intrà tempus illud undè solvere possit. v. g. Sacerdos, qui habet diurnale tantùm: non tenetur recitare matutinum, & satisfacit præcepto de horis canonicis recitandis, si recitet horas, quæ sunt in diurnali; sed si intrà diem, breviarium obtineat, tenetur recitare matutinum ejusdem diei, quamvis satisfecisset, matutino omisso ex defectu breviarij, si breviarium intrà diem non recepisset. Ita pariter discurrendum est, de eo qui confessus esset venialia sola ex defectu mortalium, si durante tempore obligationis, seu paschatis committeret peccatum mortale. Quia haberet materiam necessariò declarandam in confessione tempore paschatis.

V. Ille, qui in quadragesima peccata sua confessus est, & sacram communionem reverenter suscepit, si communionem paschalem omittat, revera peccat contrà præceptum; sed non tenetur confiteri, nec sacram Eucharistiam sumere, post tempus paschale, sicut teneretur si per annum integrum non fuisset confessus. Quia satisfecit præcepto quoad substantiam; & finem principalem; nam confessio, quæ fieret immediatè post pascha, non meliùs satisfaceret præcepto, quàm ea quæ intrà annum, seu ante pascha facta fuisset: ille autem, qui per annum integrum non est confessus, tenetur confiteri in initio sequentis anni; etiamsi ex justa causa confessionem omiserit. An verò toties peccet, quoties oblata per annum confitendi opportunitate, non confitetur? respondeo negativè contrà nonnullos; solùm auget peccatum, & sufficit illi in confessione sequenti declarare tempus à quo non est confessus, ut confessarius possit de omissione confessionis annuæ, judicare, & veram injungere pœnitentiam. Ita Layman, Villalobos, & alij, cum quibus observandum est, illum, qui præcedentis anni confessionem omisit, non posse per confessionem subsequentis anni; utrique præcepto satisfacere, scilicet anni elapsi, & subsequentis inchoati; Ecclesia enim hujusmodi confessionem omissam exigit, seu præcipit novam, ut adimpleatur præceptum anni præcedentis. Ideoque restat obligatio sequentis, quamvis in ea confessione aliquod peccatum illius anni sequentis declaretur. Ita docent Filliucius, Sotus, Navarrus, & alij contrà Dianam part. 4. tract. 4. resol. 206. ubi plures citat pro hac sententia.

VI. Major difficultas est, an qui in confessione annua aliquod peccatum mortale inculpabiliter omisit, teneatur confiteri illud, si posteà recordetur, etiamsi recordetur post transactum tempus paschale, ita ut non possit differre illud peccatum usque ad confessionem paschalem sequentem? Bassæus, Bonacina, Sylvester, & alij negant: eorum Ratio est, quia verè confessus est, & sincerè præceptum anni præcedentis adimplevit. Sed non convincit hæc ratio: nam ex cap. *Omnis utriusque sexus*. Tenemur confiteri omnia peccata, ut expressè refert idem can. *Omnis*. Undè cùm illud peccatum fuerit omissum (quamvis sine culpa) in confessione anno præcedenti facienda, & propter recordationem sit confitendum, debet ut præceptum adimpleatur, & omnia peccata sint confessa semel in anno, potiùs reduci ad confessionem præcedentem, aut anni præcedentis, quàm ad confessionem anni sequentis, ac proindè debet confiteri, antequam finiatur annus. Ita Sotus, & Medina.

VII. Non desunt Doctores asserentes, eum qui in confessione annua aliquod peccatum mortale externum voluntariè omittit, satisfacere præcepto; quia (inquiunt) Ecclesia solùm præcipit confessionem externam, & illius defectum punit. Ita Sylvester, Victoria, Emmanuel Sâ, & alij quos citat Leander tract. 5. de pœnit. disp. 3. quæst. 52. Salvâ tamen eorum reverentiâ, hanc opinionem existimo improbabilem: Ecclesia enim præcipit confessionem annuam, hancque integram, ut suadet constitutio *omnis utriusque*. In qua legitur *omnia sua peccata confiteantur fideliter*: quòd probat non sufficere, ut adimpleatur præceptum confiteri exteriùs, sed requiri confessionem sacramentalem, & sacramentaliter integram omnium peccatorum, ad absolutionem obtinendam, quâ non est dignus ille, qui voluntariè peccatum omittit. Assero iterum contra eosdem Doctores quòd ille, qui solo metu infamiæ confitetur tempore præcepti, id est qui non confiteretur, si infamiam non time-

ret non adimplet præceptum confessionis: ita Angelus à Clavasio. Quia non intendit finem præcepti: nam pœnitentis intentio debet esse pura, & ipse pœnitens debet velle obedire Ecclesiæ, & Deum placare; quòd de isto minimè verificari potest; cùm non intendat principaliter confiteri peccata sua, nec satisfacere præcepto, sed famam suam conservare.

VIII. Eadem obligatio iterandi confessionem annuam incumbit; etiam illis, qui sine dolore interno confitentur, ut docent contrà Doctores citatos, Azorius, Vasquez, & Ægidius; nam Ecclesia præcipiens annuam confessionem, non præcipit præcisè peccata esse confitenda, nec novum præceptum propriè imponit, sed statuit præceptum de confessione, quod est divinum, esse adimplendum semel in anno. Undè cùm certum sit apud omnes, præceptum divinum non adimpleri sine actibus internis doloris, sequitur quòd sine ipsis, nec præceptum Ecclesiasticum potest adimpleri.

IX. Agitatur inter Doctores, an pœnitens qui perfectè peccata sua confessus est, satisfecerit præcepto, si ex malitia sacerdotis ipsi nota, vel ex aliquo casu repentino absolutionem non acceperit? Azorius lib. 7. Cap. 29. quæst. 4. & Victoria affirmant; quia per pœnitentem non stetit. Altera opinio est communior; & tutior; ratio est, quia præceptum confessionis obligat ad recipiendum semel in anno sacramentum pœnitentiæ, cujus forma est absolutio, quam non recipit pœnitens de quo est questio. Verè per ipsum non stetit, cùm absolulio à ministro sacramenti dependeat. Sed ab ipso dependet sibi absolutionem procurare ab alio sacerdote: quia confessio peccatorum præcipitur pro absolutione obtinenda; & ideo tenetur ad alium recurrere, ut sacramentum suscipiat. Annua confessio non pendet ab uno sacerdote tantum, ita ut, eo recusante absolutionem, recusatus maneat in præcepto dispensatus. Igitur cùm de facto sint alij, adhuc ligatur obligatione confitendi peccata sua, & satisfaciendi præcepto Ecclesiastico, vel factus est impotens per recusationem malitiosam, vel per casum repentinum, quòd est falsum.

X. Cùm major discretio requiratur, ut quis ad communionem teneatur, quàm ad confessionem (difficilius enim est cibum spiritualem à corporali discernere, quàm bonum à malo) sequitur quòd pueri priùs obligantur ad confessionem, quàm ad communionem paschalem. Ita docent Vasquez, Suares contra plures. Hinc est quòd contingere potest puerum in articulo mortis existentem teneri ad confessionem; quin teneatur communionem suscipere. In hac occasione, rei judicium ad prudentiam confessarij est remittendum.

CAPUT XXX.

De Communione in Paschate.

I. Fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, tenentur huic præcepto satisfacere, ut declarat can. *Omnis utriusque* Concilij Lateranensis sub Innocentio III. & can. 9. Concilij Tridentini Sess. 13. *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Istud præceptum in propria parochia est adimplendum, nisi Parochus consentiat, ut in alia Ecclesia quis communicet, hacque licentiâ indiget Parochianus, etiamsi in Ecclesia Cathedrali Eucharistiâ sumere velit: etenim cõmunio Paschalis sumi debet à proprio Parocho, vel ab alio de ipsius licentia; ideoque Parochianus alterius Parochiæ non satisfacit huic præcepto, si in Ecclesia Cathedrali communicet tempore Paschatis, inconsulto proprio Parocho, quia Parochus Ecclesiæ Cathedralis non est Parochus aliarum Ecclesiarum Diœcesis. Ita Sanchez, Bassæus & alij, quos refert & sequitur Leander contra Barbosam & Emmanuelem Sa, quorum ratio est, quia in Ecclesia Cathedrali residet communis Pastor, idest Episcopus, hæcque est mater aliarum Parochiarum. Sed non nocet hæc ratio: nam licet Ecclesia Cathedralis sit mater aliarum Ecclesiarum Diœcesis, nihilominus quælibet Ecclesia Parochialis habet suum jus, suosque Parochianos; alioquin omnes Diœcesani essent Parochiani Parochi Ecclesiæ Cathedralis, ejusdemque Parochiæ, quòd est falsum: ille

tamen, qui in Ecclesia Cathedrali communionem Paschalem sumeret de manu Episcopi, vel in alia Ecclesia etiam regulari, de licentia ejusdem Episcopi, præcepto satisfaceret. Cùm Diœcesanus Episcopus sit proprius Sacerdos in toto Episcopatu. Ut in primo libro dictum est.

II. Obligatio sumendi Sacram Eucharistiam in propria Parochia tempore Paschatis, non ligat Sacerdotes, ita ut teneantur eam recipere de manu Parochi: præceptum enim communicandi in propria parochia, ex recepta consuetudine ad eos solùm extendi videtur, qui ab aliis Eucharistiam sumunt, non verè ad Sacerdotes, qui cùm alibi celebrare possint, etiam tempore Paschatis, in alia Ecclesia celebrando, huic præcepto satisfaciunt cùm de facto Corpus Christi sumant, & non priuentur jure celebrandi tempore Paschatis: tenentur tamen communicare in propria Parochia, si nec ibi, nec alibi celebrare velint in Paschate, quia renunciando juri de Eucharistia sumenda propria manu tempore Paschatis, ligantur obligatione sumendi eam de manu Parochi, sicut cæteri Parochiani. Sic Henriquez, Mastrius, & Emmanuel Sà. Laici etiam viris Religiosis inservientes, ac in eorum Monasterijs degentes, ac perpetuò commensales, possunt licitè in ijs locis Paschalem communionem sumere, ut docent communiter Doctores. An verò simplex Sacerdos qui numquam in anno celebrat, peccet mortaliter contra illud præceptum de communione sumenda in anno; etiamsi communionem accipiat in Paschate de manu Parochi? affirmo, quia ex communiori sententia, Sacerdos non impeditus tenetur celebrare quater in anno, ut facilè colligitur ex illo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus instituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Idem infertur ex hoc præcepto ad Sacerdotes directo *hoc facite in meam commemorationem.*

III. Qui tempore Paschatis Sacram Eucharistiam recepit cum aliquo peccato mortali voluntariè omisso in confessione, vel post ipsam commisso, huic præcepto minimè satisfecit. Ita Capreolus, Centinus, & alij ex nostris, quibus adhærent Nugnus, & Sylvius. Ratio est, quia ex cap. *omnis.* Fideles tenentur recipere Eucharistiam reverenter, & priùs adhibitâ omni humanâ diligentiâ, ut dignè suscipiatur; nam per præceptum Ecclesiasticum, non solùm præcipitur actualis Eucharistiæ sumptio tempore Paschatis, sed etiam præcipitur modus, ut suadet hæc particula *reverenter.* Non præcipitur communio tantùm, sed communio in debitis circunstantiis, & dispositionibus requisitis juxtà intentionem Christi, ut manifestat Apostolus his verbis, *probet autem se ipsum homo*, cùm Ecclesia aliam communionem non præcipiat, nisi eam, quam Christus instituit, utpotè dignam, igitur per sacrilegam communionem, nullus potest satisfacere præcepto Ecclesiastico de Eucharistia reverenter sumenda tempore Paschatis. Mastrius, & alij adversantis sententiæ defensores respondent hanc reverentiam esse purè externam. Sed miror viros Doctissimos talem responsionem adhibere, quia hæc particula *Reverenter* necessariò importat internam animi dispositionem, & præcipitur nedùm ad vitandam communionem scandalosam; sed etiam Sacrilegam, cùm apponatur, ut animus sumentis Eucharistiam semel in anno reficiatur, & ex jure, communio non sit sumenda sine prævia confessione integra, seu ab homine existente in peccato mortali. Quia panis filiorum non est mittendus canibus; qui enim manducat hunc panem indignè, non communicat, ut præcipit Ecclesia; sed judicium sibi manducat, & bibit, ut monet Apostolus.

IV. Hanc assertionem sic impugnant adversarij. Indignè suscipiens alia Sacramenta v. g. confirmationem, matrimonium, ordinem, verè ea suscipit, & præcepta adimplet; Similiter ille, qui ex malo fine missam audit, præcepto satisfacit: igitur, ille qui sacrã Eucharistiam indignè suscipit in Paschate, non peccat contra præceptum de communione sumenda semel in anno. Huic rationi respondeo paritatem esse nullam, quia præceptum de communione sumenda obligat non solùm ad substantiam, seu ad receptionem sacramenti Eucharistiæ, ut præceptum de aliis Sacramentis, aut de auditione missæ, sed etiam ad finem præcepti, scilicet ad effectum Sacramenti, quem indignè accedens percipere nequit: Ecclesia enim non præcipit Sacram communionem, ut fideles semel in anno ad altare accedant, sed ut cælestibus epulis reficiantur, & carnem Christi manducent reverenter, cùm ex

Apostolo 1. ad Corinth. 11. qui manducat, & bibit indignè judicium sibi manducet, & bibat, non dijudicans Corpus Domini. Ideoque culpabiliter indispositus, non facit quod Ecclesia præcipit, nec adimplet præceptum, & est reus Corporis, & Sanguinis Domini.

V. Fidelis, qui prævidet se in Paschate sequenti, legitimè impeditum fore, tenetur Sacram Eucharistiam suscipere in Parochia sua, antequam impediatur. Ita delugo, Gavatius noster, Sylvius, & alij contra plures existimantes ad hoc non teneri, nisi fortè prævideat impedimentum per totum annum sequentem duraturum, sed non excusat hæc prævisio: supposito enim quòd certò sciat impedimentum non duraturum per totum annum sequentem, si non sumat Eucharistiam ante Pascha, exponit se periculo non satisfaciendi præcepto, quia hæc certitudo de remotione impedimenti v.g. navigationis antequam finiatur annus sequens, non est ita certa ut excludat omnem dubitationem, & excuset ab omni diligentia adhibenda, ut præceptum adimpleatur: ergo nè periculo se exponat, tenetur satisfacere præcepto, sicut qui prævidet se in die festo impeditum fore, tenetur audire missam summo manè, si possit, ut satisfaciat præcepto antequam legitimè impediatur: nam inopinatè impeditus tempore Paschatis, tenetur statim post Pascha, aut statim ac cessat impedimentum, Eucharistiam sumere, ut præcepto satisfaciat: ut fatentur adversarij, eadem ratione tenetur eam ante Pascha sumere, dum prævidet se impediendum per totum tempus Paschale; cùm tutius sit præcepti observantiam anticipare, quàm differre. Insuper juxta communem canonistarum sententiam, fidelis, qui prævideret se non habiturum in articulo mortis copiam Sacerdotis, tenetur anticipare observantiam præcepti de communione sumenda in articulo mortis: nescio qua de causa, non tenebitur anticipare observantiam præcepti communionis Paschalis, si prævideat se legitimè impediendum in paschate.

VI. Adversantis sententiæ fundamentum est, quia præceptum annuæ communionis non obligat ante Dominicam Palmarum, & consequenter qui providet se impediendum, non tenetur anticipare tempus, quemadmodum, qui prævidet se impediendum in die festo, non tenetur audire missam die antecedenti. At hæc ratio non convincit, quia licet præceptum non obliget ante Dominicam Palmarum absolutè, obligat tamen conditionaliter, ut facilè colligitur ex illa particula decreti *ad minus in Pascha* quæ suadet communionem esse sumendam in alia parte anni, si in Paschate suscipi nequeat. Nec valet paritas de præcepto missæ, quia est omninò absolutum, & transit cum die festo; quòd de isto dici non potest; cùm ille, qui ob justam causam missam non audivit, non teneatur eam audire die sequenti; & ille, qui omisit communionem suscipere intrà tempus Paschale, eam suscipere teneatur post Dominicam in albis. An verò teneretur iterum Eucharistiam sumere intrà tempus Paschale, si impedimentum cessaret, supposito quòd communionem Paschalem anticipasset? affirmo, quia sublato impedimento, præceptum fit absolutum: unde licet ille de quo agitur adimpleverit præceptum quoad substantiam, seu communionem susceperit semel in anno, tamen non adimplevit illud quoad circunstantiam temporis, ideoque in hoc ligatur præcepto Concilij Lateranensis de communione suscipienda in Paschate, cùm eam suscipere possit, & communio possit multoties recipi in anno.

VII. Summus Pontifex obligatur annuæ communionis præcepto, reverà non tamquam præcepto, & ratione obedientiæ, cùm non sit inferior Concilio communionem Paschalem omnibus fidelibus utriusque sexus præcipiente, sed ratione conformitatis cum cæteris fidelibus; necessè enim est principem Ecclesiæ exurgere in præcepto, quod mandavit pro assequenda salute: tamen observandum est, quòd licèt peccaret si Sacram Eucharistiam non susciperet, ut docent Covarruvias, Reginaldus, Bonacina, Filliucius, & alij quos citat Leander 1. p. tract. 5. disp. 3. quæst. 27. non incurreret tamen pœnas in jure Latas contrà eos, qui semel in anno non confitentur peccata, nec Sacram communionem suscipiunt in Paschate, quia princeps non obligatur coactivè ad observantiam legis quam condidit, sed solùm directivè.

VIII. Non desunt Doctores, qui cum Tabiena, Armilla, Navarro, & alijs inferunt ex tridentino sess. 25. de regular cap. 10. personas religiosas plusquam semel in anno ligari hoc præcepto de communione

munione sumenda; quia, inquiunt, Patres concilij eas obligant saltem semel singulis mensibus ad confessionem peccatorum, & ad Sacro - Sanctæ Eucharistiæ susceptionem. Ab hac opinione tamen recedo. Tum quia in prædicto decreto, non præceptum, sed consilium datur, ut patet ex proprijs verbis decreti, *attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales &c.* Quibus constat non esse præceptum de communione sumenda singulis mensibus, sed admonitionem, & consilium. Tum quia cap. *omnis.* Æqualiter obligat omnes personas utriusque sexùs, eademque obligatione astringit personas sæculares, & religiosas. Nec valet objicere verba glossæ in Clement. *Né in agro.* De statu Monach. §. *Sané.* Verbo *mensibus.* Ubi legitur, *arctantur ergo Monachi singulis mensibus, ad quod fideles arctantur singulis annis.* can. *omnis.* De pœnit. & remiss. Quia hæc constitutio, quam allegat Tridentinum est etiam de Consilio, ut inferri potest ex verbis sequentibus ejusdem glossæ *propter enim Religionis perfectionem, aliquid debent ad pensum Sanctæ institutionis adijcere.* Quibus constat Monachos teneri singulis mensibus ad communionem, ad quam fideles tenentur singulis annis, solùm ex debito perfectionis religiosæ; non autem ex præcepto Ecclesiastico. Licet enim singulis mensibus arctentur ad id, ad quod arctantur fideles ex can. *Omnis*; non arctantur tamen eodem modo, scilicet per præceptum, sed propter perfectionem. Hæc ultima opinio est communior & probabilior, quia solitò ea, quæ ad perfectionem tendunt, & propter eamdem fiunt, sunt de Consilio. Idem colligitur ex Tridentino sess. 23. de reform. cap. 13. ubi legitur, *Subdiaconi, & Diaconi ut Ecclesiis quibus adscribentur, inserviant, sciantque maximé decere si saltem dominicis diebus, & solemnibus, cùm altari ministraverint, sacram communionem perceperint.* His enim verbis (quæ etiam de regularibus Subdiaconis intelligenda sunt) Suadetur hanc injunctionem non esse de præcepto, sed solùm de Consilio & decentia, ut patet.

IX. Quamvis personæ religiosæ Eucharistiam sumere non teneantur singulis mensibus ex vi præcepti Ecclesiastici sæculares, & Religiosos æqualiter ligantis; ad id tamen tenentur ex vi perfectionis, ad quam eas obligat professio Religiosa, vel ex vi constitutionum, aut ex vi consuetudinis, quæ cùm sit laudabilis, habet vim legis & constitutionis. In hoc cavere debent Superiores, nè moniales & Religiosi non celebrantes, sacram communionem omittant, cùm ad eam singulis mensibus accedere teneantur ex vi perfectionis Religiosæ ut jam dixi. Frequentem verò non debent omnibus permittere indiscriminatim nè Sanctum detur canibus; nam sol, qui ceram liquefacit, indurat lapidem; Panis, qui stomachum sanum vegetat, & confortat, opprimit infirmum: similiter mortuis mortem, tepidis teporem auget frequentata communio, & iterata missarum celebratio. Igitur debent eam permittere illis dumtaxat, qui Sacra lectione, pia meditatione & interioris hominis exercitationibus animum pascunt.

CAPUT XXXI.

De Decimis.

I. Obligatio solvendi decimas, seu dandi Ecclesiæ ex decem fructuum partibus, unam, in Dei cultum, non est de jure naturæ, ut voluerunt aliqui, sed de jure divino positivo, juxta illud Levit. 27. vers. 30. *Omnes decimæ terræ sivé de frugibus, sivè de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Nec valet objicere Abrahamum solvisse decimas, ut constat ex Genes. 14. vers. 20. & consequenter obligationem solvendi eas, non esse de jure scripto, sed naturali, cùm Abraham fuerit ante Moysem, cui Deus dedit legem in monte Sinai. Non valet, inquam, hæc ratio; quia Abraham obtulit decimas spontaneè, ut monet Abulensis; quare argumentum non probat obligationem solvendi decimas fuisse de lege naturæ, sed solùm fuisse oblatas in hac lege. Nec probat præceptum, sed usum de decimis solvendis fuisse in lege naturæ. Modò tamen obligatio quâ ligantur fideles ad solvendas decimas, quatenus dicunt determinatam partem fructuum, non est de jure divino, sed Ecclesiastico. Tum quia præceptum, quò in veteri testamento judæi te-

nebantur decimas solvere Levitis, non erat morale, sed judiciale, quod post passionem Christi cessavit, sicut alia præcepta judicialia & cæremonialia legis antiquæ, ut diximus suprà cap. 2. num. 3. Tum quia si decimæ in nova lege, solvendæ essent de jure divino, quò, in lege veteri solvebantur, nullus immunis esset à solutione decimarum, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, aut privilegio; cùm nullum jus humanum sit suprà divinum; sed hoc est falsum: nam ex can. *ex parte*. Can. *licet*. can. *ad audientiam*. De decim. Et ex Bullis Cælestini V. & Gregorij XI. Religiosi immunes sunt à solutione decimarum terrarum, quas ipsi excolunt. Item in multis territoriis non solvuntur decimæ propter consuetudinem: ergo obligatio solvendi decimas prout in lege nova solvuntur, est de jure Ecclesiastico.

II. Triplex est decimarum genus: quædam enim sunt personales, ut illæ, quæ debentur ex his, quæ ex opere personali proveniunt, seu ex negotiatione, famulatu, aut artificio personarum. Quædam prædiales sunt, ut illæ, quæ proveniunt ex arboribus, & fructibus terræ: aliæ verò dicuntur mixtæ, quia partim ex prædijs, & partim ex industria personæ proveniunt, quales sunt animalium fætus, scilicet lana, lac, caseus &c. hæ sunt decimæ, quæ in lege Evangelica Clericis solvuntur juxta locorum consuetudinem, nedùm quoad res ipsas; sed etiam quoad taxationem, *ut qui spiritualia seminant, temporalia metant*, juxta monitum Apostoli; & quamvis nullus teneatur meliores fructus eligere, ut decimas solvat, non potest tamen eligere deteriores: sed debet bona fide eos accipere, prout se offerunt, & eos dare Clericis. Ita omnes canonistæ.

III. Fraudantes decimas peccant contra justitiam, quia faciunt contra jus, quod clerici habent ad illas exigendas juxta locorum consuetudinem, contractum ob spirituale ministerium can. *decimæ* 16. quæst. 1. hinc est, primò fraudantes decimas teneri ad restitutionem can. *Parochianos*. Secundò jus decimarum non posse primariò competere Laicis, nec ab ipsis possideri can. *quamvis* eod. tit. Tertiò decimas esse soluendas clericis, etiamsi divites sint & improbi; cùm non debeantur ob clericorum inopiam vel probitatem, sed solùm ob ministerium, quod in populi utilitatem impendunt, *quis* enim *pascit gregem, & de lacte ejus non manducat?* inquit Apostolus 1. Corinth. cap. 9. Utrum jus illud ad exigendas decimas competat Clericis antequam à cumulo fructuum separentur? Rebuffus, Bonacina, Filliucius, & alij negant; sed alia opinio est probabilior: quia fructus terræ statimac colliguntur, incipiunt esse sub dominio Ecclesiæ, quoad partem Clericis destinatam, & quæ ipsis ex consuetudine datur. Ita Hostiensis, Andreas, & alij ex can. *tua nobis* de decim. His addo quòd si ante decimarum solutionem, fructus tam collecti, quàm colligendi pereant culpâ coloni, ipse colonus tenetur ad restitutionem, quia decimæ debentur Ecclesiæ ex justitia, & colonus in hac parte, est verè debitor decimarum; ideoque non possunt ipsius culpâ perire, quin sit causa damni.

IV. Decimarum solutio debet fieri ex integris fructibus antequàm deducantur expensæ factæ in colendis agris, & fructibus colligendis, & antequam deducantur tributa tam regia, quàm censualia can. *Cum homines*. Ratio est, quia decimæ soluuntur in recognitionem Dominij universalis Dei & Ecclesiæ, quod quidem dominium ex can. *Cum non sit* de decim. Juribus humanis anteferri debet, & ab omni tributo immune esse. Itaque, qui hujusmodi expensas deduceret, teneretur ad restitutionem, sicut ille, cujus culpâ fructus perirent; quamvis, qui agrum suum noluit seminare, nec vincam colere, non teneatur ad restitutionem decimarum, quia solvuntur de fructibus productis, usque ad maturitatem, ut docet communior opinio. attamen existimo cum pluribus, quos citat Leander disp. 2. quæst. 19. Quòd Ecclesia potest ipsum cogere, ut per se, vel per colonos agrum seminet, vineas colat, &c. Et si absque ulla legitima ratione recuset, Ecclesia potest colonum constituere. Huic sententiæ lubens subscribo, quia licet Ecclesia non habeat jus in re, seu in agro, habet nihilominus quoddam jus ad fructus ejusdem, quod valet sibi conservare: etenim unusquisque potest sibi licitè procurare quod suum est, modò id possit absque ulla proximi injuria, ut in hoc casu contingeret.

V. Quamvis dicimas defraudantes non sint de facto excommunicati, quidquid dicant nonnulli, debent tamen excommunicari. Ita trident. sess. 25. de reform. cap.

12. præmissa admonitione, ut olim præcepit Alexander Papa III. Cantuariensi Archiepiscopo, & ejus suffraganeis in can. *Pervenit*. De decim. ubi ait, *mandamus quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit sub excommunicationis districtione compellere, ut de proventibus molendinorum, piscariarum, fœno & lana, decimas Ecclesijs quibus debentur, cum integritate persolvant.*

VI. An parochiani teneantur ex vi juris, decimas prædiales in clericorum horrea defferre? Barbosa, Adrianus, & plures alij negant, nisi talis sit consuetudo, ut v.g. in regno Navarræ; quia jus hoc non præcipit, & consuetudo in his est lex, dùm non habetur lex scripta. Ex adverso Abbas in cap. *pervenit*. De decim. num. 3. Armilla, Covarruvias & alij quibus subscribo affirmant. Id apertè colligitur ex can. *revertimini*. 16. quæst. 1. junctâ glossâ verbo *in horrea*. Et ex can. *decimas* quæst. 7. junctâ glossâ verbo *in horreum*. Ubi legitur, *non solum dare, sed etiam ad domum deferre decimas debent*. Deindè decimæ debent clericis solvi sicut tributa regi; cùm illæ ex justitia ad clericos pertineant, sicut ista ad regem; sed tributa sunt deferenda ad locum in quo solvuntur, etiamsi non petantur; ut dictum est cap. 6. num. 6. Ergo ex jure, & ex natura decimarum, debent à parochianis deferri in horrea clericorum. Quia unusquisque tenetur dare alteri, quod suum est, etiam illo non petente: nam dies aut tempus solutionis interpellat pro creditore; at cùm in his omnibus tum quoad res decimandas, tum quoad taxationem, spectanda sit locorum consuetudo, ut fatentur omnes Doctores, in pluribus locis cessavit hæc obligatio, sicut cessarunt decimæ personales in pluribus locis, sicut & decimæ mixtæ. Ideoque parochiani non tenentur absolutè decimas prædiales defferre in horrea clericorum.

VII. Decimæ novalium, seu terrarum, quæ numquam seminatæ fuerunt, nec fructus produxerunt, pertinent ad parochum parochiæ intrà cujus terminos existunt, excepta parte Episcopi, ut patet ex can. *Quoniam*. De decim. quò, si terræ, quæ primò seminantur, non sint intrà certam parochiam, Episcopus Diœcesanus potest disponere pro ut sibi placuerit, ut inquit glossa. Justa atque rationabilis est hæc Pontificia constitutio, quia Episcopus est Pastor in toto episcopatu; ideoque ad ipsum spectat distributio bonorum, quæ nondum disposita fuere, cùm ipsi incumbant totius episcopatûs cura, & omnium Diœcesis Ecclesiarum sollicitudo.

VIII. Si colonus vendiderit fructus non decimatos, Ecclesia potest decimas exigere, ut tradunt omnes canonistæ communiter. Inter ipsos difficultas est solùm an exigendæ sint ab emptore, vel à venditore. Quantum ad nos est, probabiliùs judicamus hujusmodi decimas esse exigendas ab emptore: hic quidem habet fructus Ecclesiæ debitos, & retinet rem alienam, & consequenter tenetur restituere decimas retentas, aut Ecclesiæ debitas, sicut emptor rei furtò sublatæ, tenetur eâ restituere Domino pro quo res clamat, nisi venditor solvat. Eadem ratione emptor tritici non decimati ligatur obligatione solvendi decimas. Quia non sunt debitum personale, sed reale sequens naturam tritici, vini &c. Solvendum, non juxta qualitatem, & conditionem Domini fructuum, sed juxta eorumdem fructuum quantitatem; neque nocet quòd ab isto, vel ab alio suscepti fuerint hujusmodi fructus, sufficit enim quòd subsistant, & fuerint collecti.

IX. Fructus agri de usura empti decimandi sunt; etiamsi hujusmodi fructus sint de bono malè acquisito: nam ex regulis juris, semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum, nec pergravandus est unus culpâ alterius; ideoque usurarius tenetur solvere decimas de fructibus agri ex usura empti; alioquin Ecclesia cui dicatæ fuerunt decimæ pro ministris sustentandis, detrimentum pateretur culpâ usurarij, & ipse usurarius decimas Deo dicatas in usus purè humanos transferret. Præterea fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere, ac proindè solui debent ab usurario, qui ex usura emit agrum, & parochus potest licitè eosdem fructus ex decimis provenientes sibi assumere: legimus enim in veteri testamento, Deum, ex duodecim tribubus quibus constabat universus populus Judaïcus, elegisse leviticam dumtaxat pro divino cultu celebrando, & ministerio peragendo. Et quia illi, qui erant de hac ipsa tribu levi, non poterant vacare agriculturæ, Deus mandavit alijs tribubus, ut ex fructibus terræ darent decimam partem in sustentationem tribûs levi, (cujus officium erat divinum ministerium in templo Dei), & om-

nes, ac singuli solvebant. Reverâ hoc præceptum erat judiciale, & fuit abrogatum cum lege antiqua, sed quia in lege Evangelica sunt etiam ministri divino cultui occupati, Ecclesia præcipit solutionem decimarum in sustentationem ministrorum, & vult quòd hæc solutio fiat ex integris fructibus præcisè, & ideo fructus agri ex usura empti, sunt decimandi, sicut alij, qui à legitimo Domino colliguntur.

X. Præter decimas, ad bona, & jura Ecclesiæ, pertinent oblationes, quæ pro ministrorum sustentatione exhibentur. Varijs rationibus potest quis teneri ad oblationes, ut monet D. Thomas, scilicet conventione, promissione; necessitate ministrorum, aut Ecclesiæ, & consuetudine; sæpè enim contingit aliquem suscipere domum, vel agrum cum obligatione offerendi aliquid parocho Ecclesiæ semel, vel bis in anno. Vel promittere aliquid Ecclesiæ v. g. decem nummos: contingere etiam potest ministrum esse pauperem, & parochianos esse à longo tempore ad oblationem assuetos. Oblationes, quæ fiunt primo, & secundo modo, nequeunt omitti sine peccato, quoniam sunt de genere censûs, & voti. Illæ autem, quæ fiunt tertio, & quarto modo, sunt prorsùs voluntariæ saltem quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ. Dixi *quantum ad quantitatem vel speciem rei oblatæ* quia si Ecclesia sit pauper, & non habeat undè ornari debeat, & sacerdos non habeat undè vivat; & in ipsa Ecclesia sit consuetudo offerendi in aliquibus solemnitatibus, fideles tenentur aliquid offerre, si possint, quamvis non teneatur offerre hoc, vel illud. Puniendi sunt illi, qui non reddunt oblationes debitas, non per ipsum parochum, aut sacerdotem cui faciendæ sunt, nè videatur aliquid exigere pro sacramentorum administratione, sed per Episcopum, qui ex Trident. sess. 21. cap. 4. & ex can. *Ad audientiam* potest compellere populum ad sufficientet subministrandum unde clerici vitam sustentent.

XI. In lege antiqua prohibebatur oblatio de mercede prostibuli ut legitur deuter. cap. 23. vers. 18. propter immunditiam. In lege nova prohibentur ob aliam rationem, nimirum propter scandalum, quia indè Ecclesia videretur fauere peccato; cùm de lucro peccati oblationem reciperet. Ita D. Thomas. 2. 2. quæst. 86. ar. 1. 3. ad 1. Idem suadetur ex illo ecclesiast. cap. 34. vers. 21. Ubi spiritus Domini ait *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Parùm refert dicere quòd ex hujusmodi lucro meretricio potest fieri eleemosina. Quia in eleemosina pauper non respicit personam dantis, sed donum; in oblatione autem ad altare, saltem publica, ministet non solùm oblationem, sed etiam personam offerentem respicit, ut sacris reddatur reuerentia debita, & nè fideles scandalizentur. Huic responsioni suffragatur illud genes. 4. vers. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.*

XII. Licet vasa, vestimenta sacra, & similia, quæ offeruntur ad altare, non possint cedere in usum profanum, ut habetur ex cap. *Semel* de regulis juris in 6. Tamen si Ecclesia reparari indigeat, vel aliqua re opus habeat, possunt Episcopi judiciô impendi ad reparationem Ecclesiæ. Ea verò, quæ non sunt consecrata, ut panis, vinum, &c. Quæ offeruntur in celebratione missarum, vel in sacramentorum ministerio, possunt ad usus humanos transferri, & in usum laïcorum cedere sive per modum donationis, sive per modum venditionis. Quia istarum secundi generis oblationum integra jura ministris attribuuntur; etiamsi sint regulares. Ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 86. art. 2. ad 2. Et earum usus integrè transfertur ad parochum, aut sacerdotem cui offeruntur, ideoque potest uti ipsis pro utilitate, aut commoditate sua, nisi hujusmodi oblationes offerantur hac intentione, ut in honorem, vel ornatum Ecclesiæ imsumantur, hæcque intentio nota sit parocho, aut sacerdoti Ecclesiæ: tunc quidem vendendæ sunt in utilitatem Ecclesiæ. Ratio est, quia sicut legatum debet persolvi juxta mentem disponentis, ita oblationes juxta mentem offerentis.

XIII. Oblationes sunt res sacræ, & divinæ sicut primitiæ, & decimæ fructuum, ideoqué laïci non possunt in ipsas oblationes jus acquirere, nec eas propria authoritate accipere. Et qui, hoc attentare præsumpserit, sacrilegij pœnas incurrit, quia sustulit rem sacram de sacro ut colligitur ex can. *Hanc consuetudinem.* 10. quæst. 1. ubi legitur *hanc consuetudinem quæ contra Sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omninò interdicimus, ut nullo modo unquam, ullo tempore oblationes quæ*

intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub Dominio laicorum detineantur, sed tantummodò sacerdotibus, qui quotidiè Domino servire videntur, illis solis liceat comedere, & bibere. Ita communiter sentiunt canonistæ, cum quibus advertendum est Ecclesiam non recipere oblationes omnium personarum indiscriminatim, ita ut hæretici, & excommunicati possint eas offerre. Quia offerre, & accipere est quædam communicatio, quam ministri Ecclesiæ Christi non habent cum illis, qui foris sunt, sed recipiunt solùm eas, quæ offeruntur à fidelibus, qui sacrificijs, & officijs intersunt, aut interesse possunt.

XIV. Primitiæ differunt à decimis; & oblationibus, licet ad quoddam genus oblationum pertineant; cùm Deo exhibeantur cum quadam professione, sicut decimæ, & oblationes. Fideles solvunt decimas, ut profiteantur Deum esse supremum Dominum habentem jus primi principij. Oblatio est spontanea protestatio, quam fideles sacerdotibus offerunt pro peccatis suis. Primitiæ autem offeruntur in recognitionem divini Dominij, & beneficij à Deo accepti, & ipsis, fidelis profitetur se à Deo fructus terræ percipere, & teneri ad aliquid de hujusmodi fructibus Deo exhibendum, juxta illud paralip. 1. cap. ult. vers. 14. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Ideoque cedunt in usum Sacerdotum, sicut decimæ, & oblationes, ut constat ex illo num. 18. *Locutus est est Dominus ad Aaron: ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum.*

XV. Quamvis præceptum de primitijs offerendis valdè consentaneum sit legi naturali: ratio enim dictat, ut homo primos fructus agrorum, vinearum, hortorum, & arborum, ex omnibus fructibus sibi datis, offerat Deo in recognitionem, & gratiarum actionem; nihilominus hodiè plerisque in locis primitiarum oblatio per desuetudinem abolita est. Quia ministri Ecclesiæ ex decimis, alijsve fidelium oblationibus habent undè sustentari possint. Præter præceptum offerendi primitias extabat aliud in lege antiqua, scilicet præceptum offerendi primogenitum tam de hominibus, quàm de jumentis, sed quia per mortem Christi desiit lex vetus quoad præcepta judicialia, & cæremonialia, ut dictum est suprà cap. 2. num. 3. in lege nova minimè subsistit præceptum illud de primogenitis offerendis.

CAPUT XXXII.

De præcepto vitandi excommunicatos.

I. CUm Deus multipliciter puniat peccatores, ut eos ad bonum trahat, seu, ut faciant bonum, & declinent à malo, ut testantur sancti patres, necesse est etiam ut Ecclesia cujus judicium est conforme judicio Dei, peccatores puniat pœnis & censuris, quibus eos separat à communione fidelium, ut erubescant, & per humilitatem seipsos agnoscentes ad Deum redeant. Undè cùm in Ecclesia sit potestas excommunicandi, ut dicemus in sequenti libro, & excommunicatio separet à communione Ecclesiæ, & ab humana conversatione, ut in jure Romano cautum est, quilibet fidelis tenetur præceptô ecclesiasticô vitare excommunicatos denunciatos sub pœna excommunicationis saltem minoris can. *Quid in dubijs* de sentent. excom. ut statim fusiùs dicemus. Hæc obligatio vitandi excommunicatos, evidenter colligitur ex illo Apostoli. 2. ad Thessalon. cap. ult. vers. 14. & 15. ubi legimus *si quis non obedit verbo nostro, per epistolam, hunc notate: & nè commisceamini cum illo, ut confundatur & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* His verbis Apostolus monet inobedientes verbo Dei, aut Ecclesiæ, esse manifestandos, seu per Epistolam notandos nè commisceamur cum illis, eosque vitemus tanquam excommunicatos, ut confundantur. Et 1. ad Corinth. cap. 5. vers. 11. ait *cum hujusmodi nec cibum sumere.* Tenemur igitur vitare excommunicatos, præceptô Apostoli.

II. Hæc excommunicatos vitandi obligatio impugnari potest ex verbis ejusdem Apostoli: ait enim *& nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem:* Ergo ille notandus de quo loquitur apostolus, non est vitandus, cùm non sit existimandus quasi inimicus, sed solùm corripiendus ut frater. *Nego* consequentiam. Quia ibi Apostolus declarat excommunicatum, quamvis vitandum, esse membrum Ecclesiæ, & fratrē nostrum, ut

tradit divus Augustinus libro contrà donatistas cap. 20. ubi ait *neque enim à populo Dei separamus quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem locum pœnitendi redigimus*, sed non permittit conversationem cum illo, ut suadet hæc particula *& ne commisceamini cum illo.* Nec implicat quòd quis sit separatus à communione fidelium; quin sit separatus à populo Dei, seu ab Ecclesia, cui nos unit fides, quam retinet excommunicatus. Vel dico Apostolum per hæc verba *& nolite quasi inimicum existimare sed corripite ut fratrem* intendere excommunicationem non esse ferandam ex odio, sed ex justitia & zelo, & cum misericordia, & ideo dicit, *sed corripite ut fratrem*, ut perveniat ad finem, quem intendit charitas, seu ad communionem fidelium, & participationem suffragiorum, & sacramentorum Ecclesiæ & populi Dei.

III. Olim tenore hujus præcepti fideles tenebantur vitare omnes & singulos excommunicatos, tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus, sed hanc antiqui juris severitatem mitigavit concilium constantiense à Martino V. approbatum in constitutione, cujus verba sunt hæc: *Ad evitanda scandala, & multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicujus, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis intus, & extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem evitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi censura, vel sententia hujusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, communitatem, vel locum certum, aut certam à judice publicata, vel denunciata specialiter & expresè: constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Si quem pro sacrilega manuum injectione in clericum, sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incidisse quod factum nullâ possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam à communione (licet denunciatus non fuerit) volumus abstineri juxta Canonicas sanctiones. Per hoc tamen non intendimus revelare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos & interdictos, aut prohibitos.* Ita hanc constitutionem referunt omnes Doctores, qui de hac re scripserunt, ut videri potest apud Cabassutium lib. 5. cap. 11. num. 3. juris canonici Theoria & praxis.

IV. Ex hac ipsa constitutione nedùm infertur juris antiqui de excommunicatis vitandis mitigatio; sed etiam obligatio vitandi omnes illos, qui publicè & nominatim fuere denunciati, nec non eos, qui adeò manifestè, & publicè clericum, aut monachum injuriosè percusserunt, modò hæc percussio nullâ possit tergiversatione celari, vel excusari, etiamsi denunciati non fuerint: quidquid dicant nonnulli existimantes quòd illi, qui communicant cum notorio clerici percussore non incurrunt excommunicationem minorem, si percussor non fuerit publicè & nominatim denunciatus. Quantum ad excommunicatos non denunciatos (qui occulti, & tollerati vocantur) non tenemur ex vi hujus præcepti Ecclesiastici vitare eos; licet ipsi teneantur vitare conversationem aliorum tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus, quoniam hæc constitutio *ad evitanda* non fuit edita in favorem excommunicatorum quamtumvis occultorum, ut dicemus in libro sequenti, sed solum in gratiam non excommunicatorum, ut fatentur omnes Canonistæ.

V. Ex deffinitione excommunicationis colligitur etiam obligatio vitandi excommunicatos: nam ex divo Thoma excommunicatio, est à qualibet licita communione, ac legitimo actu separatio: igitur justa, & necessaria est prohibitio communicandi tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus, cum excommunicatis. Sed quia Ecclesia, quæ non vult mortem peccatoris, excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit, excipiuntur ab hac regula generali, quædam, in quibus licet communicare cum excommunicatis, & de quibus mox erit sermo in fine numeri immediatè sequentis. Reverà ille, qui præceptum istud de excommunicato vitando violat, excommunicationem minorem incurrit, ut jam monui ex can. *quòd indubiis* de sentent. excomm. Sed advertendum est ex can. *statuimus* ejusd. tit. in 6. quòd si monitus non desistat, potest excommunicari excommunicatione majori. Quia cum pertinacia resistit præcepto Ecclesiæ.

VI. Hoc præceptum de excommunicato vitando se extendit ad omnia contenta

in sequentibus versibus ex glossa deductis.

Si pro delictis anathema quis efficiatur
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Canonistæ per *os* intelligunt omnem confabulationem, aut allocutionem, sivè fiat per litteras, sivè per nuncios, sivè per alia amicitiæ signa, ut per oscula, amplexus &c. Et declarant omnem conversationem esse prohibitam. Per *orare* intelligunt omnem orationem cum excommunicato vitando. Per *vale* omnem honorificam salutationem. Per *Communio* omnem societatem sivè in habitatione, sivè in exercitio, sivè in contractu. Et per *mensam* intelligunt omnem communicationem cibi & potûs esse. prohibitam. Hinc est quòd loqui, orare, salutare, communicare, aut conversari, & comedere, sunt actus, quos nullus potest habere cum excommunicato denunciato. Nihilominus licitum est communicare cum excommunicatis vitandis in aliquibus casibus in sequenti versu contentis.

Utile, lex, humile, res ignorata necesse.

Per *utile* intelligitur utilitas tam temporalis, quàm spiritualis ipsius participantis cum excommunicato, vel ipsius excommunicati participantis cum alio. Per *lex.* Intelligitur dùm non excommunicatus aliqua lege tenetur conversari cum excommunicato ut v.g. uxor habens virum excommunicatum: huic enim licet petere ac reddere debitum viro suo; quamvis excommunicato denunciato. Per *humilè* intelligitur officium servorum, qui dominos suos excommunicatos vitare non tenentur. Per *res ignorata* significatur, illos, qui conversantur cùm excommunicatis innotis, nullam incurrere censuram, cùm ignorantia inculpabilis excuset à peccato & à censuris can. *quoniam malos* 2. quæst. 3. Per *necesse* intelligitur quælibet necessitas excusans à peccato. Indè inferendum est sponsum excommunicatum non posse communicare cùm sua sponsa de futuro. Quia istis convenire nequit viri & uxoris nomen, ac proindè nec ad ipsos se extendere valet hæc particula *lex.*

VII. An vero humanæ conversationis priuatio se extendat etiam ad ipsos excommunicatos, ita ut unus denunciatus nequeat cum alio etiam denunciato licitè conversari? varia sunt canonistarum placita. Nonnulli quidem negant, quia excommunicati non sunt de corpore mistico Ecclesiæ; ideoque eos non attingit Ecclesiastica prohibitio de excommunicatis vitandis. Sed hæc ratio non valet. Quia excommunicati vitandi, non sunt extra Ecclesiam, sicut sunt infideles; cùm adhuc per baptismum, & fidem sint membra Ecclesiæ, & consequenter ad eos se extendit prohibitio; alioquin in hac parte melioris essent conditionis, quàm non excommunicati, quia non essent sub præcepto prohibente cum excommunicatis non toleratis conversationem; sed hoc est falsum. Quia conversatio cum excommunicatis absolutè prohibetur fidelibus & Christianis, inter quos numerantur excommunicati non tolerati. Sic Abbas, victoria, & alij asserentes excommunicatos respectu aliorum excommunicatorum non esse minori pœnâ astrictos, quàm respectu non excommunicatorum. Quapropter existimo cum Navarro, & aliis unum excommunicatum non posse salutare alium, quemadmodum non excommunicatus nequit salutare excommunicatum. An verò liceat non excõmunicato salutare excommunicatum à quo priùs salutatur? Duæ sunt opiniones: Diana, præpositus, Filliucius & alij affirmant Quia inquiunt hoc non est salutare, sed debitum reddere. At malo aliam propugnare opinionem: nam excommunicatus non potest licitè obligare non excommunicatum: ergo nihil debetur illi ab eo, quem salutat. Hujus opinionis deffensores sunt Avila, Gordonus, & alij.

VIII. Illicitum est, excommunicato vitando mittere munera, pariter & ab eodem recipere ea: munera quidem dare, aut accipere, est quædam conversationis species, quam nullus fidelis potest licitè habere cum excommunicato vitando; tamen si contingat aliquem ab excommunicato accepisse munera, non tenetur ea reddere, nisi postquam absolutionem obtinuerit, cùm in jure non constet de tali obligatione: imò videtur jure prohibita, quia hæc restitutio fieri non potest absque novo conuersationis actu cum ipso excommunicato, à quo, munus fuit illicitè acceptum. Sed licitum est, accipere munera ab uxore, aut filio mariti, aut patris excommunicati, si dent ea proprio nomine, seu marito non ordinante muneris collatio-

nem: nam si filius patris excommunicati, aut uxor mariti excommunicati daret munus de consensu ipsius patris, illicita foret muneris receptio. Quia hoc esset quodammodo velle cum ipso excommunicato conversationem habere.

IX. Disputant Doctores. An communicans cum excommunicato vitando in rebus civilibus, & actionibus humanis aliam incurrat pœnam præter excommunicationem minorem? Navarrus in Manual. cap. 27. num. 38. Toletus, & Sotus negant, nisi frequenter communicet. Eorum ratio est. Quia si in communicatione cum excommunicato vitando committeretur peccatum mortale. (Quod est pœna de qua agitur) numquam liceret cum ipsis communicare; cùm nunquam liceat peccare. Ab hac sententia tamen recedo, nam Innocentius III. in can. *Sacris*. De ijs quæ vi, & metu, expressè definit, eum qui cum excommunicatis vitandis communicat per metum, inductum, excommunicationis labe inquinari. Ratio, quæ in Textu assignatur. Est hæc, scilicet quia nullus pro metu debet peccatum incurrere. Quibus verbis significat ille summus Pontifex quód communicare cum excommunicatis vitandis, idem est, ac mortaliter peccare verum esse sic evinco. Communicans cùm excommunicato minorem incurrit excommunicationem can. *Constitutionem*. De sent. excommun. in 6. & per ipsam privatur passiva Sacramentorum participatione, sed hæc pœna nimirum privatio Sacramentorum, solitò non injungitur propter peccatum veniale, sed propter mortale; cum sit maxima. Insuper hæc pœna infligitur propter transgressionem præcepti Ecclesiastici, quod habetur in Concilio Cartaginensi 4. can. 73. Ergo qui communicat cùm excommunicatis vitandis peccat mortaliter. Hanc sententiam deffendant Abbas in d. cap. *Sacris*. Faber in 4. quæst. 1. disput. 4. cap. 2. num. 5. Archidiaconus & alij. Ad rationem adversariorum respondetur casum excusantem à censura, excusare etiam à peccato: idcirco dùm necessitas à censuris liberat non excommunicatum, qui communicat cum excommunicato, eximit etiam eum à peccatto.

X. Communicans in crimine criminoso cum excommunicato vitando, præter peccati mortalis pœnam, majorem incurrit excommunicationem, ut declarat Gregorius IX. in can. *Si concubinæ* de sent. excommun. modò excommunicatus cum quo in crimine communicat per consilium aut favorem, sit nominatim denunciatus can. *nuper* eod. tit. Et ipse communicans sciat illum cum quo in eodem crimine participat, jam incurrisse excommunicationem. Communicare in crimine criminoso, est communicare cum excommunicato vitando in crimine ob quod excommunicatus fuit. Communicans in crimine criminoso, si præcesserit canonica monitio incurrit hanc excommunicationem toties, quoties cum eodem participat can. *constitutionem*. Modò participationes sint moraliter diversæ, ut docet Navarrus in manual cap. 27. num. 112. nec omni sacerdoti competit absolutio istius censuræ, sed solùm illi, cui competit absolvere excommunicatum principalem cum quo communicavit in crimine criminoso, ut habetur in D. can. *nuper*. Quia facientem & consentientem par constringit pœna, subíndequé ab eodem absolvi debent. Quemadmodum est licitum alloqui excommunicatum, modò ad ipsius salutem ordinetur colloquium, ut statuit Innocentius III. Can. *Responso*. De senten. excommun. Ita licitum est eidem subvenire auxilio, aut deffensione nè grave aliquod damnum in corpore, aut in fama, vel in alijs bonis temporalibus patiatur, ut decernit idem summus pontifex can. *quanta* eod. tit. His etiam suffragatur ratio: ea enim, quæ ex charitate fiunt, & ad ipsam ordinantur, non sunt illicita, etiamsi excommunicatis fiant, modò expediant. Quia multa licent, quæ non expediunt, teste Apostolo. Ecclesia, quæ ab excommunicato vitando separationem præcipit, dilectionem non præscindit, ut optimè notat D. Augustinus in psal. 45. Licitum quoque est excommunicato communicare cum aliis ob suam utilitatem spiritualem, aut temporalem cùm unicuique licitum sit sibi utramque procurare. Hinc est quòd excommunicatus non Toleratus potest animo conversionis, & salutis accedere ad directorem, ut ab ipso excitari possit ad compunctionem, & ad propositum melioris vitæ. Et si laboret aliqua gravi infirmitate, potest accedere ad medicum animo recuperandi sanitatem. Quia probabile est Ecclesiam nolle privare eos, quos excommunicat, medijs ad emendationem requisitis.

XI. Confessarius non tenetur, nedùm in publico

publico, sed etiam nec in oculto vitare illum, quem per solam confessionem sacramentalem novit esse excommunicatum non toleratum, nè violet sigillum confessionis, & nè scientiâ confessionis utatur. Sic Covarruvias in cap. *Alma mater* 1. par. §. 2. num. 3. Sayrus, suarez, Bonacina & alij contrà plures, qui volunt confessarium ad hoc teneri saltem in oculto, existimantes indè non sequi prædicta incovenientia, Eadem confessarij obligatio servandi sigillum incumbit illis, qui tenentur ad sigillum, quales sunt interpres, & Doctores à quibus confessarius intelligentiam petit, atquè consilium, & Prælatus à quo petit licentiam absolvendi, casu quo confessarius revelet pœnitentem. An verò teneatur vitare illum, qui extra confessionem dixit ei se esse excommunicatum? affirmant Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct 6. §. 2. num. 43. Sylvester verbo *excommunicatio*. 3. num. 28. & Avila. Mihi tamen probabilius videtur confessarium ad hoc non teneri saltem in publico, si illi secretò revelata fuerit excommunicatio; quamvis sit de ipsa moraliter certus. Quia indè posset excommunicato, & sibi injuriam inferre: nam si ille excommunicatus negaret se hoc dixisse, confessarius calumniator reputaretur, ac malitiosus. Deindè Sylvester loco citato. num. 26. Covarruvias, D. Antoninus & alij existimant petrum v. g. non teneri vitare in civitate sua, saltem in publico, Paulum, quem scit fuisse in alia provincia denunciatum. Quia inquiunt, tunc illum diffamaret: sed eadem ratio militat in nostro casu; cùm diffamaretur ille, qui extrà confessionem secretò dixisset confessario se esse excommunicatum.

XII. Qui semel scivit aliquem esse excommunicatum vitandum, huncque fuisse vitatum, tenetur vitare illum, donec ei constet de absolutione. Quia pro eo stat possessio, nisi ratione evitandi aliquod grave damnum, excusetur. Undè omninò licitum est cum excommunicato vitando utilem continuare contractum, si ex ipsius contractûs omissione, grave debeat non excommunicato evenire damnum, modò hæc conversatio non sit in contemptum fidei, nec censuræ, & ipsi contractus inceptus fuerit antequam excommunicationem incurreret. Indè infero, creditorem posse licitè debitum petere à suo debitore excommunicato vitando, si ex carentia debiti damnum grave patiatur, alias privatio conversationis esset pœna tàm non excommunicatis, quàm excommunicais inflicta, imò magis illis, quàm istis; cùm per excommunicationem eximerentur à solutione debiti, & non excommunicati privarentur bono proprio. Quòd est contra mentem Ecclesiæ.

XIII. Regulares possunt non communicare cum prælato excommunicato non denunciato: quia cum excommunicatis toleratis communicare non est præceptum, sed privilegium cui non excommunicatus cedere potest, modò evitet scandalum: tunc enim putà si adsit scandalum tenetur uti privilegio tamquam medio ad impediendum malum. Undè existimo quòd regulares in pari casu non possunt se eximere ab obedientia superioris notoriè excommunicati, donec denuntietur, & per sententiam jurisdictione privetur, nè religioni adveniant mala. Tandem est alter excommunicationis effectus, nimirùm impetrationis gratiarum, & rescriptorum apostolicorum nullitas. can. *ipso jure* de rescript. in 6. Hanc constitutionem Pontificiam Barbosa extendit ad rescriptum ab excommunicato obtentum mediante alio non excommunicato. Quia ex 72. regula juris in 6. qui per alium facit, per se facere videtur; ideoque nullum, ac invalidum est rescriptum quod excommunicatus obtinet per procuratorem, sivè sit ad beneficium, sivè ad dispensationem, sivè in petitorio, sivè in possessorio, ut docet idem barbosa num. 9. Nec obstat ad rescripti invaliditatem consensus partis contrà quam impetratur. Quia habilitare impetrantem incapacem, à potestate partium non dependet, sed à summo Pontifice. Hic tamen obiter observa hunc majoris excommunicationis effectus tolli per Clausulam absolutionis ab omnibus censuris, quæ apponi solet in litteris apostolicis, ad hunc dumtaxat effectum, ut impetrans sit capax gratiæ à sede apostolica ei concessæ, ut advertunt omnes Doctores. Undè rescripta, quæ hodierno tempore emanant à sancto sede, sunt valida ob hanc clausulam, non obstante impetrantis excommunicatione. In regno Galliæ rescriptis nulla est adhibenda fides, nisi certificata fuerint à duobus expeditionarijs in ipso originali attestantibus, & subscriptis, ut refert Cabassutius, nec derogat authoritati summorum Pontificium hoc editum

Ludovici Magni, cùm viam Claudat Falsarijs nè introducant in regnum falsa nec suppositia rescripta, quæ summi Pontifices in jure canonico reprobant, & ipsorum authores anathemate percutiunt in Bulla Cænæ.

XIV. Major controversia est inter canonistas, scilicet an rescripta Episcoporum, aliorumque Prælatorum Papa inferiorum obtenta per excommunicatum sint etiam invalida & nullius valoris. Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct. ult. num. 1. Filliueius, Villalobos, Layman & alij negant. Quia volunt summum Pontificem in D. can. *ipso jure*. Loqui solùm de rescriptis Apostolicis. Ex adverso alterius de censur. lib. 2. disp. 7. cap. 1. Barbosa & alij affirmant. Hæc posterior sententia est priori præferenda. Quia Gregorius IX. Loquitur de rescriptis in genere sine ulla distinctione, ut facilè inferri potest ex glossa. Præterea excommunicatis vitandis prohibetur omnis conversatio in rebus Ecclesiasticis, & spiritualibus: idcircò hujusmodi rescripta sunt nulla; etiamsi in eis ponatur clausula absolutionis. Quia iste inferior Prælatus non potest derogare dispositioni textûs rescripti impetrationem prohibentis excommunicato. Invalida atque nulla sunt rescripta, aut privilegia à supremo judice sæculari per excommunicatum obtenta: dispositio enim hujus textûs loquitur simpliciter de rescripto. Ideoque non minùs comprehendit rescriptum principis sæcularis, quàm Ecclesiastici, ut observat Barbosa contrà eosdem adversarios in D. cap. *ipso jure* num. 7.

XV. Excommunicatus non solùm pro se, sed etiam nec pro alijs validum potest obtinere rescriptum, Cùm Gregorius IX. in præcitato canone generaliter loquatur, prohibitumque sit excommunicato comparere in judicio. Sic docent ferè omnes contrà Archidiaconum. An veró hæc omnia ampliari atque extendi possint ad excommunicatum occultum. Ita ut ex vi ejusdem constitutionis, prohibita etiamsi sub nullitatis pœna rescripti impetrario? Bonacina, Filliucius, Suarez & Sylvester affirmativam tuentur sententiam. Opposita tamen videtur mihi probabilior. Tum quia prædicta constitutio non habet locum in casibus in quibus excommunicatus potest ille in judicio, & cum alijs conversari, tum quia si ex extravagant. *Ad evitanda*. Et ex alijs constitutionibus liceat excommunicato comparere in judicio, intelligendæ sunt de vitandis dumtaxat, ut patet de privatione jurisdictionis Ecclesiasticæ, & de alijs excommunicationis majoris effectibus, ita pariter de excommunicatis vitandis tantùm intelligi debet præsens Gregorij IX. constitutio. Quandò quis obtinet rescriptum continens hanc clausulam. *Ac si nos præsentes essemus*. Potest in illo genere inquo concessum fuit, facere quidquid faceret delegans si præsens esset, sed non potest concedere, nec revocare ea, quæ concederet, & revocaret delegans. Quia summus pontifex non intendit concedere authoritatem instituendi, aut absolvendi, sed solùm exercendi, & perficiendi negotium, salvo unius cujusque jure; alias sequeretur quòd rescripto sub tali forma concesso pro electionibus celebrandis, commissarius delegatus posset instituere novos electores, & irritare antiquos, quòd est falsum.

CAPUT XXXIII.

De obligatione obtinendi absolutionem ab excommunicatione.

I. ISTud præceptum, quo Ecclesia fideles obligat ad beneficium absolutionis obtinendum, dum in excommunicationem lapsi fuerint, ex varijs testibus colligitur & præsertim ex tridentino sess. 25. de refor. cap. 3. ubi legitur, *sed, si obdurato animo censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tam quam de heresi suspectum procedi potest*. Undè hic examinandus est modus, quo obtineri potest excommunicationis absolutio. Pro cujus intelligentia dico quòd multiplex est censurarum absolutio. Primò: enim alia est à jure, seu quæ datur ab ipsa lege excommunicationem infligente sub hac forma, *Qui inciderit in excommunicationem ob transgressionem hujus legis, sit eo ipso absolutus, si hoc, vel illud fecerit*; & alia est ab homine; seu quæ à judice potestatem habente conceditur delinquenti. Secundò alia est absoluta, quæ absque ulla conditione datur; & alia conditionata, quæ sub conditione confertur.

Tertiò alia est simplex, quæ absque ulla restitutione, aut restrictione vinculum omninò solvit; alia verò est ad cautelam, quæ dari solet sub ista restrictione; *si indiges*, aut *si contraxisti* quando cēsura ignoratur, aut dubitatur de illa. De hac ad cautelam absolutione fit mentio in can. *cùm desideres*. de sent. Excomm. quartò tandem absolutio alia est simpliciter simplex, & alia ad reincidentiam. Prior est illa per quam in perpetuum, & absolutè tollitur censura, & excommunicatus remanet omninó liber. Posterior verò est illa per quam censura tollitur, non in perpetuum, nec absolutè, sed sub conditione aliqua apponenda; quæ si non apponatur, absolutus statim reincidit in eamdem censuram, ut quandò in articulo mortis sacerdos absolvit aliquem sub conditione, nimirùm accedendi a d superiorē seu legitimum judicem ad parendum ei, si convalescat: tunc enim talis pœnitens, si recuperata sanitate parere recuset, reincidit in excommunicationem.

II. Indè formari potest istud dubium, videlicet, an ut absolutus ab excōmunicatione ad reincidentiam, in eam reincidat; necessaria sit nova culpa, vel an sufficiat sola conditionis omissio? Avila, Henriquez, Navarrus, & alij stant pro nova culpa. Eorum ratio est, quia censura semel sublata; non potest de novo incurri sine nova culpa: sed displicet hæc ratio quia censura ista non est verè sublata, sed solùm conditionaliter. Et remanet quasi suspensa donec adimpleatur conditio; undè ipsâ omissâ, aut neglectâ, delinquens reincidit in censuram; non in novam, sed in eamdem: absolutio enim in censuris in tantum valet, in quantùm judex intendit, qui cùm non intendat absolvere nisi dependenter à conditione aut posita cōditione, sequitur quòd si delinquens non adimpleat illam, reincidit in censuram absque alia noua culpa. Ita Hurtadus, Diana, & alij quorum opinio videtur mihi probabilior, ac tutior, cùm stet pro nova absolutione, nè censuratus ad reincidentiam absolutus, maneat in dubio, aut in periculo censuræ.

III. Potestas absolvendi à censuris competit omnibus illis, quibus competit facultas excommunicandi, quoniam illius est solvere, cujus est ligare. Absolutio à censuris nullam habet in jure formam præscriptam, & determinatam; sufficit enim quælibet, modò absolventis voluntatem declaret. Nec necessarium est exprimere causam ob quam fuit incursa, cùm hæc necessitas non sit præscripta in jure canonico, nec oriatur ex natura rei; quamvis id sit expediens; imò aliquandò necessarium, ut contingit, dum quis pluribus ligatur censuris, & superior unam tantùm auferre intendit per absolutionem; tunc enim causa ob quam fuit incursa censura tollenda, debet exprimi in absolutione, non ut sit valida; sed ut constet à qua censura judex volvit absolvere reum. Ita Cavarruvias & alij communiter.

IV. Ante absolutionem à censuris, & præsertim à Gravioribus, præmittendæ sunt sequentes cæremoniæ, non ut ipsa absolutio sit valida, sed ut sit solemnis, ac consonans juri canonico. can. *cùm aliquis* 11. quæst. 3. prima est humilis ipsius absolvendi petitio, ut præcepit Innocentius III. in can. *Per suas litteras*. Ubi ait *si benificium absolutionis humiliter postulaverit*, *Metropolitanus debet eum absolvere*. Secunda est, ut absolvendus priùs firmum habeat propositum non incidendi de cæterò in censuras Ecclesiasticas. Tertia astringit absolvendum ad exhibendam priùs satisfactionem parti, si censura contracta fuerit cum damno, vel injuria alteriùs. In his autem conditionibus hæc absolutio convenit cum absolutione à peccatis. Quarta tandem est, ut sacerdos absolvens flagellando in humeris excommunicatum, dicat Psal. *Miserere* & posteà *Kyrie eleison*, &c. Deindè *Pater noster*, &c. Quo finito, debet dicere sequentes versus, *salvum fac Domine hunc famulum tuum*. *Esto ei Domine turris fortitudinis*. *Nihil proficiat inimicus in eo*: cum responsis solitis. *Domine exaudi*, &c. *Dominus vobiscum*. Cùm ista oratione quæ habetur in canone. *Cum aliquis*. Qui supra. *Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, vel Ecclesia tua Sancta à cujus integritate deviaverat peccando admissorum veniam consequendo reddatur innoxius: per Dominum*, &c. Et deindè debet absolutionem terminare verbis sequentibus. *Authoritate Domini nostri Jesu Christi & Apostolorum ejus Petri & Pauli mihi concessâ, absolvo te à vinculo excommunicationis quam incurristi propter hanc N. causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium in nomine patris*, &c.

V. Hujusmodi cæremoniæ ante censurarum absolutionem præmittendæ, non sunt ita necessariæ pro ipsius validitate; ut ignarus localiter absens, vel inscius absolvi non possit absolutè loquendo; & spectatâ ratione censuræ, sublatâ contumatiâ: censura enim potest in invitum ferri, ut fatentur omnes, & ut patet ex pœnis infligendis, quibus rei puniuntur, etiam inviti; potest etiam ab invito auferri, cùm censura non sit pœna consistens in privatione gratiæ, sed in separatione aut privatione quadam authoritate judicis vel superioris, factâ; quæ per eamdem superioris voluntatem auferri potest: nec requiratur actus contritionis ex parte rei pro absolutione obtinenda, alioquin censura non esset pœna, sed culpa. Undè confessarius, qui pœnitentem absolvit à peccatis quibus conjuncta est censura à qua non poterat absolvere, poterit deinceps, obtenta denovo facultate absolvendi, eumdem etiam absentem relaxare ab ipsa excommunicatione, ut docent Navarra, Cabassutius, & Suarez; quamvis aliter sentiendum sit de sacramentali peccatorum absolutione, quæ absenti nequit conferri, quia sequitur ad peccatorum accusationem aliquo modo notam confessario, quam non exigit absolutio à censuris; quæ cùm possit inferri absenti, ab eodem potest auferri.

VI. Nullus prælatus summo Pontifice inferior potest licitè per nutus, & signa validè à censuris absolvere, quia solus summus pontifex potest variare formam à jure præscriptam de absolutione à censuris danda per scripturam, vel per verba absolutionem exprimentia can. *cùm desideres*. Can. *si aliquando*. De sent. excommunicat. Quia solus Papa est suprà jus positivum. Dixi *licitè* quia existimo quòd absolutio censuræ, quæ ab aliquo prælato fieret per signa exprimentia voluntatem absolvendi, esset valida. Ratio est, quia absolutio ab excommunicatione est merè judiciaria habens efficaciam ab intentione dicentis, & ideò sufficit absolventi voluntatem suam exprimere, ut absolutio sit valida: absolutio autem à peccatis est sacramentalis consequens potestatem clavium, habens efficaciam ex divina institutione, & per consequens necessè est uti verbis institutis à Christo Domino.

VII. Licitum est in absolutione à peccatis simul & à censuris uti ipsis verbis *absolvo te &c.* modò Sacerdos habeat jurisdictionem, atque intentionem absolvendi à peccatis & à censuris simul: Tum quia absolutio tam à censuris, quàm à peccatis, est actus jurisdictionis, qui nequit validè elici sine intentione. Tum quia in hoc casu absolutio à censuris censetur prior saltem naturâ absolutione à peccatis, & verificatur sensus formæ sacramentalis, & sufficienter judicatur relaxatio vinculi censuræ per confessionem, ut monet Sotus: certior tamen absolvendi modus, est censurarum vinculum exprimere in absolutione his verbis, *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis & censuris*: Sicut certior absolvendi modus à peccatis in sacramento pœnitentiæ consistit in istis verbis, *absolvo te à peccatis*: licet hæc duo, *absolvo te* sufficiant.

VIII. Quilibet Sacerdos, qui facultatem obtinuit circà casus Papæ reservatos, potest etiam absolvere à censuris eidem reservatis; cùm nullus sedi Apostolicæ reservetur casus, nisi ratione censuræ, ut observant canonistæ. Secùs dicendum de eo, qui facultatem obtinuit circà casus Episcopo reservatos, quia Episcopus solitò sibi reservat casus, non solùm ratione censuræ, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, nullâ existente censurâ, & ideo Sacerdos ab Episcopo delegatus pro absolutione reservatorum, non censetur delegatus pro absolvendis censuris, cùm peccatum reservatum Episcopo, & censura sint duæ res distinctæ, quarum una in altera non includitur. Igitur delegatus dumtaxat circà censuras Episcopo reservatas, non potest ex vi delegationis absolvere à peccatis reservatis, nec à censuris latis ab ipso Episcopo delegante, sed solùm ab his, quæ à jure decernuntur & reservantur Episcopo: nam absolutio censuræ ab Episcopo latæ, specialem exigit delegationem: si autem contingat pœnitentem huic Sacerdoti delegato confitentem peccata sua, omittere inculpabiliter aliquod peccatum ob quod excommunicatio incurritur, remanet absolutus à censura annexa peccato oblito, sicut à culpa, dummodò ipse Sacerdos illum absolverit in terminis generalibus, & dixerit, *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*. Quippecùm verba efficiant tantum id, quod significant, ut quis à censuris absolvatur, necessè est in forma absolutionis, exprimere censuram, saltem sub nomine generico, quale est illud, *vinculum*

vel, *ab omni vinculo*.

IX. Sacerdos, qui obtinuit à Papa facultatem absolvendi à censuris, & casibus sedi Apostolicæ reservatis, non potest vi hujus privilegij absolvere à censuris, & casibus, quos sibi reservant Episcopi, nisi casus ab Episcopo reservatus, sit etiam reservatus Papæ; quia tunc, hic casus non absolveretur ut reservatus Episcopo, sed Papæ. Vel nisi in privilegio à Papa obtento exprimatur facultas absolvendi ab omnibus casibus, & censuris à quibus absolvere potest ipsemet Papa: quod non implicat. Quia summus Pontifex suam potest delegare jurisdictionem, & absolvere per alium, quem potest absolvere per se; ac proindè concedere Sacerdoti facultatem absolvendi à censuris, quas sibi reservat Episcopus, à quibus ipsemet Papa potest absolvere. Assertionis nostræ ratio est. Quia Bonifacius VIII. in cap. *Licet Romanus Pontifex*. De constitutione in 6. declarat quòd dum Papa condit aliquam legem, aut concedit privilegium; non intendit derogare statutis, & constitutionibus particularibus locorum, nisi id in ipsa lege expressè habeatur, cùm specialium locorum statuta, & constitutiones ignoret, ut colligunt communiter canonistæ, Barbosa sic attestante; ideoque semper tenet reservatio casuum ab Episcopo Diœcesano facta, nisi summus Pontifex, qui plenariam habet potestatem, exprimat in privilegio facultatem absolvendi, esse pro absolutione ab omnibus cēsuris. Idem declarat Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Sacra Congregatio*. Ubi ille summus Pontifex decrevit neminem pretextu cujuscumque privilegij posse absolvere à casibus Episcopo reservatis. His suffragatur ratio; nam Episcopi pollent facultate reservandi casus, & censuras, ex Tridentino sess. 14. cap. 7. cui facultati summum Pontificem derogasse non legitur, nisi id ipse exprimat; cùm hæc Episcoporum potestas non sit in destructionem, sed in ædificationem, & ipsi Episcopi possint privilegium illud à summo Pontifice alicui particulari concessum, strictè interpretari; nam privilegium illud in ordine ad Episcopos, est odiosum; cùm sit ipsorum authoritatis restrictivum. Ita asserunt plures, quos refert, & sequitur Bonacina disp. 1. de censuris qu. 3. punct. 1. num. 11. contrà, nonnullos quibus adhærent Bassæus, & leander: igitur qui obtinuit privilegium absolvendi à censuris, quas sibi reservavit summus Pontifex, non potest virtute hujus privilegij absolvere à censuris, quas sibi reservat Episcopus.

X. Ex Tridentino sess. 24. cap. 6. Episcopus potest perse vel per Vicarium Generalem ad id specialiter deputatum absolvere subditum suum à quacumque excommunicatione ex occulto orta delicto; etiamsi summo Pontifici sit reservata. Ad capitulum sede vacante idem privilegium extendunt plures Doctores, quia capitulum jure communi succedit in omnibus his, quæ Episcopis competunt jure ordinario: Archiepiscopus autem hoc non pollet privilegio circà subditos suffraganeorum, quia habet hanc potestatem solùm respectu eorum, qui immediatè subijciuntur ei; cùm subditos suffraganeorum absolvere non possit, nisi in duobus casibus, scilicet in casu appellationis Can. *venerabilis*. De sent. excommunicat. in 6. & in casu visitationis Provinciæ, in quibus jus Pontificium tribuit Metropolitanis jurisdictionem in subditos suffraganeorum. Non desunt tertium meritò adjungentes casum, scilicet quandò suffraganeus negligenter, aut malitiosè negat pœnitenti absolutionem censuræ occultè contractæ summo Pontifici reservatam; aut differt eam, pœnitenti ad satisfaciendum parato. Ita Joannes Andreas, Panormitanus, Filiucius, Barbosa, & alij in cap. *per tuas litteras*. cap. *venerabilis*. De sent. excommun. ubi id expressè declaratum manet. Privilegium istud de absolutione concedenda in illis tribus casibus, Metropolitanis conveniens, extendunt Abbas in cap. *cùm contingat*. de foro compet. Covarruvias in cap. *Alma mater*. 1. p. §. 12. num. 3. Sylvester, & alij ad Superiores generales ordinum Religiosorum respectu subditorum à Provincialibus excommunicatorum: pariter & ad Provinciales respectu inferiorum, quos excommunicant prælati Conventuales, quibus à jure conceditur facultas ferendi censuras. Dixi, *ex occulto orta delicto*, quia si sit ex publico, Episcopus non potest absolvere, nisi contingat delinquentem non posse adire Papam, quia legitimè impedito, qualis est senex, vel decrepitus, vel monialis, non debet esse impossibile absolutionis beneficiũ. An verò impeditus adire Romam: si sit etiam impeditus adire Episcopum, possit absolvi à Parocho, vel à quolibet alio confessario? Ugolinus, Vasques, & alij negant, quia ex Tridentino sess. 14.

de Reformat. cap. 7. simplex Sacerdos non potest absolvere à reservatis, extrà articulum mortis: alij verò affirmant cum Cano, Soto, & Ledesma, quibus subscribo, modò pœnitenti imponatur obligatio comparendi coram Episcopo tempore opportuno, cessantibus impedimentis, & ipse Confessarius non possit ab Episcopo obtinere facultatem absolvendi: ratio est quia jus concedit facultatem absolvendi à censuris, eos, qui non possunt adire Papam, procul dubio ad vitandum periculum animarum; ergo eâdem ratione dicendum est, jus concedere delegatis Episcoporum facultatem absolvendi eos, qui non possunt adire Episcopum, aliàs Ecclesia per reservationem censeretur obligare ad impossibile, quòd est falsum: ita Marchantius tom. 1. tract. 2. qu. 8. concl. 3.

XI. Innocentius III. in can. *nuper*. De sent. excomm. apertè declarat quemlibet Sacerdotem approbatum posse absolvere à censuris jure latis, quæ nemini reservantur, non quidem authoritate propria, cùm Sacerdotes simplices; quamvis approbati, nullam habeant jurisdictionem externam, sed ex commissione jure data: ibi enim ille summus Pontifex ait. *In secundo verò casu à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere, quamvis enim, & tunc non judicis, sed juris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Huic assertioni subscripsêrunt Bonacina de censuris disp. 1. qu. 3. propos. 3. num. 10. ubi plures citat, quibus addo Divum Thomam in 4. dist. 18. qu. 4. art. 5. Divum Bonaventuram ibidem art. 4. qu. 6. & Scotum dist. 25. qu. 1. contrà nonnullos, qui asserunt in præcitato Canone sermonem fieri de excommunicatione minori, quæ communicando cum excommunicatis incurritur, non autem de aliis in jure nemini reservatis. Sed non valet hæc ratio, tum quia hæc constitutio extendi potest ad alias censuras jure latas, quæ nemini reservantur, ut suadet hæc particula, *quia tamen conditor Canonis.* Quæ, cûm universalis sit, tam convenit minori, quàm majori excommunicationi, ut observant Henriqués lib. 13. cap. 18. Barbosa, & alij. Tum quia eadem facultas in eodem Canone Sacerdotibus concessa, considerari potest ut gratiosa, & voluntaria, & consequenter extendi potest ad excommunicationem majorem, quia favores sunt ampliandi dum non limitantur expressè in jure. Hæc opinio potest alia ratione ex jure deducta suaderi. Excommunicatio ab homine lata relaxari non potest nisi ab eo, à quo lata fuit, vel à Superiore ejus, ut docent Canonistæ in can. *Pastoralis*. De offic. jud. deleg. quia illius est solvere, cujus est ligare, nisi excommunicatus existat in articulo mortis: sed hæc restrictio ad Superiorem, qui sententiam tulit, non reperitur in jure Canonico dùm censura est ab ipso jure, ergo non est remittenda ad Superiorem, sed à quocumque Sacerdote approbato conferri potest ejus absolutio; præsertim cùm talis facultas sit in favorem reorum. Insuper nullibi constat potestatem absolvendi à censuris jure latis, nullique reservatis, residere in Episcopis dumtaxat, ita ut in ipsos, & nullatenus in Confessarios refundenda sit. Igitur conditor juris, qui sibi eam non reservavit, & eam nulli determinatè contulit, relinquit eam omnibus, qui absolvere possunt à culpa cui annexa est censura.

XII. An verò quilibet sacerdos approbatus possit etiam absolvere á censura, quæ est ab homine, & generaliter lata absque ulla reservatione? Caïetanus, Suarez, Faber, & alij negant. Eorum fundamentum est. Quia Innocentius III. in præcitato canone ponit istud discrimen inter excommunicationem ab homine, & à jure, quòd prior non relaxatur, nisi à judice, qui tulit eam. Sed cùm hæc ratio non valeat, quia ibi summus pontifex loquitur de excommunicatione particulari, non verò de generali; tenenda est sententia opposita tamquam probabilior: ita Cornelius, Conineh. & alij quos refert & sequitur Caspensis, quibus novissimè adhæsit Mastrius, post Dianam de excommunic. resol. 4. ratio est, quia eo ipso, quòd censuræ absolutio non reservatur, committi censetur cuicumque, qui potest absolvere à peccato ob quod incurritur, non minùs quàm excommunicatio à jure lata. Deindè excommunicatio per generalem sententiam lata, eo ipso quòd superior, qui eam contulit, eam non sibi reservaverit, poni debet in linea excommunicationis à jure, quæ nemini reservatur, ut notat Mastrius loco citato. num. 74. quòd verum esse facilè suadetur; nam excommunicatio generali-

ter lata à Prælato, respicit omnes inferiores ejusdem superioris, sicut excommunicatio à jure: ergo si ipse Prælatus non sibi eam reservet, præsumendum est se nolle per se ipsum absolvere omnes, sed per alios à seipso approbatos pro absolvédis peccatis, & censuris peccato annexis, si sint occultæ.

XIII. Censura semel contracta non tollitur per solam censurâ ligati emendationem, quia applicata fuit reo per jurisdictionem Ecclesiasticam, & consequenter per eandem dumtaxat tolli potest, juxta illam regulam juris, *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Sic sentiunt Navarrus, Coninch, & alij quibus adhæreo; cùm de pœna ab Ecclesia inflicta non sit discurrendum, sicut de culpa, & illius sit à pœna solvere, cujus est ligare; ex quo sequitur censuram tolli non posse per animi dolorem, perquem tollitur culpa, nec per emendationem per quam tollitur habitus vitiosus, sed per expressam revocationem factam à legislatore, vel ab alio delegato, & præsertim si sententia censuræ fuerit absolutè prolata. Hanc addo clausulam. Quia de ea, quæ sub conditione fertur; est aliqua difficultas in numero sequenti resolvenda.

XIV. An verò excommunicationis censura lata ab homine, sub hac conditione *donec satisfeceris* tollatur satisfactione exhibita? duæ sunt sententiæ; Navarrus, Sylvester, & alij, quos citat Leander disp. de absol. à censur quæst. 3. negant; volunt enim censuram per solam absolutionem tolli posse. Ex adverso plures infrà citandi affirmant; sed quia hæc posterior sententia videtur mihi alteri præferenda, eam tueor: nam excommunicatio est pœna à jure, vel à judice lata, quæ non plus ligat, quàm vult inflictor, nec per ipsam censuram vult amplius ligare inflictor, quàm verba in proprio & rigoroso sensu ligare significant, cùm verba non efficiant nisi id, quod significant, ideoque hæc excommunicatio lata sub hac forma, *Paulus ob tale furtum quod commisit: sit excommunicatus, donec restituat*, debet cessare, aut tolli, exhibita restitutione, cùm feratur tantùm usque ad terminum illum; ita ut judex velit ipsum Petrum manere in excommunicatione, tantum usque ad restitutionem, alioquin superflua, imò & nulla esset hæc conditio. Aliundè alia censura, nimirum suspensio lata sub eadem conditione, nulla eget absolutione, aut relaxatione, exhibita satisfactione, ut declarat Alexander II. In 16. can. dist. 81. his verbis, *si quis amodò Episcopus, presbyter, aut Diaconus fœminam acceperit vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat usque dum ad satisfactionem veniat.* Idem igitur dicendum est de censura excommunicationis lata sub eadem conditione; cum superior sic excommunicans, sicut superior sic suspendens, non intendat prolongare censuram, & velit ipsam, exhibita satisfactione, aut adimpleta conditione, esse ac si lata non fuisset: ita Covarruvias, Vasquez, Caspensis, Mastrius, Avila, Layman, Lezana verbo *censura.* num. 12. & alij Doctores Gravissimi. Quantum ad can. *consideres* can. *à nobis.* De sent. excomm. in quibus juxta adversarios diffinitum est oppositum. Respondeo cùm hurtado disp. 14. dist. 1. excommunicationis absolutionem ibi repertam, esse de excommunicatione lata absque ulla conditione, nulloque termino, non autem de conditionata, quæ non debet subsistere adimpleta conditione: sicut enim excommunicatio lata sub conditione incipit incurri dum advenit conditio inclusa in sententia quâ fertur, ita debet desinere esse, seu debet sequi absolutio, dùm advenit conditio inclusa in ipsa.

XV. Bonacina advertit excommunicationem hoc modo latam, *excommunicatus sis donec satisfacias* hunc sensum facere, scilicet excommunicatum non posse absolvi ante satisfactionem, sed solum eâ positâ; & sic sibi facilè suadet excommunicatum sub tali forma, manere in censura, donec absolvatur à judice, etiamsi satisfactionem exhibuerit. Sed miror virum doctissimum, ac versatissimum in jure canonico talem adhibere responsionem: nam ex can. *cum olim.* de verb. significat; & can. *parochianos.* de sent. excomm. censura cum alterius detrimento contracta, qualis est ista, de qua est quæstio, non debet absolvi ante exhibitam satisfactionem, vel debitam cautionem, de ea præstanda, ut ipsemet docet disp. 2. quæst. 2. punct. ult. propos. 2. sed non resolvitur in jure, an hæc absolutio sit à judice conferenda post exhibitam satisfactionem, ita ut reus, qui satisfecit, teneatur se præsentare judici pro absolutione obtinenda, vel an provenait ex satisfactione, ita ut absolutus censeatur ex eo quòd satisfecerit: ergo excommunicatio de qua hîc agitur, non po-

test facere eumdem sensum, ac excommunicatio absolutè prolata, sed debet cessare conditione adveniente; alioquin vana esset præsens controversia inter tot, tantosque canonistas agitata; cùm extra omnem difficultatem sit, excommunicatum non posse absolvi ante satisfactionem, nec posse censeri absolutum, nisi priùs satisfecerit.

XVI. Absolutus ab excommunicatione occulta in foro conscientiæ tantùm, seu absolutus à delegato per superiorem (salvo jure cognoscendi de delicto in foro exteriori & de ipso imponendi pœnam) potest cùm alijs communicare, ac exercere actus per censuras prohibitos, modò non constet publicè fuisse excommunicatum; nam si famâ publicâ constat ipsum fuisse excommunicatum, absque ulla lite, aut dubio, an excommunicatio fuerit valida, vel non, nequit publicè uti absolutione obtenta propter scandalum, & contemptum censuræ, nisi etiam constet ipsum fuisse absolutum in foro conscientiæ. Quia qui publicè incidit in censuram latam à jure; licet non sit absolutè vitandus ex deffectu denunciationis, & sententiæ, ut habetur in jure, reputatur tamen vitandus ab his, quibus notus est lapsus, & ideò non potest apud ipsos uti absolutione, quam obtinuit in foro interiori, nisi de tali absolutione aliquo modo constet. Ita plures. Talem excommunicatum fuisse in foro conscientiæ absolutum; triplici medio constare potest, ut observat Mastrius; scilicet dùm constat pœnitentem confessum fuisse tempore Jubilæi, in quo confessarij approbati habent potestatem absolvendi ab illa excommunicatione, vel ipsum fuisse confessum alicui sacerdoti habenti ex privilegio eamdem facultatem, vel dum ipse confessarius attestatur, de licentia pœnitentis, se absoluisse illum. Hinc est quòd, his tribus conditionibus sejunctim suppositis, & præsertim primâ, licet communicare cum excommunicato, & ipse excommunicatus potest cum fidelibus conversari, & sacramenta administrare: quin irregularitatem incurrat, quia fuit verè absolutus in foro conscientiæ, & non est censurarum contemptor, nec alijs petra scandali.

XVII. Plures Canonistæ affirmant absolutionem datam, non satisfacta parte, esse absolutè nullam, & illicitam: quamvis absolvendus reverà existat in impotentia satisfaciendi. Ita corduba & alij quorum ratio est. Quia si absolvendus non possit solvere, nec absolvens potest absolvere. Alij tamen negant. Huic posteriori sententiæ lubens subscribo cum hurtado, & Diana quibus novissimè adhæsit Caballutius lib. 5. cap. 14. num. 10. ubi ait, quòd si satisfactio exhiberi non possit, sufficit reo adhibere cautionem. Si nullam possit adhibere cautionem, nihilominus est absolvendus ratione impotentiæ, quæ excusat à lege, sicut necessitas, modò habeat intentionem satisfaciendi, quandò commodè poterit, ut colligitur ex can. *eos qui*. De sent. excomm. in 6. reincideret enim in excommunicationem, si parti læsæ non satisfaceret post absolutionem, adveniente commoditate, ergo valida est, atque licita hujusmodi absolutio.

CAPUT XXXIV.

De præcepto prohibente nuptiarum celebrationem aliquibus temporibus.

I. ULtimum Ecclesiæ præceptum, est illud, quô nuptiarum celebrationes prohibentur, non absolutè, ita ut semper illicitum sit celebrare matrimonium, sed solùm certo tempore, ut constat ex varijs pontificij juris textibus. Olìm illud feriarum tempus à quo nuptiarum solemnitates prohibentur, erat ab adventu Domini usque ad Epiphaniam, à Septuagesima usque ad octavam resurrectionis Domini, & à prima die rogationnum usque ad octavam Pentecostes; in alijs autem temporibus licita erat nuptiarum solemnitas, ut pro certo habemus in can. *Non oportet* 33. quæst. 4. Et in can. *capellanus* de ferijs. Hodiè verò juxta sacram tridentinam synodum sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 10. Nuptiæ clauduntur tantùm ab adventu usque ad Epiphaniam, & à feria quarta cinerum usque ad octavam paschatis inclusivè. Ut legimus in eodem Concilio loco laudato *ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, à feria quarta cinerum usque in Octavam paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitione,*

hibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit; quas Episcopi, ut ea, qua decet modestia, & honestate fiant, curabunt: Sancta enim res est Matrimonium, Sanctè tractandum.

II. Ratio instituendi hoc præceptum, est quia dum sponsus, & sponsa solemniter & cum Pompa, & choreis traducuntur, mens. utriusque magis ad curam Carnalium occupatur, & propter hoc inquit divus Thomas, illis temporibus scilicet ab adventu, usque ad Epiphaniam, & à feria quarta cinerum, usque ad Octavam Paschatis, in quibus fideles debent se ad spiritualia elevare, & ad Sacram communionem se disponere, præceptô Ecclesiasticô prohibetur nuptiarum solemnitas. Istud præceptum reponitur inter impedimenta, quæ matrimonium prohibent, non sub pœna nullitatis, sed solum sub pœna peccati mortalis. Et solitò dicitur: interdictum, quia nuptiæ clauduntur. Undè in hoc præcepto, ordinarius potest dispensare, & dispensatione obtenta, sponsalia, & matrimonium celebrari possunt, tempore feriato, sine solemnitate, ut monet glossa in can. *Capellanus* de ferijs verbo *quocumque*. Consummatio autem matrimonij ante tempus feriatum, aut interdicti contractum, potest licitè consummari absque ulla ordinarij licentia, & dispensatione: etenim jus non loquitur de consummatione, nequé prohibet actum conjugalem ab adventu, usque ad Epiphaniam &c. sed solùm prohibet earum nuptiarum solemnitatem.

III. Quamvis matrimonium tempore prohibito, aut feriato contractum, non debeat dissolui. Tum quia tempus non est de essentia matrimonij. Tum quia interdictum non est impedimentum dirimens matrimonium, sed solùm prohibens sub pœna peccati mortalis, ut dicemus in quarto libro; nihilominus tempore feriato contrahentes absque ulla dispensatione, debent separari, & matrimonium dissolui, non simpliciter, quia est verum Sacramentum, sed ad tempus juxtà ordinarij judicium, ut contrahentes pœnitentiam agant, de transgressione præcepti Ecclesiastici, ut monet Divus Thomas. 4. sent. dist. 32. art. 5. quæst. 4. ad 3. apud Bancelum verbo *matrimonium* quæst. 38.

IV. Matrimonium, sic dicitur, quia mulier non debet ob alium finem nubere, nisi ut sit mater, ut inquit divus Augustinus contrà faustum. Vel dicitur matrimonium, à matre, & nato, quia per matrimonium aliqua efficitur mater nati, ut tradit Isidorus. Undè in matrimonio, tria consideranda sunt, primò, essentia ipsius, quæ est conjunctio maritalis, prout dicemus in quarto libro, in quo sensu dicitur conjugium. Secundò, causa ejus, quæ est desponsatio, & sic contractus matrimonij dicitur contractus nuptiarum, à nubere. Tertiò, effectus, seu proles & sic dicitur matrimonium, quasi matris munium, id est officium, quia officium educandæ prolis incumbit matri, vel quasi matrem muniens, quia mulier per matrimonium habet virum, quo deffenditur, & munitur.

V. Juxtà hanc matrimonij expositionem, infideles contrahunt verum matrimonium. Si non adsit aliquod impedimentum jure naturæ dirimens matrimonium; maximum tamen discrimen reperitur inter matrimonium fidelium, & paganorum; ut est evidens: nam matrimonium inter fideles nedùm est contractus, sed etiam verum Sacramentum à Christo Domino institutum, ut Sancit Tridentina Synodus sess. 7. can. 1. & sess. 24. can. 1. At inter infideles, est purus contractus naturalis; & ideò infideles matrimonium contrahendo nullam gratiam recipiunt sanctificantem, nec Sacramentalem: etenim nullus contractus extra Ecclesiam, gratiam confert contrahentibus, imò matrimonij contractus nec in lege naturæ, nec in lege Mosayca causabat ex opere operato gratiam, quam causat in lege nova, & confert contrahentibus in Ecclesia. Nec licet viro infideli matrimonium contrahere cum pluribus uxoribus simul, nam fidelis unam uxorem dumtaxat habere potest, Deo sic ordinante, ut declarat tridentinum sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit.* Igitur Polygamia prohibetur omnibus, cùm Deus sit Deus omnium. Quoad tempus nubendi dico quòd infideles omni tempore nuptias inire possunt, fideles autem nequeunt nuptias contrahere tempore feriato de quo suprà.

VI. Infideles non peccant in copula carnali, si rectè matrimonium contractent Quia ille actus conjugalis est licitus ratio

ne donationis legitimè, ac debitè factæ, & ratione contractûs matrimonij, qui quidem contractus competit infidelibus in quantum est in officium naturæ: sed fidelis nedùm licitè ad uxorem suam accedere potest, sed etiam meritoriè si sit in gratia, & ob debitum finem actu, conjugali utatur, ut docent Sanchez, Bellarminus, Bassæus, & alij. Id Suaderi potest ex illo Tobiæ cap. 6. vers. 20. 21. & 22. *Secunda verò nocte in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris: tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut filij ex vobis procreentur incolumes: transacta autem tertia nocte, accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum, magis quàm libidine ductus, ut in semine Abraha benedictionem in filijs consequaris.* Indè enim colligitur in matrimonio plura posse obtineri dona Spiritualia. Quare D. Hieronimus in Math. 13. ubi exponens parabolamChristi de fructu ex semine Colligendo;cujus ex eodem capite vers.8.aliud centensimum,aliud sexagesimũ,aliud trigesimum dabat. inquit. *centensimum fructum Vrginibus, Sexagesimũ viduis & continentibus, trigesimum casto matrimonio deputamus.* Reverà hîc Sanctus Doctor matrimonii præfero virginitatem, & continentiam, aut cœlibatum; cùm Virginibus, viduis, & continentibus majorem fructum deputet, quàm conjugatis: nihilominus ipsis castè conjugatis magnum fructum, seu bonum spirituale concedit, utpotè trigesimum.

VII. Si infidelis habens plures uxores convertatur, & omnes simul cum eo suscipiant baptismum, & velint vivere in fide Catholica, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se subijcere, nequit cum omnibus simul habitare. Tum quia pluralitas uxorum,aut Polygamia adversatur juri naturali, divino, & Ecclesiastico, ex eo quòd Deus non pluribus, sed uni mulieri virum copulaverit. Tum quia Sacramentô matrimonij fit mutua traditio duorum corporum: in ipso enim,corpus viri traditur totaliter,atque irrevocabiliter mulieri, & corpus mulieris traditur marito, ut declarat Apostolus, & ideo tantùm cum una licitè habitare potest, quoniam cum una sola potuit verum contrahere matrimonium. Quænam autem illa sit? dico quòd est prima, & consequenter tenetur habitare cum eadem, & alias abijcere can. *Gaudeamus* de divort. An verò quælibet harum uxorum abjectarum posset inire matrimonium cum viro alio fideli? respondeo affirmativè, quia quælibet esset soluta à viro, & prius matrimonium esset irritum, ac nullum; non solùm baptismô,quô vir tenetur habitare cum uxore cum qua primò contraxerat, sed etiam jure naturali, cui adversatur Polygamia, seu pluralitas uxorum, etenim in matrimonio fit mutua traditio corporis unius, cum corpore alterius; quæ quidem traditio naturaliter est inter duo corpora, aut duorum corporum. Indè infero quòd si omnes uxores converterentur, exceptâ primâ, cum qua priùs contraxerat, hæcque monita nollet converti, vir non teneretur ducere secundam, sed posset ducere eam, quam eligere vellet. Quia vir solùm cum prima verum, atque legitimum inivit matrimonium jure naturali; ideoque indifferens est ad omnes alias uxores, cum quibus illicitè, seu contra jus divinum, & naturale habitavit ante baptismi susceptionem, & posset cum una matrimonium contrahere, hocque secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Quia in tali casu nullum matrimonium præcessisset Srcramentum baptismi.

VIII. Si infidelis legitimam uxorem repudiaverit, & alteram duxerit antè conversionem ad fidem, tenetur abijcere eam, quam duxit per secundum matrimonium; etiamsi convertatur; & ducere eam quam repudiavit, si velit converti, & cum eo habitare. Quia repudium est contrà legem naturæ, cui contradicere nulli licet. Repudij prohibitio variis locis suadetur. Et per ipsum, matrimonium minimè dissolui, ostenditur, & præsertim, ex illo Marci. 10. cap. vers. 11. & 12. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, Mæchatur.* Hæc veritas definita manet in pluribus concilijs, maximè in Milevitano can. 17. transitum ad secundas nuptias prohibente viro, cujus uxor vivit. Idem declaratur in quodam concilio anglicano celebrato 663, ut refert venerabilis Beda lib. 4. historiæ Anglorum cap. 5. In quo concilio can. 10. legitur *si quisquam propriam expulerit conjugem legitimè sibi matrimoniô conjunctam, si christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjungi.* Ergo infidelis, de quo agitur teneretur post conversionem, uxorem re-

pudiatam reassumere, & secundam abjicere; cùm posterius matrimonium non dirimat prius, prima uxore adhuc vivente.

IX. Quandò uxor viri infidelis vult nonobstantibus ejusdem viri precibus, atque iteratis instantijs, remanere in statu infidelitatis, & in ipsa nulla est probabilis spes de conversione, ipse vir conversus, potest ad Sacros ordines, vel ad religionem accedere, aut ad aliud matrimonium transire. Quia non remanet alligatus uxori, quæ cùm nollit converti, nec cum marito habitare, ipse maritus remanet liber post conversionem. Et si postquam vir Sacros susceperit ordines, aut religionem fuerit ingressus, uxor convertatur, vir non tenetur redire ad illam. Quia debet sibi, & non alteri imputare viri sui privationem in pœnam tardæ conversionis, juxta 24. regulam juris in 6. *Mora sua cuilibet est nociva.* Idem colligitur ex 84. regula ejusdem juris *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet imputare.* Dixi *si nulla sit probabilis spes conversionis.* Quia si sit, vir non debet emittere votum continentiæ, nec ad aliud matrimonium transire, quia difficiliùs converteretur uxor, inquit divus Thomas, virô suô sciens se privatam. Undè cùm uxoris infidelis conversio sit maximum bonum, ac opus Deo dignum, ut docet Tertulianus, dicens *nihil tam Deo dignum, quàm salus animarum* vir debet expectare donec desinat probabilis spes conversionis, pro procuranda uxoris salute.

X. Quoad ætatem ad validum matrimonium contrahendum requisitam, alia est pro fœminis, alia pro masculis. In istis sufficit ætas quatuordecim annorum; illis verò ætas duodecim; quia tunc censentur à jure pervenisse ad illud discretionis tempus necessarium, ut quis possit de matrimonio sufficienter deliberare, & conjuges valeant debitum sibi invicem reddere. Quamvis juxta communiorem sententiam, matrimonium ante tale tempus contractum, judicandum sit invalidum ex defectu sufficientis consensûs, & ratione impotentiæ ad copulam carnalem; quia nihil tam essentiale est matrimonijs, ac consensus; existimo tamen cum Divo Thoma relato apud Bancel in opere Morali verbo *matrimonium* quæst. 172. quòd si aliquis perveniat ad debitam perfectionem ante tempus prædictum, ita quòd vigor naturæ, & rationis defectum ætatis suppleat, matrimonium non est dissolvendum, nec est invalidum declarandum, si contractum, & consummatum fuerit; licet ante tempus prædictum, nuptiæ non sint permittendæ. Quoniam multa fieri prohibentur, quæ tamen si facta fuerint in debitis circunstantiis, & in essentialibus, tenent, ideoque matrimonium illud est validum, quamvis illicitum. Ratio autem propter quam pueri citiùs possunt se obligare matrimonio, quàm Religioni, & alijs contractibus, est, (juxta Divum Thomam.) Quia in illis ad quæ natura inclinat, non exigitur tantus vigor rationis ad deliberandum, sicut in alijs. Unde cùm natura inclinet hominem ad matrimonium, & non inclinet ad Religionis ingressum, nec ad vitam Religiosam profitendam, nec ad emittenda vota solemnia, in quibus est major difficultas, sicut major perfectio, quàm in matrimonio; sequitur quòd pueri possunt se citiùs obligare matrimonio, quàm Religioni.

XI. Quamvis ætas à jure determinata sponsalibus contrahendis sit septem annorum, tam in masculo, quàm in fœmina; tamen est quædam difficultas inter Doctores, scilicet an illud septennium debeat esse Mathematicè completum, ita ut nullus deficiat dies, an verò sufficiat quòd sit completum moraliter, ita ut valeat, etiamsi desint duo, vel tres menses? quidam volunt sufficere septennium moraliter completum. Quia ex Philosopho. 1. Phys. *Cui parum deest, nihil deesse videtur.* Ita Sotus, in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. Henriquez, Ludovicus Bancel in Morali Divi Thomæ, verbo *sponsalia* quæst. 7. & alij. Quidam requirunt septennium Mathematicè completum. Ita Sanchez, Coninch, Bassæus, & alij quam plurimi. Eorum ratio est. Quia hoc tempus est à jure præscriptum, & determinatum, estque verè septennium, non inceptum, sed completum, ut patet de tempore à jure præscripto pro suscipiendo ordine Sacro, putà Subdiaconatu, pro quo non sufficit annus vigesimus primus inceptus, sed necessè est quòd sit completus. Hæc ultima sententia videtur mihi probabilior, & tutior. Ad rationem oppositæ. Dico quòd illud axioma *cui parũ deest, nihil deesse videtur* non habet locum in solutione debitorum, nec in tẽpore determinato à jure, ut Suadet Casus Allatus de tempore pro ordine sacro; & suadere possent alij casus, quos hîc omitto brevitatis gratia. Dixi septennium tam requiri in masculo,

quàm in fœmina pro sponsalibus contrahendis, licet ætas pro matrimonio sit diversa, ut monui suprà numero 10. ratio discriminis est. Quia in sponsalib. contrahendis sufficit discretionis, aut rationis usus, quem certò masculus, & fœmina habent eadem ætate; in matrimonio autem requiritur aliquid aliud præter usum rationis, nimirum proxima, & actualis aptitudo corporis ad generandum, quæ citius est in fœmina, quàm in masculo.

XII. Cùm Matrimonij vinculum non duret, nisi usque ad unius conjugis mortem, ut tradit Apostolus ad Rom. 7. vers. 2. & 3. ubi ait *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri; ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Sequitur quòd ob præcedens Matrimonium non impeditur aliquis à secundis nuptiis, quidquid dixerint Montanus, & Novatus secundas nuptias damnantes, teste Augustino lib. de Agone Christiano cap. 31. ubi de novatianis ait *Illi sunt, qui viduas si nupserint tamquam adulteras damnant, & super Doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores, qui nomen suum si vellent cognoscere, mundanos se potius, quàm mundos vocarent*: ergo ex Apostolo, & ex Divo Augustino, vir, mortua uxore, potest licitè transire ad secundas, imo & ad alias nuptias: nam visum est Romæ tempore Divi Hieromini, unum virum viginti uxores successivè habuisse, & unam mulierem, unum maritum suprà viginti. Secundum Matrimonium est verum Sacramentum sicut primum; cùm in eo reperiantur omnia, quæ sunt de essentia Sacramenti Matrimonij, ut consideranti patebit; licet à secundis nuptiis benedictio subtrahatur, ut constat ex rituali Romano, art. de Sacram. Matrim. ubi legitur *Caveat Parochus, né quandò conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat.* Hoc intelligendum est, quandò nuptiæ sunt secundæ ex utraque parte, seu ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm: nam si virgo Matrimonium contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem, nuptiæ sunt benedicendæ; licet non sint benedicendæ, dum vir qui numquam uxorem duxit, contrahit cum muliere vidua; ut monet idem rituale, in fine articuli citati, ubi dicitur: *sed vidua nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir numquam uxorem duxerit.* Verum ex vi hujus prohibitionis, Parochus, qui secundas nuptias benediceret, non esset ipso facto suspensus, sed posset ab Episcopo suspendi, ut constat ex quodam extravaganti Joannis Papæ XXII. quæ incipit *concertationi antiquæ*.

XIII. Ratio subtrahendi benedictionem à secundis nuptiis, nedùm est: quia secundas nuptias contrahentibus jam concessa fuit benedictio in primo Matrimonio, sed etiam quia secundum Matrimonium, si in ordine ad primum consideretur, habet minorem significationem, id est, non habet tantam significationem, quantam habet primum in ordine ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, aut ad exprimendam conformitatem, quam nuptiæ hominum habere debent cum mysticis Christi, & Ecclesiæ nuptiis, quarum imaginem referunt nuptiæ Christianorum, ut infertur ex illo Apostoli ad Ephes. 5. cap. vers. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; cùm in secundis nuptiis significatio non sit una unius, sicut est in Matrimonio Christi, & Ecclesiæ, ob Bigamiam conjugum. *Dices* ergo dum virgo contrahit cum viro, qui aliam uxorem duxit, nuptiæ non sunt benedicendæ, vel sunt benedicendæ etiam dum vir contrahit cum muliere, quæ alium virum duxit. Quòd tamen est contra præcedentem assertionem. Nego paritatem. Quia dum virgo contrahit cum viro, qui habuit aliam uxorem, hoc nonobstante est sponsa unius, sicut Ecclesia est sponsa unius, nempè Christi, & ideo hoc Matrimonium virginis est conformius Matrimonio Ecclesiæ cum Christo, quàm Matrimonium viduæ contrahentis cum viro, qui aliam uxorem non duxit: nam in hoc Matrimonio, mulier vidua non est conformis Ecclesiæ, ut patet ex dictis, Nec vir est conformis Christo, licet nullam uxorem duxerit. Quoniam Christus etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia: igitur Matrimonium virginis cum viro, qui aliam uxorem duxit, est conformius Matrimonio Christi cum Ecclesia, quàm Matrimonium viri (qui nul-

lam uxorem duxit) contrahentis cum vidua, ac proindè debet benedici, non autem aliud.

XIV. Quamvis Matrimonium sit remedium concupiscentiæ, quæ omnibus inest; non licet tamen indè inferre, quòd omnes homines debeant Matrimonium contrahere. Quia habent aliud contrà concupiscentiæ morbum efficacius remedium, illi qui uxorem ducere nolunt, utpotè opera spiritualia, jejunium; quod vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia. Habent insuper orationes, studiã, mortificationem, & alia remedia de quibus locuti sumus in primo libro cap. de voto castitatis. Igitur nullus tenetur nubere alioquin sequeretur quòd votum castitatis esset illicitum, ut voluere hæretici plures, quos damnavit Ecclesia Romana. Sequeretur insuper, quòd status cælibatus esset imperfectior statu conjugij, quod est expressè cõtra Tridentinũ. Ratio utriusque sequellæ, est, quia res præcepta, præsertim sub mortali, debet esse melior, & perfectior, quã res opposita, ut est evidẽs, cum præcepta, & leges tendant ad perfectionẽ nostram, & ad dilectionem, quæ est finis legis, ideoque si esset præceptum de Matrimonio contrahendo, Matrimonium esset perfectius voto continentiæ, ac cælibatu, quibus est contrarium, aut incompatibile. His suffragatur authoritas Apostoli 1. ad Corinth. 7. ubi ait *de virginibus præceptum Domini non habeo, Consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis. Igitur & qui Matrimonio jungit virginem suam, benefacit, & qui non jungit melius facit*: ergo meliùs est non nubere, quàm nubere, ac proindè Matrimonij contrahendi non est omnibus posita lex. Nec valet objicere illud Genes. 1. à Domino dictum *crescite & multiplicamini, & replete terram*. Quia non imponit singulis hominibus nubendi necessitatem, sed solùm declarat causam ob quam institutum fuit Matrimonium: non enim hominibus tantum, sed etiam bestiis præcepti incapacibus dictum fuit *crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Quòd probat his verbis, non exprimi præceptum obligans omnes, & singulos homines, sed continua fœcunditatis largitio, & benedictio.


XV. Impotentia coëundi, quæ ex maleficio provenit, vel est perpetua, aut non est perpetua. In primo sensu dirimit Matrimonium, ut dicemus in quarto libro, ut autem cognoscatur an sit perpetua, vel non; Ecclesia præfixit tempus, seu tres annos, quibus elapsis judicatur impotentia. Hæc impotentia sæpè est ad unam, & non ad aliam mulierem: quia diabolus est causa voluntaria maleficij, & ideò ipse diabolus potest maleficium afferre viro pro una muliere, non autem pro alia. Secùs discurrendum est de impotentia, quæ provenit ex frigiditate: hæc enim reddit virum impotentem ad omnes mulieres. Hinc est, quòd dum Matrimonium dirimitur ob impotentiam ex maleficio (utrique conjugi datur licentia contrahendi Matrimonium, cùm quælibet pars remaneat libera. At quandò dirimitur propter impotentiã ex frigiditate provenientem, parti impotenti non datur licentia ducendi aliam uxorem. Quia est impotens ad omnes mulieres: Quamvis sterilitas sit impedimentum ad generationem, & Matrimonium nequeat in sterili habere effectum suum, quatenus est in officium naturæ, tamen ratione sterilitatis Matrimonium non est dissolvendum, sicut dissolvitur ratione impotentiæ Quia nonobstante sterilitate, Matrimonium habet unum effectum, scilicet remedium concupiscentiæ.

XVI. Tempore interdicti Ecclesiastici Matrimonium est licitum. Quia ex sua primæva institutione est contractus merè civilis, nec habet Sacramenti rationem nisi per accidens, & accessoriè ut advertit Cabassutius lib. 3. cap. 21. num. 7. Igitur Matrimonium non prohibetur tempore interdicti pœnalis, sicut prohibentur alia Sacramenta; quorum ministri sunt Sacerdotes: in isto autem Sacramento minister non est Sacerdos, sed sunt ipsimet contrahentes, ut fusiùs dicemus in quarto libro. Reverà Matrimonia, quæ tempore interdicti fiunt, non benedicuntur per Ecclesiam, ut monet glossa in cap. fin. de sentent. excom. verbo *Sacramentis*: quoniam benedictio est actus ordinis, qui nequit licitè fieri in loco interdicto. Sed sunt vera, & licita, quemadmodum vera, & licita sunt Matrimonia, quæ à personis viduis contrahuntur, & ea, quæ fiunt tempore feriato, quibus nulla datur benedictio, ut constat ex rituali Romano. Hæc quidem Sacerdotalis benedictio, non est de essentia Matrimonij, ut est evidens. Ideoque est legitimum Matrimonium, & verum Sacramentum benedictione Sacerdotali suppressa; cùm secum habeat omnia ad es-

ſentiale Sacramenti requiſita. Aliter dicendum eſt de Parochi præſentia, quæ cum ſit impedimentum dirimens, Matrimonium remanet nullum, ac clandeſtinum, ſi abſente Parocho initum, ac contractum fuerit.

XVII. Vidua intrà annum luctûs ſecundas nuptias contrahens nullà notatur infamià; cùm authoritate Apoſtolica ſecundæ nuptiæ ſint licitæ, & circunſtantia temporis non ſit de eſſentia Sacramenti, nec conditio ita eſſentialiter requiſita, ut in ipſa diſpenſare nequeat Eccleſia. An verò peccet graviter, qui publicis ludibrijs, *charivarij* vulgò nuncupatis, ad ſecundas nuptias convolantibus inſultant? affirmo. Hic enim ludus prohibetur in Concilio Andegavenſi celebrato anno 1448. titulo *de ludis prohibitis*. Et in Narbonenſi anno 1609. cap. 22. ubi legitur *prohibeant Epiſcopi Ludos, qui impudenter in contemptum ſecundarum nuptiarum à permultis fieri ſolent, charivarios vulgò appellatos; contumaces: & inobedientes pœnâ excommunicationis coërceant*. Prætereà, illicitum eſt, & bonis moribus contrarium, detrahere ſecundis nuptiis, quas Eccleſia honorat, & ad quas abſque ulla famæ jactura convolant viri probi: ergo graviter peccant qui ſecundas nuptias contrahentibus inſultant publicis ludibriis: id enim videtur in deriſum vertere, quod Chriſtus honoravit.





LIBER TERTIUS
QUI EST DE DELICTIS EORUMQUE POENIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De delictis in communi.

1. CUM ex divo Augustino lib. 12. Contrà faustum cap. 27. Peccatum, aut delictum, sit factum, vel dictum, vel concupitum contrà legem Dei, aut transgressio, injustitia, iniquitas, prævaricatio, & inobedientia. Examinatis legibus, & præceptis Ecclesiæ in secundo hujus operis libro, delicta, & peccata fidelium examinanda sunt in tertio. Non quoad ea, quæ à Theologis scholasticis agitari solent; cùm de ipsis jam satis dictum sit in theologia nostra, sed quoad ea; quæ concernunt praxim, ut ipsi fideles faciant bonum, & declinent à malo, quod maculat animam, ut declarat Christus Dominus Math. 15. vers. 19. dicens *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, hæc sunt, quæ coinquinant animam.* Peccatum primò dividitur in originale, & personale: Prius est illud, quod adæ voluntate commissum, naturali propagine ab omnibus hominibus contrahitur, ut Sancit tridentinum sess. 5. & suadet Apostolus dicens, quod omnes in adam peccaverunt. Posterius verò, seu personale, est illud, quod propria peccantis voluntate & actione committitur. Secundò dividitur in actuale, & habituale. Primum est actus, aut actio illa humana liberè elicita, vel omissa contrà legem. Secundùm verò est ipsa præterita legis transgressio, quæ moraliter manet in anima, eamque maculat donec per gratiam sanctificantem mundetur, quæ quidem macula dicitur reatus, seu ordinatio ad pœnam à lege transgressoribus præscriptam. Tertiò dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. Quia transgressio legis, duobus modis fieri potest, faciendo scilicet quod prohibet, & omittendo quod præcipit. Undè faciendo quod lex prohibet, peccamus peccato

commissionis, & dum non facimus quod præcepit, peccamus peccato omissionis. Quarto peccatum dividitur in mortale, & veniale. Primum dissolvit amicitiam hominis cum Deo, seù gratiam sanctificatem, quâ vivit anima: dicitur enim mortale, quia dat mortem animæ, ut Sancit Tridentinum sess. 5. In decreto de peccato originali & ut ipsum nomen sonat. Veniale autem quamvis sit peccatum, non privat animam gratiâ, ejus fervorem dumtaxat minit. Sed quia hæc differentia est à posteriori, scilicet ab effectu. Dico quòd peccatum mortale est transgressio præcepti graviter obligantis ad aliquid necessarium ad salutem consequendam; veniale verò est transgressio præcepti leviter obligantis ad aliquid utile tantum.

II. Juxta diffinitionem peccati allatam cum D. Augustino, certum est omnia peccata procedere ex ore, vel ex corde, vel ex opere: etenim sunt peccata, quæ in ore consummantur ut perjurium, blasphemia, detractio. Et quæ in corde, ut hæresis, desperatio, odium. Et alia quæ consummantur in opere, ut furtum, homicidium, &c. Nè credas tamen peccatum quod ex opere procedit, esse triplex. Licet ex corde, ore, & opere simul aliquandó procedat, ut v. g. vindicta, quæ primo in corde concipitur, deindé per verba injuriosa ad os progreditur & posteà ad opus per percussionem, aut occisionem, quâ consumatur. Quia actus exterior est difformis legi difformitate actûs interioris scilicet cordis, aut voluntatis, & intellectûs; cùm ex D. Augustino lib. 5. de libero arbitrio. cap. 19. illud propriè vocetur peccatum, quod libera voluntate à sciente committitur: nam, qui hominem occideret nollendo, nec cogitando ipsum occidere, procul dubio Innocens esset à sanguine. Hinc est quòd, qui occidit hominem; unum peccatum dumtaxat commisit, quamvis prius efficaciter volverit illum occidere; & dixerit, occidam illum, modò multiplicatus non fuerit actus volitionis: nam occisio est peccatum, quia volita, & cognita. Quare ille, qui vult efficaciter cum plena deliberatione occidere hominem, peccat etiam si mors non sequatur, aut non occidat illum. Quia volvit aliquid contrà legem Dei.

III. Peccata cordis, aut cogitationis multiplicantur specie ex multiplicatione objecti, & finis; licet actus voluntatis sit unus. Si quis. v. g. vellet alium occidere, ut bona ejus subripere posset, duo peccata in corde committeret specie diversa; quoniam in illo actu duæ reperirentur malitiæ specie diversæ, putà homicidij, & furti: quæ sunt peccata specie, & numero distincta, ut constat ex dictis suprà num. 1. Peccata oris multiplicantur etiam specie, si vox ad objecta specie diversa dirigatur, ut si v. g. Petrus diceret Paulo *tu es hereticus, fur, adulter* tria peccata committeret in confessione aperienda, quia hæresis, furtum, & adulterium tria peccata contumeliæ specie distincta constituunt. Ita Mastrius, & alij contrà Emanuelem Sâ, Bonacinam, & alios existimantes omnes contumelias, ac blasphemias esse ejusdem speciei. Peccata operis specie multiplicantur. I. Ex objectis specie diversis, ut homicidium, furtum, &c. Nam furari, & occidere sunt duo peccata. 2. Ex circunstantia objecti, quæ distinguit specificè peccatum; cùm circunstantiæ speciem mutantes admittantur, & sint necessariò confitendæ: numericè autem multiplicantur ex actibus, & objectis numerò distinctis: nam si quis unico actu tres homines occideret, tria peccata committeret ob pluralitatem objectorum. Et si quis ad eamdem fœminam ter accederet: tria peccata committerèt ob pluralitatem actuum; qui cùm vitiosi sint, atqué consummati, quilibet ipsorum unum numerò peccatum constituit in confessione aperiendum.

IV. Ex triplici capite desumitur peccandi modus, scilicet ex ignorantia intellectûs. Psal. 24. *delicta juventutis mea, & ignorantias meas nè memineris. Domine.* Ex passione Dan. 13. *Species te decepit, & concupiscentia subvertit cor tuum.* Et ex malitia Job. 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias ejus intelligere nolverunt.* Ignorantia alia est juris, alia facti; illa est, quâ jus ignoratur, ista verò, quâ ignoratur factum. Utraque excusat, si sit invincibilis, seu si omni adhibitâ humanâ diligentiâ, lex, aut jus non possit cognosci, nec factum sciri, nisi alius edocuerit, & aperverit: nam si ignorantia est vincibilis, non excusat à peccato. Quia est voluntaria in sua causâ immediata, scilicet in negligentia inquirendi veritatem tam legis, quàm facti. Quænam autem diligentia sit adhibenda, ut ignorantia sit invincibilis, & inculpabilis? secundum communem Theologorum sententiam

tentiam non tenemur adhibere omnem diligentiam Physicè possibilem, ut tollatur ignorantia, sed solum moraliter possibilem, quâ positâ si ignorantia adhuc remanet, erit invincibilis, & ipsa stante, homo non peccabit: ille autem censendus est adhibuisse omnem diligentiã moraliter possibilem, nè ignoranter ageret, qui pro inquirenda veritate ipsi ignota, adhibuit, quidquid vir prudens adhiberet in aliquo gravissimo negotio, scilicet consulvit viros Doctos, ad Deũ preces effudit, & probabiliori cõscientiæ adhæsit: his enim adhibitis, si ignorantia remaneat, homo dici potest ignorans invitus, quoniã non neglexit quærere quod ignorat, & fecit quod in se erat.

V. Peccatum ex passione proveniens, est illud, quod oritur ex motione appetitûs sensitivi voluntatem trahentis ad consensum. Hæc motio dupliciter agere potest circà voluntatem, nimirum antecedenter, & consequenter; aliquandò enim antecedit, & extorquet voluntatis consensum; aliquandò autem sequitur, & excitatur à voluntate. Peccatum proveniens ex passione excitata à voluntate, est Gravius eo, quod provenit à passione antecedente, & excitante voluntatem. Quia tùnc prima radix peccati non est ipsa passio, sed mala voluntas quæ passionem excitat, cum plena libertate & deliberatione. Ex quo sequitur tale peccatum non oriri propriè ex passione, sed ex malitia. Quia voluntas liberè, & nullâ præcedente ignorantiâ, nec excitante passione, vult peccatum sub aliqua ratione boni utilis, aut delectabilis, ideoque in peccatis, quæ à passione, aut Infirmitate procedunt, circunstantia est in confessione aperienda. Et declarandum est, an fuerint à passione excitante, & trahente voluntatem ad consensum, vel à voluntate concupiscentiam excitante; cùm peccatum in hoc posteriori sensu sit Gravius, & Magis voluntarium, ut inquit D. Gregorius lib. 25. moral. cap. 26.

VI. Peccatum ex malitia procedens, est illud, quod voluntas scienter, & liberè committit, ut quandò peccat absque ulla ignorantia ex parte intellectûs, & absque ulla motione ex parte apetitus sensitivi. Sic peccaverunt illi, de quibus Job. cap. 21. vers. 14. *Ait qui dixerunt Deo recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Undè peccatum istud cæteris paribus, est majus, & Gravius peccato, quod ex ignorantia, & ex passione procedit, ut jam diximus post D. Gregorium, cùm voluntas committat illud suo nutu, ac motu, & ex se ipsa. Et committat peccata ex ignorantia. Et passione, inducta solùm ex ignorantia, & passione quæ minuunt voluntarium. Peccatum ex passione, est Gravius peccato ex ignorantia. Can. *sciendũ.* De pœnit. dist. 2. quia ignorantia minuit liberum & voluntarium; passio autem licet liberum minuat, auget tamen voluntarium; & voluntatis conatum: & peccatum ex malitia, & studio, est Gravius cæteris, ut liquidò probat divus Gregorius relatus suprà numero præcedenti, & in can. *Sciendum.* de pœnit. dist. 2. Peccatum, quod ex passione oritur, dicitur etiam ex infirmitate procedere, non quòd ipsa passio sit infirmitas, sed quia anima, quæ sic peccat, passionibus infirmatur. Quapropter, passiones apud Ciceronem perturbationes vocantur.

VII. Disputatur an peccatum, quod ex habitu vitioso procedit, potiùs ex passione, quàm ex malitia dicendum sit? plures cum D. Thoma 1. 2. quæst. 18. art. 2, in corp. Asserunt tale peccatum esse ex malitia. Eorum ratio est, Quia habitus vitiosus est aliquid intrinsecum voluntati, libertatem ejus minimè diminuens, nequè voluntarium, & consequenter actus, quem voluntas ex tali habitu elicit, cum plena libertate, & certa scientia elicitur. Alij tenent cum Scoto in 4. dist. 14. quæst. 1. hoc peccatum esse ex passione, aut infirmitate. Huic sententiæ adhæreo. Quia habitus vitiosus generatus fuit ex actibus per passionem productis; quamvis sit aliquid intrinsecum voluntati, ut volunt Thomistæ. Et voluntas ex illo habitu acquisitio fit minus libera; cùm ab ipso verè alliciatur, & intensiùs adjuvetur, & inclinetur ad peccandum: certum quidem est, inquit Mastrius, quòd voluntas non malè habituata ad peccandum, est magis libera, quàm voluntas malè habituata; cùm vehementia naturalis habitûs per modum ponderis libertatem, & dominium actûs diminuat; & de ratione habitûs sit elevare potentiam, eamquè facilitare ad actum: & ideo peccatum ex habitu vitioso procedens, est potiùs infirmitatis, quàm malitiæ, cùm voluntas non committat illud ex se ipsa, ut ad peccatum ex malitia requiritur, sed inclinante, & inducente habitu vitioso. *Dices.* ex varijs textibus juris constat, peccatum ex habitu vitioso procedens, esse Gravius peccatô infirmitatis, &

passionis: ideoque est ex malitia. *Respondeo* quòd est Gravius, ac detestabilius ratione impœnitentiæ finalis ad quam peccatores ducuntur habitu vitioso; & ratiotione iterationis, aut multiplicationis actuum, vel peccatorum, quæ committit voluntas habituata ad peccandum. Quare Job cap. 24. vers. 13. ait *ipsi* seu varias iniquitates, & vitia committentes *fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* Undè peccatum ex tali habitu procedens, non est in se Gravius; sed habitus vitiosus est Gravior ac detestabilior, & propter hujus habitus gravitatem, peccator fit & insanabilis, si habitum vitiosum deponere non curet, scilicet abstinendo se ab actibus peccaminosis, cùm durante habitu, actuumque iteratione, sit incapax absolutionis, & veniæ. Quia juxta. 5. regulam juris in 6. *venia non datur nisi correcto.* Idem habetur ex can. *inanis.* de pœnit. dist. 3.

VIII. Quamvis peccatum Veniale sub ratione formali peccati venialis consideratum, nusquam possit fieri mortale, nec quantum ad actum, nec quantum ad maculam, potest tamen accidentaliter fieri mortale, ut dum supervenit aliqua circumstantia; quâ transfertur ad speciem peccati mortalis. Prima est conscientia. Quia quidquid fit contrà conscientiam, est peccatum mortale, cum ex scriptura sic operans ædificet ad Gehennam: quamvis ergo proferre verbum otiosum, sit peccatum veniale, tamen qui diceret illud credendo se facere peccatum mortale peccaret mortaliter, & veniale fieret mortale ex dictamine conscientiæ erroneæ. Secunda circunstantia est effectus inordinatus; nullum peccatum adeò est veniale; quod non fiat mortale; dum nimis placet, & inordinatè amatur. Tertia est dispositio, aut periculum incidendi, aut scandalizandi, quia frequenter per lapsum in venialia, homo disponitur ad mortalia, vel disponit fratrē suum, qui ipsū frequēter videt cadere in veniale; ut patet in primis moribus, qui ex se sunt peccata venialia; sed quandò delectatio convalescit, & consensus accidit, jam peccatum est mortale, & ex eo proximus sæpè sumit occasionem peccandi. Mortale etiam potest ex aliqua circunstantia fieri veniale; ut quandò supervenit inadvertentia, au deficit consensus, vel materia sit levis.

IX. Quæritur an voluntas committendi omnia peccata venialia, sit peccatum mortale? Caïetanus, Salas, & alij negant. Quia omnia peccata venialia nequeunt per se, unum peccatum mortale constituere, cùm gratia sanctificans cum peccatis venialibus stare possit. Ergo velle omnia peccata venialia committere, non est peccatum mortale. Quia voluntas non peccat mortaliter, nisi dum vult quòd tenetur nolle sub mortali, vel dum non vult quod tenetur velle. D. Antoninus, Sotus, & alij affirmant. Hanc posteriorem partem tueor. ratio nostra Est. Quia velle committere omnia peccata venialia, est se exponere periculo peccandi mortaliter, quòd est peccatum mortale; cum sub mortali teneamur vitare periculum peccandi, nè in ipso pereamus: nam licet omnia peccata venialia non efficiantur unum peccatum mortale, nec Gratiam Sanctificantem expellant; tamen velle omnia peccata venialia committere, est dispositio ad peccatum mortale, quatenus voluntas sic deliberata, & spernens modica, fit disposita ad excutiendum jugum legis in majoribus juxta illud. Eccles. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Quod de modicis disiunctim intelligitur. Undè qui omnia modica simul spernit, seu qui vult omnia peccata venialia committere, non Paulatim, sed repentè decidet, ideoque moraliter peccat, qui vult omnia venialia committere, quoniam se exponit periculo peccandi mortaliter. An verò liceat venialiter peccare nè alius peccet mortaliter? Respondeo negativè, quia homo debet plus diligere Deum, quàm proximum, ideoque nemo debet peccare venialiter; etiam si hoc peccato veniali impediat peccatum mortale proximi; cùm peccare venialiter sit offendere Deum; saltem leviter.

CAPUT II.

De Blasphemia & contemptu.

I. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale, quoniam ex se gravem Deo infert injuriam. Nec potest esse peccatum veniale à parvitate materiæ, cùm injuria contrà Deum, nequeat esse modi-

ea, ut suadet istud axioma. *Injuria crescit juxta dignitatem personæ offensæ.* Indè enim sequitur blasphemiam (quæ ex natura sua est injuria directè contrà Deum, aut saltem indirectè, ut dùm est contrà sanctos, ut diximus lib. 1. cap. 8. num. 12.) semper esse injuriam gravem, & peccatum mortale, ut suadet illud levit. 24. vers. 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Sic tenent plures Theologi, quos citat, & sequitur Bannes. Est etiam mortale quamvis ex indeliberatione procedat, ut quandò quis habet consuetudinem blasphemandi, & eam deponere non conatur. Quia tunc blasphemia est volita saltem in causa, ideoque peccaminosa. Idem habetur in can. 3. causæ 24. quæst. 3. cujus verba sunt hæc. *Qui negligunt oris maledici consuetudinem resecare, etiam si non ex corde maledicant, etiamsi non voto, & animo iniquo proferant. Maledicta tamen immunditiam labiorum, & inquinamenta oris incurrunt.* Idcircò assueti in Deum, vel Sanctos maledicta passim proferre, à peccato mortali non sunt excusandi, etiamsi non advertant. Ratio nostra est, quia voluntariè persistens in habitu peccandi, utpotè blasphemandi, voluntariè persistit in morali periculo, & occasione proxima peccandi mortaliter, & consequenter consuetudo blasphemandi minimè excusat à peccato, quia velle consuetudinem perfectè cognitam, ex qua necessariò nascitur actus malus, est velle ipsum actum malum. Et quamvis non sint ab absolutione Sacramentali simpliciter arcendi; sunt tamen ad tempus ab ea suspensi merito detinendi, ut interim pravam, & perversam blasphemandi consuetudinem exuant, ut tradunt Azorius, Sancius, & Sylvius. Ratio absolutionis suspendendæ, est quia Sacramentalis confessio includit propositum non peccandi de cæterò, nec est verè pœnitens, qui peccandi animum non deponit, Alexandro Papa sic declarante Bellovacensi Episcopo in can. *quod quidam* de pœnit, & Remis. si verò contingat absolutionem differri non posse, ratione doloris perfecti, debitæque dispositionis, sunt audiendi in confessione atque absolvendi, impositâ priùs pœnitentiâ salutari, tanto crimini debitâ, & factâ exhortatione, ut tam pessimam consuetudinem adhorreant. Sufficit quòd sciant se ad blasphemandum assuetos, ut ad hoc teneantur.

II. An verò blasphemiæ sint ejusdem speciei; ita ut in confessione blasphemiarum numerum explicare sufficiat. Duæ sunt sententiæ, Diana, Trullus, & alij affirmant, ac tenent non esse necesse explicare in confessione qualitatem blasphemiæ; scilicet utrum sit contrà Deum, aut sanctos ejus. Alij autem quorum partem tueor, negant. Ratio est, quia laus debita Deo specificè distinguitur, à laude debita Sanctis; cùm laus in Deum sit à latria, laus uerò in sanctos sit à Dulia, quæ quidem virtutes specie differunt, sicut adorationis Latriæ & Duliæ: igitur vitia virtutibus his, Latriæ scilicet, & Duliæ opposita, nimirum blasphemia contrà Deum, & blasphemia contrà sanctos, distinguntur specie; idcircò blasphemans, qui in confessione voluntariè omittit hanc distinctionem, peccat mortaliter: tenetur quidem eam confiteri, quoniam gravius peccat, dum blasphemat contrà Deum, quàm cùm blasphemat contrà sanctos: etenim major cultus debetur Deo. Et inter blasphemias contrà sanctos gravius peccatum est blasphemare contrà Deiparam, quàm contra Sanctos. Quia est execratio contrà hyperduliam; quæ specie distinguitur, à dulia, quâ honorandi sunt sancti: quapropter Julius Papa III. constitut. 23. quæ incipit. *In multis.* Majores statuit pœnas contrà Blasphemantem Deiparam, quàm contrà blasphemantes sanctos. Idem statuere plures summi Pontifices antè, & post Iulium.

III. Insuper quamvis observandum sit blasphemias hæreticales pariter, & simplices, esse ejusdem speciei, nihilominus blasphemiæ hæreticales, seu quæ sunt contrà Deum, possunt inter se specie distingui; non quidem per se, ut subtiliter notat Scotus, sed per accidens, & concomitanter, quoniam per accidens illis adjungi potest alia malitia, ut v. g. si blasphemia procedat ex motivo desperationis, & ex pravo voluntatis affectu simul, talis enim blasphemia non solùm est contrà Religionem, sed etiam contrà virtutem spei, sicque blasphemus tenetur explicare in confessione, non solùm an blasphemia fuerit hæreticalis, vel simplex, seu fuerit contrà Christum, aut Deiparam, aut Sanctos, sed etiam an processerit ex odio, ira, vel ex alio motivo extrinseco speciem mutante, vel novam addente malitiam.

IV. Quamvis attribuere Deo membra; eaque proprio vocare nomine, non sit in rigore Scholastico blasphemare, ut observat Caïetanus. In summa verbo. *Blasphemia*. Cùm de facto humanam assumpserit naturam: nihilominus jurare per membra Dei, vel Christi, seu dicere, *per caput Christi*, vel *juro per caput Christi*, est blasphemare, sic Covarruvias: nam ex hoc loquendi modo, Deus non solùm adducitur ut testis, sed etiam caput Christi exponitur ultioni, si id, quod jurans asserit, non sit verum. Blasphemia quoque est dicere. *Hoc est verum, ut Deus est.* Cùm hoc sit tribuere rei humanæ, ac contingenti tantam veritatem, aut certitudinem, quanta tribui debet Deo, quòd est illicitum, quoniam certitudo existentiæ Dei, & rerum humanarum infinitè distant. Tandem maledicere cuicumque creaturæ in quantum creatura Dei est, ejusque opus, est blasphemare, ut inquit Navarrus in Manual. cap. 12. num. 16. Ex eodem Doctore num. 17. similiter peccat, ac blasphemat, qui Durante divino Officio miscet Cantilenas, aut res prophanas, ut etiam Colligi potest ex Tridentino. sess. 22. in decreto de observandis, & evitandis in celebratione missæ, quô hæc omnia strictè prohibentur, ut Ecclesia, quæ est domus Dei, verè domus orationis esse uideatur, ac dici possit.

V. Blasphemare etiam est, Sacram Scripturam ad profanos retorquere sensus, ut docent Navarrus, & Graffis. Quia hoc raró fit sinè animo irridendi, ac illudendi de Sacra Scriptura. Et dato quòd sine tali animo fiat, semper tamen importat Scripturæ Sacræ contemptum, & vituperium; cùm contra Genuinum ejus sensum sit, profana, & amatoria significare. Sacra Tridentina Synodus sess. 4. in fine, post Augustinum citatum in Canone *hi qui* 26. quæst. 2. prohibet hujusmodi conversionem Scripturæ in profanos sensus. Hujus prohibitionis ratio nulla alia esse potest, nisi vituperium rei Sacræ, quod solitò ex ipsa sequitur. Hæc assertio potest suaderi ex hac 50. regula juris in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos transferendum*; cùm Deo dicata sit scriptura sacra.

VI. Blasphemi denunciandi sunt judici Ecclesiastico intrà triduum, ut præcipit Concilium Lateranense 5. vel inquisitoribus, ut jubet Julius III. Const. 23. quæ incipit *in multis*, vultque idem summus Pontifex, ut omittentes denunciare eos, puniantur ut blasphemi; nec requiruntur tot testes, quot de jure requiruntur in aliis causis: nam ex eodem summo Pontifice ad probandum blasphemiæ delictum, duo sufficiunt testes. Hæc denunciatio fieri potest antè omnem privatam admonitionem, imò etiam post emendationem. Quia refertur ad publica crimina blasphemantium pœnis debitis punienda. Et judex cui fit denunciatio, potest blasphemantem punire in foro exteriori; etiamsi in foro interiori fuerit absolutus, & pœnitentiam ei injunctam egerit. Reverà omnes blasphemos audientes, non tenentur denunciare eos, dum convenit unum pro omnibus denunciare, ut statuit Leo X. const. 7. quæ incipit *superna*. Sed si unum pro omnibus denunciare non expediat, omnes tenentur. Utinam ab omnibus observaretur hæc Pontificia constitutio; cùm militet pro Gloria Dei, & declaret blasphemos inquirentes, vel punientes, qualibet die consequi decem annorum indulgentiam; & tertiā partem pœnæ pecuniariæ, ut testatur laurea in Epitom. Canonum verbo. *Blasphemia*.

VII. Contemptus est solitò duplex, materialis scilicet, & formalis, ut notant Caïetanus in summa verbo *contemptus*. Salas, & alij. Prior est ille, quô res aliqua aliis injustè postponitur: quamuis hoc directè non intendatur; hinc fit quòd peccantes contrà præcepta decalogi, appellari possunt contemptores præceptorum Dei, quatenus Deo præferunt creaturas, ad quas per peccatum convertuntur; & in quibus ultimum constituunt finem, ut post Divum Chrisostomum, docent omnes Theologi. Posterior autem est ille, quô aliqua persona ex directa intentione alijs postponitur, ut contemnatur, aut contemni credatur, ut contingit, quandò quis violat præceptum cum intentione ipsum præceptum contemnendi, vel rem præceptam. Ita D. Thomas in 4. dist. 9. art. 3. quæst. 3. Dividitur insuper in contemptum præcipientis, & rei præceptæ. Contemptus præcipientis semper est peccatum mortale, nec potest esse veniale ob parvitatem rei præceptæ, si præcipiens sit Deus, vel alter ex parte Dei, ut est v.g. Episcopus, respectu eorum, qui obedientiam promiserunt ei, ut monet D. Bernardus lib. de præcep. cap. 11. & 12. vel Superior in aliqua Religione approbata: quoniam magna irreverentia est Deum directè contemnere, & indignam de ipso ha-

bere existimationem, licet contemnatur in homine, cui in hac parte suam concessit potestatem. Undè Christus, Apostolorum contemptores meritò reprobat, veluti contemptores sui, his verbis Lucæ 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Contemptus rei præceptæ, non est peccatum mortale ex natura sua, sed solùm ex gravitate materiæ; si enim hæc levis sit, erit tantum veniale, nisi ratione alicujus circunstantiæ, aut motivi viciati fiat mortale, ut contingit; quandò res modica contemnitur in vituperium fidei Catholicæ, vel cùm intentione inferendi injuriam præcipienti. Peccare ex contemptu, est nolle voluntatem subijcere ordinationi legis, vel regulæ obligantis, & ex illa nolitione procedere, & se determinare ad actum repugnantem legi, & regulæ.

VIII. Præter legislatorum personas, eorumdemque præcepta, Consilia quoque, respicit contemptus formalis, quia contemnere Consilia ad bonum, ac salutarem finem tendentia, importat quamdam Dei, aut Superioris Consiliantis indignam existimationem: sed indignam habere existimationem de Deo, vel de Superioribus quatenus prælati, & Superiores sunt, est grave peccatum; cùm redundet in contemptum Dei, cujus vices gerunt: igitur Consilia contemnere, est peccare: quia contemptus ille est actus superbiæ, vel cujusdam injustitiæ, ut notat Caspensis tract. de peccatis disp. 3. sess. 5. num. 45. sicque est semper malus, quamvis licitum sit Consiliis non adhærere, modò vitetur consiliantis contemptus: quapropter formalis contemptus est in confessione explicandus, quoniam novam speciei malitiam addit actui, nempè irreverentiæ contrà Superiorem; vel injustitiæ, vel superbiæ. Undè qui ex contemptu Superioris sui v.g. non interest sacro, non satisfacit in confessione dicendo se missam non audivisse, sed tenetur insuper aperire contemptum ut docent Valentia, Layman, Suarez, & alij.

CAPUT III.

De Scandalo.

I. EX D. Thoma quæst. 43. art. 3. scandalum, est dictum, vel factum minùs rectum occasionem ruinæ præbens alteri. Huic descriptioni adhærent omnes Theologi, quoniam in actibus externis, & coram aliis factis valet consistere scandalū; cùm aliter occasio ruinæ minime esse posset. Istud delictū dicitur, *Factum aut dictū minus rectum*: quia in se malum est, vel speciem mali habet, estquè duplex; generale unum, & speciale aliud. Primum est ruina proximi per accidens. Posterius verò eam per se directè intendit; utrumque est etiam duplex, activum scilicet, & passivum: prius est illud quod ad peccatum, seu dictum, vel factum trahit: posterius autem est ipsa spiritualis proximi ruina, seu scandalum ejus, qui scandalizatur, idque oriri potest ex scandalo activo, vel ex bono opere alterius non habente speciem mali. Qua ratione dicitur scandalum acceptum, & non datum, quia tunc occasio non præbetur; sed sumitur, ut habetur ex illo Math. 11. vers. 6. *beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Hujus scandali passivi origo, assignatur solitò Triplex: solet enim nasci ex malitia; quia sunt qui ex malitia interpretantur opus bonum in malam partem, & propria pravitate ad peccatum inducuntur. Alij ignorant opus esse bonum, & ex illa ignorantia incidunt in ruinam. Alij tandem scandalizantur ex opere bono: quia debiles, & fragiles sunt; ideoquè malitia, ignorantia, & fragilitas sunt origo scandali passivi. Prima radix scandali non invenitur in his qui diligunt Deum, ut testatur Propheta Regius psal. 118. *pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Igitur hæc radix est valdè peccaminosa, quia odibilis Deo & hominibus.

II. Qui proximum scandalizat, certè mortaliter peccat, si id, ad quod provocat, sit lethale, ut suadent illud Matth. 18. *Væ homini per quem scandalum venit.* Et can. *quod ait.* dist. 14. quô statuitur, scandala esse omninô fugienda, quoniam mala sunt, undè Christus loco citato cap. 16. vers. 32. eum assimilat diabolo: ibi enim dicit Petro: *Vade post me satanas, scandalum es mihi.* Controversia solùm est, an necesse sit quòd expressam, ac directam habeat intentionem præbendi occasionem ruinæ? Vasquez, Azorius, Sanchez, Filliucius, & alij affirmant; probabilius tamen est, intentionem illam non requiri: nam Sacra Scriptura, & Sancti

Patres reprehendunt scandalosos, seu eos, qui publicè dicunt, vel faciunt opera minùs recta, quoniam proximo præbent occasionem ruinæ; licet eam præbere non intendant, sicut consulentes, & directè inducentes ad peccatum: quia præcavere tenemur, nè dicta, vel facta nostra proximo noceant; nisi ita specie mali careant; ut nullus ex ipsis occasionem ruinæ sumere possit; nisi malitiosus: non enim tenemur dimittere opus bonum, aut spiritualiter, vel temporaliter utile, quamvis non sit sub præcepto, si nullam habeat speciem mali; cùm recta ratio non postulet, ut malitiæ alterius occurramus, si indè debeat nobis evenire damnum: teste Augustino Epist. 45. ad vincentium relato in can. *quam magnum* 23. quæst. 4. ubi ille Sanctus Doctor monet mala nocentium non maculare innocentes, idem pariter docuit Christus Math. 15. dicens, *Sinite illos, caci sunt, & duces cacorum.*

III. Opera, quæ nullam habent speciem mali, & sunt de consilio, debent omitti, aut differi, si ex ipsis oriatur scandalum ob ignorantiam; aut fragilitatem proximi. Donec succurratur ejus ignorantiæ, aut fragilitati. Ut infert D. Chrisostomus ex illo Corinth. 1. cap. 8. vers. 13. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, nè fratrem meum scandalizem.* Idem suadet ratio, quæ postulat, ut aliquid condonetur ignorantiæ, & fragilitati fratris, sicut dissuadet condonare aliquid malitiæ ejus: admonendus tamen est, qui ex ignorantia, aut fragilitate scandalizatur can. *Inter verba.* Et si post ipsam admonitionem adhuc perseveret ignorantia ejus, non est desistendum ab opere bono, quoniam tunc ignorantia tramsit in malitiam, quæ innocentem maculare non potest, ut tenet Augustinus in numero præcedenti: undè fœmina non tenetur propter scandalum futurum à malitioso deducendum, ex ejusdem fœminæ ornatu licito, manere in domo, nè malitiosus ille se scandalizet: dixi *ornatu licito, & modestia debito*, quia si in ornatu, vel in moribus habeat aliquid speciem mali præ se ferens, non potest exire de domo sua, cum scandalum illud esset activum, & posset ruinæ occasionem præbere proximo; quamvis non malitioso. Si verò scandalum futurum esset ex ignorantia, aut fragilitate proximi, ipsa fœmina teneretur non exire in tali ornatu, quousque adhiberetur sufficiens diligentia, ad hoc, ut ignorans instrueretur, & infirmus aliquo modo confortaretur; hujusmodi autem detentio in domo, non debet esse continua, ut autumant nonnulli: durum siquidem est privare fœminam libertate propria, ob malitiam, aut culpabilem ignorantiam adolescentis, eam turpiter amantis: ut docent Clavasius, & Turtianus dis. 96. dub. 2. Tenetur solùm non se offerre tali adolescenti, qui instrui nolvit, quoniam quilibet tenetur proximi sui ruinam vitare, si id sine suo damno facere possit; cùm Deus unicuique mandaverit de proximo suo; ideoque mortaliter peccat hæc fœmina, si se adolescenti offerat sine necessitate.

IV. Vendens, seu subministrans rem ex se indifferentem, aut quæ communiter in bonum usum ordinatur, non peccat peccato scandali; etiamsi ille, qui emit eam, indè sumat occasionem peccandi: quia ex malitia oritur hæc occasio, & peccatum non est venditoris, sed emptoris. Si verò constet de abusu petentis, ita ut vendens agnoscat illum, & credat ementem ea re male usurum, tunc tenetur eam illi non vendere: hoc enim esset præbere alteri occasionem peccandi. Indè infero non licere mercatoribus ornamenta, Fucos, &c. Vendere mulieribus, dum certi sunt, ipsas mulieres velle adolescentes in ruinam trahere; quoniam sic vellent indirectè, quod vellent ipsæ mulieres, scilicet ruinam proximi; cùm venderet cum cognitione finis, & mediorum mulieris in malum finem ementis ornamenta.

V. Rogabis. Quid igitur facient tunc mercatores? nam si dicant se non habere hujusmodi ornamenta, mentiuntur; si dicant se nolle vendere ea, propter hanc rationem, peccant contrà charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. *Respondeo.* Tunc mercatores dicere posse hujusmodi ornamenta esse pro alijs destinata; sicque non mētientur, nec peccata revelabunt. Res, quæ communiter in malum usum destinantur, vel semper, vel occasione temporis, non possunt à mercatoribus vendi, nisi his, de quibus ratione qualitatis, aut circunstantiarum constat finem esse bonū, & honestum; peccant etiam tabernarij, qui cænam, vel jentaculum matutinum, aut pomeridianum parant nolenti observare jejunium. Nec valet dicere cum Bassæo, & & alijs, quos citat verbo *scandalum*.

num. 9. Quòd excusantur tàm mercatores, quàm tabernarij si sciant quòd ipsis non vendentibus, aut mensam non parantibus, invenient alios mercatores, & caupones. Non valet inquam hæc ratio, quia isti peccabunt, sicut alij peccassent, nec per istorum subministrationem mutaretur concursus aliorum, sicque hoc non obstante peccarent, cùm prohibitio sit generalis.

VI. Plures tamen excipiunt famulos mensam parantes; aut mensæ inservientes, coquentes cibos pro Dominis suis prohibitos. Ratio disparitatis est, quia famuli non sunt Domini eorum, quæ parant, nec possunt ea non deservire ad refectionem: sufficit quòd non placeat eis peccatum; & ideo ratione obedientiæ,& conditionis, à mortali excusantur in præstando obsequio; præsertim cùm id facere possint velut rem, quæ non est per se mala, nimirum tanquam refectionem, ad cujus præparationem tenentur ratione famulatûs; excusant eos etiam à mortali, dum jussu Dominorum emunt ornamenta, Fucos, &c. Quia non tenentur præsumere Dominos esse malos, dum eis obediunt in his, quæ non sunt per se mala, & quæ ob finem à peccato sejunctum, exerceri possunt. Existimo tamen probabiliùs prædictos famulos peccare: licet enim hæc omnia non sint per se mala, & ob finem à peccato sejunctum exerceri possint: nihilominus, si videant Dominum esse indispensatum, aut nullâ circunstantiâ excusari posse in his, quæ ipsis præcipiunt, peccant, si obediant. Quia illicitum est obedire Domino præcipienti aliquid contrà Deum, aut Ecclesiam. Idem dicendum est de his, quæ sunt per se mala, nec possunt ad finem honestum dirigi. Idcirco peccant famuli deferendo in curru, Sella, &c. Domino concubinam cognitam ut talem, vel dicendo ei, ***Dominus meus dixit ut illum hac nocte expectes, ut dormiat tecum***, (licet plures oppositum probabilius existiment ratione famulatûs) ratio nostra est: quia hæc obsequia præcipiuntur, & fiunt, ut media ad peccatum, nec possunt à peccato excusari ratione finis; cùm nullus valeat tribui eis finis à peccato sejunctus, nec sint obsequia indifferentia; licet comitatus, aut emptio ornamentorum aliquando, aut præparatio mensæ, ob finem à peccato sejunctum à Exerceri possint; non autem in nostro casu.

VII. Peccato minimè excusantur Domini, qui famulis suis offerunt occasionem furandi, ut de ipsorum fidelitate experimentum habeant, quia hoc est velle, quòd furentur, eosque ad furtum directè provocare, quamvis finem honestum, seu fidelitatem, aut famuli securitatem intendant. Hic quippe finis à medio, quod malum est, vitiatur. Peccat etiam maritus, qui cum uxore sua paciscitur, ut amasio ipsam ad adulterium sollicitanti consensum fictè præbeat, quia hoc est velle adulterium, cooperari ad peccatum, cùm indè detur amasio occasio ruinæ.

VIII. Mortaliter quoque peccat peccato scandali, qui ab alio petit aliquid vitiosum, licet ad illud faciendum paratus esset, quia offert materiam, ex qua hic, & nunc, paratus sumit occasionem peccandi, estque verè scandalizatus; cùm ab alio acceperit occasionem ruinæ. Igitur peccant peccato scandali omnes luxuriosi, qui à meretricibus petunt copulam carnalem, aut ab alijs mulieribus eos amantibus, etiamsi cognoscant eas ob amorem paratas ad adulterium: certum enim est, quòd tunc adulterium; aut ullum libidinis actum non committerent, nisi ab amatoribus rogatæ essent, quamvis paratæ sint toties, quoties ab ipsis sollicitantur.

IX. Nullus potest absque peccato omittere veritatem ad vitandum scandalum, in his, quæ indispensabilia sunt; utiliùs quidem scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur cap. *Qui scandalizaverit*. Nec potest ad vitandum scandalum, committere aliquod peccatum mortale can. *Cùm ex injuncto* de novi operis enunciat. Ratio est, quia, unusquisque magis se ipsum debet diligere in his, quæ ad salutem tendunt, quàm alterum. Quòd tamen non faceret, qui peccatum committeret, nè alter scandalizaretur. Observandum tamen est assertionem habere locum in præceptis negativis; quia cum præceptum affirmativum non obliget semper pro semper, sicut negativum, potest ratione circunstantiarum ad sui observationem non obligare, isto, vel illo tempore; utpotè dum sequi potest ruina proximi. Undè mulier prævidens quòd si de domo egrediatur, præbebit alteri innocenti occasionem ruinæ, potest non audire Sacrum die festo: nam si aliquis vellet se occidere, tunc liceret omittere Sacrum ad impediendam mortem, ut fatentur communiter Doctores; cùm in tanta necessitate observandi præcepta charitatis, & misericordiæ, mi-

nimè obliget præceptum positivum de missa audienda: ergo idem fatendum, est dum aliquis occidit se spiritualiter per scandalum. Ita Filliucius, Diana, & alij citantes D. Thomam 2. 2. quæst. 3 art. 7. contrà Caspensem, Vasquem, Pontium, & alios.

X. An liceat in casu necessitatis, seu ad veritatem manifestandam, exigere juramentum ab eo, qui periurus noscitur? plures affirmant. Quia in tali casu perjurium oritur ex sola jurantis malitia, quæ non cogit alterum, ut se suo privet jure; petens enim desiderat ex justitia, pro utilitate sua, manifestationem veritatis ab eo, qui eam revelare tenetur in judicio. Quare si perjurium præstet, hoc est ex sua culpa voluntaria, cùm malitiosè non præstet id, quod præstare potest, & debet ex justitia; non verò ex culpa juramentum exigentis, qui licitè sperare debet id, quòd alter ei præbere tenetur in conscientia. Idem sentiunt Suarez de Relig. tom. 2. lib. 3. cap. 14. Sanchez, Diana, alijque plures Gravissimi authores penès Bassæum verbo *scandalum*.

XI. Sed non licet petere ab usurario mutuum ad usuras, expresè, & formaliter, seu dicendo, da mihi mutuo centum aureos, & reddam tibi centum, & quinque, vel vide quantum vis, ut tibi insuper restituam. Quia hoc est velle & intendere malum, & alium ad usuram provocare, ut docet communis opinio; quamvis liceat accipere ab eo pecuniam sub usura in summa necessitate, nimirùm supposito, quòd usurarius nolit suam pecuniam alio modo dare, & petens nequeat aliter suæ necessitati providere; nisi accipiendo illam sub usura: ratio est, quia dum quis petit aliquid ab alio, quod ipse potest benè, vel malè facere, & suâ culpâ malè facit, licitè petit, & culpa non ei, sed alteri imputatur; nam petens mutuum ab alio, petit rem licitam, offertque illi materiam, quam licitè præstare valet, & debet, si autem non vult præstare illam, nisi illicitè, & sub usura, petens, qui ex indigentia recipit eam, non cooperatur ad illius peccatum, sed solùm permittit usurarij opus, quod in hoc casu impedire nequit. V.g. qui emit triticum apud mercatorem fraudatorem (modo non intendat, nec petat emere cum fraude.) Non peccat etiamsi accipiat triticum cum fraude venditum si aliter suæ necessitati providere nequeat, & dicat mercatori, vende mihi triticum, vel da mihi mutuum, sed quia scio te mihi illud non daturum, nisi cum fraude, vel lucro, id tibi promitto, ut necessitati meæ consulam, aut nè fame peream. Hoc non est alteri præbere occasionem ruinæ, nec ad peccatum provocare illum; sed solùm uti peccatô alterius propter necessitatem sublevandam; aliàs non liceret sacramenta petere à ministro malo Tolerato, quoniam esset præbere ei peccandi occasionem. Quòd tamen falsum esse declarat Nicolaus Papa in can. *Sciscitantibus* 15. quæst. 8.

XII. Quoniam ex peccato publico nascitur scandalū: publicè peccantes tenentur explicare in confessione circunstantiam scandali, nedùm quoad speciem peccati ad quod, alios excitare potuerunt: sed etiam quantum fieri potest, tenentur exprimere numerum personarum, quibus tali peccato data fuit occasio ruinæ, quemadmodum qui se accusat de furto tenetur declarare quantitatem, & qualitatem rei furatæ, aut qui se accusat, de delectatione rerum turpium ex colloquio cum alijs, tenetur exprimere non solùm speciem peccati, seu colloquij; sed etiam conditionem personarum adstantium, scilicet an fuerint conjugatæ, solutæ, Religiosæ. &c. Quoniam sunt circunstantiæ speciem Mutantes, Augentes, aut Aggravantes, ut docent Laurea, Villalobos, Coninch, Ledesma, & alij. Cùm igitur quod inordinatè fit, vel dicitur, præbeat proximo occasionem ruinæ, aut scandalizet: tenemur ea, quæ agimus, secundum regulam rationis ordinare juxtà monitum Apostoli. 1. Ad Corinth. 14. vers. 40. dicentis *Omnia autem honestè, & secundum ordinem fiant.*

CAPUT IV.

De homicidio.

I. Homicidium quod quintô decalogi præceptô prohibetur, est injusta atque indebita hominis occisio facta ab homine. Dividitur in spirituale, & corporale; cùm homo sit quoddam compositum constans animâ, & corpore. Spirituale est illud, quo detractor injustè denigrat famam proximi, vel quô, quis proximum suum odio habet, ut suadet istud Joan. 3. *Qui odit*

odit fratrem suum homicida est. Vel quò, quis alterum provocat, ut proximo noceat: tam enim homicida appellatur suasor mali, quàm alterum odio habens, can. *noli putare.* Et can. *Homicidium.* De pœnit. dist. 1. Homicida quoque est ille, qui fratri suo extremè indigenti negat alimenta, quæ ei præbere potest. Ut dictum est. lib. 1. cap. 11. ejusdem delicti reus est, qui corripere negligit delinquentem, cujus emendatio ex correctione sequeretur, vel qui proximum provocat ad peccatum, quoniam peccatum est mors animæ, ex tridentino sessione. 6. cap. 15. Homicidium corporale est illud, quò corpus hominis interficitur.

II. Juxtà communem doctorum sententiam nemini licet se ipsum directè, & ex propria intentione interficere. can. *Placuit* 23. quæst. 5. idem suadet ratio; nam homo non est Dominus vitæ suæ, nec membrorum suorum, cùm vita, & mors in manu Dei sint; ideoque nemo potest se ipsum occidere; cùm nulli liceat occidere hominem; quin sit verè homicida. Et occidere se ipsum, sit verè occidere hominem: ex D. Augustino. 1. De civit. cap. 17. & 20. Eadem ratione mortaliter peccat, qui privata authoritate occidit hominem, etiam volentem, ac consentientem, quia occisio est omnibus absolutè prohibita; idcircò non excusat ab homicidio consensus occisi. Licet tamen aliquandò ad propriam mortem cooperari, seu ob rationabilem causam exponere vitam periculo mortis, ut contingit militi, qui non tenetur factionem suam deserere, etiamsi ibi sit evidens mortis periculum; atque reo, qui non tenetur ex carcere fugere; quamvis certò sciat se morte plectendum, quia non est prohibitum homini vitam suam periculis umquam exponere; sed solum ex propria intentione, & deliberata voluntate velle mortem. Navarr. in Manual. cap. 15. num. 11. Lessius & alij, existimant etiam peccare mortaliter eos, qui ex intentione interficiendi se, jejunijs, vigilijs, & abstinentijs vitam notabiliter abbreviant. Hujusmodi pœnitentiæ licitæ sunt, dumtaxat, quatenus tendunt ad profectum spiritualem animæ: Apostolus enim. 1. ad Chorinth. 9. ait, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Dummodò non advertant pœnitentes vitam ijs notabiliter minui. Quia vitam voluntariè, & notabiliter minuere, est mortem sibi voluntariè provocare; quód est illicitum.

III. Mutilantes se in membris, excommunicatione ferit can. *Si quis membrorum.* 23. quæst. 8. in tribus tamen casibus licita est alicujus membri mutilatio; scilicet quandó puer vult parentibus consentientibus castrari, ut vocem sonoram retineat, pro utilitate Ecclesiæ, modò non adsit periculum vitæ. Quandó membrum aliquod ægrum, vel putrefactum obstat bono totius corporis, & quandó membrum aliquod obstat ad deffensionem totius, ut v. g. dum quis catenâ ferreâ injustè detinetur in carcere occisurus, & non potest se à vinculis liberare, nisi pedem sibi amputet, tunc potest sibi amputare illum; quippecum pars sit propter bonum totius, & in ipso contineatur ex. 80. regula juris in 6. dum ei obstat, auferri potest, nè totum pereat. An verò liceat Christiano, sibi amputare membrum pro corpore conservando, jubente sic tyranno ob causam Religionis. v. g. Quia Deum adorasset, christum invocasset, &c. Nego; quia hoc est negare fidem christianam, eamque improbare factis; cùm indè extolleretur falsa tyranni Religio. Eique postponerentur gloria Dei, fides Christi, & salus animæ, ac proindè tutiùs est in tali casu mori propter fidem; quàm vivere.

IV. Quoniam vis potest per vim repelli cum moderamine inculpatæ tutellæ, id est dum alia via, vita, vel integritas membrorum deffendi non potest; can. *Significasti.* De homicid. volunt. Licitum est privata authoritate, nedùm laïcis, sed etiam Clericis, & Monachis occidere iniquum invasorem in quocumque loco, & tempore: cùm semper licitum sit alienæ propriam præferre vitam, & justitia exigat aggressorem, potiùs, quàm aggressum esse morte dignum. Hæc assertio ab omnibus deffendi debet, modò occisio illa fiat primò in flagranti delicto invasionis; non autem ex magno intervallo: quippe si post magnum, intervallum fiat, non erit tunc, vim vi repellere, sed vindictam sumere. Quòd numquam licet ex illo deuter. 32. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Secundò sine crudelitate, seu sine multiplicitatis vulneribus, sed cum simplici occisione, per modum deffensionis; quia ejusmodi vulnera, non essent effectus deffensionis, sed offensionis, & vindictæ. Tertiò. Si occisio vitari non possit, nequè occurrat alias vitam conservandi modus; nam si agressus fugere valeat, tenetur potius fugere, quàm aggressorem occidere.

nisi ex fuga magis periclitaretur. Tunc enim occisio non esset propriè naturalis deffensio, nec propriæ vitæ conservatio; cùm fuga haberi posset.

V. An liceat occidere illum aggressorem dum vult occidere amicum, aut personam privatam? probabilior opinio negat, quoniam tunc mala sunt paria: tam enim aggressor, quàm amicus aggressus, est proximus; ideoque neutrum licet occidere. Licet tamen deffendenti se contrà injustum invasorem occidere innocentem, quô ipse invasor se protegit & aggreditur, dùm non potest haberi deffensio sine occisione innocentis, quoniam aggressus non privatur jure deffendendi se, ex innocentis interpositione. Quare si Joannes non posset cavere mortem à Petro ei inferendam, nisi occidendo Paulum protegentem, posset utrumque inculpatè occidere, servato prædicto moderamine. Quia hoc non est directè mortem Pauli intendere, sed propriæ vitæ deffensionem, nec Paulus consideratur, ut innocens, sed ut nocens ipsi Joanni, si non per se ex deffectu libertatis & intentionis nocendi, quam fortè non habet, saltem per accidens, & ratione protectionis, quâ ipse Petrus mortem infert Joanni.

VI. Hoc jure propriam deffendendi vitam interdùm potitur etiam justè aggressus à persona privata, ut v. g. adulter inventus cum adultera, quem ejusdem adulteræ maritus vult occidere. Sic D. Thomas, Ledesma, & Cavarruvias contrà D. Antoninum, & Navarr. in Manual. cap. 15. num. 7. & cap. 27. num. 238. Ratio nostra est. Quia communis Theologorum sententia, & canonistarum interpretatio can. *Inter hæc* 33. quæst. 2. Tenent non licere viro occidere uxorem in adulterio deprehensam, nec adulterum, ut determinatum fuit jussu Alexandri VII. in Sacra Congregatione 24. Septembris anno 1665. Ergo tunc adulter non tenetur se submittere marito adulteræ, qui contrà jus vult eum occidere, sed potest se deffendere, vim vi repellere, suamque conservare vitam; cùm deffendendo se, nulli injuriam faciat, possitque virum illum, seu maritum, ut injustum aggressorem inspicere, & contrà ipsum juste se deffendere, cùm non obstante culpâ suâ respectu aggressoris, habeat jus præferendi vitam propriam alienæ, seu vitæ mariti, cui non competit jus occidendi adulterum.

VII. Reus mortaliter peccat qui satellites, seu publicos justitiæ ministros occidit; etiamsi ipsi velint eum ocidere, hîc non juvat moderamen inculpatæ tutellæ, quia in his, quæ de justitia punitiva sunt, nullus potest dispensare, nec impedire nisi legislator: commune reipublicæ bonum postulat, ut ministris bona fide publicum officium exercentibus, nulla injuria, nullumque damnum inferatur. Secùs dicendum est de innocente, quem satellites injustè interficere conantur aut capere, ut injustè interficiant eum, quia non agit contrà justitiam, nec commune reipublicæ bonum. Nec debet eos inspicere ut ministros justitiæ, sed ut injustos aggresores.

VIII. Magna controversia est inter canonistas. An ob deffensionem propriorum bonorum liceat propriâ authoritate occidere furem, si non sit probabilis spes, aliter illa recuperandi? Villalobos tom. 2. tract. 12. Mastrius, Toletus lib. 5. cap. 6. Navarra, Sotus, & alij affirmant, quia vim vi repellere licet; non solùm à proptia vita, sed etiam ab his, sine quibus simpliciter, vel commodè sustentari nequit. Ex adverso oppositam tuentur sententiam Doctor Seraphicus, Panormitanus, Hostiensis, aliique plures; hæc posterior sententia est tuenda quia Innocentius Papa XI. damnavit alteram die 2. Martij 1679. est etiam: probabilior in Can. *Si per fodiens* de homicid. volunt, quò occisio furis diurni homicidium reputatur, non autem nocturni, ratio discriminis est, quia facilè discerni, & præsumi potest, furem diurnum non venisse ad occidendum, sed solùm ad furandum; ut monet Divus Augustinus in glossa relatus. Quòd in nocturno fure discerni minimè potest. Igitur non licet occidere latronem in furto deprehensum, aut cum re furata fugientem, pro conservatione boni temporalis; alioquin vana esset distinctio de fure diurno, & nocturno; pariterque prohibitio occidendi furem diurnum; cùm ille, sicut nocturnus verè furetur, & cum re furata fugiat, nisi latro, ut furetur velit occidere possesorem: tunc enim posset illum occidere ad conservandam propriam vitam. Quare in can. *interfecisti* eod. tit. Salvatur ille, qui se, suaque liberando, sine odij meditatione latronem interfecerat. His adjunge rationem, nimirum non licere majus bonum, pro minori exigere; reus enim puniendus est solùm juxtà naturam, & qualitatem delicti

ut præcipit jus tum Canonicum tum civile. Unde, si vita furis cum pecunia furata, aut alio bono fugientis, sit majus bonum, quàm bonum temporale ut evidenter demonstrat ratio naturalis; cùm istud sit propter vitam; & possesor teneatur jure naturali & divino, ex ipso bono necessitatibus fratris sui subvenire; non licet interficere furem in delicto deprehensum, pro sola conservatione boni temporalis quod est minoris momenti. Insuper unusquisque tenetur diligere proximum sicut se ipsum, ut præcipit Christus; & ideò quemadmodum nemini licet, velle interniei pro suis bonis temporalibus, nec potest pro iisdem velle occidere alium, etiam furem; cujus vitam bono nostro temporali præferre debemus eamque diligere sicut propriam. Ad rationem adversariorum. Respondeo quòd est infirma, quia bona temporalia aliundè haberi possunt, ut vita sustentur; cùm plures labore eleemosynis, alijsque medijs licitis vivant; quin possideant bona temporalia: sicqué non licet uim furantis sic repellere, nec ipsum occidere. Quia privatio vitæ, seu occisio latronis est major injuria, quàm privatio bonorum temporalium; alioquin licitum esset Domino rei furatæ, committere excessum vitiosum, & esse judicem in propria causa, quòd est falsum.

IX Insuper objicere possunt illud exodi cap. 22. vers. 2. *Si effringens fur demum sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis* ex quo inferri potest licitum esse occidere furem, & præsertim si solâ impediri morte possit. Sed non nocet hæc authoritas, quia est intelligenda de fure nocturno, de quo agitur supra numero præcedenti: non autem de quolibet fure, ut colligitur ex his verbis quæ immediatè sequuntur. *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit & ipse morietur.* Ergo nulli licet occidere ob deffensionem bonorum temporalium. Hic observandum est homicidium plus importare, quàm occisionem; illud enim habet inordinationem inseparabiliter annexam, ideoque semper est indebita hominis occisio, & consequenter est peccatum mortale; occisio autem non habet illam inordinationem ex se, quamvis habeat eumdem in occiso effectum; cùm aliquandò liceat occidere hominem, ut dum necessitas cogit ad occidendum invasorem, aut aggressorem injustum pro conservanda propria vita, ut suprà dictum est.

X. Non licet occidere lædentem in honore; jus enim civile punit eos, qui ob honoris deffensionem occiderunt aliquem. Quòd probat occisionem illam esse illicitam, atqué prohibitam ex illo Eccl. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Et ex Apostolo Roman. 12. *Non vos metipsos deffendentes charissimi, sed date locum iræ.* Quoniam occidere Lædentem in honore, potiùs est vindicta, quàm defensio, & effectus iræ, quàm justitiæ, quæ non præcipit cum tanto damno Lædentis, honorem esse deffendendum, qui per ipsius Lædentis occisionem non subsistit, nec recuperatur. Nec potest licitè occidi, qui virum honoratum fuste, vel alapâ percutit, nisi sententiâ judicis, cui jure civili competit punire nocentes; aliàs superfluum esset illud Christi monitum, *Et qui te percusserit in Maxillam unam, prebe illi & alteram*, si pro honoris deffensione occidi posset aggressor, quia sic faciendo, seu alteram maxillam præbendo, nullum vitaretur malum, cùm tunc percutientem occidere, non esset prohibitum, neque illicitum occidere contemptorem, aut calumniatorem, ideoque talis occisio est mala, ut concludunt Sylvius 22. quæst. 64. art. 7. *quæritur 9.* Baldus lib. 4. consil. 312. & alij contrà plures à quibus recedo; nam non licet viro quantumvis honorato occidere eum, qui contumeliosè Dixit illi, *Mentiris.* Quoniam homicidio non ostenderet se non esse mendacem, nec per illud, injuriam repelleret: Ergo non licet occidere lædentem in honore; cùm occisio illa probet occidentem esse virum à mente Ecclesiæ alienum: etenim hæc pia mater, simul cum Christo dicit nobis. *Diligite inimicos vestros. &c.*

XI. Licitum est adolescenti, vel mulieri occidere castitatis invasorem, si aliter se deffendere non possit. Nan si licitum sit occidere aggressorem pro deffensione vitæ corporalis, potiori jure licitum erit pro deffensione spiritualis vitæ animæ, quæ longè præstantior est. Hujus assertionis ratio, non est fornicationis actus vitandus, sed consensûs periculum, quia tunc periret anima, undè si non esset hujusmodi periculum de consensu adhibendo à parte aggressâ in fornicatione, existimo quòd illi

cita foret invasoris occisio ; cùm illam injuriam pati, secluso consensu, sit meritorium. Et à morte æterna liberet aggressorem, qui si in tali Delicto occideretur, esset damnatus, ex Florentino, sess. ultima in litteris unionis, indè sequitur non licere ad vitandum peccatum, vel aliud malum se occidere, si non sit periculum consensûs, quoniam ad vitandum peccatum sufficit non consentire, si vitari non possit occasio, seu actio exterior.

XII. Abortum procurans, postquam fœtus animatus est, homicida existit Can. *quod vero* 32. quæst. 2. & irregularis; etiam si fiat ad salvandam vitam matris secùs si fiat abortus ante animationem, quia cùm ibi nulla sit occisio hominis, nullum committitur formale homicidium, nullave excommunicatio incurritur, nec irregularitas, sed solùm peccatum grave. Quia impedit semen jam effusum, & finem naturalem generationis. Quòd non est actu occidere, sed solùm æquivalenter, saltem in aliquo sensu. Quamvis incompertus sit dies quo fœtus animari incipit; existimatur tamen communiter animam masculis infundi quadragesimo die. Fœminis autem post dies octoginta. Nihilominus, si abortus post diem quadragesimum sit, habetur pro homicidio; tunc enim Fœtus censendus est animatus, quia in dubio jus stat pro masculino sexu. Abortus reputatur homicidium; quamvis factus fuerit ob conservationem vitæ, aut honoris matris, quia vita corporalis, & spiritualis prolis præferri debet vitæ corporali, & civili matris; cùm homicidium innocentis sit omninò prohibitum, & unusquisque teneatur æternæ partûs saluti, potiùs, quàm prægnantis incolumitati consulere. At si dubium sit circà vitam prolis, scilicet an sit viva, vel mortua, vel an vivet, vel morietur post applicationem alicujus remedij, licitè possunt applicari remedia; ut salvetur prægnantis vita: melior est enim conditio possidentis; mater autem est in possessione certa vitæ suæ: Ergo licitum est potiùs favere matri, quàm proli, de cujus vita dubitatur.

XIII. An verò liceat secare alvum matris prægnantis, de cujus vita desperatur, ut puer extrahatur vivus? affirmant non nulli, ut testatur fuliensis. Negant tamen communiter Theologi; quia sectio illa est verè occisio matris, cùm ex natura sua infallibiliter causet mortem matris; nec obstat ipsius vitæ desperatio, cùm adhuc verè vivat, & consequenter illicita est, quamvis hæc sectio ex ordinatione medici ad bonum tendat: nimirùm ad conservationem pueri, & ad ipsius animæ salutem: quia non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona. Rom. 3. Plures Doctores existimant licitum esse dare pharmacum ad procurandum abortum, si fœtus nondum sit animatus, quandò id putatur necessarium ob curationem matris periclitantis. Eorum ratio est, quia tunc fœtus est aggressor, & sicut pravi humoris invadit naturam, & consequenter potest licitè pharmacò foràs emitti. Sed non placet hæc ratio; cùm ex Apostolo, mala non sint facienda, etiam ob bonum finem. Nec valet objicere fœtum esse aggressorem; quia provocare abortum fœtus inanimati propter sanitatem est illicitum, sicut provocare pollutionem, etiam ob eamdem sanitatem, cùm utrumque sit contrà naturam generationis; imò magis illicitum sit provocare abortum, quàm pollutionem, quoniam in primo sit destructio duorum seminum. Et in secundo unius tantum. Prætereà qui fecit, aut impedivit nè fœmina possit concipere, est homicida Can. *si quis* de homicid. etiamsi id fecerit ad sanitatem conservandam, vel propter honorem; à fortiori; talis tenendus est ille, qui destruit embrionem; cùm impediat illum, nè suum naturalem assequatur finem (qui est generatio hominis, qui ex Embrione formatur) & nè homo nascatur; quòd æquivalenter est occidere hominem: nam prohiberi nasci, est homicidij festinatio. Nihilominus existimo quòd si de judicio medici fœtus ille non esset vivus nasciturus; etiamsi matri non applicetur remedium ad disperdendum Embrionem, tunc illud remedium posset applicari ad fundendum sanguinem, quia non subsisteret finis generationis; cùm nullatenus destrueretur homo. Nedum in actu, sed etiam nec in potentia.

XIV. Contrà hanc ultimam assertionem adduci potest hæc ratio. Illicitum est emittere à se semen, seu pollutionem provocare; quamvis necessaria censeatur ad vitam conservandam: Et infirmus certò sciat hujusmodi semen generationis finem numquam assecuturum: Ergo nec licitum erit disperdere embrionem ad propriam vitam conservandam, etiamsi non sit vivus nasciturus. *Respondetur*, maximam ibi esse

disparitatem, quia in pollutione est periculum nè polluens se, consentiat, & consentiendo peccet propter nimiam delectationem veneream; quæ solitò voluntariam seminis effusionem sequitur, ob quam causam non permittitur hominibus libera humani seminis administratio, etiam ad propriam vitam conservandam. Hoc periculum minimè timendum est in abortu fœtûs inanimati, qui de judicio medici non est vivus nasciturus. Ex dictis liquidò constat abortum tam animatum, quàm inanimatum nullo modo esse procurandum, nec consulendum; etiamsi mulier gravida parata sit se occidere ad vitandam infamiam, aut pater sit determinatus occidere filiam suam, quam videt gravidam ex pravo concubitu, quia non est suadendum unum malum ad vitandum aliud, quamvis majus, si aliter vitari possit, ut contingit istæ matri quæ potest se non occidere, & pœnitentiam agere pro culpa commissa.

XV. Quamvis non liceat dare pharmacum cum intentione directa procurandi abortum fœtûs; licitum tamen est sumere medicinas per se ordinatas ad vitam conservandam, si pro sanitate recuperanda, absit aliud remedium; etiamsi per accidens, & ultrà intentionem, ac necessitatem disperdendi fœtum, mors ipsius fœtûs sequatur. (Dixi *ultrà necessitatem.* Quia si pro salute matris, necesse sit disperdere, & extinguere embrionem veluti causam futuræ mortis, illicitum est hæc omnia sumere, quamvis sint ordinata ad vitam conservandam, & conservatio hæc tantum á matre, & medico intendatur) quoniam humanæ actiones specificantur ab eo, quòd operans primò, & per se intendit; non verò ex effectu secuto per accidens, & præter intentionem operantis: quemadmodum enim licitum est mulieri prægnanti fugere à facie feræ pessimæ, etiamsi ex fuga sequatur per accidens occisio prolis, quia tunc non fugit ad occidendum fœtum, imò potiùs, ut se, & fœtum salvet; licitum quoque est matri infirmæ sumere remedia eodem animo. Ita Mastrius, Villalobos, Lezana & alij. Dixi *per accidens.* Quia si per se sequatur, est prorsùs illicitum. Hoc enim est occidere hominem, utporè fœtum animatum. Sicque illicitum est prægnanti sumere ejusmodi medicamenta, ex quorum sumptione certò sequitur abortus.

CAPUT V.

De violenta manuum injectione in clericum, vel Monachum.

I. Tres requiruntur conditiones, ut clerici, vel monachi percussio sit sufficiens materia excommunicationis latæ in can. *si quis suadente.* 17. quæst. 4. necessè enim est, ut sit actio violenta, injuriosa, & mortaliter peccaminosa. Hinc fit pueros aliosvè, qui sut malitiæ incapaces, nullumque habent judicium ad peccandum, non posse hujus textûs excommunicationem incurrere. Pariter nec eos, qui violentiam clericis inferunt, ob rei ablatæ recuperationem, aut propter vitæ deffensionem can. *Nuper* de sentent. excommunicat. quia hæc violentia non est mortaliter peccaminosa. Idem dicendum est de muliere clericum suam tentantem pudicitiam percutiente: secùs tamen si eam solis aggreditur verbis: tunc enim sufficit eum repellere verbis; nisi ipsa mulier se ab eo non possit aliter liberare, nec fugere occasionem ruinæ, quàm per manuum injectionem. Eadem ratione excusatur pariter puer, qui violentas injicit manus in clericum, qui de Sodomiæ vitio tentat ipsum, ut docet Barbosa num. 58. ubi etiam excusat ab excommunicatione illum, qui percuteret clericum cum sponsa, matre, aut propria filia turpiter inventum, dummodò percussio hæc fiat in instanti, & sublata passione. Nec ad hoc requiritur, quòd clericus inveniatur copulatus cum uxore, aut sponsa. Sed sufficit quòd reperiatur vacans amplexibus, osculis, alijsque actibus illicitis, ut observat Diana, qui addit sufficere quòd inveniatur in loco suspecto, solus cum sola, ita ut ex circunstantijs suspicionem moventibus meritò conjici possit turpitudo. Hic tamen obiter observandum est, quòd si hæc sponsa sit de futuro, sponsus incurrit excommunicationem, si percutiat clericum, quia nomine uxoris, canon non intelligit eam, quæ erit uxor, sed eam, quæ est uxor viri qui clericum percutit. Ita Sanchez, & alij contrà Covarruviam. Idem dico de Marito, qui sciens adulterium se abscon-

dit, ut inveniat clericum cum uxore sua, eumque percutiat. Quia jus loquitur de clerico turpiter invento; sed iste clericus est potiùs expectatus, quàm inventus. Deindè maritus si tunc percutiat clericum, non percutit illum subitò, nec cum impetu, ut requirit jus à censuris excusans, sed cum maturo judicio & deliberatione: ergo incurrit excommunicationem. Ita plures contrà Dianam.

II. Juxtà secundam conditionem ad percussionem clerici requisitam, sequitur hanc constitutionem, *si quis suadente* extendi ad illum, qui injuriosè conspuit in clericum, aut qui ejus dilacerat vestem, vel qui per contumeliam perfundit aquam, aut qui violentiam exercet in quascumque res clerici, aut monachi inhærentes personæ. Sic Sylvester verbo *excommunicatio*. Navarrus in Manual. cap. 27. neque excusat in hoc casu consensus, aut condonatio clerici percussi, aut injurijs affecti. Quia excommunicationem incurrit, qui percutit, aut injurijs similibus clericum afficit, quamvis ipse clericus percuti vellit: iste enim canon. *si quis suadente* non tam in favorem clerici ordinati, quàm ordinis clericalis fuit promulgatus, ut declarat Innocentius. III. in can. *contingit*. De sentent. excommunit. Huic assertioni contradicunt Barbosa, & Bonacina. Eorum ratio est. Quia volenti & consentienti nulla fit injuria. Sed minimè nocet hæc regula juris, quia clericus nequit ordinis clericalis cedere juri, nec consentire ut injurijs contumeliosè afficientes clericos excusentur ab excommunicatione jure lata: etenim licet, nulla indè fiat injuria clerico consentienti, fit tamen legi, percussionem clerici sub pœna excommunicationis prohibenti. Tandem clericus qui irrato animo, aut vitæ tædio se ipsum injuriosè percutit, incurrit excommunicationem; & ideò in eamdem pœnam debet incidere, qui injuriosè percutit clericum volentem, & consentientem; cùm consensus ille nequeat magis alios, quàm ipsum clericum excusare. An verò ille clericus, qui ad sui percussionem consentit, sit etiam excommunicatus, sicut ipsum percutiens? negant nonnulli, sed affirmo. Quia facientes, & consentientes pari pœna plectendi sunt, ut mox dicemus; quemadmodum enim occidens se ipsum est homicida, ita clericus percutiens seipsum, aut consentiens ad sui percussionem, est percussor clerici.

III. In eodem canone clericorum, aut monachorum percussores Anathematis gladio percutiente, comprehenduntur mandantes istam manuum injectionem, modò sequatur effectus, ut decrevit Alexander Papa III. can. *mulieres*. De sentent. excommunicat. etiamsi pœnitentiâ ducti mandatum revocaverint, mandatario hujusmodi revocationem ignorante; secùs verò si mandati revocatio nota fuerit ab ipso mandatario, re existente integra, ut docet glossa in can. *Tibi Domino*. dist. 63. verbo *jurare*. Si contingat mandantem mori in gratia, & dolere de mandato suo priusquam mandatarius suas in clericum inijciat manus, & revocationem agnoscat, existimo ipsum non esse apud Deum censurâ ligatum, quamvis deinceps post mandantis mortem percutiatur clericus. Quia talis percussio est ei involuntaria. Excommunicationem incurrit, qui percussionem clerici nomine suo factam, ratam habet, etiamsi non mandaverit can. *Cum quis*. Eod tit. Huic constitutioni suffragantur 10. regula juris in 6. & can. *Cum quis*. De sentent. excommunicat. in 6. Sed si percussio suo non fuerit facta nomine; etiamsi posteà eam ratam habeat non incidit in excommunicationem, licet peccet quia ex 9. regula juris in 6. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*. Tandè in excommunicationem incidunt etiam omnes, qui consenserunt, aut quòmodolibet faverunt, aut qui cum commodè possent, dolosè non impediverunt can. *Quanta*, eod tit. dixi *dolosè* ut duo advertas 1. non esse necessè ut teneantur ex officio impedire: sufficit enim quòd possint, & dolosè non impediant. Sic docet Ostiensis. 2. Excusari illum, qui ex negligentia, vel quia non vult se aliorum immiscere rumoribus, clerici percussionem non impedit. Quia finis istius non est clerici percussio, sicut est finis illius.

IV. Ex percussione clerici, vel monachi facta correctionis causâ à superiore jus corrigendi habente, nulla incurritur censura can. *Cum voluntate* de sentent. excommunicationis. Quia hujusmodi percussio non fit suadente diabolo, sed ex justitia & charitate, dummodò ab ipso superiore immediatè fiat: Superior enim, qui per laicum percutit subditum clericum, aut professum, excommunicationem incurrit, nisi fortè necessitas, aut con-

suetudo excuset ut v. g. in gallia. Nè credas tamen cum nonnullis fratrem conversum apud regulares non posse de mandato superioris percutere clericum delinquentem, quia licet non sit clericus; est tamen religiosus, & habet clericorum privilegia. Undè dum Prælatus, præceptor, aut novitiorum magister clericum percutit bono justitiæ, disciplinæ, aut correctionis motus, est immunis à censura hujus canonis *si quis suadente*; Caveant tamen, nè principaliter percutiant ex odio, vel ira personæ: Tunc enim incurrerent excommunicationem canonis. Quia hæc percussio est violenta, injuriosa, & mortaliter peccaminosa atque facta potiùs suadente diabolo, qui est pater odij & vindictæ, quàm suadente justitiâ. Idem dico de eo, qui per jocum percutit clericum percussione, quæ pervenit ad peccatum mortale, & est excessiva. Quia censetur facta suadente diabolo, & contenta in canone. *Si quis suadente.*

V. An pater possit suum percutere filium in sacris constitutum? duæ sunt sententiæ. D. Antoninus. part. 3. titul. 24. cap. 1. Sylvester, & alij affirmant, eorum ratio est. Quia pater majorem in filium habet potestatem, quàm magister in discipulum, sicque potest eum percutere causâ correctionis, sicut magister. Sed ex adverso Abbas in cap. *Cum voluntate*: Ostiensis, & Barbosa in cap. *Si quis suadente* negant. Hæc posterior opinio est priori præferenda. Quia ordo sacer filium liberat à potestate patris, saltem quoad percussionem, ut expresè notat glossa in cap. *Cum voluntate* de sentent. excommunicat. verbo *inferiorum.* Ad rationem adductam in contrarium. Dico quòd est nulla: quia numquam discipulus est suprà magistrum ut admonet Christus Dominus, Et filius potest esse suprà patrem, ratione ordinis sacri, & characteris, in ordine ad disciplinam comparandam pro clericatu dignè exercendo, quæ quidem disciplina, non à correctione, aut percussione patris provenit, sed Magistri, qui ad hunc finem instituitur.

VI. Quamvis excommunicationem incurrat qui per injuriam, aut vim clericum detinet inclusum can. *Nuper* de sentent. excommunicat. tamen judex laïcus; quin sit tali pœna dignus, potest ligare, & capere clericum, quem videt ad alterius injuriam præparatum, ut illum suo consignet superiori. Sic Innocentius, Abbas, Barbosa, & alij. Eadem facultate uti potest idem judex laïcus monachum extrà claustra in fragranti delicto reperiens, non ut ipsum puniat, sed ut illum transmittat ad superiorem suum sine ignominia. Idem dicendum est de clerico; aut monacho debitore ob rem civilem, modò timeatur fuga: tunc enim parte adversa requirente, judex potest absque excommunicationis metu detinere clericum, & illum intrà diem ad superiorem transmittere, ut satisfaciat parti, aut creditori & debitum solvat.

VII. Hujusce particulæ *si quis* omnes utriusque sexûs personas comprehendit, atque dignitates, nisi per aliquam rationem legitimam excusentur. Undè meritò excluduntur nedùm amentes, & pueri, qui sunt incapaces malitiæ, ut jam monui suprà num. 1. sed etiam judæi, qui censuris non subsunt. Hæc autem particula *in clericum.* Quæ, est ejusdem canonis secunda, comprehendit omnes primâ initiatos tonsurâ dum habitum gestant clericalem can. *Cum contingat.* de ætat. & qualit. ordin. omnes religiosas personas utriusque sexûs in religione à sede Apostolica approbata degentes; etiamsi nondum professæ sint, ut statuit Bonifacius VIII. can. *Religioso* de sentent. excommunicat. in 6. quare eamdem censuram incurrunt violenter percutientes novitium, aut monialem sivè novitia, aut professa sit, quia vitam religiosam ducunt, & habitû religiosû deferunt novitij. Item cõprehendit Eremitas, sinon omnes, saltem eos, qui quamvis clerici non sint, subiiciuntur tamen alicui religioni approbatæ, & superiori alicujus monasterij. Sub isto quoque nomine *in clericum* comprehendũtur milites, atque hospitalarij Sancti Joannis, qui solemnia emittunt vota. Nec obstat ad incurrendam hanc censuram, quód clericus sit mortuus; irregularis, suspensus, interdictus, aut excommunicatus, vel incorrigibilis. Ratio hoc probans est. Quia semper dicitur clerici percussio; cùm per mortem, excommunicationem, aut irregularitatem, non cesset ligare iste canon *si quis suadente* nec amittatur debita statui clericali reverentia, quam omnes fideles debent illis, qui sunt de sorte Domini; modò ut tales cognoscantur. Idem dico de Clericis irregularibus; cùm per irregularitatem, suspensionem, interdictum, aut excommunicationem,

Clericus non amiserit nomen Clerici, nec privilegium Canonis *si quis suadente*. Secùs dicendum est de Clerico hæretico: iste enim hujus textûs beneficio privatur ob hæresim, sicut privatur alijs beneficiis, & dignitatibus juxtà constitutionem Pauli IV. quæ incipit *cum ex Apostolatûs*.

VIII. Religiosum professum percutiens eamdem pœnam incurrit, quamvis ipse Religiosus ab ordine expulsus, & ejectus fuerit, dummodò portet habitum; etiamsi nullo sit insignitus ordine. Quia adhuc est verè Religiosus quoad vota essentialia, ut in primo libro dictum est: nam hæc expulsio non irritat vota solemnia. Eamdem incurrunt pœnam, qui percutiunt moniales post professionem ejectas, cùm adhuc in ipsis subsistat votorum essentialium obligatio. Dixi *post professionem* quia si anteà ejiciantur, nihil de Religione retinent, undè à percussoribus incurri possit excommunicatio. Ita portel, & alij, quia sunt in statu in quo erant ante Religionis ingressum.

IX. Quamvis ex eodem Canone *si quis suadente* Episcopus non possit Clericorum, vel Monachorum percussores absolvere. Plures tamen Canonistæ numerant casus, in quibus prælati eos absolvere possunt; dum percussio est levis, qualis est ea, quæ fit absque ulla macula, aut laceratione, vel capillorum extractione, aut sanguinis effusione, modò nulla adsit agravans circunstantia, ut statuit Clemens III. Can. *pervenit*. de sentent. excommunicat. idem decrevit Gregorius VII. Can. *quoniam* de vita & honest. Clericor. ubi iste summus Pontifex præcipit Episcopis absolvere Clericos in communi societate viventes, si contingat quòd mutuò se percutiant, nisi aliud exigat facti attrocitas, ut addit Barbosa. Eodem absolvendi privilegio uti possunt prælati regulares, quandò inter Religiosos in Claustro conviventes, exortô jurgiô, dæmone sic suadente, alter alterum sivè mediocriter percussit. Ita decrevit Alexander III. can. *monachi* de sentent. excõmunicat. si verò contingat superiorem regularem non esse Sacerdotem, existimo quòd absolvi possunt ab Episcopo Diœcesano: quandò autem Superior subditum suum leviter percussit, potest eligere alium Sacerdotem sibi subditum, ut absolvat; aliàs Superiores essent deterioris conditionis, quam subditi; & essent indigni tanto favore, quòd est falsum. Si verò contingat in conventu esse tantùm Superiorem, & alium Religiosum Sacerdotem, mutuò se percutientes, certum est quòd non possunt se invicem absolvere, quidquid dicant nonnulli ob necessitatem, quæ non habet legem. Ratio nostra est. Quia excommunicatus non potest absolvere alium Can. *audivimus* 24. quæst. 1. nec potest delegare: ergo non possent se invicem absolvere, sed Superior teneretur recurrere ad Superiorem Provinciæ, aut alterius Conventus ejusdem ordinis, si ei possibile esset, & deindè absolvere subditum, & si talis recursus non sit possibilis, potest adire Episcopum pro absolutione obtinenda, quòd inferiori non licet, Superiore semel absoluto; qui cùm non sit impeditus, nec inferior sit sub jurisdictione Episcopi, ipse inferior debet à Superiore suo absolvi.

X. Dum percussio contingit inter diversorum ordinum regulares, non est necessè, quòd percussor ab utriusque Monasterij Superioribus absolvatur, sed sufficit proprij Superioris absolutio, præsente prælato percussi, ut injuriam condonet, & pœnam in satisfactionem deffiniat. Nec oppositum colligitur ex Can. *cum illorum* ut existimat Cabassutius lib. 5. cap. 2. num. 9. imò ibi Innocentius III. nostram definit sententiam cùm dicat *si verò claustralis aliquis in Religiosam personam alterius Claustri manus injecerit violentas, per abbatem proprium, & ejus qui passus est injuriam, absolvatur*. Hæc enim ultima particula non denotat ministrum absolventem, sed solùm condonantem injuriam sibi factam, ut tradunt Ostiensis, Abbas, & Barbosa. num. 82. alioquin duo simul absolverent, quòd est improbabile. Eodem capite statuitur Religiosum, qui graviter percussit clericum sæcularem, non posse à Superiore suo absolvi, nec ab Episcopo Diœcesano, sed à solo Papa; quamvis absolvi deberet ab Episcopo Clerici percussi, si Levis esset percussio Can. *Religioso* eod. tit. An verò Religiosus ille Clericum Leviter percutiens, possit etiam absolvi à suo prælato, inscio Episcopo? Respondeo negativè. Quia non obstantibus privilegiis regularium, Superioribus jurisdictionem quasi Episcopalem concedentibus, valet Innocentij III. constitutio. Quâ statuitur Religiosum, qui alium alterius Claustri percussit, non posse absolvi absente superiore percussi; nisi hujusmodi privilegia post prædictæ constitutionis editionem, concessa fuerint. Indè sequitur necessariò requiri

quiri

quiri in nostro casu Superioris, seu Episcopi Clerici percussi præsentia, si requiratur præsentia Superioris Religiosi, ab alio alterius ordinis Religioso percussi.

XI. An novitius, qui Leviter percussit Clericum antè Religionis ingressum, absolvi possit à prælato, regulari etiam inscio Episcopo? duæ sunt sententiæ. Bonacina de censur. disp. 2. quæst. 4. punct. 5. num. 5. Et Layman affirmant; sed displicet mihi hæc opinio: nam si Prælatus regularis suum non possit, inscio Episcopo, absolvere subditum, quomodò poterit absolvere novitium. Hic tamen obiter observa, hæc intelligenda esse secundum jus commune: nam secundum privilegia, prælati regulares habentes facultatem absolvendi subditos à casibus sedi Apostolicæ reservatis, possunt etiam absolvere eos, inscio Episcopo, quia privilegium posterius eximit à constitutione suprà memorata. Possunt etiam absolvere novitios; cùm in favorabilibus habeantur pro Religiosis. hanc sententiam defendunt Barbosa num. 84. & Reginaldus.

XII. Major difficultas est, an si antè professionem idem novitius exeat de Religione, teneatur sub pœna reincidentiæ se præsentari illi; à quo absolvi poterat ante Religionis ingressum? plures negant. Quia volunt novitium fuisse absolutum, nullo habito respectu ad perseverentiam. Altera tamen pars videtur mihi probabilior, & tutior ex Can. *eos qui* de sentent. excommunicat. in 6. Quia absolutus fuit ob impedimentum, scilicèt quia novitius præsumitur velle vivere in Religione: sicut de existente in articulo mortis præsumitur mors; igitur cessante impedimento, id est susceptione habitûs, debet se præsentare Superiori, sicut dum cessat periculum mortis, iste tenetur se præsentare Confessario, qui valeat ipsum absolvere à casibus reservatis. Parum obstat dicere, quod talis exitus non fuit volitus in ingressu Religionis: sufficit enim quod eveniat, ut effectus suspendatur; aliàs existens in articulo mortis, non teneretur se præsentare dum sanus sit.

XIII. Ex Alexandro Papa III. Can. *super*. Et Gregorio IX. Can. *pueris*. de sentent. excommunicat. Episcopi possunt quoslibet impuberes absolvere ab excommunicatione, impubertatis tempore, incursa ex enormi, ac attroci clericorum percussione, licet tempore, quo absolvi desiderant, jam sint majores facti ætate: ratio pontificia est. Quia rigor juris est cum mansuetudine interpretandus, ob defectum ætatis in qua commissus fuit excessus. Sic sentiunt Doctores. Deindè in hac absolutione non est aspicienda ætas, aut conditio personæ absolvendæ, sed status delinquentis, est inspiciendus, non præsens, sed ille in quo deliquit.

XIV. Hactenus dicta, intelligenda sunt de percussione notoria, vel deducta, aut agitata in foro contentioso; cùm ex Tridentino, locorum ordinarij possint absolvere à censura, summo Pontifici reservata, modò delictum sit occultum; quin ipse excommunicatus ignotus, & occultus ullo tempore teneatur convenire Papam, aut legatum. Quia Episcopi habent hanc potestatem jure ordinario, ex eodem Concilio sess. 24. de reform. cap. 6. subinde possunt ipsam potestatem absolvendi à censuris Papæ reservatis delegare alteri (modo proveniant ex delicto occulto.) ut absolvat delegatus à censuris ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario, aut delicto ad forum contensiosum deducto. Hinc est, quód illi, qui ratione impedimenti fuerunt ab Episcopo, aut Sacerdote absoluti ab excommunicatione reservata Papæ, tenentur ad Papam, vel ad ipsius Legatum accedere, ipso impedimento cessante, sub pœna reincidentiæ in pristinam à qua fuerunt absoluti excommunicationem, ut statuit Bonifacius VIII. Can. *eos qui* de sentent. excommunicat. in 6. de hac reincidentiæ pœna pænitentem admonere debet confessarius, qui ratione impedimenti absolvit à reservatis, ut ad summum Pontificem, vel ad delegatum recurrat, pro absolutione obtinenda.

XV. Juxta communem doctorum sententiam; legitimum habent impedimentum, & à recursu ad summum Pontificem excusantur, non solùm mulieres cujuscumque ætatis, & conditionis sint. Can. *mulieres*; sed etiam illi, qui ire possunt, modo detineantur impotentia morali, quales sunt omnes animarum curam habentes, si timeant eas ob pastoris absentiam notabile accepturas damnum. Eodem gaudent privilegio pauperes. Can. *quod de his* eod. tit. valetudinarij, senes, & filij familias; Et alij similiter impediti. Tandem omnes qui habent impedimentum corporale, vel impedimentum Canonicum, vel habent beneficium juris, quales sunt clerici simul vi-

ventes, & alij, qui cùm nequeant adire Romam, possunt ab Episcopo absolvi ab excommunicatione, ex gravi Clericorum, aut monachorum percussione incursa. Alioquin Ecclesia de remedio non providisset, quòd est falsum, cum ipsa velit neminem perire, ut probat illa generalis potestas absolvendi in articulo mortis ab omnibus peccatis, simplicibus tradita Sacerdotibus, ne anima pereat. Personæ jam nominatæ detinentur impotentiâ, quæ si non excusat à censuris infligendis, aut incurrendis, nec à peccato, ut consideranti patet: nihilominus excusant à recursu de quo agitur, vel ratione decentiæ, vel infirmitatis corporalis, aut utilitatis publicæ, ideoque dispensantur, & valent absolvi ab Episcopo diœcesano.

CAPUT VI.

De furti Delicto.

I. DOctores furtum, sic deffiniunt, *occulta rei alienæ acceptio, Domino rationabiliter invito.* Ut distinguatur à rapina, aliisque injustis acceptationibus, quæ per iniquos contractus fiunt, Domino sciente. Qua propter furtum, & rapina specie distinguntur in ratione injuriæ, quia rapina includit violentiam, quæ fit Domino scienti, quam furtum prorsùs excludit. Dicitur *Domino rationabiliter invito*, ad denotandum non committi furtum ab eo, qui aliquid auffert, quandò Dominus est irrationabiliter invitus, ut contingit, dùm aliquid accipitur per modum justæ compensationis, vel per modum solutionis debiti, ex mutuo, aut labore provenientis. Uel accipitur ab aliquo existente in extrema necessitate, quâ accipiens à furto excusatur Can. *discipulos* de consecrat. dist. 5. Et Can. *si quis* de furtis. modò Dominus rei, in æquali necessitate non existat, nam in tali casu remaneret rationabiliter invitùs; quoniam in pari causâ. Melior est conditio possidentis.

II. Furtum rei alienæ, ex genere suo, est peccatum mortale, quia charitati repugnat. Nam per furtum homo infert nocumentum proximo in bonis suis, quòd vetat charitas, quæ secundariò consistit in dilectione proximi. Sed cùm in magnis, & paruis committi possit. Can. *fur autem*. 14. quæst. 6. interdum fit veniale, ex parvitate materiæ. Quænam autem sit illa quantitas ad mortale requisita certò determinari minimè potest; ideoque viri prudentis arbitrio relinquendum est hoc pondus, attentis locorum, & personarum circunstantiis: nam quod in uno loco, aut respectu unius personæ videtur paruum, notabile sæpè censetur respectu alterius; redditur igitur mortale dum ex rei ablatione, notabile damnum infertur Domino. Unde qui furatur rem in se parvam, ut acum satori, sciens alteram non habere, & ex ejus ablatione magnum sequi ipsi satori damnum, peccat mortaliter. Et non peccaret si alicui diviti furaretur illam. Quia nullum inferret ei damnum, nullumque incommodum.

III. Non desunt volentes fieri mortale, dum furanti maximum affert commodum, quod nullus debet sibi tribuere, aut procurare de bono alieno, invito Domino. Huic sententiæ lubens subscribo. Quia videtur mihi probabilior: nam auferre quatuor nummos aureos à principe, non est illi magnum damnum inferre; sed quia hæc quantitas magnum commodum afferret plebejo, invito Domino, seu principe, mortaliter peccaret plebejus, si furaretur illos quatuor nummos aureos; ut facilè infertur ex decreto Innocentij; quâ hæc propositio (*non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quamtumcumque sit magna summa totalis*) damnatur. Ex opinione contraria, duo sequerentur absurda. Primò principem posse à subditis suis spoliari; quin ipsi subditi furtum committerent, ut v. g. si quilibet subditus ei duos aureos subriperet. Secundò non peccare mortaliter, à singulis acum unam auferentem usque ad notabilem quantitatem, quâ dives esse posset. Quòd est in communi sententia falsum: ut patet in mercatoribus, qui à peccato mortali non excusantur, dum falsis ponderibus, ac mensuris exiguum quid, singulis emptoribus subripiunt, ut paulatim ditescant, juxta illud proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et Deuter. 25. vers. 13. *non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor, pondus habebis justum, & verum &c.* igitur furti mortalis quantitas ex duplici capite ponderanda est, scilicet ex commo-

do furantis, & ex damno illius, a quo res aufertur. Ratio est, quia non licet inferre damnum proximo, nec de ipsius bonis, eo rationabiliter invito, se accommodare.

IV. Quamvis supra dictum sit, furtum in extrema necessitate excusari à peccato; observandum tamen est, hoc non esse verum, nisi fur priùs petierit adjuvari, & convenienti modo manifestaverit suam miseriam. Et si ei denegatum fuerit auxilium, vel certò sciat non esse ei præstandum, tunc existens in extrema necessitate, poterit authoritate propria, aliena usurpare propter necessitatem; quia tunc Dominus non censetur invitus; & si talis sit, irrationabilis est (supposito ut supra num. 1. quòd non sit in æquali necessitate) cùm ea teneatur dare indigenti: peccaret enim dives, quia ex extrema necessitate, bona sunt communia. Can. *dilectissimis* 12. quæst. 2. Etenim indigens non accipit rem alienam, sed communem, ad quam habet jus ratione necessitatis extremæ, ut inferre licet Divo Ambrosio relato in dist. 47. ubi ait *esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis*. An verò eodem jure potiatur existens in urgenti necessitate, dum aliter sibi consulere non potest? duplex est sententia. Cajetanus, Covarruvias, & alij negant. Præcipuum eorum fundamentum est, authoritas Canonis *si quis* de furtis, quâ furanti quamvis indigenti injungitur aliqua pœna; mihi magis tamen placet opposita opinio: nam prædictus Canon non loquitur de necessitate gravi, & urgenti, sed de modica, ut monent glossa, & Divus Thomas quæst. 66. art. 7. ad primum. Quæquidem necessitas non tribuit jus accipiendi rem alienam.

V. Ventilatur quæstio, utrum qui accepit rem in extrema, aut urgenti necessite, teneatur posteà restituere, si ad pinguiorem fortunam venerit? affirmant Navarrus in manual. cap. 17. num. 61. & Covarruvias. 2. p. variar. §. 1. num. 4. Sed huic sententiæ præferenda est opposita, ita Doctor subtilis in 4. dist. 15. quæst. 1. illud enim, quod jure naturali, licitè ablatum est, factum est proprium, & consequenter tutâ conscientiâ retineri potest, absque obligatione restituendi, cum non sit res furata, nec accepta Domino rationabiliter invito, quia Dominus ipse erat in obligatione dandi eam; alioquin præceptum de eleemosina numquam obligaret. Nihilominus his distinctionem addo, quæ est hæc. Si quandò accepit rem illam, nihil omninò habebat, ut sibi consulere posset, non tenetur restituere rem acceptam, quia tunc erat absolutè, & absque ulla conditione in suo jure. At si quandò accepit rem illam, habebat aliquid, de quo sibi tamen consulere non poterat, ratione alicujus accidentis ei prohibentis usum rerum suarum, tenetur restituere, quia licitum fuit illi rem accipere sub tali conditione tantum, scilicet ob propriorum bonorum privationem, quâ sublatâ, resurgit restituendi obligatio. Præterea Dominus, à quo res fuit ablata, non tenebatur tunc dare indigenti, quia non erat absolutè indigens nec pauper; sed mutuare, & consequenter, qui sic rem accepit, tenetur eam restituere, dum ad propriam bonorum possessionem venerit.

VI. Filius notabilem pecuniam auferens à patre, eo rationabiliter invito, peccat mortaliter, ut probat illud proverb. 28. vers. 24. *Qui substrahit aliquid à patre suo, & à matre, dicit hoc non esse peccatum particeps homicida est*. (Dixi notabilem pecuniam; quia ad furtum grave domesticorum, major requiritur quantitas, quàm ad furtum exterorum: nam pater familias non est ita facilè invitus respectu illorum, nec ita strictè jus suum vult retinere adversus ipsos domesticos, sicut adversus alios) ideoque filius tenetur eam restituere patri, si adhuc in vivis sit. Et si mortuus, aliosque habeat filios, eam in divisionem conferre cum alijs fratribus; à restitutione tamen excusatur, si certò præsumat, patrem non esse invitum, nisi quoad modum clam accipiendi; tunc enim pater non est invitus, circà substantiam acceptionis; sed solùm circà modum: qui non est subjectum restitutionis. Excusatur etiam ab obligatione restituendi fratribus suis post mortem patris, si constet ipsi, alios fratres, æqualem subripuisse pecuniam, patre adhuc vivente; cùm de bonis fratrum suorum, tunc nihil retineat, ipsis rationabiliter invitis.

VII. Peccat etiam filius familias, qui in pravos usus expendit pecunias sibi à patre concessas, cum determinatione scilicet, ad emendos libros, vestes, &c. Quia pater non transfert dominium pecuniæ suæ; nisi in hujusmodi res determinatas. Et consequenter dum à filio transfertur ad

res pravas, dominium transfertur invito patre, & ipse pater ad novas cogitur expensas, vel decipitur à filio, qui tenetur executioni demandare intentionem patris; si verò patris sui negotia gerat, potest deductis expensis, quas pater facit in alendo illo, accipere sine obligatione restituendi, id quod daretur extraneo pro suo labore, & industria; nisi intendat facere gratis, & ob amorem patris, aut obstet consuetudo; ad hoc tamen necesse est, ut filius ostendat patri expressè, se velle locum extranei tenere, & lucrari; alioquin abuteretur bona fide patris sui. Undè si post admonitionem, pater permittat filium sua gerere negotia, reputatur velle, & approbare mentem filij; necesse quoque est, ut constet filio, patrem non facturum per se, nec inventurum alium, qui gratis, vel cum minori stipendio faciat id, quod facit filius. Tunc enim bona acquisita à filio, non sunt omnibus, & singulis fratribus communia; sed sunt fructus suæ industriæ; in qua alij fratres nullam habent partem. Idem potest etiamsi nullum fuerit in negotio lucrum, quoniam in hoc casu, filius potest se considerare tamquam servum præmiò dignum; cùm apud patrem, ipso patre sciente, talem conditionem acceperit. Advertendum tamen est, quòd non potest istius lucri usu fructum sibi vindicare, id est nequit se hujus lucri constituere usu fructuariū ante mortem patris, vel antequam ab ipso emancipetur: quia pertinet ad patrem, cùm bonum adventitium censeatur, & si præmoriatur, potest dominium directum talis lucri relinquere alteri, non tamen fructum illius usu, nisi pro tempore, quo pater è vivis excesserit.

VIII. Uxor non potest invito marito, accipere partem illorum bonorum, quorum dominium, & administratio sunt apud maritum: quoniam contrà justitiam privaret eum administratione rerum, quæ ex justitiâ competunt illi. Id circò peccat, & tenetur ad restitutionem, cùm non possit sine consensu mariti, etiam dotis suæ fructus distrahere; quamvis dos quoad dominium directum, sit in propriis bonis uxoris: non enim uxor ipsa, sed maritus habet usum in fructùs dotis can. *quod de Deo.* 33. quæst. 5. Ubi conjugatæ dicitur. *Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio ejus.* (Seu mariti) *facere debuisti.* Ratio glossæ verbo *hunc est.* Quia honestū est quòd uxor committat res suas, cui commisit corpus, & quòd bona ipsius, sint membra ejus, cujus ipsa uxor est membrum, utpotè viri, qui ex Apostolo, est caput mulieris. Hic obiter observa maritum peccare etiam contrà justitiam, cum obligatione restituendi, si aliquod bonum notabile subripiat uxori, ipsâ invitâ, quia ad ipsam pertinet, quoad dominium directum.

IX. In aliquibus autem casibus, uxor non peccat mortaliter, aliquid accipiendo, marito ignorante. 1. Dum res sublata non est notabilis quantitatis, & ad honestam recreationem, vel ad eleemosinas moderatas, juxtà suum statum accipitur, vel ad sibi, aut familiæ necessaria pro victu, vestitu, &c. Alioquin nimis coarctaretur potestas uxoris, & esset potiùs viri famula quàm socia. 2. dum aliquod mariti damnum temporale, vel spirituale, vitare necesse est; cùm teneatur auxilium præstare marito, etiam de bonis ipsius, cùm præsumendum sit, maritum velle proprijs bonis adjuvari. 3. Si de superfluis det pauperibus in extrema, vel gravi necessitate existentibus; cùm enim ad id teneretur maritus, irrationabiliter esset invitus, si id prohiberet. 4. Dum accipit ad sublevandas graves parentum, aut filiorum ex alio matrimonio susceptorum, miserias; quia tunc potest uxor tutâ conscientiâ, si paraphernalibus careat, sumere de fructibus dotis suæ, etiam contrà mariti voluntatem: modò ipse maritus non sit in æquali necessitate, quia uxor tenetur præferre maritum, filiis, & parentibus; ita tamen ut post illius mortem teneatur, quòd sic distraxerit in suam partem conferre; cùm id, quod maritus non habet, non possit reassumere uxor. Eadem ratione existimo, uxorem, quæ ante matrimonium aliquid furata fuerit, posse de fructibus dotis suæ, aut ex bonis paraphernalibus, vel de operibus manuum suarum sumere, ut restituat bonum, quod furata erat ante matrimonium. Tum quia hæc rei ablatæ restitutio, necessarió tendit ad bonum spirituale, in cujus assecutione non potest à marito prohiberi. Tum quia contraxit matrimonium cum tali obligatione restituendi de bonis proprijs, ad quæ, quatenus respiciunt bonum furatum restituendum, maritus nullum jus acquisivit. cùm ex regulis jur. cap. *Nemo potest.* Nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habet. Igitur uxor

remanet adstricta obligatione restituendi, de quâ liberata non fuit per matrimonium; illud enim Sacramentum non delet per se peccata mortalia, nec dispensat in obligatione restituendi bona aliena, injustè detenta. Undè si maritus recusat restituere, vel si ipsa uxor certò præsumat, maritum restitutionem recusaturum, vel aliud malum ex cognitione restitutionis faciendæ eventurum, potest inscio marito de fructibus dotis suæ, vel de operibus manuum restituere. Quia priùs fuit obligata restitutioni, quàm merito, qui non potest esse Dominus nec detentor rei alienæ, invito Domino.

X. Datur tandem alter casus, in quo uxor potest aliquid accipere, marito ignorante, nimirum si vir incidat in amentiam, aut si sit prodigus, dissipet bona cum meretricibus, in ludo, &c. Quia in amentia viri, absoluta domûs administratio devoluitur ad uxorem; nisi authoritate judicis alter nominetur administrator. Devolvitur etiam ad eamdem in dissipatione bonorum temporalium: nam uxor tenetur filiis, sibique consulere; sicque non peccat, si aliquid accipiat, etiam invito marito, nè ipse maritus omnia bona dissipet. Imò uxor in tali casu ad hoc tenetur, quia tunc bonorum administrationem usurpare fidelem, est actus prudentiæ, & opus charitatis, quâ tenemur proximo succurrere, & à malis liberare eum, & cura quam uxor tenetur habere juxta. Illud Pauli ad Timoth. cap. 5. vers. 8. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

XI. Famulus peccat mortaliter, peccato furti, auferendo aliquid à Domino suo, vel minus loborando, quàm ex pacto laborare tenetur; in hoc enim reperitur deffinitio furti. Nec potest aliquid accipere in compensationem, suprà stipendia promissa, dum alia officia præter ea, de quibus conventum fuit, præstavit, nisi declaraverit, vel dixerit, se nolle ea gratis superaddere, ipse Dominus ea solvere recusaverit. Peccat etiam mortaliter furando Cibarià ultra cibum sibi necessarium. Ratiô liquet: talis quidem excessus est superfluus, & invito Domino acceptus, & ipsi famulo omninò indebitus, cùm sit ultrà necessitatem, & sustentationem ipsius.

CAPUT VII.

De natura usuræ, usurariorumque Pœnis.

I. USura sic deffinitur, *lucrum ex mutuo immediatè proveniens.* Nomine lucri intelligitur, omne id, quod est pretio estimabile. Et suadetur usurarium esse nedùm pecuniam ex pecunia mutuata accipere, sed etiam granum, vinum, & similia, quæ pretio æstimantur. Additur *ex mutuo.* Quia si lucrum aliundè proveniat, usura minimè dici potest, sicque vendens aliquid ultrà justum pretium, potiùs fur, & latro dicendus est, quàm usurarius: hæc autem particula *immediatè proveniens.* Apponitur, ut ab usura eximatur lucrum ex damno emergente, lucro cessante, vel probabili periculo acquisitum: nam si lucrum ex contractu mutui immediatè non proveniat, id est ex vi pacti mutuationis, aut solius temporis dilatione, sed ex pura amicitia, gratitudine, aut venditione, vel ex aliquo damno emergente, aut lucro cessante, non est usura, cùm non habeatur ex vi mutui, nec ex mutuo, ut mutuum est; sed ex alio titulo, quo licitum est aliquid ultrà sortem recipere, ut ex dictis evidenter colligitur. Is qui mutuum dat, mutuans, aut mutuator dicitur, is verò qui accipit mutuum, dicitur mutuarius, & res mutuata, sors principalis appellatur, ut monet divus Ambrosius in lib. de Tobia cap. 14. Citatus in can. *Plerique* 14. quæst. 3. Ubi ille Sanctus Doctor ait *& esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accidit usura est; quod vellis ei nomen imponas, usura est.* Ex illo canone infertur veritas eorum, quæ diximus, scilicet omne lucrum immediatè ex mutuo proveniens, etiamsi in pecunia non consistat, esse usurarium. Ad hoc enim sufficit quòd sit lucrum proveniens immediatè ex mutuo, seu nullo mediante titulo, ut colligitur etiam ex illo Deuter. 23. vers. 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Idem ex can. *usura.* 14. quæst. 3. ubi legitur *usura est, ubi amplius requiritur, quàm datur v. g. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris, vel dederis frumenti modicum unum, & super aliquid exegeris.*

Quia mutuum debet esse gratuitum juxta illud luc. 6. v. 35. *Mutuum date nihil indè sperantes, & erit merces vestra multa.* Nec valet dicere hoc esse consilium tantùm. Quia est sicut dilectio inimicorum, ut constat ex verbis immediatè præcedentibus *diligente inimicos vestros, bene facite, mutuum date, &c.* Id circò est præceptum sicut dilectio inimicorum.

II. Usura assignatur solitò duplex, mentalis scilicet, & realis, seu interior, & exterior. Mentalis est, cùm quis intentionem habet recipiendi aliquid ultrà sortem, immediatè ex mutuo; quamvis id exterius pacto non exprimat. Realis autem est, quandò talis intentio recipiendi aliquid ultrà sortem exprimitur exteriùs, utpotè per pactum. Hoc dupliciter exprimi potest, implicitè scilicet: & explicitè: in primo casu est, dùm mutuans prætendit alium contractum, nimirum emptionis, & locationis; & tamen verum init mutui contractum, ut lucrum recipiat, vel dùm fingit se pecuniam ad manus non habere ad mutuandum, ut indè ostendat se non posse sine damno mutuare. In secundo autem casu, est dum mutuans expresse petit lucrum ex mutuo immediatè, seu dicit nolo pecuniam meam mutuo dare, nisi cum lucro, & tunc usura dicitur expressa, & formalis.

III. Inter peccata gravia locum tenet usura, cùm sit contrà jus naturale, & positivum, tam humanum, quàm divinum. Est contrà jus naturale, quia in quolibet contractu, justitia commutativa præcipit æqualitatem esse servandam inter datum, & acceptum. Sed qui, in mutuo aliquid accipit ultrà sortem præcisè ex vi mutui, non servat hujusmodi æqualitatem; cùm acquirat aliquid quod non dedit, videlicet lucrum ex re non amplius sua: res enim mutuata transit in dominium mutuarij, usque ad tempus præfixum; alioquin ipsa pereunte, non periret mutuario, nec ipse mutuarius teneretur eam reddere mutuanti, elapso eodem tempore præfixo; Quòd falsum est: quare mutuarius tempore præfixo tenetur reddere tantùm id, quod accepit; hinc est, mutuantem nullam posse ex pecunia mutuata recipere lucrum. Idcirco usura est contrà jus naturale, & consequenter prohibita omnibus hominibus; cum præceptis naturæ subjiciantur omnes gentes. Est etiam contrà divinum: Deus enim in scripturis passim usuras damnat, exod. 22. vers. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Levit 25. vers. 34. & 36. deuter 23, vers. 19. psal. 14. vers. 6. ubi inter alia requisita, ut quis vitam consequatur æternam, unum est necessarium: nimirum quod pecuniam suam non dederit ad usuram. Idem habetur in Novo Testamento. Lucæ 6. *mutuum date, nihil indè sperantes*, ut jam dixi.

IV An verò jure canonico prohibeatur usura? nullus est ambigendi locus, ut constat in titulo de usuris, & in conciliis nicæno can. 18. lateranensi can. 69. Et viennensi quibus subscripsere Sancti Patres. Idem in Clementina *ex grave* de usuris, ubi sic legitur *si quis in ullum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum; decernimus velut hæreticum esse puniendum.* Nec obstat dicere Deum in veteri testamento permisisse usuras populo Israëlitico. deuter 23. vers. 19. & 20. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, &c.* Quia Deus id non permisit ad exercendam usuram, ita ut licitum esset populo Israëlitico aliquid ultrà sortem, ab alienis recipere immediatè ex mutuo; sed solùm ad compensationem faciendam cum gentibus, quæ res hæbreorum retinebant, ut monet D. Ambrosius lib. de Tobia cap. 15. citatus in can. *ab illo* 14. quæst. 4. in eo quidem capite bona inimicorum, fuerunt à Deo ipsis judæis concessa, ob talem compensationem faciendam: ac proindè hac de causa potuerunt lucrum illud ex mutuo justè exigere à gentibus; nam ait ille Sanctus Doctor *Fratribus non fœnerabis ad usuram, sed ab alienigena exiges, quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis.* Et addit. *Ab eo usuram exige, qui meritò nocere desideras.* Et posteà concludit *ergo ubi jus belli, ibi & jus usuræ.*

V. Minùs obstant leges civiles, quæ olim usuras permittebant ad certam summam redactas, & ad illas exigendas actionem dabant, tam circà fruges, quàm circà pecuniam numeratam. Non obstant inquam, tum quia erant velut reliquiæ nuperi Paganismi, ut observat Cabassutius. Tum quia abrogatæ fuerunt in Concilio Viennensi, & in concilio Eliberino can. 20. celebrato sub Marcello Papa I. Per

Episcopos 19. clericis simul, & laïcis fœnora vetantibus, veluti contraria juri divino, & naturali. Ideoque generalis regula est, quod omne pactum, vel gravamen, sivè onus additum mutuo, præter id quòd ei proprium, & intrinsecum est, reddit contractum usurarium, & illicitum, ut advertit Mastrius, nisi indè onus, vel damnum, seu gravamen ipsi mutuanti evenire debeat: tunc enim habet jus refundendi illud in mutuarium, qui cùm beneficium, vel commodum mutuo velit, debet etiam velle incommodum, quod ex ipso mutuo nascitur, quodque à mutuante, vel à mutuario suscipi debet, sed potiùs ab isto, quàm ab illo: nam ex verbis lucæ *mutuum date nihil inde sperantes*, licet inferre mutuantem non debere ex mutuo sperare lucrum, nec damnum.

VI. Plures addunt licitum esse recipere lucrum ex mutuo, non pro ipsa re mutuata, sed pro usu illius, quo gaudet mutuarius. Quia est pretio æstimabilis, sicut usus domus locatæ; cùm ad ipsius mutuarij bonum tendat, sicut habitatio domus locatæ. Vel pro intervallo temporis, pro quo mutuans privavit se dominio, & usu pecuniæ. sed improbanda est prorsùs hæc speculatio; quia in mutuo, usus rei mutuatæ datur mutuario, simul cum dominio, pro aliquo tempore, ut suprà ostensum est. Quod in domo, aut alia re locata non contingit; cùm rei locatæ dominium maneat apud locatorem: undè cùm non liceat recipere aliquid de re aliena, aut ad alium dominum pertinente pro aliquo tempore, mutuans nequit aliquid recipere ex usu pecuniæ mutuatæ, nec ex tempore. Quoniam usus rei, & tempus non sunt in dominio ipsius mutuantis: ergo nihil indè recipere potest: deindè si hæc ratio valeret, nulla esset usura; quia qui mutuo dat pecuniam, ipsâ pecuniâ se privat, & dat usum ejus; Quod est falsum, quia datur peccatum usuræ. Vidi alios usurarios se in tuto autumantes, eo quod aliquid ultra sortem accipiendo, nullam mutuario faciunt injuriam, quia voluntariè tradit ex mutuo lucrum. Indè concludunt acquisitionem lucri non esse usurariam. Tales usurarios moneo ut attendāt mutuarium sæpè lucrum illud ultrà sortem solvere, sicut mercatores in mare projiciunt merces tempore periculi, & tempestatis, & indè videbunt mutuarium solvere lucrum illud, ultrà sortem involuntariè, & se ipsos deceptos falsis prætextibus, quibus suas obvelant usuras, ad excusandas excusationes in peccatis. Caveant insuper ne exigent illud lucrum à mutuario, aut sperent illud ex vi mutui. Et hoc sufficit ad usuram; quamvis lucrum detur eis voluntariè, ut ex dictis colligitur: tandem dato, & non concesso, quòd mutuarius det lucrum voluntariè, per hoc mutuans non excusatur: etenim ad peccatum usuræ sufficit, quòd lucrum detur ob mutuum.

VII. Usurarium teneri ad restitutionem rei, per usuram acquisitæ, & ad id cogendum esse, nemo dubitet; etiamsi accipiendo eam juraverit se non repetiturum can. *Tua* de usur. ubi Alexander III. Vult hæredem usurarij filium, vel extraneum esse compellendum ad restitutionem usurarum per defunctum extortarum: difficultas solùm est de rebus, quæ per rem usurariam acquiruntur; scilicet de fructibus ipsius rei. Respondeo tamen affirmativè. Nam ille qui (v.g.) domum, vel agrum per usuram acquisivit, aut ex pecunia usuraria emit, ex quibus aliquos percepit fructus, tenetur restituere, non solùm domum, aut augrum; sed etiam fructus perceptos de domo, aut agro, deductis tamen expensis, & labore usurarij industriæ correspondentibus. Si verò non sit fructus proprius rei per usuram acquisitæ, sed fructus industriæ ipsius usurarij (v. g.) si usurarius aliquid in negotio justè lucratus fuerit ex pecunia usuraria, non tenetur restituere fructus, sed solùm pecuniam per usuram acquisitam. Ratio est. Quia in primo casu, usurarius retinendo fructus, rem quoque retinet alienam; cùm fructus arborem sequatur, & arbor non sit sua. At in secundo, retinendo fructus, non retinet rem alienam. quia industria, quæ est causa fructus, est sua: in isto enim casu, pecunia considerari potest velut instrumentum fructûs acquisiti, quo usurarius potest licitè uti, quāvis illud illicitè habuerit, quin effectus pertineant ad illū, ad quem pertinet instrumentum. At in primo, pecunia usuraria est causa principalis, quam effectum sequitur.

VIII. Insuper tenetur usurarius restituere damnum emergens, & lucrum cessans quæ patitur mutuarius, eo quod usuram solverit. Quia usurarius est causa damnorum, & cessationis lucri, retinendo usuram, sicut latro est causa damni ex furto provenientis; cùm usurarius sit latro. can. *Si quis usuram*. Rapina enim sumitur

pro qualibet injusta usurpatione can. *meretrices* 32. quæst. 4. Quia dominium rei per usuram acceptæ, non transfertur in mutuantem, ut monet glossa *ibidem*. Eadem restituendi obligatione astringuntur notarij scienter conficientes instrumenta, quorum virtute, usurarius potest mutuarium compellere ad solvendas usuras, ut declarat Concilium Ravennense 5. sub Joanne 22. can. 15. teste eminentissimo Cardinali nostro Brancato in Epitom. canonum verbo *Notarius* usurariorũ pœnis notarios subjiciens. Item Clemens V. in Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina *de usuris* ubi ille summus Pontifex declarat excommunicatos usurariorum instrumenta conficientes. Idem dicendum est de alijs, qui opere, vel consilio ad usuras, & usurariorum lucra concurrunt, qui sunt causa, aut saltèm concausa ejusdem delicti.

IX. Usurario non sufficit per testamentum relinquere, ut restituantur usuræ, ad hoc ut communionem recipiat, & Ecclesiasticam obtineat sepulturã, quibus ipso jure privatur, si sit publicus can. *Quia in omnibus*, de usuris. Sed debet restitutio in re priùs esse facta, ut habetur ex cap. *Quamquam*. De usuris in 6. ubi Gregorius X. Excommunicationis gladio ferit Religiosos, & alios, qui sepulturam Ecclesiasticam tradunt usurarijs publicis. Idem habetur in Concilio lateranensi sub Alexandro III. ut constat ex cap. 3. de usuris. Hanc pœnam incurrunt etiam omnes illi, qui usurariorum corpora in loco sepulturæ collocant, ut observat Bassæus. Attamen per hanc pœnam, quâ Ecclesia punit usurarios, usurarij hæres non eximitur ab obligatione restituendi bonum usurarium, quod ei reliquit testator, cum certò sciat quòd retinet bonum alienum: nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet cap. *Nemo habet* de regulis juris in 6. undè cùm testator non habeat jus retinendi illud bonum, nec hæres potest habere illud.

X. Usurarij publici plectuntur etiam pœna infamiæ, quæ remanet peractâ pœnitentiâ, & facta restitutione, ut notat Salas de usuris. dist. 47. num. 1. privandi sunt absolutione Sacramentali, donec re ipsa satisfecerint, vel idoneam cautionem dederint, si satisfacere non valeant. Testamentum, condicillius, & omnia alia quæ publici usurarij ultimam exprimunt voluntatem, sunt irrita can. *Quamquam* de usur in 6. Si verò contingat usurarium ante mortem non fuisse notum, testamentum ejus est validum, etiamsi post mortem damnetur de crimine usuræ quia confirmatum fuit per mortem priusquam adesset impedimentum canonicum, scilicet notorietas. Aliæ pœnæ usurarijs destinatæ, videri possunt apud silvestrum, & alios canonistas, hanc materiam fusiùs pertractantes.

XI. Nec judæis licet usuras exercere, cùm jus naturale tam hebræis, quàm christianis eas prohibeat, nam usura non est mala, quia prohibita, sed est prohibita, quia mala est. Ideoque christiani tenentur sub pœna excommunicationis abstinere se à commerciis cum judæis, qui in negotio, & mutuo, vel cambio usuras committunt; quamvis ipsimet christiani nihil de judæorum usura accipiant, nec usuras exerceant: sed quia fænerandi occasionem præbent, & principes sub quorum potestate sunt ipsi judæi usurarij, debent eos punire, ut à tali commercio infami desistant; cùm Reges terræ gladium Dei portent, etiam pro deffensione legis naturalis, quæ usuras vetat; & licet nullus puniri debeat nisi convictus fuerit can. *Quæsivisti* de Accu. Usura tamen indiciis & conjecturis probatur, quia usurarij tam oculté, & fraudulenter suos ineunt contractus, ut de pravitate fænoris, vix convinci possint. Ideoque nulla inquirenda est facti evidentia, sed sufficere debent indicia, & conjecturæ.

XII. Dum quis petit à judice, ut sibi restituantur usuræ, quas ab eo alius extorsit, si ipse restitutionem postulans habeat pecuniam usurariam, non debet audiri, nisi priùs restituerit eas, quas ab alijs accepit, nec ei restitui debent usuræ. Quia qui peccat contra legem, frustrà invocat legis auxilium. Et consequenter exigere nequit nec petere, ut ex vi ejusdem legis, fiat ei restitutio ab alijs usurarijs. Hic obiter observat confessarium, qui in tribunali audit usurarium v. g. Petrum, qui confitetur se accepisse usuras à Paulo, & videt quòd habet voluntatem retinendi eas, quia scit quòd Paulus accepit usuras à Joanne, & habet intentionẽ eas retinendi, non posse Petrum excusare à restitutione; quia per delictum Pauli, Petrus non excusatur in foro conscientiæ. Nec confessarius est judex Pauli, ut possit Petri restitutionem differre, donec Paulus Joanni suas restituerit

fuerit usuras: ergo non debet Petrum absolvere nisi post restitutionem, nulla consideratione habita de usura Pauli, cujus confessionem non audit. Si verò contingat ipsum pœnitentem scilicet Petrum, à duobus usuras accepisse, & esse in potestate restituendi usuras uni dumtaxat, confessarius non tenetur considerare ordinem prioris, vel posterioris, ut restitutio fiat. Ita ut prior debeat præferri posteriori in restitutione acceptanda, sed qualitatem, & rem restituendam, seu usuras reddere pauperiori. Quia usurarius à majori injuria priùs est removendus. Major autèm injuria fit retinendo rem pauperioris, quàm ditioris: ergo hæc restitutio usuræ debet fieri mutuario pauperiori.

XIII. Nulli licet retinere pecuniam ab usurario acceptam, etiam sub titulo gratuitæ donationis, si posteà advertat usurarium fieri impotentem ad restituendum, & solvendum. Tunc enim hæc pecunia data, non habet propriè rationem doni, quod fit de bono proprio, sicut venditio. Itaque qui pecuniam recepit ab usurario, est sicut ille, qui emit aliquid à fure, qui tenetur rem furatam reddere Domino, quandò advertit rem fuisse furatam, & Dominum noscit. Res usuraria non minus pro Domino suo clamat, quàm res furata; cùm usurarius sit fur, & latro, ut constat ex varijs textibus juris canonici. Pariter & ex diffinitione tradita in concilio Agatensi can. 8. *usura est ubi amplius requiritur quàm datur, verbi gratia si dederis solidos decem, & amplius quæsieris*: nam solidos quos mutuans accipit retro decem non mutuantis, sed mutuarij sunt. Igitur huic, non autem illi, sunt reddendi, nec possunt ab alio licitè possideri, nec dari. Quoniam sunt bonum alienum respectu uniuscujusque.

CAPUT VIII.

De mutuo.

I. MUtuum sic deffinitur, *contractus quo quis alteri rem suam tradit numero pendere, vel mensurâ constantem, ut statim fiat accipientis, cum obligatione ut simili specie, & bonitate restituatur.* Hac deffinitione præcipitur, ex mutuo nihil ultrà sortem esse sperandum. Idem docet D. Augustinus in psal. 36. advers. 26. relatus in primo canone Caus. 14. quæst. 3. ubi ait *Si fœneraveris homini, id est, si mutuo pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plusquam dedisti expectes, accipere non pecuniam solam. Sed aliquid plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sivé oleum, sive quodlibet: si plusquam dedisti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus non laudandus.* Igitur mutuum in solius recipientis gratiam contractum, debet esse gratuitum, seu sine spe futuri lucri, non solum juxta D. Augustini Doctrinam; sed etiam juxtà Evangelium Christi Lucæ 6. *Mutuum daté nihil indé sperantes.* His addi potest ratio. Nam nullus mutuo pecuniam petit, nisi ipsa indigeat, & ut miseriæ suæ subveniat. Undè cùm justum sit succurrere indigenti, nullum ex illo beneficio sperandum est lucrum à mutuario, sed solum à Deo, qui dat omnibus, & non improperat. Nam dives, qui mutuum dat, si indè aliquod lucrum speret, seu plusquàm dedit: vult quod mutuarius solvat beneficium mutui. At hoc non est mutuum, sed locatio, & contra naturam beneficij. Nec est indigentis miseriæ subvenire, sed divitias suas augere, de bonis mutuarij.

II. Ad substantiam contractûs mutui, quatuor requiruntur conditiones speciales. 1. necesse est quód materia illius sit res usu consumptibilis, ut colligitur ex L. *mutuum.* ff. *si certa petatur.* Ut vinum, oleum, frumentum &c. non obstat dicere pecuniam, quæ usu non petit, esse mutuabilem. Quia pecunia inter res usu consumptibiles numeratur, cùm ejus distractio, seu expensio censeatur consumptio, atque usus. 2. Quod res mutuata ita in dominium mutuarij transferatur, ut mutuarium non obliget ad reddendam eamdem numero rem. Quia ex lege citata, dicitur mutuum, Quia de meo tuum: sufficit enim ei reddere aliquid æquivalens, vel simile quoad speciem, seu vinum pro vino, pecuniam pro pecunia &c. alioquin talis contractus potiùs esset commodatum, vel permutatio, aut depositum. 3. Quód inter redditionem rei mutuatæ, & traditionem ejusdem, aliquod intercedat tempus. Quod si assignatum fuerit explicitè, vel implicitè, tunc erit obligatio solvendi, secùs autem solvendum est mutuum, dum mutuans petit il-

lud. 4. tandem necesse est, quòd in justo mutuo ista servetur æqualitas simpliciter in numero, pondere, & mensura rei mutuatæ, ut nihil reddatur suprà sortem. Ratio est inquit Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. Quia mutuans transfert dominium rei mutuatæ, in mutuarium; ideoque qui mutuo concedit, non manet Dominus rei mutuatæ, v.g. Pecuniæ. Hinc est, quòd si mutuarius reddat aliquid suprà sortem, reddit suum, & mutuans recipit aliquid quòd non debetur illi ex justitia, sicque usurarius est. Quia recipit lucrum ex mutuo immediatè proveniens, cùm recipiat plusquàm dedit, & recipiat fructum rei, quæ erat alterius, seu mutuarij, cui translatum fuerat dominium rei mutuatæ per contractum mutui, & cui perijsset ipsa res, si durante mutuo periisset. Ex his omnibus clarè infertur mutuantem, aut creditorem nullum posse sperare lucrum ex mutuo præcisè, sed solùm pecuniam quàm dedit. Jus creditori nequit se exentendere ad rem non datam, ac porindè sortem dumtaxat exigere potest.

III. An verò dare mutuum petenti, in necessitate existenti, sit de præcepto. Distinguit Scotus in 4. dist. 25. si ille à quo pecuniam, aut mutuum petitur, habeat pecuniam sibi pro aliquo tempore inutilem, seu non necessariam, nullumque adsit probabile in mutuario periculum, mortaliter peccat, si eam non mutuet. Quia facit contrà præceptum naturæ, ad sublevandam miseriam proximi, obligans, & dictans unicuique hanc regulam *quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris*. Nec non contrà præceptum Christi Luc 6. *mutuum date*. Si verò pecunia sit ei utilis pro negotiatione, familiæ sustentatione, & similibus necessitatibus, non est de præcepto: licet enim unicuique sibi primo consulere, nè cadat in miseriam proximi, qui ut se à miseriâ, aut necessitate liberet, mutuum petit.

IV. si res mutuata propriè consumptibilis, melior fiat post mutuum, id cedit in lucrum mutuantis v. g. mutuans dat alteri vinum taliter qualiter bonum, & vase debitoris fit melius, ipse debitor tenetur reddere vinum ejusdem qualitatis cujus est, dum tali utitur vino; non verò cujus erat, dum accepit illud à mutuante: res enim mutuantur propter usum, idcircò reddendæ sunt tales, quales fuerunt in usu. Idem dicendum est de pecunia mutuata cujus pretium augetur tempore, quo mutuarius utitur eâ; cùm pro mutuante cessare non debeat lucrum favore principis ex pecunia proveniens; nisi bona fide inter mutuantem, & mutuarium adesset conventio, de reddenda eadem materiâ, putà auri, aut argenti, quia tunc valor monetæ non est res principalis, sed accessoria, quæ sequitur numerum specierum dixi *bona fide*. Quia si mutuans certò sciret pecuniarum species minuendas, & animo vitandi minutionem pecuniam suam mutuo daret, non posset obligare mutuarium ad valorem præsentem, quia vellet recipere lucrũ, ob solam rationem mutui, quòd est vetitum. Ita Azorius, Hebellius, & álij contrà Dianam, & Bonacinam, dicentes mutuantem nihil recipere suprà sortem, cum accipiat tantum, quantum tradidit in mutuo. Sed hæc ratio non valet. Quia procuravit alteri damnum, quod ipse pati debebat ratione suæ pecuniæ. Si verò contingat mutuarium usum fuisse eadem pecuniâ ante diminutionem, tenetur eam reddere juxtà valorem acceptum, non obstante mala fide mutuantis. ne bonum alienum detineat: tale siquidem valoris augmentum sequitur pecuniam mutuatam.

V. Controversia est inter Doctores, an liceat excitare matuarium, ad aliquam remunerationem? valentia quæst. 21. punct. 2. & Cajetanus affirmant; sed opinio contraria est tutior, ac probabilior: Christus enim Lucæ 6. id prohibet dicens *mutuum date nihil indè sperantes* cum hæc particula *nihil* excludat omne bonum. Ita Scotus loco citato quæst. 2. Richardus in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 5. aliique Theologi gravissimi. Attamen si creditori nullatenus petenti aliquid à mutuario detur gratuitè, & spontè, in signum benevolentiæ, & amicitiæ, poterit sine usura, & peccato recipi, modò ipse creditor non habeat undè præsumere possit, hujusmodi munera non esse spontanea, vel facta ratione metus severioris exactionis, vel inopiæ debitoris. Quia tunc tenetur munera oblata recusare, nè occasione paupertatis alienæ locupletetur. Quinimo in priori sensu potest aliquam remunerationem licitè sperare, seu sibi promittere ex gratitudine, & amicitia mutuarij, sicut in mutuo potest esse spes ad consimile obsequium, ut notat D. Bonaventura. nonnè licet mutuanti credere mutuarium non fore sibi ingratum. Immo & hanc mentem si lepidè aperire, nec timorem, nec vim aliquam ingerendo; cùm ingratitudo sit

vitium : Ergo potest aliquod obsequium sperare ex gratitudine debitoris, modò non consistat in pecunia, nec in re pretiosa : quia præsumendum est hæc non esse spontanea, nec signum gratitudinis, sed potiùs mutui fructum, aut pignus à mutuario oblatum intuitu futuri mutui.

VI. Alia difficultas est, an mutuans pecuniam obligans se ad non repetendam eam intrà annum, juxtà mutuarij indigentiam, possit vi illius obligationis duntaxat aliquid recipere ultrà sortem ? Petrus Ledesma in summ. p. 2. tract. 35. concl. 4. affirmat id fieri posse citrà peccatum usuræ, hæc obligatio (inquit) est prætio æstimabilis. Sed non valet hæc ratio. Quia in quolibet contractu in quo assignatur solutionis tempus, contrahitur hæc obligatio non petendi solutionem, ante assignatum terminum; (& præsertim in contractu mutui, qui ad hoc mutuantem obligat) quin tamen indè nascatur jus recipiendi aliquid ultrà sortem, & ideò si ratione illius posset aliquid licitè exigi, & eo plus, quo longior esset terminus, liceret utique in venditione rei, cujus pretium in fine anni est solvendum, aliquid pro illa temporis dilatione recipere, quod nemo hactenus concessit. Addè illam obligationem non petendi solutionem ratione temporis esse de natura mutui, ut dictum est suprà num. 2. subindeque illicitum esse ratione illius aliquid accipere ultrà sortem ; cùm hoc esset recipere illud ex vi mutui ; quia ea, quæ alicui rei sunt intrinseca, sunt ipsamet res, & consequenter aliquid accipere ex obligatione non petendi sortem intrà annum, idem esset, ac recipere illud ex vi mutui, & in usuræ peccatum incidere.

CAPUT IX.

De casibus in quibus potest aliquid ultrà sortem recipi ex mutuo, sine usura.

I. Cum ex constitutione Leonis X. quæ incipit *inter multiplices* monspietatis possit aliquid ultrà sortem dare, & accipere in mutuo sine usura, & ipso facto excommunicatos declaret docentes contrarium. Sequitur lucrum ultrà sortem principalem non esse omninò, & absolutè vetitum, sed non nullos dari casus, aut titulos, in quibus licitum est mutuanti aliquid recipere ultrà sortem, quin sit usurarius. Ut ergo agnoscant fideles pecuniam mutuantes, an possint aliquandò in mutuo aliquod reportare lucrum. Hîc examinandi sunt casus, & circunspectè procedendum est in ipsis discernendis.

II. Primus igitur casus ratione cujus in mutuo licitum est aliquid ultrà sortem recipere dicitur *lucrum cessans* : tunc enim nihil accipitur quàm justa. Ex collato in alium beneficio debita indemnitas. Alioquin beneficium proximo collatum, esset benefactori damnosum, & vix reperiretur homo, qui pecuniam suam mutuo dare vellet. Nec obstat illud, *mutuum date nihil indè sperantes* nemo siquidem tenetur sibi procurare jacturam, & damnum ex mutuo. Certum quoque est mutuarium teneri resarcire mutuanti, indemnitatem ex culpabili mora, in solvendo mutuo provenientem; etiamsi expressè ab eo non fuerit ab initio monitus; cùm nemo sibi nocere intendat, præsertim si damnum prævisum non fuerit. Licitum est igitur mutuanti aliquid ultrà sortem principalem accipere ratione lucri cessantis, pro indemnitate sua, si de illa convenerit ab exordio cùm mutuario, nec id quod ultra sortem accipitur potest dici lucrum ex mutuo proveniens: quia lucrum non intelligitur, nisi deducto omni damno, seu indemnitate, aut lucro cessante; quod si cesset ob mutuum, est verè damnum, quod mutuum vitare potest sine usura. Addo cùm Doctore subtili, Panormitano, Covarruvia & aliis gravissimis authoribus, pecuniam mutuo datam, quatenus actu subest destinationi ad lucrativum negotium, simulque ipsius mutuantis labori, & industriæ, majorem habere æstimationem apud viros probos, cùm sic considerata ultrà pretium ordinarium quod accepit à principe, quamdam habeat spem evidentis, aut saltem omni ratione probabilis lucri ipsi mutuanti eventuri ; & ideo cùm sic spectata plus valeat, quàm seorsim considerata, minimè usurarius est mutuans. Qui intendit eam recuperare cum aliquo lucro, non intuitu mutui ; sed lucri eventuri ex pecunia negotiationi destinata, aut labori ex quo proveniret aliquod lucrum, quod cessat ob mutuum; & ideo sic mutuans potest illud lucrum petere, nè liberalitate sua de inopia periclitetur. Nec

recipit plusquam dedit. Licet recipiat quinque nummos supra centum quos mutaverat. Quia centum nummi sic considerati, seu pro negotiatione, aut lucro aliquo destinati, includunt appretiativè illos quinque, qui pro lucro dantur, non autem pro mutuo præcisè.

III. insuper unusquisque potest licitè in bono lucrando, aut damno vitando, se alteri præferre, & dum se alteri postponit, valet pretio æstimare præferentiam illam, quàm dat alteri. Si quis v. g. rogaret petrum, ut ei mutuo daret pecuniam emptioni rei frugiferæ actu destinatam. Vel, ut instrumenta artis suæ ei concederet & ipso instrumento concesso, Petrus non posset laborare; Tunc licitè posset cùm rogante paciści de præstando lucro, quod ex pecunia, vel ex labore ipse Petrus consequi sperat; quamvis Petro liberum sit, vel recusare, vel concedere. Si concedat, aliquid petere potest: Quia hæc præferentia est pretio æstimabilis, ratione lucri cessantis. Eadem ratione licet mutuanti pacisci cùm mutuario, qui ex mutuo lucrum, aut bonum obtinere intendit, & ab ipso petere lucrum quod ex sua pecunia consequi sperabat, ut liberet se à damno, seu nè perdat lucrum quod cessabit per mutuum, quòd non est propriè lucrari ex mutuo, sed nullum damnum ex mutuo pati. Idem licitum est, quandò ex mutuo damnum aliquod futurum timetur. Licebit pariter quandò speratur rationabiliter lucrum, cum amissio boni rationabiliter sperati, inter damna computetur; alioquin ille qui se privat mediis, ad lucrum aliquod justum destinatis, teneretur, jacturam futuri boni pati, & pro alio deteriorem conditionem incurrere, quod est omninò improbabile: tunc enim mutuans censetur esse in eadem necessitate, in qua est mutuarius, qui mutuum petit ut lucretur, vel ut futurum damnum vitare possit; cum non lucari pecuniam quæ licitè lucrô haberi potest, sit damnum. Tandem quandô quis fraude, dolo, aut metu invitus ad mutuandum cogitur, mutuarius qui cogit illum, tenetur, etiam: secluso pacto, ei lucrum cessans restituere indè facilè concludi potest, licitum quoque esse pactum de compensando lucro cessante, nulla adhibita vi; aut fraude. Illa quippe compulsio non auget valorem, nec pretium rei mutuatæ, nec tribuit mutuanti jus exigendi lucrum. Quia si pactum de compensando lucro cessante sit absolutè, & simpliciter injustum, ac usurarium, prohibendum est etiàm homini per vim, & fraudum compulso. At isti non prohibetur receptio lucri, ultrà sortem ratione lucri cessantis; cùm mutuarius teneatur ad restitutionem, nedum sortis principalis, sed etiam ipsius lucri cessantis, ut concedunt adversarij; ergo nec prohibetur alteri, qui propter idem lucrum cessans, vult pacisci de lucro compensando., Cùm quilibet possit lucrari id, quod licitè lucrari poterit.

IV. Modò controversia est inter Doctores: an lucrum cessans possit à mutuante recipi, quandò ipse non invitus, nec coactus, sed sponte, & amicè rogatus, suam mutuat pecuniam? D. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad primum. Sotus lib. 6. de justitiæ jure quæst. 6. art, 3. conclus. 4. & alij negant. Quia inquiunt, illud lucrum cessans, nondùm est in actu, potestque multipliciter impediri, nè mutuanti eveniat. Et ideò mutuans non potest illud mutuario vendere, nec in pactum deducere; alioquin acciperet lucrum certum, pro lucro incerto, & dubio. Quod sine injustitia fieri nequit; nisi pecuniam suam mutuet invitus, & coactus intuitu lucri cessantis, quod sibi comparare decreverat per pecuniam quam mutuat. Sed hæc ratio non convincit: agit enim de lucro quod est in potentia remota pecuniæ negotiationi nullatenus expositæ, nec destinatæ pro agro emendo, de quo nullum est dubium: difficultas est, de lucro quod continetur in potentia proxima pecuniæ, cùm probabili, ac rationabili spe lucrandi, destinatæ pro negotiatione, aut pro agro emendo, vel colendo: igitur rejicienda est ratio adducta, & tenenda est opposita sententia.

V. Ratio est. Quia mutuans non tenetur cùm suo damno pecuniam mutuare, ut inquit Scotus in 4. dist. 15. art. 2. licet enim unicuique in contractibus se indemnem servare, quamvis contractum voluntariè ineat; sed lucrum ratione mutui cessans, est damnum, non obstante spontaneitate contrahentis, quoniam ut jam monui, lucrum non intelligitur, nisi deducto omni damno: ergo de eo liberè mutuans potest compensationem petere. Deindè qui à negotiatione sua liberè desistit, ad alterius requisitionem, potest aliquid extrá mutuum petere v. g. si Titius petat ab operario, qui singulis diebus suas solet locare operas, ut hodiernam operam non locet, sed in gra-

tiam ipsius aliquid aliud faciat, justè potest operarius ille à Titio exigere, ut observat Mastrius, eamque in pactum deducere à principio. Id etiam fieri potest in mutuo, & aliquid ultrà sortem peti ab eo, qui se abstinet ab emptione, vel alio contractu, in quo erat pecuniam applicaturus, cùm rationabili spe lucri. Nec obstat hujusmodi lucrum non esse rei jam habitæ. Quia inter lucra, non solùm computatur quod actu, sed etiam quod virtute possidetur, & incerta spe, vel saltem probabili habetur. Ita hostiensis in cap. *Salubriter* de usuris. Caietanus, Sylvester, Lessius, lib. 2. cap. 20. dub. 11. num. 80. Covarruvias, Navarrus, Caballutius, & ferè omnes tam Theologi, quàm canonistæ. Resolvendum est aliud dubium, scilicet an licitum sit percipere lucrum cessans ex mutuo, si compensetur alio lucro, quo careret mutuans, si non mutuaret. Negat probabilior opinio. Tunc enim lucrum propriè non cessat; cùm aliundè habeatur ex occasione mutui. Hinc fit quòd mercator vendens merces suas ultrà pretium rigorosum, quia vendit eas credito, est usurarius. Nec favet ipsi lucrum cessans, ex defectu pecuniæ, quam non recipit mediante qua, alias merces emisset. Quia illud lucrum compensatur ex alio, quod provenit ex majori quantitate mercium quas vendit. Nam in fine anni, non tot merces vendidisset, quot vendidit vendendo simul creditò. Igitur lucrum quod cessat ex dilatione solutionis, reperitur in quantitate mercium, quas promptè vendidit. Ita Salas, & alij.

VI. Secundus casus in quo licet sine usura aliquid ex mutuo recipere ultrà sortem, dicitur *damnum emergens*. Cùm in hoc nihil aliud sit, nisi propriam, debitamque indemnitatem repetere: ratio quidem, aut æquitas non postular, ut mutuans subveniendo alteri, notabile patiatur damnum. Dicitur autem damnum emergens illud detrimentum, quod mutuans patitur, ratione mutui præcisè; ut cùm quis ab amico rogatus, mutuat pecuniam destinatam reficiendæ domui suæ, nè corruat, aut coëmēdo tritico ad alimentarem anni provisionem, si nullam aliam pecuniam habeat apud se, & mutuario protestetur jam esse illis præfatis rebus destinatam, simulque de damno futuro. Hoc quidem supposito, si contingat posteà, ut domus pereat, aut ut mutuans triticum, vel fœnum credito simul & carius emat, poterit licitè lucrum aliquod recipere ex mutuo. Istud damnum dicitur emergens ex mutuo. Quia si pecuniam suam non mutuasset, domum refecisset, neque hæc corruisset, triticum emisset viliori, ac inferiori pretio. Undè cùm illud damnum ex mutuo præcisè provenerit, justum est, ut ex ipsius pecuniæ mutuatæ lucro, damnum reparetur: alias mutuarij conditio esset melior.

VII. In his casibus minimè obstat illud Luc. 6. *Mutuum date nihil indè sperantes*. Quia hæc verba prohibent aliquid accipi posse, ex mutuo præcisè, vel pro mutuo ratione ipsius mutui. Seu quia mutuavit; non verò pro lucro cessante, & damno emergente: nullus enim tenetur mutuare cùm suo damno, & incommodo, nec gravi pati damnum, ut alteri ex charitate prosit. Et ideo licet ex mutuo aliquid ultrà sortem recipere ratione lucri cessantis, & damni emergentis, servatis conditionibus statim explicandis.

VIII. Ut autem mutuans possit sine usura in pactum deducere lucrum cessans, & damnum emergens, pro lucro ultrà sortem recipiendo, tres necessario requiruntur conditiones. Prima est, ut lucrum cessans, & damnum emergens verè ex mutuo proveniant tanquam ex causa proxima, unica, & totali. Nam si mutuato etiam habeat penes se pecuniam otiosam, quà uti possit ad negotiandum, nè lucrum speratum cesset, vel ad reficiendam domum nè corruat, mutuum non est vera causa damni lucri cessantis, nec damni emergentis. Quia per pecuniam otiosam, damnum evitare poterat, sicut per pecuniam mutuatam; ad hoc tamen non est necesse illam computare pecuniam, quæ in alios eventus rationabiliter seposita est ut notat Navarra. Pecunia in alios eventus seposita, est illa quæ reservatur ad alimenta, & provisiones familiæ, ad filiarum dotem, ad emendum officium, ex quo lucrum provenire solet, vel ad casus fortuitos, quos prudens, & commodus paterfamilias præcavere debet. Etenim talis pecunia non potest dici otiosa, cùm ad evitandum damnum, vel obtinendum lucrum sit destinata. Hac conditione facilè suadetur, pecuniam non destinatam ad negotiationem, nec ad reparationem damni futuri, non posse mutari cùm pacto de præstando lucro: quia ex ipsius mutuo, nullum lucrum cessans

sare potest, nullumque mutuanti evenire damnum: unde si reciperet aliquid ultrà sortem, ex mutuo præcisè, & ex sola temporis dilatione reciperet illud: Quod prorsus usurarium est.

IX. Altera conditio est, ut mutuator, non exigit tantum, quantum est lucrum speratum, seu id quod sperabat ex pecunia quam mutuo dat, vel quod cessat ex mutuo, sed minùs; quia tenetur deducere expensas, quas ipse fecisset in negotiatione sua. V. g. si mutuator speret quadraginta nummos, & labor, & expensa, & similia quæ in negotiatione sua passus fuisset, æstimentur decem, non potest exigere pro lucro cessante, nisi tringinta. Quia lucrum dicitur id, quod super est detractis sorte principali, expensis, & labore. Minùs etiam valet lucrum in spe, quam in re. Sic Diana. p. 1. de contract. Resol. 64. Silvius, Molina, & alii communiter. Tertia tandem conditio est, ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim, dato mutuo; sed convenientiori intervallo. Hac conditione fit, ut si centum mutues alteri nummos, non possis cum eo pacisci, ut statim tibi reddat quinque ratione lucri cessantis; alioquin non centùm mutuares, sed nonaginta quinque nummos; cùm in re non dares illi centùm nummos, sed solùm nonaginta quinque, & haberes jus recipiendi centùm, inter quos essent quinque, quibus usus non fuisset mutuarius, nec ex ipsis tibi cessasset lucrum. His conditionibus remotis, mutuans est usurarius, si aliquid ultrà sortem recipiat. Quia hoc est mutuare animo habendi aliquid ultrà sortem, ex vi solius dilationis temporis, vel animo acquirendi divitias. Quòd est prorsùs usurarium, cum obligatione restituendi cap. *Consuluit* de usur. quidquid enim ex mutuo præcisè ultrà sortem exigitur, & tanquam debitum expectatur, est usura sive fiat ex pacto, sive ex affectu implicitò, & interno.

X. Novus creditor, qui alienum mutuum pecuniâ suâ solvit, non potest in jus, & nomen prioris creditoris ita subrogari, ut valeat accipere aliquid ultrà sortem, seu id quod accipiebat prior creditor, ratione veri lucri cessantis, aut damni emergentis, nisi habeat eumdem titulum: nam prior lucrum ex mutuo recipiebat solo titulo veri lucri cessantis, vel damni emergentis, quem alteri vendere non potuit. Undè cùm iste posterior in mutuo priori succedens non in titulo, sed solùm in mutuo successerit, non potest lucrum suscipere, quamvis habeat eumdem titulum lucri cessantis, vel damni emergentis; id est quamvis indigeat eâ mutuatâ pecuniâ intrà tempus, à priore creditore præfixo. Quia mutuarius accepit pecuniam cum tali obligatione personali, seu respectu mutuantis tantum.

XI. Non nulli existimant licitum esse successori, & cessionario exigere omne id, quod exigebat prior creditor, aut mutuator. Quia ex 46. Reg. juris in 6. *Qui in jus alterius succedit, eodem quoque illo jure uti debet.* At hæc ratio non sufficit. Jus illud pristino creditori competebat ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, prorsùs extinguitur per solutionem, vel receptionem pecuniæ mutuatæ factam à successore, aut cessionario. Sicque nequit in subrogatum transferri, nemo quippe plus juris in alium ferre potest, quàm ipse habet. Igitur si ille pristinus creditor non habeat jus in lucrum accepta debiti solutione, nullumque patiatur damnum, non potest transferre in novum creditoré, jus illud ad lucrum ex mutuata sorte recipiendum: quia jus illud, non in mutuo, sed in lucro cessante, vel damno emergente prioris erat fundatum.

XII. Licitum est mutuanti aliquid ultrà sortem accipere ratione damni, quod patitur, si mutuarius culpabiliter non solvat post terminum præfixum; quamvis ab initio nullum fuerit pactum expressum de tali damno reparando. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 71. art. 2. ad 1. Et Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. Quia quandò in contractibus, terminus ad solvendum præfigitur, tacitè censetur initum pactum: ut qui non solverit intrà terminum illum, teneatur ad interesse, ex mora solutionis proveniens l. 2. §. *Non utique*, cùm peccet contrà justitiam in damnum mutuatoris. Omnis autem peccans contrà justitiam cum damno alterius, tenetur ad restitutionem. Et licet creditor ille non possit contrà eam habere actionem in foro exteriori, ex defectu pacti expressi, vel juramenti; tenetur tamen ipse mutuarius in conscientia, ultrà sortem ad interesse, ut colligitur ex cap. *Pervenit* de fide juss. quia mutuarius injustè, seu ultrà conventionem retinendo debitum, est causa damni, quòd mutuans patitur, ex amissione pecuniæ suæ. Et ideò tenetur ad restitutionem can. Si

quis domum de injur. & damn. dat. Quin possit circà mutuatorem lucrum ultrà sortem exigentem, conqueri: nam ex 86. regul. jur. in 6. *damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alteri computare.* Deindè mutuarius tenetur reddere debitum, quod in mutuo contraxit, nec potest illud retinere, nisi mutuans consentiat; alioquin retineret rem alienam invito Domino. Sed mutuans damnum patiens post terminum præfixum, censetur non consentire, sed velle per pecuniam suam à damno se liberare: ergo elapso tempore præfixo, habet titulum damni emergentis accipiendi aliquid ultrà sortem, ob culpabilem solutionis, quemadmodum habuisset illum in mutuo, si tunc damnum fuisset. Et de ipso protestatus fuisset.

XIII. An vero pro damno adveniente ante terminum solutioni præfixum, mutuator possit aliquid ultrà sortem accipere, si de hoc nullum fuerit cum mutuario pactum? Doctores inter se discrepant: plures affirmant mutuarium etiam in tali casu teneri in foro conscientiæ, aliquid ultrà sortem solvere ad resarciendum damnum ex mutuo proveniens. Huic opinioni adhærent plures ex nostris, à quibus tamen lubens recedo. Quia si nulla fuerit ab initio damni admonitio, nulla que conventio, mutuarius non censetur causa, nec occasio talis damni, quod ante terminum solutioni præfixum advenit, cum sit omninò inculpabilis. Imò mutuator potiùs suâ, quàm mutuarij culpâ damnum sentit. Id circò potius sibi; quàm mutuario debet illud imputare, nisi coactè mutuum dederit. Tunc enim mutuator censendus est in voluntate recusandi mutuum, ex metu damni eventuri, & potest cogenti imputarè damnum, & esse in voluntate recipiendi lucrum statim, ac damnum evenerit; mutuarius verò in voluntate recipiendi mumutuum, sub conditione solvendi pro damno eventuro. Quia qui liberè vult sentire commodum, sencetur etiam velle sentire incommodum. Quod venit ex commodo.

XIV. Licitum quoque est, in mutuo, extrà lucrum cessans, & damnum emergens dato, apponere pœnam solvendam à mutuario, nisi solverit tempore præfixo; dummodo hæc pœna non apponatur in fraudem usuræ, seu contrà voluntatem mutuarij, ad palliandam usuram; ut accidit, quandò mutuator pœnam apponit præcisè, ut ex mutuo lucrum accipiat, & scit, aut probabiliùs credit mutuarium non fore potentem, ad solvendum tempore præfixo. Necessè est insuper, ut pœna sit moderata, cùm hæc debeat proportionari culpæ. Requiritur etiam quòd pœna, quæ in mutuo imponitur, non sit solvenda tempore profixo, casu quo mutuarius efficiatur impotens infirmitate, aut aliquo casu fortuito inevitabili. Quia tunc non præsumitur non solvendi voluntas. Hujus assertionis veritas suadetur ab Innocentio. III. in cap. *Suam ad nos* de pœnis: Ibi enim ille summus Pontifex scribens Episcopo Spoletano in simili casu. Ait *mandamus quatenus septem librarum solutione contentus super, pœna triginta librarum memoratos rectores, de cætero non molestes.* Rationi consentaneum est hoc mandatum, de pœna moderatè solvenda à mutuario, qui tempore præfixo non solvit sortem principalem: quia licet unicuique sic mutuarium præmonendo servare se indemnem, nec injustum dici potest pœnis subijcere mutuarium, nè si in mora existat, peccet contrà justitiam, quà astringitur obligatione reddendi debitum tempore præfixo. Nec obstat dicere ad solum superiorem spectare pœnæ impositionem: nam de partium consensu, etiam imponi potest l. *Si pacto.* Reverà imponi nequit subdito invito, sed parti contrahenti sponte, & volenti liberè talem pœnàm subire casu non solutionis, tempore præfixo. Ita Mastrius, Toletus, & alij.

XV. Mutuator, qui pœnam mutuario injungit, suppositione facta de solutione exhibenda tempore profixo, est usurarius, si velit potius diem præfixum transire, quàm pecuniam ipso die solvi, ut lucrum suprà sortem petere valeat. Id enim suadet mutuantem, velle lucrum ex mutuo recipere ex vi mutui præcisè, quia volendo quòd mutuarius incurrat pœnam, vult lucrum ex mutuo recipere; cùm pœna fuerit imposita, sub conditione de non differenda sortis redditione. Probat etiam pœnam illam in usuræ fraudem fuisse appositam, ac proindè mutuum esse usuram palliatam, illicitam; cùm fraus nulli debeat patrocinari can. *Ex litteris* de dolo.

XVI. Mutuator potest sine usura mutuarium obligare, ad condonandam sibi injuriam, quam ei intulerat. Ita Navarrus, Silvius, & alij contrà Bonacinam: nam mutuarius obligari potest ratione mutui

ad omnia, ad quæ aliundè tenetur, & præsertim ex præcepto divino, & consequenter ad condonandam sibi injuriam, & ad diligendos inimicos; cùm Christus omnibus Christianis hoc præcipiat Math. 5. dicens *diligite inimicos vestros*. Per obligationem nullum onus denuò ei imponitur. Imò præbetur illi occasio merendi. Parùm nocet adversariorum ratio, nimirum per tale pactum mutuario imponi obligatio, & gravamen ad sustinenda incommoda, quæ aliquandò sequuntur ex operibus charitatis. Aliud quippe est loqui de injuria illata, & aliud de damno subsecuto, si mutuarius ob talem injuriam aliquod damnum passus fuerit in persona, bonis, aut fama, idque reparari possit, non tenetur illud condonare, nec ad ipsius remissionem obligari potest ratione mutui. Quia sic offensus habet jus, ut damnum sibi resarciatur per judicis sententiam, quo jure privari nequit mutuò, nec ad juris cessionem astringi à mutuante; cùm tale jus sit pretio æstimabile. Secùs dicendum est de injuria, quam offensus remittere tenetur ratione charitatis, & fraternæ dilectionis privato affectu. Igitur quamvis offensus non possit in mutuo obligari, ad remittendum mutuanti damnum ex injuria subsecutum, potest tamen obligari ad remittendam ei injuriam, seu ad non sumendam vindictam; pariter & ad omne id, quod facere, aut omittere tenetur ex aliquo præcepto. Quia hoc non est propriè novam mutuario imponere obligationem, sed eum provocare ad bonum, seu ad veniam, quam Deus ab ipso desiderat.

XVII. Usurarium est mutuare principi, reipublicæ, vel communitati, eo pacto nimirum, ut sorte insoluta remanente, mutuator sit liber à tributis, vel oneribus justè solvendis. Ita Layman, Lessius, & alij quibus adhæreo; cùm hoc sit velle aliquid ultrà sortem recipere ex mutuo absque ullo justo titulo. Usuram quoque committit ille, qui mutuum dat alteri cum obligatione laborandi, emendi &c. in utilitatem suam; etiamsi pro hujusmodi operibus justum constituat pretium: tale mutuandi genus imponit mutuario obligationem pretio æstimabilem, quam antea non habebat, & indicat mutuantem velle lucrum ex mutuo ratione mutui præcisè quòd est usurarium. Quia omne onus ex debito justitiæ, aut coactione quacumque à mutuante, mutuario impositum ultra sortem, usuram inducit.

XVIII. Carentia pecuniæ, seu abdicatio ipsius in favorem mutuarij, non est ex se titulus sufficiens ad recipiendum aliquid ultrà sortem, nisi adsint lucrum cessans, damnum Emergens, vel mora culpabilis, vel periculum sortis, & mala fides ipsius mutuarij. Hæc pecuniæ mutuatæ privatio, est aliquid intrinsecum, & essentiale contractui mutui, ut docent plures quos refert, & sequitur Bassæus verbo *usura* 3. num. 9. contra Ledesman, & Dianam, autumantes pecuniæ carentiam ex mutuo provenientem, naturaliter includere gravamen, & damnum ratione quorum licitum est aliquid accipere ultrà sortem. At hæc ratio parum nocet. Datur siquidem apud divites pecunia otiosa, seu nec ad lucrum, nec ad damnum vitandum destinata: ergo hujusmodi pecuniæ abdicatio nullum gravamen includit. Aliundè si hæc ratio nostram assertionem infirmaret, sequeretur quòd nulla esset usura in mutuo præcavenda; cùm pecuniæ mutuatæ privatio, mutuum semper sequatur: quomodò enim potest qui mutuare pecuniam alteri; quin det ei pecuniam. At hoc est falsum, ut declarant summi Pontifices, & Sacri Canones in titulo de usuris: quibus constet usuram esse peccatum: ergo & illud. Undè sequitur alioquin ipsum mutuum esse titulus sufficiens, quia mutuo pecuniam dare alicui, & eadem pecuniâ se privare, unum & idem sonant.

XIX. Mutuans qui, à mutuario pignus accepit, ut tuta sit sors si pignus fructificet, ut v. g. vinea, & mutuans fructus colligit, est usurarius, si sublatis expensis, fructus retineat apud se, sine diminutione sortis principalis, equidem hujusmodi fructus provenirent præcisè ex mutuo. Hæc tamen lex non ligat dominum feudi, qui pro debita sibi a vassalo pensione sumit in hypotecam ipsum feudale prædium: statim enim ac feudum in manus Domini directi recedit, ad ejus dominium spectant, ex jure feudati fructus colligendi, sicque fructus, quos indè colligit Dominus, non sunt in sortem computandi, ut declarat Alexander III. in cap. *conquestus* de usuris. Ubi ille summus Pontifex sancit fructus rei pignoratæ, esse in sortem computandos, nisi terra ipsa, seu res pignorata sit de feudo mutuantis. Idem declarat Innocentius III. in cap. *insinuatione* de feudis

permittitur.

Permittitur etiam marito fructus pignoris dotalis, quos socer ei assignavit, sine sortis principalis diminutione, pro sustinendo matrimonij onere: maritus enim pignus pro dote promissa recipiens, non tenetur pignoris fructus computare in sortem; ita ut fructus, quos ex pignore colligit, sortem ipsam minuant in soceri beneficium; cùm frequenter dotis fructus ad supportanda matrimonij onera minimè sufficiant: ut inquit idem summus Pontifex Innocentius III. in cap. *salubriter* de usuris.

XX. An verò vidua, quæ defuncto viro, suam nondum recepit dotem, possit ad onera viduitatis sustinenda fructibus pignoris dotis suæ frui, sine ulla dotis diminutione? quidam Recens in Theologia Morali negat; sed responsio affirmativa est probabilior. Ita tenent Sotus lib. 6. de justit. quæst. 1. art. 2. & Cabassutius. Certùm quidem est, rationem mariti subsistere in vidua, in qua defuncto marito remanent cura familiæ, & onera Matrimonij; nisi pater, qui pignus dotale assignaverat, alat viduam, & onera viduitatis ejus sustineat: Ut sæpè contingit. Observandum est cùm Covarruvia, & aliis contrà Bannem, quòd tam Gener, quàm vidua vi hujus privilegij, fructus sufficientes duntaxat pro sustinendis matrimonij oneribus, recipere possunt ex pignore dotali, sine ulla dotis deductione; nisi socer velit, ut potiantur etiam aliis, qui superfluunt, nè ipse socer invitus aliquod patiatur damnum. Idem infertur ex verbis summi Pontificis in d. cap. *salubriter*, maritùs filios habens, uxore mortua, tenetur computare in sortem fructus, quos ex pignore dotali percipit: nam licet immeritò in tali casu eadem adhuc remaneant motiva, utpotè onera matrimonij sustinenda à patre, cui competit cura filiorum, non remanet tamen ratio, aut titulus exigendi fructus, sine diminutione sortis principalis pro filijs alendis; nimirùm impotentia acquirendi bona, ut inde filij sustententur, cùm vir aptior sit ad laborem.

XXI. Altera agitatur quæstio, videlicet, An Rex, qui ab alio principe civitatem accepit in pignus mutui, possit sine usura uti redditibus civitatis, seu vectigalibus, sine sortis diminutione? negant Caïetanus, & Sotus apud casPensem tract. 19. disp. 3. num. 72. verius tamen, ac probabilius est, Regem posse sine usura redditus civitatis accipere ultrà sortem mutuatam, ratione gubernationis civitatis: hoc enim titulo vectigalia dantur regibus. Et populus solvit eis tributa in signum subjectionis. cap. *omnis* de censib. sed uterque titulus competit Regi, qui in pignus accepit civitatem, cùm teneatur eidem civitati providere, eamque necessariis deffensionibus munire: potest igitur licitè uti redditibus sine ulla diminutione sortis; alioquin pignus esset in præjudicium creditoris.

XXII. Plures addunt alium usum, ob quem potest quis aliquid ex pecunia recipere ultrà sortem, absque usura, & peccato, hicque est, quandò pecunia datur alteri petenti eam, ad ostentationem, & magnificentiam, nimirùm ut in nundinis ostendat se divitem. Eorum ratio est, quia pecunia locari potest, sicut ceteræ res visibiles locantur: quamvis hujusmodi usus non sit principalis, ob quem fuit inventa; pecunia (inquiunt) tamen ex natura sua apta est ad adornandum aliquem, & ostendēdum ipsum esse divitem, & ideo locari potest, & ex ipsius locatione lucrum recipi; huic opinioni non adhæreo, ob ujam nimis latam, quam aperit usuris. Nonnè talis titulus semper supponi potest, dum deficit aliquis ex justè, ac licitè assignatis. Igitur admitti non debet; nisi locator, aut mutuator subire vellet periculum sortis rationabiliter probabile; cùm pecunia locata, tali usu non pereat, nec deterior fiat, ut aliæ res quæ locantur. Sed tantum exponatur periculo, cui ceteræ res exponi solent. Quod quidem periculum non est titulus sufficiens, cùm nullatenus sit probabile apud mutuarium, qui accipit pecuniam, ut divitem se ostendat. Mutuans non potest ab usura excusari sine, nec intentione mutuarij, qui pecuniam petit; sed solum per lucrum, quod perdit mutuando, vel damnum quod non vitat, aut periculum cui suam exponit pecuniam.

XXIII. Nè in societate committatur usura, necesse est primò, quòd singuli socij conferant in commune sive pecuniam, sive industriam, & laborem, sive aliquid aliud societati necessarium. Secūdò quòd lucrum ex societate proveniens sit commune, & inter socios dividatur, non æqualiter, ita ut lucrum, dempta sorte principali, dividatur in partes aliquotas, sed proportionatas: nam si unus sociorum contulit in sortem centum aureos; alter verò quinquaginta, ille debet plùs de lucro reportare, quàm iste. Tertiò necessè est, quòd quilibet so-

cius subeat damnum, & expensas prorata quoque eorum, quæ ex parte sua contulit. Undè si unus contulit in sortem centum aureos, alter verò suam industriam, centum aureis æstimatam, sors verò pereat, unus debet subire damnum pecuniæ, & alter industriæ, & laboris; & si sors remaneat integra absque ullo lucrò, centum aurei, socius qui eos contulerat, valet eos absque usura retinere, sublatis expensis, quia sequuntur sortem, seu centum aureos: nam jure communi pecunia in societate collata pertinet ad eum solum, qui contulit eam. ille autem qui contulit industriam, non habet jus ad pecuniam collatam, sed solùm ad lucrum à societate proveniens: ergo si nullum sit lucrum, unus debet subire damnum industriæ, & alter damnum pecuniæ: Unus nihil lucratus est industriâ, & alter nihil lucratus est pecuniâ. Hinc est, quòd si lucrum fuisset ducentorum aureorum, ille qui pecuniam, seu centum aureos contulerat, primum sibi centum aureos subduxisset; deinde unusquisque centum aureos de lucro reportasset. Quia centum aurei, quibus sors societatis constituitur, non possunt dici lucrum ex societate proveniens, ut subsint divisioni: ergo solùm ducenti aurei, qui sunt de lucro, possunt æqualiter dividi inter socios. Ita communior opinio contra Lessium existimantem totam pecuniam tam eam quæ est de sorte, quàm illam, quæ est de lucro, esse æqualiter dividendam inter duos socios, quorum unus contulit centum aureos, & alter industriam centum aureis existimatam. In societate expensæ deducendæ sunt, antequam lucri rationes computentur: & divisio fit de lucro, quòd non intelligitur, nisi deducto omni damno, & consequenter nisi deductis expensis ad utilitatem, vel ad necessitatem societatis justè, ac debite factis, & sorte principali: nam si hæc pecunia in societate collata pereat, perit illi qui eam contulit, ut fatetur Lessius, & damnum lucri æqualiter dividitur: ergo si sors supersit cum lucro, tribuenda est illi, qui eam contulit, & lucrum debet dividi æqualiter inter eos.



CAPUT X.

Utrum periculum sortis sit titulus sufficiens.

I. Nodus difficultatis est, an qui mutuat alicui certam pecuniæ quantitatem, in alium locum per navigationem; aut alias periculosas vias transferendam, ita in se suscipit ipsius pecuniæ periculum, ut indemnem servet mutuarium à lege, & si pecunia pereat, ipsi mutuanti pereat, possit aliquid ultrà sortem accipere à navigante, pro tali periculo in se suscepto? Navarrus in summa cap. 23. Sotus, & alij negant, in eodem sortis periculo comprehenditur etiam mala fides ipsius mutuarij, cui mutuans se exponit: frequens enim experientia docet debitores sivè malè administrando, sivè per negligentiam, sivè per infortunium, aut prodigalitatem, decoquere, ac uersuram facere creditoribus suis: illa enim per se ad mutuum non pertinent, & sunt pretio æstimabilia. Nec desunt alij, qui morosi adeo sunt creditoribus, ut non nisi per vim, & lites, gravesque expensas exolvant debita, de quibus omnibus potest iniri pactum. His attentè consideratis.

II. Alteram tueor sententiam asserentem periculum amittendi sortem, aut recuperandi eam cum molestiis, laboribus, & expensis, esse titulum sufficientem recipiendi aliquid ultrà sortem, ut probabilius existimant, Sylvester, verbo. *Usura* 1. quæst. 35. Lessius, Caballutius lib. 6. cap. 8. num. 2. Delugo, & alij gravissimi Doctores, quibus adjungi potest praxis confessariorum, qui solitò sic mutuantes absolvunt absque ulla lucri restitutione. Hocque meritò: nullus quippe negare potest vera pericula, quibus res exponitur, esse pretio æstimabilia, damnis atque jacturis obnoxia, quæ recta ratio, & justitia judicant esse compensanda, ut advertit Bassæus, nè officium vertatur in damnum: nec mutuator tenetur illa gratis subire in utilitatem mutuarij, qui cùm sentiat commodum, debet sentire incommodum, seu damnum quod ex mutuo provenire potest, ob periculum cui mutuatam exponit pecuniam. Alioquin sequeretur, quòd ipse mutuans tenetur po-

nere mutuarium in tuto: & sc in damno; potest igitur mutuator ob hujusmodi pericula, aliquid recipere ultrà sortem principalem; cùm non teneatur tot, tantaque pericula subire; nec privandus sit tali jure, etiamsi sors integra remaneat peracta negotiatione, quia non accipit lucrum pro damno actuali, sed pro periculo probabili, viri probi, prudentisque judicio.

III. Mutuarius contractum assecurationis inire potest cum alio, à quo pecuniam non accepit mutuo, ut fatentur communiter omnes canonistæ, etiam Rigidiores, & pro tali assecuratione sortis principalis, aliquod lucrum dare juxta probabilitatem periculi, & pecuniæ quantitatem; ut si sors in negotiatione pereat, non mutuario, sed assecuratori pereat. Ita docet D. Antoninus 3. p. tit. 8. cap. 1. §. 1. poterit etiam mutuarius eumdem celebrare contractum cum mutuante, & illi aliquod lucrum præstare ultra sortem principalem, si ipsa pecunia mutuata sit ipsi ita assecurata, ut ea pereunte, non pereat ipsi, sed mutuanti, qui emit periculum, quod in mutuo subire solet ipse mutuarius, qui ordinario periculum in se suscipit, & manet in obligatione reddendi pecuniam, quam accepit; etiamsi integra non remaneat tempore præfixo; in hoc autem casu liberat se à periculo, quod; cùm sit pretio æstimabile, potest vendi certò quodam lucro: igitur mutuarius potest talem cum mutuante assecurationis inire contractum, seu mutuantem ad pecuniæ periculum suscipiendum obligare, nec non à redditione pecuniæ deperditæ se eximere, mediante certo quodam lucro ultrà sortem, sicut obligat alium: quia mutuans ratione beneficij mutui, non est deterioris conditionis, quàm si non mutuasset, & potest sicut alter pro centùm nummis mercatori mutuatis cum periculo, accipere quinque in indemnitatem sortis periclitantis. Ita ut si sors pereat, non mutuario, sed mutuanti pereat, quia mediante aliquo lucro emit periculum mutuantis; aliàs creditor, aut mutuator teneretur subire periculi evidentiam, quòd est falsum; cum unicuique liceat ponere se in tuto, in quantum potest.

IV. Resolutionem istam, nimirum periculum sortis esse sufficientem titulum, extrà omnem dubitationis aleam eximit decretum Sacræ Congregationis ab Innocentio X. approbatum, postulantibus apud Chinensium regionem regularibus missionariis Romæ typis editum anno 1645, relatumque à Ludovico Bancel in Morali summa, juxta mentem Divi Thomæ elaborata verbo *usura*: verba decreti sunt hæc. *Censuit Sacra Congregatio Cardinalium S. R. E. ratione mutui immediate, & præcisè nihil ultrà sortem principalem esse accipiendum. Si verò aliquid recipiant ratione periiuli probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodò habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id quod accipitur.* Ex his liquidò constat præter lucrum cessans, & damnum emergens, alterum dari titulum sufficientem ad lucrum ex mutuo suscipiendum: nimirum periculum sortis probabiliter imminens. His addo quòd periculum sortis reduci potest ad qualitatem damni emergentis; cùm sors ipsa sit in periculo damni, & periculum sit vitandum, sicut damnum ipsum.

V. Attamen ut mutuans possit aliquid ultrà sortem accipere ob periculum, vel laborem in ipsa sorte recuperanda. Tres servandæ sunt conditiones. 1. necesse est, ut periculum cui pecunia mutuata exponitur, sit verum, & ex eo probabiliter timeatur incommodum; parùm refert quòd posteà nullum damnum re ipsà sequatur, quia non pro damno futuro, sed pro ejus probabili periculo lucrum exigitur, ut jam monui. 2. ut mutuator non plus exigat ratione istius periculi, quàm ipse alteri dare vellet pro ejusdem periculi redemptione. Id communiter statuitur virorum proborum judicio. 3. Tandem, ut mutuarius non cogatur ad suscipiendam hanc obligationem, sed ei liberum sit, vel per fidejussionem, vel per pignus, vel alio modo mutuantem assecurare de sorte mutuata. Quia si mutuarius pignus præbere, vel fidejussionem dare velit, potius quàm periculum subire, aut emere, non potest ab eo licitè exigi aliquid ultrà sortem. Indè fit mutuantem nullum posse exigere lucrum ex mutuo, non obstante periculo, cui suam exponit pecuniam, quandò mutuarius vult illi assecurare sortem cum obligatione restituendi eam, casu quo pereat: tunc enim cessat ratio periculi: & indè cessat ratio accipiendi aliquid ultrà sortem, quoniam tunc est in tuto, & de sorte sua securus.

VI. Authores, qui oppositam deffendunt sententiam afferunt decretalem Gregorij

IX. cujus verba habentur in cap. *naviganti* de usuris: ubi ille summus Pontifex ait. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod in se suscipit periculum recepturus aliquid ultrà sortem, usurarius est censendus.* Ex his colligunt mutuantem non posse citrà usuræ labem, aliquid ultrà sortem recipere ex mutuo, etiam prætextu periculi in se suscepti, ut suadet hæc ultima particula *usurarius est censendus.* Hanc Gregorij IX. authoritatem variè explicant Doctores. Amicus disp. 20. sect. 8. num. 130. vult summum Pontificem in ea decreti parte loqui de mutuante; qui ex eo quòd in se periculum mutuatæ pecuniæ suscepisset, mutuarium cogebat ad solvendum certum pretium ultrà sortem, propter tale periculum in se susceptum, quod reverà usurarium est, ut habetur in ultima conditione, quâ mutuarius non potest ad hoc cogi, cùm ei liberum sit assecurare sortem per pignus, vel fidejussionem: Mastrius hanc expositionem præfert aliis, quas adducit Medina cap. de rebus restituendis quæst. 38. additque summum Pontificem locutum fuisse de periculo in solo transitu consistente, nimirùm donec pecunia perveniat ad talem locum, per itinera periculosa. Hujusmodi expositiones sunt probabiles, ut fatentur omnes sententiam nostram tuentes, quidquid in contrarium dicant adversarij, & probant Gregorium IX. non removere à periculo rationem tituli sufficientis, ad recipiendum ex mutuo aliquid supra sortem: nihilominus aliam responsionem addam in numero sequenti cum pluribus Canonistis.

VII. Quidam textum prout vulgò legitur, falsitatis argunt & legunt *usurarius non est censendus.* Sic observant Faber noster in materia juris Canonici versatissimus disp. 37. cap. 7. num. 226. & Barbosa. Idque clarè infertur ex verbis immediatè subsequentibus, quæ sunt ista. *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minùs solutionis tempore fuerint valitura similiter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Ubi particula *ille quoque.* Liquidò demonstrat Gregorium IX. Velle neutrum esse censendum usurarium: nam si de uno vellet, seu de mutuante pecuniam naviganti, & non de altero, scilicet de emptore vini, &c. Non dixisset *ille quoque* quæ sunt voces paritatis, & conformitatis; sed dixisset, *ille verò qui dat decem solidos &c. Non debet ex hoc usurarius reputari.* Cùm ille summus Pontifex eodem animo loquatur de utroque, idemque judicium ferat; ut judicat hæc particula. *Quoque.* Hanc expositionem approbat Cabassutius lib. 6. cap. 8.

VIII. Hæc observatio clarè demonstrat textum fuisse depravatum ab aliquo scriptore, amotâ negativâ, aut negatione *non.* Alioquin summus Pontifex in hac decretali sibi contradiceret, nec in eodem textu statim dixisset. *Ratione hujus dubij etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius quàm tunc valeant, incerto termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Illa siquidem particula *etiam*, indicat connexionem inter istos tres casus in textu contentos, quorum primus est de mutuante pecuniam naviganti, in se periculum suscipienti. Et ideo cùm summus Pontifex secundum, & tertium excuset ab usura, & loquatur æqualiter de primo, sicut de posterioribus, ut indigitant particulæ *ille quoque*, & *etiam* voluit excusare primum ab usura, sicut alios duos: quia faciliùs est particulam *non* amovere, quàm cæteras videlicet *ille quoque*, & *etiam* addere. Hanc expositionem textus aliis præferendam duco, nedùm pro solvenda ratione ab adversarijs deducta ex cap. *Naviganti* de usuris, cum de amotione particulæ *non*, nullus sit ambigendi locus. Sed etiam quia declarat periculum sortis, esse titulum sufficientem ad recipiendum ex mutuo aliquid ultrà sortem.

IX. Fidejussor rationabiliter timens coactionem, pro solvenda pecuniâ pro debitore, cujus fide jussor existit, poterit citrà usuram aliquid petere ratione periculi, quod in se pro debitore suscipit, illudque licitè recipere si concedatur ei, modo nullum lucrum promissum fuerit creditori, nec nimis gravetur debitor. Idem colligitur ex divo Antonino 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 21. ubi ait pari ratione licitum esse creditò vendentibus, augere aliquatenus pretium ob periculum mittendi, vel diminuendi pretium, vel cum expensis, aut cum emptoris malevolentiâ, atque molestiis recuperandi, cui se exponunt, modò pretium non fuerit immoderatum, & periculum fuerit verum, ut docent Covarruvias, Lessius, Bonacina, alijque gravissimi. Quia propter hujusmodi pericula, qui

bus creditor se exposuit, res ipsa plus valebat, & ideò potest excessum retinere; quin in peccatum usuræ incidat, ut facilè deducitur ex cap. *naviganti*. Poterit etiam mutuans aliquid ultrà sortem recipere ob periculum imminens; cùm liceat jura juribus concordare, & ratio periculi æqualiter subsistat in mutuante, & in venditore, servatis tamen conditionibus suprà memoratis. Numero quinto.

X. Mutuans pecuniam gratiâ recuperandi ab eodem mutuario centum nummos, jam sibi debitos ex justitia, non est usurarius. Quia non exigit illos ex mutuo, sed ex justitia; posset enim eos exigere absque ullo novo mutuo. Secùs dicendum est de mutuante, gratiâ recuperandi aliquid ex sola charitate, aut gratitudine sibi debitum, quia hoc est velle mutuarium obligare ex vi mutui, aut aliquid ultrà sortem recipere ex mutuo.

CAPUT XI.

De Simonia.

I. Simoniæ delictum sic definiunt Canonistæ, *studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale, vel spirituali annexum.* Dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Prima est ea, in qua nulla exteriùs apparet simoniæ malitia, ex defectu pacti exteriùs expressi; quamvis cum externa actione dationis, & acceptionis aliquandò conjungatur: ut notat Mastrius contrà alios, qui volunt simoniam mentalem esse actum puré internum, seu volitionem emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Cōventionalis est ea, in qua intercedit pactum expressum, vel tacitum dandi rem spiritualem pro temporali, quæ tamen data non fuit, nisi forte ab una partium, seu ab emptore, vel venditore. Realis est ea in qua ex utraque parte pactum dandi rem spiritualem pro temporali demandatum est executioni, seu in qua venditor dedit emptori rem spiritualem, & emptor dedit venditori rem temporalem.

II. Nomine emptionis, & venditionis intelliguntur omnes contractus onerosi; quales sunt permutatio, transactio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Quia simonia sine pactione aliqua tacita, vel expressa non consistit: nā sola largitio rei spiritualis, vel sola spes ipsius largitionis, quæ non fuerit in pactum deducta, nullam parere videtur Simoniam: licet ex motivo gratitudinis, res Sacra tradatur, vel ex gratitudine ob traditam rem spiritualem, moveatur quis ad largitionem muneris à manu, modò nulla intervenerit pactio, nullaque facta fuerit conventio. can. *Tua nos*. De sim. nomine pretii temporalis, intelligitur pecunia, vel aliquid pecuniâ æstimabile, quale est munus à lingua; vel à manu, vel ab obsequio can. *Salvator* 1. quæst. 3. Quidquid enim dicitur, vel datur, vel fit cum pacto obtinendi, vel dandi aliquid spirituale, est simonia. Nomine rei spiritualis intelligitur omne id, quod est aliquo modo super naturale, seu quod procedit à Deo, vel ad ipsum, ut est author gratiæ, ordinatur, ut v. g. Virtutes infusæ, gratiæ, gratis datæ, Sacramenta, usus potestatis supernaturalis, ut consecrare, absolvere, benedicere, confirmare, beneficia conferre, &c. Tandem per spirituali annexum, intelligitur quod ad spirituale ordinatur; quamvis non sit puré spirituale, ut Vasa Sacra, sepulturæ, beneficia, jus patronatus. Undè in his omnibus committitur Simonia, quandò per aliquod temporale comparantur, vel conceduntur quatenus sunt res Sacræ. Quia malitia Simoniæ consistit in irreverentia, quæ committitur, dum res spiritualis juxtà rei temporalis pretium æstimatur, & contractibus, aut pactionibus subijcitur.

III Cùm visitatio Pastoralis sit actus jurisdictionis spiritualis, Prælatus nequit absque Simonia sibi procurare pecuniam, tamquam pretium visitationis, licet sibi valeat procurare ea, quæ necessaria sunt ad debitam, atque honestam sustentationem. Idem peccatum Simoniæ committit visitator, qui pecuniam accipit, ut delictum in visitatione notum, occultet, & impunitum relinquat; quia hujusmodi delicti revelatio annectitur ministerio spirituali. Ita plures Canonistæ.

IV. Nullam Simoniæ labem incurrit, qui Calicem etiam consecratum vendit, aut emit, dummodò in eo æstimetur sola materia cum forma artificiali, nulla habita ratione consecrationis. Quia Calix semper

remanet secundum se, pretio æstimabilis, ac proindè vendibilis. Dixi *nulla habita ratione consecrationi*, quia si majori pretio venderetur ratione consecrationis, committeretur Simonia, illud enim solum est materia debita venditionis, cujus venditor est Dominus, nullus autem Prælatus est Dominus rerum spiritualium, sed solùm dispensator ut monet Apostolus 1. Corinth. cap. 4. vers. 1. Igitur nullus potest eas vendere, nec emere; hinc est quòd res spirituales, aut spiritualibuslibus annexæ, in quarum confectione, aut largitione reperitur, aut requiritur aliquid temporale cujus possessor, aut collator est Dominus, præcisa spiritualitate, possunt absque Simonia perfici, & concedi, atque comparari pretio aliquo temporali. Quia hoc non est vendere, nec emere spirituale, sed temporale spirituali annexum; alioquin nemo posset vendere Calicem consecratum, nec hæreditatem, aut fundum cui annexum est jus patronatus, quòd est falsum. Nec Sacerdos alicui Parochiæ interesse posset pro Sacramentis administrandis, cum portione, aut retributione congrua, nec Parochiani possent illam dare. Quòd est etiam falsum. Quia hoc non est vendere, nec emere Sacramenta, sed temporale, nimirum laborem Sacramentorum administrationi annexum, cujus Sacerdos est Dominus, cùm non teneatur in hac parochia commorari ex officio, & habeat jus suam desumendi sustentationem, ex labore in exercitio spirituali consumpto.

V. Nullam simoniæ labem incurrit Beneficiarius, qui ut redimat se ab injusta vexatione, pecuniam tradit illi, qui eum impedit apud judicem, nè possideat beneficium suum can. *Dilectus* de Simon; hoc enim non est emere aliquid spirituale, sed solum auferre impedimentum temporale, seu vexationem, quæ cùm injusta sit, potest licitè redimi pecuniâ, si non sit alia via possidendi Beneficium debitè collatum. Sed vexans, qui pecuniam recipit, simoniam committit, ut advertit glossa. Simoniam committeret ille, qui habens jus litigiosum in beneficio, aliquid daret alteri idem jus petendi, ut juri suo renunciaret. Quia illud jus est spirituale, pro quo nulla res temporalis dari potest. Id colligitur ex can. *Mathæus* eod. tit, quo contradictio paucorum contrà electum à majori parte, declaratur vexatio justa, quia præcedit electionis confirmationem, quamvis injusta esset, si fieret post electionis confirmationem, & beneficij collationem.

VI. Quæres an habens jus litigiosum in beneficio, possit absque simonia dare pecuniam alteri litiganti, non pro beneficio quod putat esse suum, & obtinere per judicis sententiam, sed solum ad vitandas expensas, quas ad jus suum defendendum faciet; Pontius noster disp. 57. num. 37 curs. Theolog. affirm. Quia expensæ vitandæ, nō sunt quid spirituale; Sed hæc opinio videtur mihi parùm probabilis: nam finis *qui* in isto casu, saltem ultimus, non est vitare expensas cùm incertum sit, an judex beneficium addixerit ei; sed est velle habere in beneficio jus tutum, ac certum quod fortè non habet. Quia pecunia tunc daretur, nè unus litigantium jus suum prosequeretur, quód idem est, ac velle habere beneficium per pactionem, & per pecuniam illud pacificè possidere: etenim quemadmodum expensæ fiunt in lite pro re spirituali, scilicet beneficio, sic etiam iste beneficiarius vellet vitare expensas pro beneficio possidendo. Quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ex regulis juris cap. 1.

VII. Simoniacum est, per resignationem Beneficium recipere, cum obligatione conferendi illud post aliquod tempus alteri à resignante indicato: hæc quidem resignatio est simonia mētalis confidentiæ propter pactionem, & conventionem inter resignantem & resignatarium, ut constat ex Bulla Pij V. Quæ incipit *intolerabilis*. data an. 1569. confirmante aliam Pij IV. Pro eodem subjecto editam, teste Navarra cap. 23. Si verò nulla intercedat pactio, nullave conventio, resignatarius poterit absque ulla simoniâ resignare in favorem illius, cui renuncians conferri desideraret, & cui primo resignasset, si in prima resignatione fuisset ætate dispositus. (v. g.) si Petrus non resignet in favorem nepotis sui, quia non habet ætatem, sed resignat Paulo absque ulla poctione, conventione, nec obligatione, Paulus poterit posteà resignare in favorem nepotis petri; quin simoniæ labē incurrat, quia Paulus non est minùs liber quàm Petrus, nec nepos minùs capax beneficij, quàm alij clerici, ex eo quod Avunculus idem beneficium habuerit. Simoniæ vitio reus est beneficiarius, qui ut nubat beneficium resignat fratri, aut nepoti puellæ quam vult ducere, ut indè dos augeatur, aut ipsa puella faciliùs consentiat; hoc e-

nim est commutare temporale pro spirituali.

VIII. Quamvis juxta communem Doctorum sententiam, non sit Simonia dare aliquid temporale titulo gratitudinis, occasione beneficij collati, aut rei spiritualis can. *Sicut Episcopum*. 1. quæst. 2. cùm non detur tanquam pretium rei acceptæ; Simonia tamen est dare aliquid temporale, eo animo, ut indè ille, qui recipit, det aliquid spirituale titulo gratitudinis. Et è converso. Quia hoc esset permutare rem temporalem pro spirituali, vel spiritualem pro temporali, aut sacramenta pro pecunia. Quod prohibet Petrus. 1. cap. 5. vers. 2. dicens *pascite qui in vobis est gregem Dei providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, nequè turpis lucri gratiâ, sed voluntarie.* Ille qui re temporali sibi devincit familiarem, aut amicum Episcopi, eo animo, aut pactione, ut pro se, aut sibi conjuncto, beneficium ab Episcopo obtineat, Simoniam committit, quamvis Episcopus, & clericus cui beneficium confertur, hanc pactionem penitùs ignorent. Et clericus posset tutâ conscientiâ beneficium possidere durante ignorantia. Hanc restrictionem appono. Quia statim ac sciret beneficium fuisse pretio obtentum, teneretur illud resignare in manus Papæ, vel legati, vel ordinarij, quia adveniente Simoniacæ pactionis notitiâ, fieret possessor malæ fidei, astrictus obligatione restituendi fructus beneficicii non consumptos, & ex consumptis eos ex quibus factus fuerit ditior, ut de possessore rei alienæ dictum est. lib. 2. cap. 19. num. 2. & 3. An verò Prælatus in cujus manus Resignaret, posset ei idem beneficium conferre? affirmo. Quia purgata per resignationem aliena Simonia, est capax beneficij, modò hæc tria simul concurrant. Primò ut hic resignans, dum de beneficio providebatur, prorsùs ignoraverit illam Simoniam, & conventionem. Secundò ut post quam illam resciverit; sine mora, & quàm primum commodè potuerit, beneficium resignaverit, alioquin esset in culpa, quæ dispensatione Apostolica indigeret. Tertiò denique, ut illud beneficium sit simplex, & non curatum, ad quod solus Papa potest in isto casu dispensare; ita discurrit Cabassutius lib. 5. cap. 3. num. 7. ex can. *Quicumque* can. *præsentium* 1. quæst. 5. & can. *De regularibus* can. ex *insinuatione* de Sim.

IX. Prælatus Beneficium conferens primariò, & principaliter intuitu obsequiorum, Simoniam mentalem committit; etiamsi nullum intervenerit pactum: hoc enim est dare rem spiritualem pro temporali debito justitiæ; cùm obsequia acceptata, aliquam mercedem exigant. Undè si Prælatus, aut beneficiarius intuitu obsequiorum immediatè primariò, principaliter beneficium conferat, Simoniæ labem incurrit. Quia spirituale pro temporali numerat. Idem dico de illo, qui eodem animo obsequia exhibet, quoniam ubi est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio. Dixi *primario*: quia ille, qui primariâ intentione obsequia exhiberet Prælato, aut beneficiario propter ipsius amicitiam, aut alium titulum à beneficio præcisum, Et Prælatus posteà titulo gratitudinis, & amicitiæ conferret ei beneficium: hæc collatio beneficij esset ex utraque parte immunis à labe Simoniæ, aliàs sequeretur, quòd Episcopus non posset beneficium conferre amico quamtumvis digno. Quòd est falsum.

X. Disputant canonistæ, an sit Simonia promittere alicui rem temporalem conditionaliter, seu si ab illo aliquod opus spirituale præstetur? major pars affirmat. Quantum ad nos est, respondemus cùm distinctione. Si opus spirituale eliciendum sit in utilitatem, commodum, aut bonum illius qui illud præstare debet, & opus sit de præcepto. Nulla tunc est Simonia: certum enim est quòd pater v. g. potest filio suo pecuniam promittere, si Sacramenta devote, & reverenter frequentet. Et sic de similibus operibus spiritualibus: ibi enim nullus est contractus onerosus, nullaquè permutatio rei temporalis pro spirituali, sed liberalis donatio in solius accipientis gratiam, & utilitatem; ideoque nulla ibi est Simonia. Si opus sit in utilitatem & commodum illius, qui promittit: existimo quòd tunc est Simonia. Quia est permutatio rei spiritualis pro temporali: nam si clericus promitteret Episcopo pecuniam, ut ei ordinem sacrum conferret, certò ibi esset ex utraque parte Simonia; quamvis Episcopus, aut parrochus possit pecuniam exigere ad præstandum sacrum, & spirituale ministerium, quod ex officio præstare tenetur, si non habeat congrua ad honestam vitam sustentandam stipendia, ut docent communiter canonistæ, dixi *si non habeat*, &c. Quia si habet ex red-

ditibus Ecclesiæ, undè possit honestè sustentari, nihil potest exigere, nec accipere citrà Simoniam, & si quid exigerit tenetur restituere, ut tenent Cajetanus 2.2. quæst. 100. art. 3. & plures alij ex can. *suam nobis* de Simon. præterea *ex redditibus Ecclesiæ.* Quia bona patrimonilia huic exactionis non obstant ex justitia. Rationem incinuat Apostolus 1. Corinth. 9. vers. 13. dicens *nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cùm altari participant.* Nec hoc est contrà justitiam, etiamsi minister sit dives redditibus patrimonij, dixi insuper *& opus est de præcepto.* Quia si sit de consilio, simoniacum est pecuniam promittere sub tali conditione: Simoniam enim committit ille, qui alium ad religionem, aut ad professionem religiosam trahit muneribus, ut docent divus Antonius, Sylvester, & alij.

XI. Quantum ad religionis ingressum: certum est, simoniam contrahi quoties pactio pecuniaria versatur, circà ipsam in Monasterium admissionem; cùm religio sit res Sacra, quæ pecuniâ comparari nequit. Difficultas solùm est, an simonia contrahatur dum pactio pecuniaria versatur circà titulum alimentorum, aliarumque Monasterij expensarum; ita ut pecuniæ pactio fit, ut ingrediens vivat in Monasterio, non verò ut sit Religiosus. Sed quia Monasterium sæpè est inops, difficultas in istud (inopiâ laborans Monasterium) non cadit, tum quia non liceret professionem emittere in hoc Monasterio; cùm nullus posset secùm ferre, undè sustentari posset, nec illud ex Monasterio suscipere. Tum quia in tali casu datur temporale pro temporali, scilicet pecunia, aut dos pro sustentatione ingredientis, quam Monasterium inops dare nequit absque notabili incommodo, quod aliæ personæ Religiosæ pati non debent, ut alia de novo ingrediatur, habitumque suscipiat. Ideoque potest Monasterium inopiâ laborans, aliquid recipere, modò ne plus recipiatur quàm opus sit. Sed cadit in Monasterium commodum; circà quam difficultatem dico cùm divo Bonaventura, divo Thoma, & alijs, simoniam sapere aliquid exigere titulò sustentationis: hoc enim fit prætextu paupertatis, non quidem veræ, ut suppono, sed fictæ, & simulatæ. Ratio est quia Monasterium dives habet redditus, ut possit ingredientem sustentare; quin Moniales incommodum patiantur. qui quidem redditus, quamvis temporales sint, sicut bonum beneficij Ecclesiastici, sunt tamen jus spirituale religiosis acquisitum, quod vendi non potest pactione pecuniariâ futuris religiosis, sed debet gratis conferri: nam ex jure, monasterium tenetur de bonis temporalibus, quæ possidet suppeditare religiosis omnia necessaria, & si temporalia possideat in ea quantitate, ut possit postulanti semel admisso omnia necessaria præstarè, quin religiosi professi incommodum patiantur, tam in communi, quàm in particulari, non debet postulantem mediante pecuniâ recipere, alioquin venderet illi jus, quod tenetur gratis dare postulantibus, cùm ipsis debeatur jus ad bona, quæ superfluunt, seu quæ religiosis professis necessaria non sunt: bona monasteriorum fuere pro Religiosis sustentandis destinata. Igitur dum habens bonum temporale postulanti sufficiens, nequeunt sine Simonia, ab eo superiores. Pecuniam petere: benè verò dum non habent illud bonum quippecum ipse postulans nequeat vivere de bonis Monasterij, nec de eleemosinis ejusdem, necesse est quòd vivat de bonis propriis.

CAPUT XII.

De pænis seu censuris Ecclesiasticis in communi.

I. JUXTA nominis Etymologium, censura deducitur à censendo, sed prout est in usu Ecclesiæ, nihil aliud est, nisi pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica postestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat: dicitur *pœna*, quia ex trideut. sess. 25. de reformat. cap. 3. Judex Ecclesiasticus non potest uti censuris, nisi in causis criminalibus, ut reos puniat propter culpam, ob quam solùm infligitur pœna, juxta 23. regulam juris in 6. quâ non debet quis puniri sine culpa. Ex quo sequitur, censuram non esse inventionem AntiChristi, ut nefariè existimabat Joannes Hus; sed veram, & legitimam pœnam, quâ utitur Ecclesia: sic deffinitum fuit in concilio constantiensi

contrà

contrà articulum 19. ejusdem heretici. Dicitur *spiritualis*, quia non temporalibus, sed spiritualibus privat bonis. Dicitur, *inflicta ab Ecclesiastica potestate*, quia à judice Ecclesiastico dumtaxat infligi potest; dicitur, *hominem baptizatum*, quia hæc potestas ferendi censuras non se extendit ad eos, qui foris sunt. Dicitur, *usu aliquorum bonorum*, quia non privat omnibus bonis spiritualibus, siquidem censurâ ligatus potest esse in gratia, in fide, & in spe, quæ sunt bona spiritualia, ac dona supernaturalia; sed privat tantùm usu aliquorum, qualia sunt sacramenta, suffragia, orationes, exterior conversatio fidelium, &c. Dicitur tandem, *donec à contumacia recedat*, quia ob contumaciam in peccato, suas Ecclesia fert censusuras, easque infligit per modum vinculi facilè solubilis, seu cùm primum reus à cōtumacia recesserit; Ecclesia enim per censuras, animæ perniciem non intendit, nec vult mortem peccatoris, sed resipiscentiam à contumacia, & abstinentiam à peccatis, in quorum pœnam injungit censuras, ut peccator convertatur & vivat.

II. Censurarum species septem numerantur à quibusdam Theologis. Nimirum Excommunicatio, suspensio, interdictum, cessatio à divinis, degradatio, depositio, & irregularitas ex delicto proveniens: sed probabilius est, tres tantum esse censurarum species, scilicet interdictum, suspensionem, & excommunicationem; ut expressè declarant Innocentius III. in cap. *quærenti*: De verbor. signif; & Innocentius IV. in cap. *cum medicinalis* de sentent. excomm. in 6. deindè cessatio à divinis, non est propriè pœna privans hominem usu bonorum spiritualium; sed solùm prohibitio simplex, nè homo exerceat divina misteria, quæ prohibitio validè fieri potest à superiore Ecclesiastico, sine culpa prævia. Idem dicendum de degradatione, & depositione; cùm censura sit vinculum solubile; depositio autem, & degradatio careant spe remissionis; irregularitas etiam à censurarum serie est explodenda: quia irregularitas ex delicto incurritur, quandò aliquis censurâ ligatus ministrat sacramenta; ideo potiùs est censuræ effectus, quàm censura ipsa; vel est canonicum impedimentum ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi ex censura. His non obstantibus, non improbamus adversariorum sententiam, si pœnas Ecclesiasticas sumant largo modo.

III. Censura solet dividi in eam, quæ est à jure, & in eam, quæ est ab homine; Prior est illa, quæ fertur per Sacros Canones, ac constitutiones, quibus præcipitur aliquid esse faciendum, vel omittendum, sub pœna excommunicationis, interdicti, vel suspensionis. Posterior verò est illa, quæ fertur à judice, vel superiore prohibente, vel præcipiente aliquid sub pœna censuræ incurrenda ab eo, qui facit, quod prohibet, vel qui non facit, quod præcipit. Hæ censuræ differunt inter se in eo quod, primò ea quæ est à jure, semper est generalis omnibus his, quibus jus est commune: altera verò potest esse circà plures personas, immò & circà unam determinatè: Secundò, censura juris durat etiam mortuo legislatore, vel amoto ab officio judicis; ejus siquidem vigor existit in lege, quæ post legislatoris mortem obligat: illa verò quæ est ab homine, desinit per mortem, aut amotionem ab officio judicis; non quod mortuo ipso judice, excommunicatus absolvatur, sed quia decretum ab ipso conditum de censura incurrenda, cessat obligare. Tertiò quia prior, si non sit specialiter reservata per canonem, absolvi potest per quemlibet confessarium approbatum: posterior autem à solo judice, aut prælato qui eam decrevit, absolvi potest, vel ab ejus successore, vel ab ejus superiore v. g. à Papa, si censura sit ab Archiepiscopo, & sic de cæteris prælatis Gradatim, aut ab eo cui judex ipse hanc delegaret facultatem, cùm ordinarius possit delegare, & præsertim in materia favorabili, & gratiosa, qualis est absolutio à censuris.

IV. Rursus dividitur in eam, quæ est latæ sententiæ, & in eam, quæ est ferendæ sententiæ; prior est illa, quæ ipso facto absque ulla judicis sententia incurritur perpetrato crimine. Posterior autem est illa, quæ non incurritur ante judicis sententiam, quamvis jam perpetratum sit delictum, sub pœna censuræ prohibitum. Ut hujusmodi censuræ dignoscantur, consideranda sunt verba quibus sententia fertur: nam censura est latæ sententiæ, quandò in statuto, aut lege ponuntur istæ particulæ *ipso facto: ipso iure, vel latæ sententiæ*; vel si verba sint præteriti, vel præsentis temporis, ut dum dicitur, *qui hoc, vel illud fecerit excommunicatur*, *suspenditur*; vel *est excommunicatus* vel *suspensus*. Item si sint imperativi modi v. g. *incidat in an-*

communicationem : ratio est, quia hæc omnia nullam aliam actionem interponunt, ut censura incurratur, ipso solo contraventionis facto. Censura ferendæ sententiæ est, dum verba sunt comminatoria, vel futuri temporis (v.g.) *excommunicabitur* vel *suspendetur*, *si hoc fecerit* vel *decernimus excommunicatum*. Hæc enim verba, & similia insinuant non incurri censuram solo ipso contraventionis facto. In dubio autem an censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ, in gratiam posterioris est judicandum; cùm in dubio circa pœnas, benignior interpretatio sit facienda, juxta 49. regulam juris. 6. idemque judicandum de ista formula, *excommunicationem te noveris incursurum*, quia est comminatoria, ut notat Felinus.

V. Dividitur tandem in justam, & injustam. Prior est illa, quæ fertur ab eo qui justam habet authoritatem, ob legitimam causam, atque servatis de jure servandis. Injusta est illa cui deficit aliqua conditio ex jure requisita; id enim quod fit contrà legem, injustum reputatur: unde cùm lex pro ferenda censura authoritatem, aut jurisdictionem exigat in judice, eique plures præscribat conditiones; censura quæ aliter fertur, debet esse injusta. Hæc subdividitur in validam, & in invalidam. Censura injusta & nihilominus valida, est illa, quæ fertur à judice legitimo ob causam sufficientem, præcedente aliqua admonitione, deficientibus cæteris conditionibus à jure servandis. Censura injusta simulque invalida illa est, in qua deest jurisdictio, seu quæ fertur ab eo, qui legitima caret authoritate, cùm non sit major defectus quàm defectus potestatis: vel si habeat illam, fert censuram sine sufficienti causa: vel si habeat authoritatem ferendi censuram, nec absit sufficiens causa; fert illam absque ulla monitione præmissa: sic Sylvester, Suares, Coninch, Bonacina, Astelanus, & alij. Hæc censura injusta, ac invalida dicitur nulla, & consequenter non est timenda: nec obstat illud sacrum Gregorij Papæ eloquium, *sententia pastoris sivè justa, sivè injusta sit, timenda est*; Quia non est intelligendum de censura injusta, quæ est nulla, & invalida, sed de valida sivè justa, sive injusta sit, juxta communem Doctorem expositionem, quia censura invalida nulli nocere potest, cùm sit nulla.

VI. Censuræ Ecclesiasticæ infligi non possunt, nisi ob peccatum mortale exteriùs opere, completum cùm contumacia. Can. *nemo Episcoporum*. Can. *nullus Sacerdotum*. II. qu. 3. idque non alienum, sed proprium. Can. *si habes* 24. qu. 3. his suffragatur Sacra Tridentina Synodus sess. 25. de reformat. cap. 3. ubi legitur *quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiastica disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris: sobriè tamen, magnaque circumspetione exercendus est: cum experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur: magis contemni quàm formidari &c.* suffragatur etiam ratio, nam censuræ sunt pœnæ gravissimæ, quæ gravissimis culpis duntaxat respondere debent, non autem venialibus, nec gravissimis merè internis, seu opere non completis, quippecùm impositio pœnæ sit odiosa, & ideo semper restringenda, est benignè interpretanda; & consequenter infligenda tantùm, ob peccata gravissima, id est mortalia opere completa. Dixi *cùm contumacia*. Quia censura est pœna medicinalis, quæ non exhibetur, per modum ultionis, aut vindictæ, sed per modum salutaris medicinæ, ad retrahendum hominem à peccato; hinc est quòd, qui vult percutere clericum, si verè non percutiat, vel quia erravit, vel quia impeditus fuit, vel aliter, seu quia posteà noluit; censuram Ecclesiasticam non incurrit, quamvis antè percussionem actio ex parte delinquentis, sit perfecta.

VII. Indè patet innocentem injustè materialiter, seu ex defectu materiæ excommunicatum, id est sine culpa mortali sibi propria, non privari suffragiis Ecclesiæ, nec teneri in foro conscientiæ abstinere se à consortio hominum, aut se gerere tanquam excommunicatum, modò absit scandalum, nec præsumatur contemptor censuræ, quia censuras contemnentem anathematizat Nicolaus 1. Epist. 9. & si Sacerdos sit, potest privatim secluso scandalo celebrare Missam, atque adhibita eadem præcautione, administrare pœnitentiæ Sacramentum: licet enim habeatur in foro externo pro excommunicato, nihilominus apud Deum, ac in foro conscientiæ, perindè est, ac si talis censuræ judicio non fuisset ab hominibus, nisi vel per malitiam, vel per errorem notatus. Ita tenet communiter opinio, quæ docet hominem sine causa sufficienti excommunicatum, nullum aliud nocumentum suscipere per censuram, nisi novam obligationem vitandi

ſcandali, & contemptus Eccleſiæ: quia ſecundum rei veritatem deeſt Canonicum fundamentum, utpotè juſta cenſuræ cauſa, Can. *Si quis non recto.* 24. qu. 3. ubi legitur, *Si quis non recto judicio eorum qui præſunt Eccleſiæ debellatur, & foras mittatur, ſi ipſe non ante exiit hoc eſt, ſi non ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo quod, non recto judicio ab hominibus videtur expulſus; & ita fit ut interdum ille, qui foras mittitur, intus ſit, & ille foris, qui intus retineri videtur.*

VIII. Nullus Superior declarare poteſt inferiorem ſuum in cenſuram pridem, vel à jure, vel ab homine latam incidiſſe, abſque. prævijs citationibus, ut reus in jus veniat, ſui facti rationem redditurus, Can. *inter quatuor.* De majorita, & obedient. undè meritò reſcindenda eſt ſententia, quam citatio non præceſſit, quia ſententia lata contrà eum, qui nullo modo citatus fuit, nulla eſt ipſo jure, & præſertim ſententia excommunicationis, quæ inter pœnas eſt maxima; Idem ſuadet ratio hæc: juſtum non poteſt haberi judicium, & præſertim in cauſa pœnæ, niſi parte legitimè citata, ut jus ſi quod habeat, tueatur, ſuaſque proferat exceptiones, ſibique objecta repellat, ut culpam ſuam agnoſcat, & fateatur; ſecùs enim malitiæ daretur locus puniendi innocentem; nec Sacri Canones pro valida cenſura cauſam præſcribentes, eſſent in gratiam inferiorum, cùm tantam pœnam ſubire tenerentur toties, quoties Superiores vellent, ſed eſſent ſolùm in gratiam Superiorum, quòd falſum eſſe proclamat univerſum jus canonicum, præcipiens citationem eſſe neceſſariam, ad ferendam excommunicationis ſententiam, nè innocentes odio, ignorantiâ, aut vindictâ puniantur.

IX. Judices non poſſunt audire teſtes pro ferenda excommunicationis ſententia, antequam citent partem; nam receptio teſtium contrà non citatum facta, eſt penitùs nulla Can. *in nomine Domini* de teſtib. & atteſtat. ideoque minimè laudanda eſt cum felino in cap. *cùm ab homine*, & Armilla verba *citatio.* Praxis, quâ judices partem non citant. niſi auditis teſtibus; debet obſervari, præſertim inferendis cenſuræ ſententiis; cùm illa teſtium receptio contrà non citatum ſit jure nulla. Caveant igitur prælati, nè ſubditos denuntient excommunicatos à jure, antequam audiant ipſos, ut videant an reverà in cenſuras inciderint, nè errore decipiantur, & nè incomperta facti veritate judicium proferant, & innocentem puniant.

X. Si verò cauſa ob quam cenſura fertur, ſit dubia? itaut ligatus dubitet, an cauſa ſit? vel an ſit digna notari cenſurâ? tunc debet ſe gerere, ac ſi eſſet verè excommunicatus, quia in periculo animæ, tutior via eſt eligenda; nam in dubio, Superioris judicio ſtandum eſt, eique parendum, cùm habeat jus ferendi cenſuras. Ita Sayrus, Suarez, Henriques, Filiucius & alij. Et ſi contrà quis fecerit, incidit in omnem pœnam à jure ſtabilitam propter inobedientiam, quia in dubio tenetur obedire Superiori, qui cùm cenſeatur velle ſalutem inferiorum, ipſius judicio adhærere debet inferior, dum de delicto eſt incertus, aut dubius de cenſura.

XI. Dum prælatus per ſecretas relationes fide dignas habet notitiam criminis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ prohibiti, & ipſe prælatus non vult ſubditum denunciare excommunicatum, ob vitanda Emerſura ſcandala, aut aliqua damna, quæ vitare judicat neceſſe: tenetur eum admonere, & privatim abſolvere, nè cenſura ligatus remaneat: & ſi poſt privatam admonitionem, & delicti confeſſionem, reus abſolutionem recuſet; Prælatus poteſt verbaliter ipſum interdicere, ac ſuſpendere ab ingreſſu Eccleſiæ, Sacramentorum acceſſu &c. tunc enim reus remaneret verè excommunicatus, etiamſi non eſſet publicè denuntiatus, nec vitandus.

XII. Ut cenſura, quæ ab homine fertur circà delictum præſens cùm contumacia conjunctum, ſuum ſortiatur effectum; neceſſariò requiritur, ut trina præceſſerit admonitio cap. *de presbyterorum.* Secùs enim cenſura erit injuſta, & nulla: ſi verò contingat non tres, ſed unam, aut alteram præceſſiſſe admonitionem, valida quidem erit cenſura; ſed tamen injuſta, & per Superiorem relaxanda. Ita communis opinio. Unde controverſia eſſe poteſt, an ſi hæc cenſura ſit à jure, non latæ, ſed ferendæ ſententiæ; judex poſſit ſtatim contrà reum abſque ulla prævia monitione cenſuram ferre? Bonac. de cenſuris diſp. 1. qu. 1. punct. 9. num. 4. Filiuzius tract. 11. num. 95. & alij affirmant, eorum ratio eſt. Quia jam per legem prohibitivam, ſufficiens facta fuit admonitio, ac proinde delinquens

jam est contumax Ecclesiæ, & potest statim ligari censurâ, seu contrà ipsum ferri excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententia. Ex adverso Caietanus verb. *præcepto*. Covarruvias, Suarez, Layman, & plures alij negant: volunt enim requiri admonitionem peculiarem à prohibitione legis distinctam; hæc posterior sententia videtur mihi probabilior. Quia naturale intercedit discrimen inter censuram latæ sententiæ, & censuram ferendæ sententiæ; illa statim incurritur, ista verò solum per sententiam ferendam, quæ cùm nisi contrà contumacem ferri possit; ideo reus est à judice admonendus, ut agnoscat ipse judex, an reus sit contumax Can. *nemo*. Can. nullus II. qu. 3. illicitum enim est infligere pœnam ob crimen merè prætensum, aut emendatum, ut patet ex cap. *reprehensibilis*. De appellat. ubi ab onere admonitionis faciendæ judex eximitur solùm, quandò censura est ipso jure lata. Ad rationem adversantis sententiæ respondendum est, prohibitionem non esse sufficientem admonitionem. Quia sæpe necessitas dispensat delinquentem à contumacia, & contemptu, sicque antequam judex sententiam ferat, necesse est ut reum admoneat, & videat an sit contumax, vel non: etenim in quolibet judicio partes sunt audiendæ.

XIII. Ut aliquis polleat potestate ferendi censuras, necesse est, ut sit clericus, quia tonsura facit hominem capacem Ecclesiasticæ jurisdictionis, quæ laïcis minimè competit. Requiritur insuper, quòd sit judex in foro externo, habensque sub se subditos, cujusmodi sunt Prælati, sivè sæculares, sive regulares, scilicet Episcopi, Generales, Provinciales ordinum, & alij, quibus competit jurisdictio Ecclesiastica in subditos: ita concilium tridentinum sess. 25. de reformat. an verò laïcus possit Papâ dispensante ferre censuras? Respondetur affirmativè, cùm de jure humano, & Ecclesiastico sit, potestatem spiritualis jurisdictionis, solùm à clericis exerceri posse; ideoque summus Pontifex, qui est supra jus canonicum, & positivum, potest in tali jure dispensare: can. *Proposuit*. De concess. præb. hanc potestatem ferendi censuras, etiam fœminis concedunt Paludanus, [illegible]ius, Reginald. Sotus, & alij quos refert, & sequitur Bonacina de censuris. disp. 1. punct. 2. num. 4. modò interveniat summi Pontificis dispensatio: at non placet hæc opinio. Quia potestas ferendi censuras ex illo Math. 18. *Quocumque ligaveritis super terram*, &c. Expressa, non fuit à Christo concessa fœminis: quia sunt incapaces ordinis, & potestatis clavium; ergo non patet undè possibile sit hujusmodi potentiam posse concedi fœminis, cùm sit potestas eminentialis, & absolutæ respectu fidelium, quæ fœminis repugnat ex natura rei: ita Coninch. disp. 13. dub. 4. num. 33. Avila 1. p. dub. 6. & Ledesma; indè infertur abbatissam non posse moniales suas excommunicare. Hic obiter observa, potestatem ferendi censuras posse consuetudine, vel præscriptione acquiri: ita Diana part. 5. tract. 9. resol. 42. ex cap. *Romana*. De sentent. excomm. in 6. Ratio est, quia jurisdictio potest consuetudine acquiri: can. *cùm contingat*. De foro compet. Sicut consuetudine potest introduci.

XIV. Sacra tridentina Synodus loco cit. vetat judicibus Ecclesiasticis facilem censurarum usum, vultque ipsos solùm in causis criminalibus uti censuris. Utinam igitur omnes Prælati hanc servarent constitutionem: non enim modicum malum est hujusmodi censuris, facilè ligare fideles: quare Scotus noster in 4. distinct. 19. §. *de quinto*. Valde detestatur frequentem excommunicationis usum, & reprehendit quosdam Prælatos, eosque fatuos vocat, quia faciles erant ad excommunicandum: excommunicatio (inquit) est gladius Ecclesiæ, qui ab Apostolis raró invenitur extractus; in omnibus enim Epistolis Pauli invenitur quod excommunicaverit tantùm tribus vicibus, 1. ad Corinth. cap. 5. *In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, & meo Spiritu, cùm virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit, in die Domini nostri Jesu Christi*. Secundo censura à Divo Paulo lata habetur ex Epis. 1. ad Timoth. cap. 1. vers. 19. & 20. ubi ait, *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circà fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare*. Tertia verò colligitur ex Epist. ad galat. cap. 1. vers. 8. ubi inquit, *sed licet nos, aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis, præter quàm quòd Evangelizavimus vobis Anathema sit*. Undè cùm Apostolus, qui primò excommunicatione usus est, ex concil. Coloniens. 2. part. 13. cap. 1. Raró

excommunicaverit, & ſolum obgraviſſima delicta; damnabilis eſt pronitas quorumdam fatuorum ad excommunicandum; ut docuit Doctor Subtilis. Nec obſtat eumdem Apoſtolum 1. Corinth. cap. 5. ad Theſſal. 2. cap. 3. prohibuiſſe bonis communicationem cùm malis, ſeu excommunicatis, & per conſequens ab eodem Apoſtolo ſæpe extractum fuiſſe excommunicationis gladium: non obſtat inquam, quia in iſtis locis, Apoſtolus non fert excommunicationis ſententiam, ſed ſolum declarat excommunicatos eſſe vitandos.

XV. Nulli Prælatorum licet cenſuram ferre in cauſa propria, per modum judicis; can. *inter querelas* 23. quæſt. 4. Ratio eſt, quia nemo poteſt eſſe judex in propria cauſa, ut obſervat gloſſa, verbo *propriè*. Idem docent communiter Canoniſtæ, quamvis teneant cùm Innocentio IV. cap. *dilecto*. De ſententia excomm. in 6. in propriam deffentionem ad vitandam injuriam, aut violentiam, quam ſubditus vult illi irrogare, poſſe cenſvras ferre; hac ratione, quia vim vi repellere licet, nec tunc procedit ſicut judex, ſed ſicut ſui ipſius deffenſor: ita Villalobos, Filliucius & alij; in hoc enim caſu licet cenſura habeat rationem pœnæ, tamen primò, & per ſe non infligitur ut pœna ad vindicandum delictum, ſed ad præcavendum majus malum, quod Prælatus jure naturali impedire poteſt, ut colligitur ex hac. 20. regula juris in 6. *Nullus pluribus uti deffenſionibus prohibetur*. Idem licet, non ſolùm per modum deffenſionis, ſed etiam per modum judicij propriè dicti, ſi cauſa contrà Prælatum commiſſa, ſit ita manifeſta, ut non poſſit negari, nec indigeat examinari: ita Abbas in cap. *cùm veniſſent*. De judiciis. Diana, & alij; ratio eſt, quia tunc judex, aut Prælatus non cenſetur agere, nec uti ſua poteſtate in cauſa propria, ſed in cauſa communi.

XVI. Ut cenſuræ ſint validæ, judex debet eas neceſſariò advertere, & intendere eas infligere; quia ſi non advertat quid agat, non agit ut homo, nec ut judex, ſicut ad validitatem cenſurarum requiritur: & ſi eas infligere non intendat, non fert eas validè; cùm actionum humanarum valor ab intentione agentis omninò dependeat: indè ſequitur quòd quandò Prælatus præcipit, aut prohibet aliquid ſub cenſura, ſine intentione ligandi, ſed ſolùm ad inferendum metum, ceſura non incurritur, quia lex non obligat pluſquam legislator obligare intendit, ut liquidò conſtat in omni cauſa moraliter agente.

XVII. Gravis difficultas eſt, an cenſura lata à judice vi, & metu cadente in virum conſtantem ſit valida? Coninch. diſp. 13. dub. 5. Bonacina diſp. 1. de cenſuris quæſt. 1. punct. 12. num. 1. Filincius, Villalobos, & Leander affirmant, eò quòd cenſura ſic lata, non ſit invalida jure naturali, cum voluntas coacta coactione non obſtante, ſit libera, ut docent Ariſtot. 3. Ethic. cap. 11. & l. *Mulier* §. *ſi metu* ff. *quod metus cauſa*. Nec jure poſitivo; cùm nullum ſit jus canonicum, quo irritetur talis cenſura. At quia non convincit hæc ratio, oppoſitam tueor ſententiam; ille enim non eſt excommunicatus, qui abſolutè coactus communicat cùm excommunicato, ut declarat Innocentius III. in cap. *Sacris* de ijs, quæ vi, & metu. Ergo ſimiliter nullam cenſuram contrahit, qui tali modo id eſt à judice coacto, fuit excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus. Præterea abſolutio à cenſura vi, & metu cadente in virum conſtantem expreſſa, ac extorta, nulla eſt, juxta decretum Gregorij X. in Generali Concilio Lugdunenſi relatum in cap. unic. Ejuſdem tituli in 6. igitur ex vi juris canonici, invalida eſt etiam cenſuræ ligatio, vi & metu impoſita, quia Dominus pars jus ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, inquit D. Ambroſius citatus in cap. *Verbum*. de pœnitent. diſt. 1. deinde jus canonicum mitius eſt ad ſolvendum, quàm ad ligandum, ut fatentur omnes canoniſtæ: undè ſi abſolutio quæ eſt actus miſericordiæ, ſit irrita, & nulla ratione metus, & violentiæ; multo magis irrita, ac nulla erit cenſuræ ligatio, quæ eſt odioſa, & reſtringenda: Sic hugolinus tab. 1. cap. 2. §. 4. num. 2. Sayrus lib. 1. cap. 16. num. 9. Suarez diſp. 2. ſect. 5. num. 2. & alij. Ad rationem adjutam in oppoſitum. Dico talem actum eſſe involuntarium, quamvis voluntas ſit libera. Quia agit modo in debito ſeu coacto, & ferens ſic cenſuram, cenſetur nolle ligare, licet exteriùs cenſuram ferat.

XVIII. Cenſurâ jam ligatus poteſt iterum alijs ligari cenſuris diverſæ rationis, ut probat Eccleſiæ praxis, quæ creſcente in homine contumacia, plures multiplicat cenſuras: nulla ſiquidem eſt repugnantia, quòd is, qui excommunicatus eſt, poſſit ſuſpendi, aut interdici; & è converſo, ut

declarat Joannes VIII. in con. *Engeltrudam*. 3. quæst. 4. ita Bonacin. disp. 1. punct. 5. num. 1. Henriquez lib. 13. cap. 14. num. 4. Diana, & alij. Deindè aliquis potest absolvi ab una excommunicatione, & remanere in alia: Ergo liguri potest pluribus censuris. Hic tamen observandum est, quòd si censuræ sint ab eodem judice, si absolverit ipse judex ab una excommunicatione, ligatus censetur absolutus ab omnibus, nisi contrarium exprimatur.

XIX. Utrum Vicarius Generalis Episcopi publicè excommunicati, possit validè ferre censuras? Duæ sunt opiniones. Richardus in 4. disp. 18. art. 10. quæst. 4. Sylvester, Armilla, & alij affirmant: sed sententia opposita est valdè probabilior, quia Vicarius Generalis Episcopi non est successor ejusdem Episcopi excommunicati; cùm jurisdictio Vicarij Generalis, & jurisdictio Episcopi sint una eademque jurisdictio, & pro una eademque persona reputentur Episcopus, & Vicarius Generalis in potestate jurisdictionis: unum quippe & idem tribunal habent in Diœcesi, quâ de causa à sententia Vicarij, aut Officialis Generalis non appellatur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum cap. *Romana* de appellatione in 6. sicque ea, quæ Vicarius Generalis exercet, Episcopo manente excommunicato, non valent; si jurisdictione ab eo accepta hæc faciat, ut declarat Innoc. IV. in can. *Romana Ecclesia*. De offic. Vicar. in 6. undè cùm Episcopus excommunicatus, denuntiatus, & vitandus nequeat validè excommunicationem ferre, neque ejus Vicarius Generalis eam ferre potest. Huic sententiæ subscripserunt Rebuffus in praxi benef. tit. de forma Vicar. tract. 16. diffic. 6. Villalobos tract. 16. diffic. 6. Avila, & alij gravissimi Doctores, quia quotiescumque Episcopus recusari potest, ut suspectus, vel ut inabilis, eo ipso suspectus ac recusabilis est ejus Vicarius Generalis, & Officialis, can. *Insinuante*. De off. judic. delegat. sed Episcopus censurâ ligatus potest recusari, dato quòd judicare, & excommunicare velit; ergo & ejus Vicarius recusari potest; cùm vices Episcopi sustineat, & ab ipso in sua jurisdictione dependeat: Idem dico de absolutione concedenda in eodem casu. Quamvis absolutio viâ ordinariâ non detur nisi contrito. Tamen potest validè conferri stante contumaciâ, si judicetur expendire saluti personæ excommunicatæ: quia excommunicatio fertur propter bonum animæ.

XX. Vicarius Episcopi à Barbaris in captivitate detenti, nequit censuras validè ferre, ut ait Bonifac. VIII. can. *si Episcopus*. De suppleñd. neglig. Prælat. in 6. ubi ille summus Pontifex sic loquitur, *si Episcopus à paganis, aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed capitulum, (ac si sedes per mortem vacaret) illius in spiritualibus, & temporalibus ministrare debebit, donec eum libertati restitui, vel per sedem Apostolicam super hoc per ipsum capitulum quam citò commodè poterit consulendam, aliud contigerit ordinari*. Hac authoritate pontificia capitulum est in eodem jure, quod habet mortuo Episcopo, aut sede vacante; sed tunc cessat jurisdictio Vicarii Generalis, ut habetur ex jure; cessat etiam in nostro casu, in quo Episcopus juxta decretum Bonifacij VIII. reputatur mortuus: nequit igitur ferre censuras.

CAPUT XIII.

De censurarum forma & subjecto.

I. PRÆTER conditiones in præcedenti capite assignatas pro censurarum validitate, aliæ requiruntur, quas hic deducere pernecessarium est. Undè ut censura sit valida debet proferri verbis, vel scriptis, quia est gladius Ecclesiæ sensibilis, ex trident. sess. 25. de reformat. cap. 3. qui lege, aut sententiâ debet ferri, & consequenter verbis, aut scripto exprimi; nunquam verò nutibus, quidquid dicant non nulli cum nostro Villalobos. Nec valet eorum ratio de matrimonio in quo sufficiunt signa sensibilia, contrahentium voluntatem exprimentia; quia istud matrimonij Sacramentum non confertur per modum pœnæ, & sententiæ sicut censura, sed per modum beneficij, & Sacramenti, ad cujus collationem sufficit consensus recipientis, & conferentis expressus signis ministrorum (putà contrahentium) cùm in isto Sacramento forma non consistat in verbis, sicut in alijs. Deindè plures sunt censurarum species, ut jam supra dictum est, undè ut judex exprimat pœnam, quam vult infligere, & ligatus eam agnoscat, necesse est quòd judex ipse voluntatem suam

manifeſtet verbo, vel ſcripto aliquo.

II. Ad inferendam validè cenſuram, nulla reperiuntur in jure Canonico determinata verba: ſufficiunt enim quæcumque judicis intentionem exprimentia. Ut (v.g.) *excommunico te* vel *ſubjicio te excommunicationi*. Sic docent communiter Canoniſtæ. Nihilominus verba debent eſſe determinata quoad ſpeciem cenſuræ; nam ſi Prælatus in ſubditos ſuos ferret cenſuram per hæc verba, *quicumque exierit, & arma tulerit, ſit cenſura ligatus* vel *eum cenſuris ſubjicio*: tunc cenſura eſſet nulla, & invalida. Quia verba nullam determinant ſpeciem cenſuræ. Tum quia forma, quæ nihil determinatè ſignificat, nihil determinatè efficit, cùm verba non plus efficiant, quàm ſignificent: tum quia ſicut præceptum ſuperioris non obligat, niſi in ſpecie determinet actum, quem præcipit, nec ſententia judicis damnans ad pœnam obligat, niſi talis pœnæ ſpecies exprimatur, utpotè excommunicatio, interdictum, aut ſuſpenſio, quæ ſunt ſpecies cenſuræ.

III. Maxima controverſia eſt inter Canoniſtas, an cenſura lata ſub disjunctione (v.g.) *excommunico, vel ſuſpendo, aut inter indico te*. Sit valida? itaut ſubditus ſit ex illa forma excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus. Suarez diſp. 3. ſect. 2. num. 12. Filiucius, Bonacina loc. cit. num. 4. & alij affirmant: quia judex intendit, ut delinquens unam cenſurarum illarum incurrat, ita ut liberum ipſi ſit ſe ſe applicare ad quam partem voluerit, ſicut patet in ſimili ſententia ſic lata, *condemno reum ut ſolvat ducentos nummos, vel mittatur ad triremes per biennium*. Vel à cõfeſſario injungente pœnitenti ſatisfactionẽ cùm disjunctione ut v.g. dum dicit illi; *jejunabis per duos dies, eleemoſynã dabis*. Hac ſimilitudine præcitati Doctores probant cẽſuram ſub disjunctione latam eſſe validam. Raſtelius de cenſu. in genere quæſt. 5. art. 1. num. 8. & 9. eamdem tenet ſententiam, ſed addit hanc cenſuram eſſe validam quoad omnes partes ſimul, vultque ſubditum eſſe verè excommunicatum, ſuſpenſum, & interdictum; quia inquit, non eſt major ratio ob quam cenſura potiùs unum, quàm alium inferat effectum, ſcilicit ob quam delinquens ſit potiùs ſuſpenſus, aut interdictus, quàm excommunicatus. Hæc ſententia eſt potiùs improbanda, quàm altera; cùm improbabile ſit judicem velle ſimul delinquentem excommunicare, ſuſpendere & interdicere, ſicut improbabile eſt, quòd judex condemnans reum ad ſolutionem debiti vel ad triremes; intendat quòd ſolvat, & ad triremes mittatur: nam ſi hæc eſſet ejus intentio, minimè uſus fuiſſet disjunctione, ut ab ipſo delinquente tollerentur dubium, & contemptus cenſuræ, cùm non abſque fundamento poſſet ſe reſolvere, ad nullitatem hujus cenſuræ in tanta amplitudine latæ, præſertim cùm unuſquiſque ſciat odia eſſe reſtringenda. Prior ſententia eſt probabilis cùm judex intendat aliqua delinquentem ligare cenſurâ; ſed eſt nimis dura, & rigoroſa, quia delinquentem cogit ad electionem ſupplicij ſui, & ponit eum in periculo eligendi pœnam majorem eâ, quam judex intendit, niſi ipſe judex verbo, vel ſcripto relinquat eam ipſius arbitrio, quod non ſupponimus.

IV. Negativa tamen ſententia videtur mihi probabilior; nam, ut num. 1. dictum eſt, cenſura, quæ non fertur per verba deffinitiva quoad ſpeciem cenſuræ, eſt invalida; ſed hoc contingit in noſtro caſu, ut probat disjunctio, nec unam ſpeciem determinatam exprimit forma, cùm omnes ſpecies cenſuræ nominentur: ergo cenſura lata ſub disjunctione eſt nulla, & invalida, cùm verba non efficiant determinatè id, quod non ſignificant determinatè. Quantum ad rationem adverſariorum pro prima ſententia adductam, dico quòd non valet; in illis enim caſibus ſuprà allegatis de judice, & confeſſario ſententia eſt per modum ſolutionis, & favoris, cum tendant ad remiſſionem delicti majori pœna digni, ſicque pœna cenſetur delinquentis arbitrio relicta: cenſura verò eſt pœna merè inflictiva, ac punitiva prorsùſque odibilis, quæ effectum habere non poteſt, niſi in quantum determinata fuerit: nec tenetur delinquens ſubire pœnam dum dubitat, an fuerit illi inflicta, vel non? Quia pro ipſo ſtat poſſeſſionis conditio, eſtque in jure volendi id, quod eſt ſibi meliùs, ſeu privationem cenſuræ: undè cùm in noſtro caſu delinquens dubitare poſſet, an fuerit excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus, ſequitur quòd valet licitè nullam cenſuræ pœnam ſubire. Donec dubium deponatur. Ita Sylveſter, verbo. *Suſpenſus* quæſt. 6. num. 5. Ugalinus Sairus lib. 4. cap. 7. num. 31. Panormitanus, & alij graviſſimi.

V. His non obstantibus censura lata sub hac forma, *excommunico te*. Est valida: quamvis non exprimat speciem excommunicationis, majoris scilicet, aut minoris, tunc enim major incurritur, quia excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de majori, ut præcipit Gregorius IX. in cap. *Si quem*. De sentent. excomm. secùs dicendum est de suspentione, quæ speciem non exprimit, scilicet ab officio, nec à beneficio, ut (v. g.) dum judex censuram sic profert, *suspendo te*. Quia de tali censura nullus existit in jure Canonico textus, quo intelligenda sit suspensio ab officio, potiùs quàm à beneficio; sicut existit de excommunicatione majori, toties, quoties Prælatus excommunicat sub hac forma; *excommunico te*. Ita Suarez, alijque plures contrà Bonacinam. Si verò contingat suspendendum nullum habere beneficium, debet se ab officio credere suspensum; quia tunc hæc sententia, *suspendo te*. Censetur cadere in officium; cùm ad idem sit determinata; sicut ista, *absolvo te*. In Sacramento pænitentiæ, est determinata ad peccata confessa.

VI. Ut censura valida sit, necesse est exprimere personam, in quam fertur; licet hæc determinatio personæ non fiat semper eodem modo; interdum enim fertur sententia contrà particularem personam distinctè cognitam, & tunc determinari debet, vel per proprium nomen, vel pronomen, aut per quodlibet aliud signum speciale, seu titulum, vel officium quo ipsa persona fungitur. Quandò autem persona est occulta, debet ferri per ordinem ad delictum, nimirum sub hac forma, *excommunico eum qui hoc fecit*. Ita omnes Doctores. Necesse est insuper exprimere tempus præsens; quia futurum, suspendit effectum; ideoque censura absolutè prolata, est nulla, si determinetur ad tempus futurum: quamvis vera, ac valida sit, dum fertur sub conditione peccati in futurum committendi, ut v. g. dum dicitur, *quisquis tale furtum faciet, sit excommunicatus*. Ut declarat Clemens III. Can. *à nobis*. De sentent. excommunic. ubi ille summus Pontifex de hac forma excommunicandi interrogatus, respondet omnes subditos sub illa comprehendi; & ideo certum est quod ille, qui furtum posteà perpetrat, remanet excommunicatus, modò sit inferior judicis, qui talem tulit sententiam; alij verò subditi, aut inferiores remanent liberi à censura, & à periculo incurrendi ipsam conditione semel impleta, seu furto prohibito semel perpatrato. Ab uno. Quia judex determinando rem furandam, unum tantùm determinat furtum. Nec obstat adducere in oppositum authoritatem Innocentij IV. Can. *Romana Ecclesia* Cod. tot. in 6. ubi Papa improbat censuras latas per sententias conditionatas pro culpis futuris, aut præteritis: ratio est, quia textus non agit de formali prohibitione, sed de admonitione quadam, nè judices hujusmodi sententias facilè proferrent, & ut cum magna circunspectione, aut cautione id facerent: sic Filiutius tract. 11. cap. 3. quæst. 8. num. 66. & 67. hinc est quòd censura, quæ sub conditione fertur, non incurritur, donec adimpleatur conditio, ut docent panormitan. Covarruu. & alij, quia licet conditio sit præsentis temporis, tamen denotat effectum futurum.

VII. Censura, quæ sub conditione fertur, suspenditur per legitimam appellationem illius, in quem lata fuit. Modò appellatio fiat antequam adimpleatur conditio, Can. *Propterea requisiti fuimus*. De appellat. suppositò autem quòd per talem appellationem, judex pronuntiet sententiam censuræ, nulla excommunicatio incurritur, nam si effectus censuræ suspendatur durante conditione, & cognitio causæ per appellationem devolvatur ad Superiorem, seu ad judicem ad quem, ad eumdem devolui debet etiam sententia censuræ. Cùm ad ipsum non devoluatur cognitio causæ, nisi, ut sententiam proferat, si causa sit justa Alterius lib. 3. disp. 5. cap. 1. vers. *quare* Eamdem opinionem admittit, sed addit conditionem, nimirum appellationem suspendere effectum censuræ latæ sub conditione, modò intra decem dies interponatur, etiamsi jam adimpleta fuerit conditio; sed hæc opinio displicet. Quia ex cap. *Pastoralis* §. *verùm*. De appellat. & cap. *is cuj.* de sentent. excommunic. in 6. Appellatio à censura absolutè lata, est nulla quoad effectum suspensivum: sed adimpleta conditione, censura fit absoluta, si nulla præcesserit appellatio; ergo appellatio facta intra decem dies, non suspendit effectum censuræ, si priùs adimpleta fuerit cōditio: & appellatio debet fieri antequā adimpleatur conditio. Si verò contingat judicem mori, conditione pendente, etiamsi adimpleatur ante appellationem, aut si nulla inter-

ponatur appellatio, non valet sententia, quia censura quæ est ab homine desinit per mortem, aut ab officio judicis amotionem, ac proindè mortuo judice, non valet ejus sententia sub conditione lata, si post mortem adhuc subsistat conditio. Secus dicendum est si contingat illum, in quem lata fuit censura, mutare forum pendente conditione; quin appeller; quia censura incurritur, dum advenit conditio non obstante fori mutatione; tunc enim effectus censuræ pendet à conditione, & sententia stat in foro judicis, qui tulit eam.

VIII. An verò censura lata sub conditione, suspendatur per appellationem factam quocumque tempore antequam adimpleatur conditio? Navarr. Covarru. & alij quos refert, & sequitur leander quæst. 17. affirmant; modò nondum adimpleta sit conditio, etiamsi decem dies ad appellandum, concessi fuerint lapsi: quia inquiunt, sententia censuræ incipit ligare à die conditionis impletæ, & consequenter modò nondum adimpleta sit conditio, appellatio valet. ex opposito Filiutius, Ugolinus, & alij contrariam tuentur opinionem, quæ asserit appellationem esse interponendam infrà decem dies, à die sententiæ: sed prior opinio videtur mihi probabilior, quia juxta jus Canonicum, ut appellatio excuset à censura incurrenda, debet fieri antequam conditio adimpleatur, seu antequam conditio incurratur; & ideo existente conditione valet appellatio, ut suspendatur censuræ executio; cùm appellatio sit suspensivà, & executio non sit, antequam adveniat conditio; licet ab aliis sententiis appellandum sit, intrà tempus à jure præfixum, scilicet intrà decem dies. Ratio discriminis est: Quia ad excommunicationis validitatem requiritur contumacia, quæ hic non reperitur: nec homo est verè contumax, nisi tempore adimpletæ conditionis, cum quà res præcipitur, aut prohibetur sub pœna excommunicationis: igitur cùm non incurratur censura, nisi adimpletà conditione, sequitur quòd tandiù valet appellatio, quamdiù censura est incurrenda.

IX. Consensus partis in cujus favorem lata est censura sub conditione, impedit effectum ejus; etiamsi in id consentiat inconsultò judice: quia cessante causa censuræ (v. g. si satisfacta parte, debitum condonetur debitori) cessat etiam ipsa censura sub conditione lata, etiam nesciente judice, qui ad instantiam partis protulit eam: nam consensus partis æquivalet restitutioni rei ablatæ, & consequenter quandò ipsa pars suum præbet consensum creditori, aut alteri censurâ ligando, effectus suspenditur Ita Suarez disp. 3. sect. 6. Silvester, verbo *excommunicatio* 2. num. 1. casu 13. si verò pars tantùm proroget terminum solutionis, aut satisfactionis à judice præfixum, tunc consensus non impedit incursionem censuræ, nec eam suspendit; nisi ipse judex consentiat: quia licet pars, cui exhibenda est satisfactio in tali tempore à judice præfixo, possit tollere motivum censuræ, condonando debitum, non tamen potest effectum censuræ prorogare. Quia prorogare, aut suspendere effectum censuræ, aut censuram ipsam, est effectus jurisdictionis, quam non habet ille ad cujus instantiam lata fuit sententia censuræ sub conditione; quamvis possit tollere motivum, seu debitum, quo sublato, antequam adveniat conditio, judex non intendit excommunicare.

X. Major difficultas est, an mortui possint ligari censura? Tabiena verbo, *excommunicatio* 4. Richardus, Abbas, & alij affirmant Ecclesiam posse excommunicare, & Anathematizare mortuos, idque probant ex Can. *Sané*. 24. qu. 2. ubi habetur hæreticos post mortem esse Anathematizandos, & ex cap. *neque* dist. 88. ubi refertur Cyprianum propter speciale crimen, quemdam excommunicasse mortuum. Ex adverso Villalobos, Bassæus, Bonacina, Ægidius, & alij negant. Hæc secunda sententia videtur mihi probabilior, tum ex Can. *legatur*. 24. qu. 2. ubi Gelasius Papa expresè declarat Ecclesiam viventes posse ligare, & solvere; mortuos autem non: tum ex illo Math. 17. *quodcumque ligaveris super terram* &c. at mortui non vivunt, nec sunt super terram, ergo non possunt ligari censurâ, quippe cùm sit pœna medicinalis inflicta peccatori, ut à contumacia recedat, non potest infligi mortuis, qui à contumacia in qua mortui sunt, recedere non possunt. Quare textus ab adversariis adducti, aut adducendi, non probant mortuos posse excommunicari, sed solùm posse declarari excommunicatos, seu in excommunicatione mortuos fuisse, & consequenter sepulturâ Ecclesiasticâ, atque suffragiis esse privandos; quin tamen, qui in censuris decesserunt, possint absolvi: nam aut mortui sunt in gratia, aut in peccato? si primum, jam sunt absoluti coram Deo: si secundum, jam sunt damnati ad pœnas.

æternas, ideoque non possunt absolvi. Ita Coninch. disp. 13. dub. 6. num. 4. Bonacina disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 2. Villalobos, alijque plures gravissimi Doctores contrà Valentiam disp. 7. quæst. 17. Avilam 2. p. cap. 4. disp. unic. dub. 8. & alios qui oppositum probant ex praxi Ecclesiæ, quæ multoties absolvit defunctos, Can. *Sacris.* De sentent. excommun. ubi Innocentius III. ait, *defunctis etiam absolutionis beneficium impendatur*: sed hæc authoritas juris Canonici non nocet: quia non debet intelligi de absolutione directa collata defunctis, ita ut pro ipsis defunctis conferatur eo modo, quo confertur vivis; sed solùm de absolutione indirecta, seu de facultate concessa vivis, ut pro tali defuncto orent, eique sepulturam concedant, sic Suarez, & Paludanus.

XI. Ut quis possit ligari censurâ debet esse baptizatus, quia Ecclesia non habet directam jurisdictionem suprà non baptizatos: etiam si Catechumeni sint, quidquid dicant Archidiaconus in cap. *eos* de consecrat. & Alterius lib. 3. disp. 10. cap. 4. cum baptismali charactere non sint insigniti; *de iis*. Enim *qui foris sunt nihil ad nos*, inquit Apost. hæretici tamen, apostatæ, ac Schismatici possunt ligari censuris, quia fide Christi in Baptismo susceptâ, fuerunt associari Ecclesiæ, suntque ejus membra saltem corrupta, & consequenter possunt ligari censuris, debet insuper esse rationis, aut doli capax, nam sicut nondum adulti non possunt peccare, ita nec censuris ligari, quia censura non potest fieri nisi ob causam culpabilem, & opus externum, atquè morale: idcirco eadem ratione perpetuò amentes, insani, furiosi non possunt affici censuris; quia non habent rationis usum, nec sunt capaces doli; ubi enim abest culpa, ibi nulla potest adesse censura, ut constat ex variis juris Canonici textibus.

XII. Quoad pueros impuberes, ratione tamen utentes; duæ sunt sententiæ. Suarez, Coninch. & alii quos sequitur Leander dispu. 11. affirmant: quia, (inquiunt) sunt capaces culpæ mortalis, & consequenter obligationis præcepti, ac censurarum à transgressoribus incurrendarum. Ex opposito Abbas, Lupus, & Sairus, negant. At hæc posterior opinio est præferenda priori: nam licet antè pubertatem, usum rationis habeant, illa tamen ratio non censetur sufficiens ad ordinem judiciarium, qui in censuris intervenire debet, ideoque non possunt ligari censuris, nec eos ligare intendit Ecclesia: quamvis sint rationis compotes, ut expressè habetur in tit. de delictis puerorum.

XIII. Summus Pontifex non potest ligari censuris, quia non subjicitur legibus Ecclesiasticis, quoad vim coactivam, alioquin non esset in Ecclesia, ut pastor &, caput uisibile, sed ut subditus; quòd est falsum: undè si Papa clericum ex ira percuteret, reverà peccaret, sed excommunicationem non incurreret, quia juri Canonico præest, & in eodem dispensat. can. *Proposuit.* de concess. præbend. Alij verò fideles possunt à Papa excommunicari, quia omnes ei subjiciuntur in spiritualibus. Ab Episcopis ligari possunt omnes, qui ipsis subjiciuntur, nisi ex vi privilegij particularis, à jurisdictione Episcopali eximantur in hac causa, sintque sedi Apostolicæ immediatè subjecti, quales sunt reges, reginæ, & regulares exempti, juxta decretum Clementis IV. in can. *Ne aliqui.* De privilegijs in 6.

XIV. An verò Episcopus possit censuras ferre in suum subditum extrà suum territorium existentem? Duæ sunt sententiæ: sed negativa videtur mihi probabilior, quia jurisdictio Episcopi non se extendit extrà proprium territorium, & consequenter nequit ligare eos, qui foris sunt: quemadmodum enim Episcopus limites, & fines habet circà personas, ita habet eos circà locum, nec potest eos transgredi: attamen subditus ille potest ligari censuris, si antequam de propria Diœcesi exiret, commiserat delictum ab Episcopo sub censura prohibitum; quia ratione delicti sortitur quis forum can. fin. de foro competenti, & nullus ob absentiam liberatur à pœna crimini imposita. Eâdem ratione potest etiam Episcopus censuras ferre in alienum subditum in Diœcesi sua delinquentem, nam delinquens ratione delicti fit subditus judicis, in cujus territorio delictū committitur. Nec potest Episcopus existens in aliena Diœcesi subditos suos afficere censurâ, cùm ibi nullam habeat jurisdictionem contentiosam, sed solùm gratiosam.

XV. Quamvis Universitas, aut Collegium interdici, aut suspendi possit, eò quòd hujusmodi censuræ non requirant contumaciam personalem, sed sufficiat contumacia in capite, ut declarat Bonifacius

VIII. in can. *Quia sæpe contingit*. De elect. in 6. nequit tamen excommunicari; ut definitum fuit in Concilio Lugdunensi, sub Innocentio IV. & habetur in can. *Romana Ecclesia*. De senten. excommunicat. in 6. ratio est: Quia excommunicatio ferri non potest, nisi in personam determinatam, ob culpam mortalem, etiam determinatam seu personalem, nè contingat Innocentes gravissimâ puniri pœnâ: ut ait idem summus Pontifex. Ita tenent communiter omnes Canonistæ; difficultas solùm est inter ipsos; an si Prælatus Papâ inferior de facto excommunicaret communitatem, aut Collegium, excommunicatio esset valida, quamvis illicita, saltèm si facta informatione, ipse Prælatus certò cognosceret omnes cives deliquisse? Barbosa in cap. *Romana Ecclesia*. num. 25. Zerola in praxi Episcop. parte 2. verbo. *Excommunicatio*. Mastrius, Villalobos, & alij affirmant suppositis cognitione delicti ab omnibus commissi, & sententia lata sub hac forma, *excommunico omnes qui tale peccatum fecerint*: indè concludunt quòd si Prælatus cognoscat omnes qui Collegium componunt, id fecisse, potest validè denunciare omnes esse excommunicatos. (v. g.) si in communitate essent quinquaginta, qui clericum successivè percuterent, vel quid sub excommunicatione prohibitum, facerent cum contumacia; certò omnes essent excommunicati tam divisim, quàm conjunctim sumpti, & ideo omnes possent denunciari à Prælato. Leander de censuris disp. 3. quæst. 25. & alij authores, quos ipse refert, contrariam tuentur sententiam, eamque probant authoritate Innoc. IV. qui in D. can. *Romana* declarat absolutè nullam excommunicationem latam immediatè contra communitatem his verbis; *in Universitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitùs prohibemus, volentes animarum periculum vitare quòd exindè sequi posset; cùm non numquam contingeret innoxios hujusmodi sententiâ irretiri, sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.* Indè concludunt excommunicationem non posse nedùm licitè, sed etiam nec validè promulgari, contrà omnes cives alicujus communitatis.

XVI. Prior tamen sententia est præferenda posteriori, tanquam tutior, ut monet glossa ibi verbo. *Penitus*. Et probabilior: tum quia prohibitio hæc ferendi excommunicationem in Collegium non irritat actum, quamvis illum reddat illicitum: tum quia finis decreti scilicet, *ne contingat innocentes hujusmodi sententiâ irretiri*. Non reperitur in nostro casu; cùm supponat informationem factam, & omnes de Collegio esse culpabiles: igitur tenet hujusmodi excommunicatio, dum fertur habitâ priùs cognitione delicti ab omnibus cum contumacia commissi, alioquin Collegium, aut communitas non subjiceretur Prælato ex vi constitutionis Innocentij IV. Quòd est falsum, cùm in prædicta constitutione solum intendat ille summus Pontifex, Collegium non esse generaliter excommunicandum ob culpam unius, vel plurium; non autem dum omnes divisim peccaverunt cum contumacia: certum enim est, nullum esse in communitate religiosum, qui non ligaretur censurâ, si incideret in peccatum, cui annexa est excommunicatio: sicque si omnes inciderent omnes essent verè excommunicati; & possent à provinciali denunciari, vel aliò superiore; quia quamvis communitas non possit excommunicari ab homine, ob delictum commune in aliquo uno negotio, potest tamen excommunicari excommunicatione juri annexâ, cùm communitas juri subjiciatur, illudque violare possit, & pœnas transgressoribus impositas incurrere.

CAPUT XIV.

An ignorantia excuset à censuris?

I. PLURES sunt apud Theologos ignorantiæ species: alia enim est ignorantia juris, alia facti, & alia pœnæ; cùm possibile sit quòd quis ignoret jus, factum, & pœnam à jure impositam. Prima est ea, quâ quis ignorat præceptum prohibens factum, ut quandò ignorat percussionem clericorum esse prohibitam sub pœna excommunicationis. Secunda est illa, quâ quis ignorat factum suum esse in genere prohibitorum, sub pœna excommunicationis, quamvis sciat genus illud, nimirum percussionem clericorum esse sic prohibitam, ut quandò ignorat hunc, quem percutit esse clericum. Tertia autem est illa, quâ quis ignorat factum esse sub censura prohibitum, ut quando quis percutit

clericum, sciens hunc esse clericum, idque esse prohibitum à jure Canonico, sed ignorat pœnam; scilicet esse prohibitum sub censura. Quælibet ignorantia potest esse vincibilis, seu culpabilis, vel invincibilis seu inculpabilis. Prior dividitur in crassam, & affectatam; crassa est illa, quâ quis non ex proposito libero, sed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ ratione status, Officij, aut qualitatis scire debet, & potest. Affectata verò est illa, quâ quis ex proposito ignorat, vultque ignorare quòd scire debet, ut sic, sine remorsu conscientiæ peccare possit, juxta illud psal. 35. vers. 4. *verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut bené ageret.* Præter hanc ignorantiæ divisionem. Alia adducitur, quæ est in ignorantiam antecedentem, concomitantem, & consequentem. Prior est illa sine qua non fieret actio, ut si Petrus sciret virum, quem percutit esse clericum, nequaquam percutere voluisset; vel si sciret pœnam excommunicationis à clericorum percussoribus incurrendam, non percuteret formidine incurrendi illam. Concomitans est illa, quæ ita conjuncta est cum actu, ut si non interveniret, nihilominus fieret actus, ut si is, qui feram telo appetere intendit, sciret non esse feram, sed suum inimicum, non minùs telum contrà ipsum intorqueret. Consequens autem est illa, quæ sequitur malam voluntatem, & dicitur affectata. Quia est verè volita nascens ex mala voluntate.

II. Ignorantia, quæ non eximit à peccato, non excusat à censura, nec ab irregularitate imposita in pœnam delicti; cùm hæc possit solùm propter culpam inferri, & ipsâ culpâ sit deterior: undè eum ignorantia invincibilis, aut inculpabilis alicujus præcepti, cui annexa excommunicatio excuset à peccato, excusat etiam à censura, quæ non est deterior culpâ. Ita declarat Bonifacius VIII. in cap. *ut animarum.* De constitut. in 6. ubi ille summus Pontifex ait, *ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes; dummodo eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Ex hac decretali constat, primò, ignorantiam inculpabilem à peccato excusantem, excusare etiam à censuris; crassam verò minimè, ut monet glossa verbo *ignorantes.* Secundò, superiorem non posse per statuta ferre censuram contrà existentes in alio territorio; ita ut delinquentes extrà proprium Episcopatum incurrant ipsam: ratio Canonistarum post D. Gregorium est, quia existentes in uno territorio, non tenentur scire statuta alterius, ac proinde ignorantia quam de ipsis habent extranei, non est Crassa, nec supina, sed inculpabilis; cùm ea discere non teneantur: quare glossa ait, *dum fueris Romæ Romano vivito more.* Ut suadeat nullum teneri scire statuta alterius territorij ad rectè vivendum. Deindè quia jurisdictio adhæret territorio, sicut nebula in tota palude, ut tradit Barbosa *ibidem.* Sequitur per statuta unius Diœcesis, subditos alterius non posse ligari.

III. Dum quis dubitat de aliqua lege, vel sententiâ ipsum concernente, & nullam adhibet diligentiam, ut sciat an talis sit lex, ut obliget sub pœna censuræ? si stante dubio prætergreditur, non excusatur à censuris, si quæ sint: etenim dubitatio hæc est ignorantia Crassa, atque affectata, quia stante dubio de censura incurrenda, exponit se scienter, & liberè periculo pœnæ censuræ; hinc est, quòd si quis hominem telo adortus cogitationem, & actuale dubium habuerit, an sit clericus? & hoc dubio stante, clericum percusserit, censuram incurrit; quia excusari non potest per illam ignorantiam, quia tenebatur deponere dubium, ita Cabassutius lib. 5. cap. 13. num. 4. Idem dicendum est de similibus actibus prohibitis, quibus annexa est aliqua censura in eisdem circunstantiis.

IV. Personæ ignorantia non excusat à censura incurrenda, quidquid dicant nonnulli: nam qui percutit clericum credens invincibiliter illum non esse Petrum, sed Joannem etiam clericum, excommunicationem incurrit percutiendo Joannem clericum, quamvis invincibiliter ignoret ipsum esse Petrum: ratio est. Quia in dicto casu nulla est ignorantia, quæ percussorem constituat involuntarium quoad clerici percussionem, & injuriam in quibus fundatur censura. Quamvis enim percussio illa sit involuntaria, respectu personæ percussæ in particulari propter errorem, & ignorantiam invincibilem; est tamen voluntaria respectu percussionis Sacri-legæ, aut injuriæ factæ statui clericali. Dico insuper, quòd in censuram incideret ille, qui projiciens lapidem quo voluntariè vellet percutere Petrum clericum; casu autem, & inculpabiliter percuteret alium clericum.

Quia percussio istius clerici transeuntis esset mala in affectu, cùm proveniret ex intentione percutiendi clericum, & haberet opus consummatum ei correspondens, scilicet percutionem clerici; & consequenter nihil ei deficeret pro censura contrahenda.

V. An verò ignorantia concomitans excuset à censuris incurrendis, & ab aliis pœnis Canonicis? Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 25. num. 26. Couarruvias, Victoria, & alij negant: eorum ratio est, quia ignorantia concomitans non excusat à peccato ratione voluntatis pravæ: & inde concludunt percutientem clericum existimantem ignorantiâ concomitante percutere laicum, esse excommunicatum, cùm tunc eo sit affectùs animo, ut etiam cognito clericatu, illum percuteret. Ab hac sententia tamen recedo, quia hæc percussio clerici reduplicativè sumpta, non est voluntaria; voluntarium quippe, approbantibus Doctoribus Angelico scilicet & subtili) sic definitur ab Aristotele, *illud quod procedit à principio cognoscente singula, in quibus est actio*: sed iste percussor clerici existimans percutere laicum, non cognoscit singula in quibus est actio; cùm non cognoscat clericatum; & ideo à censuris eximitur. Præterea hæc percussio clerici, non est actus formaliter malus; cùm non procedat ex prava voluntate percutiendi clericum; primò enim voluit percutere laïcum, & de facto laïcum percutere putat: sed Ecclesia non punit censuris actus internos, sed externos pravos duntaxat; aliàs judicaret de occultis, quòd est contrà regulam ab omnibus Canonistis acceptam, quæ habetur ex Can. *tua nos.* De Simonia, & Colligi potest ex illo. 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Ergo ipsa Ecclesia non intendit percussorem istum punire censuris; sic Corduba, Filiuziùs, Villalobos, Aliique plures asserentes hanc partem esse communiorem apud Canonistas recentiores.

VI. Quantùm ad rationem Doctorum adversantis sententiæ, Respondetur paritatem esse nullam; quia licet ignorantia concomitans, non excuset à peccato, excusat tamen à censuris; quia peccatum consistit in pravo affectu, opposito legi; censura autem afficitur tantum propter opus externum, & consummatum voluntariè, ut malum: quòd hîc non contingit, cùm percussor non putet percutere clericum, sed laïcum, cujus percussio non prohibetur sub censura. Verùmtamen si percussor iste dubitasset de statu percussi, reus esset sacrilegij, & censuram incurrisser ex percussione clerici surgentem; tunc enim contingeret ignorantia crassa, & facilè vincibilis; Quia stante dubio tenebatur dissentire, à tali percussione, vel ante ipsam dubium deponere.

VII. Nec incurreret censuram ille, qui ignorantiâ concomitante putans se percutere laïcum, percuteret clericum inimicum, modò fiat cùm intentione percutiendi ipsum laïcum, ut inimicum; quia ille actus percussionis laïci esset mere internus, cùm de facto clericus percuteretur ignoranter, non obstante intentione percutiendi inimicum, hæc enim intentio non habet suum actum externum voluntariè; cùm percussor putet se percutere laïcum: ergo ibi nulla est censura. Addo tamen cùm Suario, Montesinos & aliis, secùs sentiendum esse de illo, qui ignorantiâ concomitante, hunc haberet actum; *Volo percutere hominem istum, etiamsi clericus sit*: quia tunc illud opus externum jam procederet ex pravo affectû interno, qui cùm sacrilegium sit, etiam opus externum, Sacrilegium esset, atque voluntarium, saltem conditionatum, & consequenter censurâ puniendum, jam enim adimpleta fuisset conditio, & actus internus executioni demandatus.

VIII. Ignorantia pœnæ eximit à censura, nisi sit consequens, ac crassa, atqué supina; quia censuræ sunt medicinæ institutæ pro contumacibus duntaxat: sed illi, qui censurarum pœnæ nullam habent notitiam, non sunt contumaces, ut tenet Sylvester verbo *excommunicatio* 2. ergo censuram non incurrunt; idem habetur ex Can. *ut animarum.* De constitut. inb. ubi declaratur ignorantes non ligari censuris, modò eorum ignorantia crassa non fuerit, & supina, sive juris, sive facti, sive pœnæ sit; undè qui noscit tale factû esse prohibitum, sed ignorat inculpabiliter pœnam, seu censuram; quamvis mortaliter peccet, (dum facit quod prohibitum fuit, & quod ut prohibitum novit) tamen non ligatur censurâ, quam plenè ignorat invincibiliter; quippe cùm pœnæ sint restringendæ: ille qui eam inculpabiliter ignorat, est ab

ipsa excusandus. Ita Bonacina qu. 2. punct. 1. num. 13. Filiutius, & alij contrà Avilam, & Covarruviam, qui eum non eximunt à censuris.

IX. His addo ignorantem censuræ pœnam, nullam posse incurrere irregularitatem ex delicto, ut monent Sanchez, & Bonacina, cùm hæc pœna præsupponat peccatum, propter quod dicitur irregularitas proveniens ex delicto, quod non subsistit dum pœna, seu irregularitas ignoratur; ideoque ignorans inculpabiliter aliquid esse prohibitum sub irregularitate, non fit irregularis. Alia verò irregularitas, quæ dicitur ex defectu, incurritur etiam non obstante ignorantia, cùm hujusmodi irregularitas nullam præexigat culpam, & inducat evidenter incapacitatem, quæ ex defectu manifestè nascitur.

X. Naturalis oblivio, inadvertentia, & inconsideratio excusant à censuris, modò sint sine crassa negligentia; quia nequit cum ipsis subsistere contumacia ad incurrendam censuram prorsùs necessaria. Can. *quisquis.* 2. qu. 6. vel dico cum D. Thoma 2. 2. qu. 88. art. 6. oblivionem naturalem comparari ignorantiæ invincibili, & inculpabili; nam oblivio naturalis, aut inadvertentia, quam non præcessit negligentia culpabilis, reddit actionem involuntariam; voluntas enim non potest actu velle; nisi id, quod intellectus actu cogitat, juxta illud Philosophorum axioma, *nihil volitum; quin præcognitum.* Inconsideratio etiam tollit voluntarium, ex eo quod tollat naturalem objecti cognitionem, ad rationem voluntarij necessariò requisitam. Idem est dicendum de subreptione, quæ excusat à censura sicut ignorantia, ut fatentur canonistæ, à quibus improbantur omnia subreptitiè facta, aut obtenta; hocque meritò quia subreptis tollit deliberatam considerationem, quam requirit actuum moralium validitas.

XI. Quærunt Canonistæ, an Gravis metus mortis, infamiæ, exilij, & similium, purè, & simpliciter illatus excuset ab excommunicatione incurrenda. Dixi, *simpliciter illatus.* Quia dubium est de metu præcisè propter mortem, aut aliud bonum temporale secluso contemptu fidei, Religionis, alterius ve objecti divini, aut spiritualis: quia in hoc posteriori sensu, nulla debet esse difficultas; cùm divina sint ex præcepto præferenda humanis; Alensis noster part. 4. qu. 23. membr. 1. art. 6. Adrianus, & alij existimant metum quantumcumque gravem cadentem in virum constantem, numquam excusare ab excommunicatione: eorum ratio principalis est. Quia metus non excusat ab observatione præcepti, nec à peccato mortali Can. *Sacris.* De his quæ vi, & metu. Ex quo aliam inferunt rationem: scilicet ibi Innocentium III. declarare eos, qui metu inducuntur, ut cùm excommunicato communicent, esse etiam excommunicatos non obstante metu: nihilominus dico quòd ille metus excusat. Tum quia textus non loquitur de metu gravi cadente in virum constantem, sed de levi; tum quia metus gravis excusat à transgressione, & contumaciâ contrà legem Ecclesiasticam. Cum hujusmodi præcepta Ecclesiastica sint benignè accipienda, nec credibile sit Ecclesiam velle obligare nos cum tanto rigore; nimis enim rigorosum esset censurâ afficere Christianum captum à Turcis, naves remis contrà Christianos impellentem: tum quia, qui ex gravi metu peccat, alioquin non peccaturus, non censetur contumax, nec Ecclesiasticæ potestatis contemptor; cùm non peccet ex malitia, sed ex infirmitate reverà culpabili, sed minimè contemptrici Ecclesiæ mandatorum; ideoque licet contrahat culpam, non debet incurrere censuram, quæ solitò ab Ecclesia profertur contrà contumaces, & Ecclesiasticæ potestatis contemptores, cùm in nostro casu longè absit contemnendi animus: tum denique, quia metus minuit voluntarium, ut docent Theologi, & attenuat culpam, ut ait Innocentius III. loco cit. ergo debet tollere censuram, quæ est minùs malum, quàm culpa; nam cùm censura sit maxima pœna, quæ ob maximam culpam inferatur, præsumendum est censuram suspendi, dum culpa metu gravi sit minor.

XII. Impotentia nedùm Phisica, sed etiam moralis faciendi id, quod sub censura præcipitur, excusat ab illa: nam ex 6. Regula juris in 6. *impossibilium nulla datur obligatio.* Indè sequitur eum, qui propter impotentiam, seu defectum bonorum non restituit, non affici censurâ latâ contrà detentores rei alienæ invito Domino. Advertè tamen, eum qui cùm adest tempus restituendi, aut faciendi aliquid sub censura præceptum, & non facit, non excusari; quia si posteà factus potens non satisfacit, remanet restituendi obligatione adstrictus; hæc enim obligatio subsistit in deten-

tione rei alienæ, quæ si restitui possit restituenda est.

CAPUT XV.

De Censurarum denunciationibus.

I. HOnorius Papa Can. *Cura sit.* 11. qu. 3. præcipit excommunicatos esse publicè, & nominatim denunciandos, nè fideles cùm excommunicatis habeant commercium, & ut fugiant à facie eorum, quos rejicit Ecclesia. Hæc denunciatio præcipitur etiam ab Alexandro III. Can. *pervenit ad nos.* De appellat. nec obstat objicere jus canonicum ibi loqui duntaxat de causa excommunicationis, ob quam excommunicati, sunt vitandi ab aliis; non verò de excommunicatorum denunciatione, ita ut omnes sint denunciandi. Ratio contrà objectionem est. Quia jus canonicum loquitur de aliis censuris sicut de excommunicatione; licet expressam mentionem faciat de excommunicatione ob ejus gravitatem, quâ est cæteris deterior, & excommunicatus remanet ubique vitandus Can. 33. Apostolor. hinc est, quòd jus canonicum vult excommunicatos esse denunciandos; cùm non possint aliter vitari; quippe cùm pastoris sit pecoris sui vultum cognoscere, ejusdem pastoris est denunciare ea, quæ à grege Christi, aut Ecclesiastico ovili separat per censuras.

II. Denunciatio nihil aliud est, nisi solemnitas quædam à jure imperata, post excommunicationis sententiam adhibenda, pro ipsa excommunicatione promulganda. Non potest fieri contrà personas indeterminatas, & incognitas, sed solùm contrà particularem, & determinatam; quia denunciatio fit, ut fideles admoneantur, nè cùm eo, qui est censurâ ligatus communicent: qui quidem finis non subsisteret, si denunciatio proferretur contrà personas ignotas; quia fuga est sicut amor, idest nequit ferri circa incognitum.

III. Innocentius IV. in cap. *cùm medicinalis.* De sent. excommunicat. in 6. statuit denunciationem fieri publicè in Ecclesiis, & posteà in scriptis affici ad portas earum, expressa censuræ causâ. Idem præcipit omnibus Episcopis Honorius Papa. in D. Can. *Cura.* Ut excommunicatorum nomina omnibus indicentur. In solemni autem anathemate, aliæ adhibendæ sunt ceremoniæ; nam in Can. *debent* 11. qu. 3. legitur, *debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus; deindè Epistola per parrochias mittatur continens excommunicatorum nomina, & causam excommunicationis*: & ad atrocitatem criminis declarandam, ad majorem excommunicati horrorem. Et ad metum aliis incutiendum: excommunicatio promulgari debet ex loco eminenti in Ecclesia recitando psalmum 108. qui incipit, *Deus laudem meam nè tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.* Deindè extinguuntur cerei, & candelæ à Sacerdotibus aquâ superfusa, proferendo hæc verba; *sicut hac candela extinguitur in hac aqua, ita extinguatur, aut pereat in inferno anima hujus excommunicati.* Sacerdotes assistentes debent nigris vestibus esse induti: deindè in signum mæstitiæ pro anima sic pereunte, crucis vexillum elevatum nigro regitur velamine. Hujusmodi cæremonias referunt Barbosa in cap. *debent.* 11. qu. 3. Alterius, Castro, Sairus, & Suarez apud leandrum de censuris disp. 7. qu. 22. jus censuratos denunciandi, in jure eas ferendi ita subsistit, ut nullus possit excommunicatum denunciare, nisi ille, à quo potuit excommunicari, aut de ejusdem mandato; quia denunciatio hæc, seu de qua agitur, est actus jurisdictionis, quæ solùm à judice ordinario, vel ab alio, ab ipso delegato fieri potest, ut expressè dicemus infra.

IV. Citatio rei ita necessaria est ante denunciationem censuræ incursæ, ut si fiat parte non citatâ, non solùm est injusta, sed etiam invalida; quia denunciatio est actus justitiæ punitivæ, qui nè contra innocentem fiat, prius exigit puniendi auditionem, ut agnoscat judex, an lapsus in censuras, sit denunciandus, vel excusandus: ut docent Navarra in Manuel. cap. 27. num. 11. Toletus lib. 1. cap. 9. Avila, alijque plures gravissimi Canonistæ apud Barbosam in cap. *de presbyterorum.* 17. qu. 4. idem declarat Gregorius magnus in cap. *susceptis* tit. de causis possess. & propriet: ubi ille summus Pontifex ait, *nec nos contrà inauditam partem possumus aliquid def-*

finire. Quæ verba suadent nullum judicem habere potestatem denunciandi inferiorem lapsum in censuras, nisi prius citet ipsum: nam (inquit) D. Augustinus citatus. In primo can. causæ 2. qu. 1. *nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut confessum*. Ratio est quia citatio in se continet deffensionem, quæ à jure naturali provenit, & ideo à nullo judice tolli potest: undè sicut processus contrà partem inauditam, & non citatam, est invalidus tam in civilibus, quàm in criminalibus, quæ citatio est fundamentum judicij, ut asserunt jurisconsulti: invalida quoque est sententia, aut denunciatio excommunicationis contrà reum non citatum, nisi adsit justa causa, quæ dispenset in obligatione legis naturalis, ut (v.g.) dum reus fugit, & delictum est notorium. Quia tunc reus non indiget manifestà accusatione, inquit Divus Ambrosius in Can. *manifesta* 2. qu. 1. nam finis citationis est, ut reus audiatur, & ne innocens puniatur: sæpè enim contingit delinquentem habere motiva occulta, ut metum gravem, impotentiam, & similia quæ excusant ab incursione censuræ: ideoque nè tantum incommodum injustè adveniat, necessè est ante denunciationem citare reum.

V. Ex illa authoritate divi Ambrosij plures colligunt, citationem non esse necessariam ad declarandum censuratum delinquentem, qui notariè commisit crimen, sub censura jure prohitum. Quia in delictis ipso jure prohibitis (cùm ob facti notorietatem nova citatio prorsus inutilis sit, & censura jam lata sit contracta.) Licitum est statim nullà citatione præmissà, ad denunciationem procedere can. *Evidentia*. De accusationibus: sic Navarr. in Manuel. cap. 27. num. 10. Silvester, & alij quos refert, & sequitur Leander. Sed ab illa opinione recedo; textus enim intelligendus est dum reus ipse, vel est manifestus, vel infamià detectus: item & quandò judex stans simul cum alijs videt delictum, ut observant Cajetanus 2. 2. quæst. 67. art. 3. & Corriolanus de casibus reservatis. Sub tit. de accusat. num. 4. tunc enim cessare videtur citationis finis; cùm delictum sit evidens judici, qui certus est de existentia facti, & malitia delinquentis. Hæc ratio, de delicto quomodocumque notorio, verificari nequit, quia aliquid potest esse notorium notorietate præsumptionis, aut famæ; quæ ut observat gl. [illegible]. in D. cap. *Manifesta*. Quandoque ex scientia, quandoque ex suspitione, quandoque ex certo, quandoque ex incerto procedit authore; alioquin nulla posset esse calumnia, nullaque infamatio, quod est falsum, ut probat deploranda experientia: undè dum delictum non est notoriū notorietate facti, quod exibet, & offert oculis omnium non solùm delicti malitiā; sed etiam ipsius delinquentis contumaciam, judex non debet eum denuntiare censuratum sine citatione, seu quin audiat ipsum, ut videat an sit verè delinquens, vel ex sola suspicione, aut errore, vel an habuerit causam ipsum á censura excusantem; cùm de facto plures sint, quæ excusant, dum interveniunt in commissione actûs prohibiti, vel in omissione actûs sub censura præcepti. His addi potest alia ratio, scilicet quia multa dicuntur notoria, quæ tamen talia non sunt, ut admonet Alexander III. in can. *consulvit*. De appellat.

VI. Delinquens, qui citatione facta comparet, suumque fatetur delictum satisfactionem offerendo, non potest licitè denunciari à judice, quia statim ac reus se subjicit Ecclesiæ animo satisfaciendi, est absolvendus à censurà; cùm Ecclesia nolit mortem peccatoris, & intendat indè reos debitè dispositos esse absolvendos. Indè sæpè contingit ratione scandali, aut periculi, judicem teneri ad denunciandum excommunicatum, igitur à fortiori ipsi incumbit eadem obligatio, dum reus est debitè dispositus, & absolutionem humiliter postulat, aliàs odia non essent restringenda, nec in pœnis adhibenda esset benigna interpretatio, quod est falsum.

VII. Quandò sententia censuræ fuit injusta, judex, qui tulit eam, mortaliter peccat, si ipsum reum denuntiet excommunicatum; hic enim agendi modus nihil aliud est, quàm injustitiam inchoactam prosequi, & injustam sententiam executioni demandare, quòd de se mortale est: injusta vincula disrumpit justitia, inquit Augustinus serm. ib. de verb. dom. cit. in can. *Cepisti* 11. quæst. 3. Ideoque justitia, aut Innocentia injustè censurati, debet potiùs silentio damnare sententiam, quàm eam in publicum deducere.

VIII. In eamdem culpam mortalem incidit etiam executor, cui constat sententiam censuræ esse injustam, & nullam; si eam vi commissionis publicet, & delinquentem

quentem censuratum denunciet esse vitandum; cùm nullomodo liceat ad instantiam judicis peccare, nec ad peccatum alteriùs cooperari; magis enim Deo injustitias reprobanti, quàm homini eas approbanti obediendum est. His suffragatur jus Canonicum: Lucius III. in can. *Super eo.* De crimine falsi, plurimum laudat Vigoriensis Episcopi prudentiam, eo quòd sententiam authoritate falsarum litterarum latam volverit executioni demandare. Huic sententiæ adhærent Rebuffus tom. I. ad leges galliæ tract. de sentent. execut. art. ult. num. 10. Barbosa, pereira, & alij contra paucos, qui existimant denunciationem hujus censuræ injustæ, non esse peccatum ab ipsa sententia injusta distinctum, quòd est falsum; quia est nova injustitia, novum afferens incommodum, quô post denunciationem censuratus de Tolerato fit vitandus.

IX. Major difficultas est, an executor peccet etiam, si jubente judice, denunciet sententiam excommunicationis justam quidem secundùm allegata, & probata corâ ipso judice, sed injustam secundùm notitiam privatam ipsius executoris? Suarez, Filiucius, & Leander negant ex can. *Pastorale* §. *quia verò.* De offic. & potest jud. delegat. ubi ad similem quæstionem propositam sic respondet Innocentius III. *Attendentes itaque quòd non cognitio, sed executio tantùm demandatur; eidem respondemus quòd cùm ordinarius teneatur obsequi delegato, & si sciat sententiam illam injustam exequi, nihilominus tenetur eamdem nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.* Ex adverso Abbas, Navarrus, Felinus, & alij affirmant. Hæc posterior sententia videtur mihi probabilior; quia sententia injusta, de qua hic agitûr, est nulla, & intolerabilem continet errorem, & ideo nequit tutâ conscientiâ executioni demandari ab illo, qui eam certò cognoscit talem, ut admonet glossa ibi verbo *Et si sciat.* Nè ad injustitiam cooperetur; & ut agat juxta dictamen conscientiæ rectæ. Quinimo ipse executor cui liquet sententiæ injustitia, tenetur de ipsa judicem admonere: hujus rei argumentum est. Quia Deus unicuique mandavit de proximo suo; undè, qui videt proximum suum injustè punitum, tenetur omnem adhibere curam nè puniatur, & præsertim dum jubetur illi hujus pœnæ executio ab ipso judice, qui sententiam injustam tulit, alioquin peccat in tali executione, sicut ipse judex peccaret, si sententiam proferret contrà aliquem quem videt, & certò cognoscit innocentem; ut fusiùs probatum manet in 2. libro cap. de judice.

X. Quoad authoritatem innocentij, dico quòd non nocet, quia est de ordinario, cui non cognitio, sed executio facti fuerat commissa, pro exequenda sententia, ut patet ex principio textus ubi legitur, *quia verò sæpè contingit quod executio sententiæ ordinario demandatur, quæsivisti an si ipsam injustam esse cognoverit, debeat eam executioni mandare, an sit ei potiùs subsistendum, attendentes, &c.* Hæc enim verba sunt de ordinario, non autem de executore mixto, qualis est executor sententiæ excommunicationis denunciandæ, aut publicandæ, ad quem spectat discernere. an justè, vel injustè judicatum fuerit, cùm denunciatio censuræ sit actus potestatis correctivæ, atque jurisdictionis saltem delegatæ.

XI His adjunge hanc Pontificiam constitutionem loqui de cognitione præsumptiva, quam executor habere potest, quæ nunquam certæ judicis notitiæ præferri debet: non verò de cognitione certa, & experimentali, quam in executore hic supponimus; cùm præsumendum sit summum Pontificem nolle anathematis gladio ferire Innocentes: nam adversarij tenent executorem non posse sententiam censuræ exequi, quandò ei constat talem sententiam esse injustam secundum allegata, & probata, aut judicem fuisse deceptum, aut velle injustè punire Innocentem can. *non semper*, 11. quæst. 3. Ergo prædicta constitutio non præcipit sententiam excommunicationis injustam esse executioni mandandam à delegato, cui constat talem sententiam esse injustam, & probationes omninò falsas; cùm eadem sit ratio de omnibus respectu executoris, qui certò scit sententiam esse injustam; & judicem fuisse deceptum per allegata à testibus, idem sonent; quia de judice, & præsertim Ecclesiastico semper sperandum, atque præsumendum est judicium, secundùm justitiam, quæ Innocentes non punit.

XII. Denunciatio censuræ semper fieri debet de legitimi superioris authoritate, ut docent communiter Canonistæ contrà geminianum, & Ugolinum, existimantes

posse à quocumque fieri, casu quo delictum sit adeò notum, & publicum, ut nulla tergiversatione celari possit: ratio nostra est; Quia denunciatio est executio pœnæ, quæ à legitimo superiore facienda est, vel ab alio de ipsius mandato. Insuper ex opposita sententia magna sequeretur confusio, aut occasio scandali; unus enim inferior posset animo nocendi alteri, ipsum denunciare sine causa intuitu juris sui; ex quo denunciandi usu plurima orirentur scandala, ut attente consideranti patebit. Unusquisque tamen potest hujusmodi declarationem eflagitare, ut censuratus publicus, seu ille cujus crimen notum est, denuncietur à superiore, quin ipse superior, quin ratione amicitiæ, aut utilitatis propriæ possit à denunciatione abstinere, ne illi quos delictum separat à conversatione fidelium, cùm fidelibus conversentur.

XIII. Legitimus superior illius, qui incidit in censuram latam ab homine, non est ille in cujus territorio natus est, sed ille qui censuram intulit; cùm censuratus in hac parte, huic tantum subjiciatur, & jus denunciandi fundetur in jure ferendi censuras, eo modo quo supra dictum est, alioquin ad ferendam censuram superflua esset jurisdictio: quòd falsum esse declarat universum jus Canonicum. Hic quæri potest, an dùm censura lata fuit à jure communi, denunciatio debeat fieri à superiore territorij, in quo natus est delinquens, aut in quo commoratur, vel à superiore à quo pendet locus in quo patratum fuit crimen? Leander, & alij, quos ipse refert, affirmant denunciationem fieri posse ab utroque; nec desunt qui existimant denunciationem faciendam esse ab ordinario delinquentis: sed ab utraque sententiâ recedò; probabilius enim est hominem lapsum in censuram à jure communi latam, denunciari debere ab ordinario loci in quo peccavit, ut præcipit Consilium Meldense in cap. 1. *De raptoribus*. Insuper delinquens ratione delicti fit subditus Episcopo loci in quo peccat, aut facit quod jus commune prohibet sub censura, ut declarat Fabianus Papa in can. *Ibi semper*. 3. quæst. 6. Sicut sentiunt Jurisconsulti de criminalibus in jure Civili: ergo ab eodem debet censuræ denunciatione puniri. Deindè sæpè contingit proprium Episcopum ignorare delicta eorum, qui sunt absentes, aut qui de loco ad locum dissitum iter faciunt: delicta enim à judice locali potiùs agnosci possunt; ideoque ad istum potiùs quàm ad alium spectat hanc causam, judicare & delinquentem punire, seu censuratum declarare: adversarij oppositum probant ex glossa in cap. *de illis* 6. quæst. 3. ubi legitur, *excommunicentur ab ipsius loci Episcopo, vel in cujus jurisdictione deliquerunt*: sed hæc ratio non nocet. Quia docet tantùm excommunicationem illam esse significandam proprio Episcopo, nè excommunicatum recipiat; quæ quidem significatio non est propriè denunciatio de qua loquimur.

CAPUT XVI.

De obligatione denunciandi ex vi Monitorij.

I. MOnitorium excommunicati, denuntiationem necessariò præcedere debet can. *Constitutionem*. De sentent. excomm. in 6. idque in Ecclesia fieri solet. Tum ob delinquentes, tum ob sollicitantes, scientes, revelare nolentes, & similes personas contumaces: quapropter hìc valdè per necessarium est obligationem ex vi Monitorij ortam explanare. Inprimis moneo potestatem concedendi monitoria ad effectum revelandi competere omnibus Prælatis, quibus competit potestas ferendi censuras (servatis de jure servandis.) Secundò neminem teneri denunciare delictum, ex cujus revelatione magnum probabiliter timet detrimentum in vita, vel in bonis, (modo delictum occultum monitorio revelandum non vergat in detrimentum, aut damnum publicum; tunc enim bonum privatum postponendum est bono communi can. *Bonæ memoriæ* de postulat. Prælat.) Quia præsumi potest Prælatum in monitorio nolle cum tanto periculo suos obligare subditos; nec ad deliquentes denunciandos tenentur illi, qui certò sciunt, vel probabiliter credunt nullum fore à Prælato adhibendum remedium facta denuñciatione; cùm tunc deficiat monitorij, aut denuntiationis proximus finis: nam si præceptum de correctione fraterna non obliget, dum nulla est spes emendationis, ut in proprio libro dictum manet; nec obligabit

monitorium quandò nullum sperari potest remedium, nec subsistit monitorij finis. Dixi certò, quia si solùm dubitent, revelare tenentur, quoniam in dubijs tutiùs est tenere quod tenet, & vult superior, ex regula juris *Estote*. Dubia in meliorem partem, quæ est pars superioris, interpretari debent.

II. Obligatio denunciandi sub pœna excommunicationis ita fundatur in subjectione ad Superiorem ferentem censuram, seu concedentem monitorium, ut nullus possit ex vi monitorij obligare eos, qui nullo modo subjiciuntur jurisdictioni concedentis illud, ad effectum revelandi; undè, qui non est ejus subditus, nec delictum scivit in territorio, in quo commissum fuit, & in quo plublicatur monitorium, ut sæpè contingit; non ligatur excommunicatione lata contrà non revelantes, quia actus jurisdictionis, qualis est excommunicatio, exerceri non potest in non subditum; subjectio hæc non est ita arbitraria, ut liberum sit scienti delictum, exire de Episcopatu in quo fit monitorium causâ occultandi illud: sufficit enim quòd sit subditus tempore monitorij, ut teneatur revelare delictum. Nec prodest ei si nondum elapso termino in monitorio concesso, in aliam se transferat Diœcesim, animo ibi manendi majore anni parte, vel ibi perpetuò habitandi. Quia per monitorij notitiam, revelandi obligationem contraxit, à qua eximi non potest, nisi per revelationem delicti quòd scivit.

III. Monitorium neminem ligat, si ipso durante moriatur Prælatus, qui jussit illud, nam ex can. *Chorepiscopi*. dist. 69. Quod ratione caret, extirpari necesse est, nisi à successore, vel à capitulo sede vacâte, in quibus residet defuncti Episcopi jurisdictio renovetur; quia sublatâ jurisdictione à qua censura procedit, remanere non potest virtus inferendi eam scientibus, non revelantibus, scilicet monitorium cujus virtute excommunicatur non revelantes: ac proindè necesse est, quòd renovetur ab eo, in quo residet eadem jurisdictio.

IV. Nemo tenetur denunciare delinquentem, à quo recepit damnum, quòd est causa censuræ, nisi aliter postulet bonum commune, aut alia circumstantia, quæ ipsum obliget ad revelandum; cùm damna, & injurias condonare, nedùm licitum sit, sed etiam præceptum, juxta ea quæ in primo libro dicta sunt, nisi aliqua ratio obligans ad denunciationem excuset. In eadem dispensatione sunt delinquens delictique socius; nemo enim tenetur ex vi monitorij proprium manifestare delictum, nisi juridicè interrogetur, post juramentum de veritate aperienda judici, secundum formam juris interroganti: sic divus Thomas, Lessius, & alij.

V. Idem dico de uxore respectu mariti, quia uxor, & maritus censentur una caro, scripturâ sic testante; aliàs delinquens teneretur ex vi monitorij denunciare se ipsum; cùm honor uxoris, sit honor mariti: idem de filio respectu patris, quem denunciare non tenetur. Quia damnum patris redundat in filium, sicque cùm nemo teneatur delictum suum denunciare ex vi monitorij, nè gravê patiatur damnum, nec filius tenetur denunciare patrem, nec è conversò; intelligo filium carnalem; quia de spirituali respectu patris spiritualis, non militat eadem ratio; delictum enim istius non redundat in illum, nec è contrà; ut notant plures apud Bonacinam apud quem hanc doctrinam de filio non revelando à patre, extendunt ad Generos, Soceros, Fratres, & alios intrà quartum gradum. Huic sententiæ lubens subscribo. Quia honor unius istorum, ad omnes alios se extendit, & consequenter cùm omnes teneantur habere curam de bono nomine, nullus eorum tenetur ex vi monitorij denunciare delictum alterius. Sylvester verbo *familia*. Hanc dispensationem revelandi extendit ad omnem familiam, quia bonum familiæ exigit delictum occultare, ut vitentur dissensiones, & discordiæ, quæ ex denunciatione oriri solent, quam exigentiam tollere non potest monitorium, quia est naturalis.

VI. Monitorium obligat omnes (exceptis personis memoratis.) ad denuncianda ea, quæ per visum, & auditum sciunt, ut constat ex ipsius monitorij formula; nam scire est propriè veritatem visu, vel auditu perceptam retinere: undè cùm monitorium obliget omnes scientes, tam obligat eos, qui ab alijs audierunt, quàm, qui viderunt; sed quia notitia, quæ est ex auditu diversimodè provenire solet, nimirùm à Testibus fide dignis, & ab alijs, qui verè sunt mendaces; observandum est ea, quæ ab istis audiuntur, non esse denuncianda. Quia mendax veritatem prodit can. *Nolitè* 11. quæst. 3. projicit etiam in errorem omnes, qui audiunt illum; ideoque audita à personis levibus, quæ non sunt fide dignæ,

non sciuntur, nec sunt denuncianda; cùm potiùs falsa, & suppositia sint censenda, quàm vera. Nec obligat monitorium ad denuncianda ea, quæ, quis audivit à personis fide dignis, si non meminerit earum à quibus ei dicta fuerint; iste enim censetur nesciens. Quia ignorantia præsumitur, ubi scientia non probatur ex 47. Regula juris in 6. idem dico cùm Navarra, Bonacina, & alijs de eo, qui audivit delictum ab alio, qui jam denunciavit illud, quamvis sit fide dignus, & de delicto certus. Quia ipsius denunciatio esset inutilis; cùm non esset diversa delicti probatio.

VII. Ea, quæ sub secreto naturali nota fuerunt, non sunt denuncianda, quia obligatio hujus secreti est de jure naturæ, immò ea revelare est peccatum mortale, nisi parvitas materiæ excuset; fides enim jure naturali servanda est, ex scriptura proverb. cap. 11. vers. 13. *Qui ambulat fraudulenter revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*, & ideo contrà fidem peccaret ille, qui denunciaret secretum ei; à delinquente commissum sub sigillo naturali, nec ad hoc potest cogi per censuras, quia contrà jus divinum, & naturale præcipere non potest superior, nisi justa, & rationabilis causa aliter postulet; quæ quidem causa est, dùm delictum cadit in detrimentum reipublicæ, vel injuriam tertiæ personæ, quòd hujusmodi jura non intendunt, quia nullus potest se obligare ad aliquid illicitum; illicitum est autem servare secretum, quod vergit in damnum reipublicæ, vel tertiæ personæ, juxta 69. regulam juris in 6. *in malis promissis fidem non expedit servari*. Ita D. Thomas. 2.2. quæst. 70. art. 1. ad 2, Rodriguez, Bassæus, & alij quorum opinio mihi placet: quia bonum commune debet præferri privato, & consequenter tunc (non obstante secreto) delictum debet revelari. Quia illegitimè sub secreto accipitur, quod divino, humanoque jure nullus tacere potest, quale est delictum de quo agitur.

VIII. Nec denuncianda sunt ea, quæ probari non possunt per testes fide dignos, per scripturas, vel per alia testimonia sufficientia. Quia crimen quod probari non potest, ita se habet, ac si esset occultum, saltem respectu illius, qui illud denunciare intendit; insuper ille, qui delictum probare non potest, habetur tanquam nesciens, & censetur ignarus in hac parte. Juxta regulam 47. juris in 6. relatam supra num. 6. indè sequitur ad revelandum, obligari illum dumtaxat, qui per testem, vel per alia indicia probare potest ea, ob quæ concessum fuit monitorium: etiamsi juraverit non revelare, cùm non sit obligatorium contrà bonos mores præstitum juramentum ut in 58. regula juris in 6. deinde si probare non possit ea, quæ scit sive per auditum, sivè per visum, revelatio erit insufficiens, vel inutilis; unus siquidem testis numquam probat, etiam si sit magnæ authoritatis can. *si testes* 4. quæst. 2. Secùs judicandum est si habeat unum testem omni exceptione majorem. Tum quia pluralis locutio duorum numero est contenta ex 40. regul. juris in 6. id est pluralitas in duobus verificatur. Tum quia ipse denuncians in hac materia valet pro teste, ut declarat Paschalis Papa can. *in omni negotiò*. De test. & attest.; & ideo quia tunc testimonium istius non esset insufficiens, teneretur revelare delictum.

IX. Obligatio, quâ ex vi monitorij adstringuntur scientes ad revelandum, incipit à die, ac horâ quâ publicatur monitorium, & durat usque ad terminum ipsius monitorij formulâ assignatum inclusivè, intrà dies ad revelandum constitutos, quibus componitur terminus assignatus. (v.g.) quindecim dies, enumerandus est dies publicationis monitorij, ut docent Filiucius, Suarez, & alij. Cùm monitorium habeat obligandi à die, & horâ publicationis vim. Hinc fit in monitorio lato ad denunciandum injustum rei alienæ detentorem, intrà quindecim dies, comprehendi etiam primum, & ultimum diem, quo elapso, & non anteà, ille, qui delictum revelare noluerit, ullamque causam occultandi habuerit, incidit in pœnam eorum, qui revelare nolunt: fallitur tamen qui credit, quòd obligatio denunciandi ita totaliter cessat elapso ipso termino, ut sciens qui non revelavit delictum, & excommunicationem contraxit, non teneatur illud revelare; ratio est quia terminus ille quindecim dierum non apponitur, ut finiatur obligandi revelatio, sed solùm ad eam sollicitandam: quapropter semper tenetur revelare ea quæ scit, quam primùm commodè poterit. Verumtamen est, quòd si non revelet termino semel elapso non incurrit novam excommunicationem, sed semper permanet in prima quam contraxit. Ita Navarrus, & alij contra Bonacinam existimantem eum,

qui non revelavit intrà terminum præfixum incurrere excommunicationem toties, quoties potest commodè revelare; at hæc opinio displicet, quia remanet prima contumacia continuata occultandi delictum, & consequenter unâ pœnâ duntaxat, & unâ vice tantùm puniendus est, & debet ipsâ pœnâ ligari, donec injustum denunciet detentorem. Undè confessarius non debet eum absolvere à censura, nisi post quam delinquentem denunciaverit, quia hæc voluntaria delicti occultatio includit censurarum, & præceptorum Ecclesiæ contemptum, atque contumaciam, quibus debetur punitio, donec contemptor se subjiciat Ecclesiæ; & injustum detentorem denunciet.

X. In eadem obligatione denunciandi (ex vi monitorij) sunt ij, qui ob impotententiam, vel ignorantiam monitorij, vel ob justam aliam causam, non denunciarunt intrà terminum præfixum delictum quod sciebant; sublatò enim tali impedimentò, tenentur sub pœna excommunicationis revelare ea, quæ sciunt, modò censura non fuerit lata tantùm contrà contumaces, qui intrà terminum jam lapsum non denunciarunt; ita ut Prælatus censuris suis intendat ferire tantum eos, qui intrà tempus revalere contempserunt: quia monitorium non obligat eos, quos non intendit obligare judex, cùm excommunicatio vim habeat ab ipsius judicis voluntate. Igitur si censura lata fuerit post quindecim dies tantùm contrà contumaces præteritos, qui intrà terminum jam lapsum non denunciarunt, illi de quibus hic agitur, non tenentur sub pœna excommunicationis revelare sublatò impedimentò, ob quod revelare non potuerunt, qui non comprehenduntur sub censura contrà contumaces lata, cùm non fuerint contumaces; at si censura fuerit absolutè lata contrà scientes, tenentur revelare sub pœna excommunicationis transacto æquali termino, à die cessationis monitorij, id est post alios quindecim dies. quia isti non sunt deterioris conditionis, quàm alij, qui non fuerunt impediti, & quibus nota fuit monitorij publicatio, sicque æquali termino frui debent.

XI. Non desunt authores, qui æqualem terminum à die notitiæ computandum denegant illi, qui monitorium scivit elapso termino quindecim dierum: volunt enim hunc incurrere censuram si non revelet statim ac monitorij notitiam habet; cùm jam elapsus fuerit terminus à judice assignatus. sed opinio opposita est probabilior; quia impotentia, aut ignorantia inculpabilis non possunt nocere ei; alioquin daretur pœna sine culpa, quod est contra regulam juris; ideòque concedendus est ei æqualis terminus à Die notitiæ computandus, cùm favores sint ampliandi. Idem dico de illo, qui post monitorij publicationem incipit esse subditus judicis, qui tulit illud, & talem publicationem non ignorat, nisi certò sciat delictum fuisse evidenter comprobatum per alios testes, & delinquentem punitum: tunc enim subsisteret, seu haberetur finis monitorij, ejusdemque effectus, nimirum delinquentis notitia.

XII. Duo sunt à Prælatis observatu digna, antequam monitoria conferant. Primò enim cavere debent nè in monitorijs ad delicti, aut delinquentis Elicienda testimonia, Ullatenus delinquentis nomen publicetur, aut designetur; debent enim necessariò uti in monitorio vocibus individui vagi, ut *aliquis*, *quidam*, &c. Quia injuriosum est publicare personam non probatò delictò, quinimò hoc videtur pœnam infligere reo non convicto. Secundò cavere debent monitoria non esse de re vulgari, seu levi decernenda, ut sapienter admonent tridentinum sess. 25. de reform. cap. 3. Agathense, & alia concilia; quibus suffragatur in Gallia dictum Caroli IX. In comitijs Aurelianensibus art. 18. idem probatur ex dictis in cap. præcedenti, ubi improbatur pronitas ad excommunicandum.

CAPUT XVII.

De excommunicatione.

I. EXcommunicationis nomine nihil aliud significatur, nisi separatio à consortio, sermone, & consilio fidelium, vel à participatione Eucharistiæ, ut notat divus Dyonisius. Quia Eucharistia per antonomasiam dicitur communio, seu Sinaxis. Inter præcipuas, ac gravissimas pœnas Ecclesiasticas, primum locum tenet excommunicatio; cùm sit censura per quam fidelis separatur à communione Ecclesiæ, quæ est maximum bonum, de quo gloriabatur

David Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Undè excommunicatio passim dicitur mucro Episcopalis, can. *Visio 16.* quæst. 2, gladius Spiritus Sancti, qui Episcopis commissus est. Ideoque extrahi non debet sine gravi causa; cùm, summa pœna pro summa culpa destinata sit, & præsertim ab Episcopis, qui ex Apostolo tenentur obsecrare, increpare in omni patientia, & doctrina, & se gerere tamquam pastores, non ut Domini.

II. Adæquatè dividitur excommunicatio in majorem, & minorem can. *si quem.* De sent. excomm. ubi de utraque fit mentio. Idem habetur etiam ex can. *Pia.* De except. in 6. ubi glossa verbo *speciem.* ait, *duplex est excommunicatio, altera ab agendo repellit, scilicet major; altera non, scilicet minor.* His suffragatur communior Doctorum consensus contrà nonnullos qui ex can. *nemo Episcoporum.* & ex can. *engeltrudam.* 11. quæst. 3. inferunt anathema esse excommunicationem specie diversam à majori, & minori; sed hæc illatio facilè reijci potest. Quia anathema est excommunicatio major, non autem maxima, ut ipsi volunt; habet enim eumdem effectum, scilicet totalem privationem Ecclesiasticæ communionis; & solùm differt per solemnitatem; nec aliud significant textus adducti: & ideo non triplex, sed duplex, est excommunicatio; major scilicet, & minor.

III. Dividitur insuper in excommunicationem à jure, aut canone, & in excommunicationem ab homine, seu à judice. Utraque est latæ, ac ferendæ sententiæ, hoc est aut ipso jure incurritur absque ulla sententia, aut est tantùm comminatoria, quæ scilicet non ligat statim, sed requiritur sententia, ut fulminetur, & ut delinquens sit verè excommunicatus. Est latæ sententiæ quandò ponitur verbum de præterito. Et est comminatoria quandò ponitur verbum de futuro. Prima seu illa, quæ est à jure, infligitur cùm Sacri Canones aliquid prohibent sub pœna excommunicationis; undè qui rem sic prohibitam facit, incidit in excommunicationem Canonis, aut statuti ipso jure, estquè ipso facto excõmunicatus absque ulla judicis sententia, sed solà vi, & potestate Canonis: quapropter hæc excommunicatio dicitur latæ ac promulgatæ sententiæ. Secunda verò est ea, quæ juxta regulas juris fertur à judice competenti, & ideo dicitur excommunicatio ferendæ sententiæ. hæc omnia probantur per ea, quæ dicta sunt in cap. 1. de censuris.

IV. Inter excommunicationem quæ est à jure, & illam, quæ est ab homine plures sunt differentiæ. Primò, ea quæ est à jure, semper est generalis, & fertur contrà facientes, vel non facientes hoc, aut illud; altera verò aliquandò est generalis contrà omnes parrochianos; & aliquandò particularis, & fertur contrà personam determinatam. Secundò, excommunicatio juris durat etiam mortuo conditore, quandiu durat ipsum jus; sed excommunicatio ab homine cessat cessante ipso homine, à quo lata fuit, sive per mortem, sive per officij remotionem: undè ea, quæ à Superioribus nostris præcipiuntur, vel prohibentur sub censura, non obligant sub tali pœna, finito ipsorum jurisdictionis tempore, nisi à successore confirmentur: etiamsi decretum de excommunicatione incurrenda fuerit à toto diffinitorio generali, pro universo ordine nostro seraphico, vel à diffinitorio Provinciæ pro tota Provincia confirmatum, vel emanatum, nullaque potest condi lex inperpetuum duratura independenter à consensu discretorij ut in primo libro cap. 5. num. 7. dictum est. Et ideo ut aliqua excommunicatio apud nos sit à jure, non sufficit quòd decretum sit à Generali, vel à Provinciali; talis siquidem excommunicatio est solùm ab homine. Tertiò. Tandem excommunicatio juris pro futuris culpis lata, ligat contravenientes, intrà territorium legislatoris dumtaxat, quamvis rei non essent subditi tempore quo editum fuit statutum: at excommunicatio ab homine comprehendit tantùm illos, qui tempore sententiæ erant subditi judicis, qui tulit eam: ita Navarrus, Toletus, Sylvester & Bassæus.

V. Quamvis ex octava Synodo citata in Can. *Si quis fratrum.* 11. qu. 3. excommunicatio absolutè pronuncietur absque ullo addito; & ibi intelligatur de minori, ut ex propriis verbis textus constat; cùm ibi sit sermo de excommunicatione, quæ ex consortio cùm excommunicatio incurritur, quæ est minor; nihilominus excommunicatio lata simpliciter absque ullo addito, seu suppressis istis nominibus, *major*, vel *minor*, sivè sit à jure, sivè ab homine, intelligenda est de majori, ut jam monui, quia sic deffinitum fuit Can. *si quem.* De sent. excommunit. ubi legitur, *si quem sub*

hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, à judice suo excommunicari contingat, dicendum eum non tantum minori esse ligatum: ubi glossa verbo *non tantùm* ait, *cum dico, excommunico illum, de majori intelligitur*. His suffragatur ratio, nam verba absolutè prolata accipiuntur in sua significatione simpliciter, ut observant Toletus, Coninck, & alij; ac proinde significatio excommunicationis est privare excommunicatum omnibus beneficiis infra numerandis, quæ ex majori, non autem ex minori excommunicatione oriuntur. Ad principium adversariorum deductum ex jure. Respondetur in Can. *Si quis fratrum*, & in aliis similibus, reverà agi de excommunicatione minori; quamvis absolutè pronuncietur, ut apertè colligitur ex antecedentibus, vel subsequentibus verbis; ut notat leander: sed modò post Gregorium IX. Decretum, aut Can. *si quem*. Excõmunicationis sententia de majori debet intelligi. Insuper hæc solitò assignatur differentia, inter excommunicationem majorem, & minorem; nimirum minorem non ferri ab homine, sed semper à jure, quamvis re ipsa ab homine ferri possit; majorem verò non solum à jure; sed etiam ab homine, ideoque dum simpliciter fertur ab homine, vel à jure, non debet intelligi de minori, sed de majori.

VI. Excommunicatio lata à visitatoribus, vim condendi leges habentibus, cùm animo ut perpetuò duret, seu donec revocetur ab ipsis, vel à successoribus, censetur lata à jure: undè si ipse visitator absolutionem non sibi reservet, quilibet confessarius approbatus potest delinquentem absolvere; si verò lata fuerit ad tempus per modum præcepti particularis, ut (v. g.) dùm alicui particulari visitator præcipit aliquid esse faciendum, aut ei revelandum sub pœna excommunicationis, tunc censenda est ab homine, & à nullo absolvi potest, nisi ab ipso, vel ejus successore, aut ab alio ad hunc effectum ab ipso delegato. Hic obiter observa, quòd si sententia hæc lata fuerit generaliter absque ulla restrictione personarum, confessarius poterit absolvere, si excommunicatio reservata non fuerit.

VII. Nulli prælatorum licet ferre excommunicationem pro culpis futuris, scilicet dicere Petro (v. g.) *excommunico te, ob tale peccatum, quod commissurus &* ut habetur can. *Romana*. De sent. excommun. in *6*. ratio est. Quia excommunicatio ad correctionem principaliter instituta fuit, & consequenter non potest ferri nisi præcedat contumacia, ad quam convincendam, competentem, ac canonicam monitionem præcedere necesse est, can. *Novit*. De judicijs. Sicque ferri non potest pro delicto futuro, etiam sub conditione protestativa; Ita Abbas contrà Leandrum, & Filiutium: quia excommunicatio est pœna, quæ non potest licitè infligi sine culpa. An verò Petrus tunc remaneat verè excommunicatus, supposito quòd posteà committat peccatum illud propter quòd lata fuit prævia excommunicatio? Respondeo negativè; talis enim excommunicandi modus est in se irritus, ac nullus. Quia excommunicatio lata fuit absolutè, & ideo nulla conditione remansit suspensa; alioquin lata fuisset sub conditione, quòd non suppono; vel fuisset à jure, quod etiam est alienum: quia quæstio est de excommunicatione lata, aut ferenda à judice: ergo excommunicatio pro futuris culpis lata est nulla, & invalida: quia ut incurratur, requiritur effectus completus, & externus: nec sufficit complendus, ideoque est invalida, supposito etiam, quòd posteà, cùm in se sit irrita ex defectu materiæ & juxta 64. Regul. juris in 6. quæ contrà jus fiunt, debeant utique pro infectis haberi, hæc quidem regula juxta glossam valet in his, quæ per jus, seu legem habent effectum quemdam moralem, quæ si contrà legem fiant, sunt invalida.

VIII. Hæc verba, *Præcipio hoc sub pœna excommunicationis*, non significant censuram, seu excommunicationem latam, nec ipso facto incursam à transgressore; ita Bassæus verbo *censura* num. 7. Navarrus in Manuel. cap. 27, num. 12. Azorius, & alij, quia talis excommunicandi modus est comminatorius, & ideo potiùs de excommunicatione ferenda, quàm de lata intelligendus est, cùm odia sint restringenda, & in mitiorem partem interpretanda, nisi præceptô aliquid addatur significationem determinans ut (v. g.) si adderetur hæc particula, *sub pœna excommunicationis statim incurrendæ*. Secùs tamen dicendum est de censura lata sub ista forma, *excommunicationem te noveris incursurum*. Quia licet hæc verba sint de futuro, significant tamen censuram, seu excommunicationem esse contrahendam ex vi legis, aut præcepti, atque adeo ipso

facto.

IX. An verò consulentes, ac mandantes incurrant excommunicationem, quandò non exprimuntur in sententia? duæ sunt opiniones, sed negativa videtur mihi probabilior: tum quia verba non plus efficiunt, quàm significant, idcircò si consulentes, & mandantes non exprimantur verbis sententiæ, non ligantur censurâ. Tum quia dum Prælati intendunt eos ligare, exprimunt ipsos, & ideo ex praxi colligendum est consulentes, atque mandantes, ut censuram incurrant, debere necessariò exprimi in sententia: tum quia pœnæ non sunt extendendæ: ita Porter, & alij contrà Rossclum, & Sylvestrum, quorum ratio est, quia ex jure facientes, & mandantes pari puniuntur pœnâ, & mandans censetur faciens, quia qui per alium facit, per se facere videtur, ex 72. regula juris. Sed hæc ratio non valet in nostro casu, sed tantùm dum excōmunicatio fertur, mentionem facit de mandante, aut verbis, quæ mandantibus adaptari possunt, ut (v. g.) Quandò sic profertur *quicumque causa fuerit talis delicti*, vel *qui mediatè, vel immediatè, per se, aut per alium illud fecerit, sit excommunicatus*; ergo ratio adversariorum non nocet assertioni nostræ, quæ agit de excommunicatione quæ fertur expresSè, & simpliciter contrà facientes.

X. Ex tridentino sess. 25. de reform. cap. 3. in fine: excommunicatus, qui per annum integrum excommunicationem contemnit, nec curat absolvi, est suspectus de hæresi. Idem priùs decreverat Honorius III. in cap. *gravem.* De pœnis. Nec obstat dicere textum ibi mentionem facere de his qui per duos annos, & amplius in pertinatia, & excommunicatione persistunt. Quia ut notat Palatius, ibi summus Pontifex non determinat tempus præfixum, sed facti narrat contingentia; & contumaciæ enormitatem ponderandam, atque detestandam ostendit.

XI. Excommunicatus non absoluitur per juramentum de stando, aut parendo mandato Ecclesiæ, nec ei communicandum est, donec absolvatur can. *quod in dubiis.* De sent. excommun. licet enim per contritionem, & propositum satisfaciendi tollatur contumacia, propter quam inflicta fuit excommunicatio; semper tamen remanet censura donec absoluatur reus. Indè alia proponi potest difficultas scilicet, an excommunicatus excommunicatione reservata sedi Apostolicæ, quem Papa litteris suis salutat, aut ad quem scribit, sit eo ipso absolutus à censura? Responsio est negativa in jure canonico can. *Si aliquando.* eod. tit. ubi Innocentius III. ait, *si aliquandò fortè contingat quòd eis in authoritate Apostolica sunt excommunicatione subjecti, nostra littera cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata.* Observandum tamen est contrà nonnullos, qui volunt tale excommunicationis vinculum non esse dissolutum, nisi Papa dicat in litteris suis *absolvo te*: hunc textum esse intelligendum dumtaxat de Pontifice ignorante, seu absque ulla notitia censuræ scribente ad excommunicatum: quia in D. Canone, immediate post allegata verba legitur, *cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat hujusmodi litteras impetrare*: quibus facilè suadetur, textum non loqui de Pontifice scienter scribente, ut observat glossa. Igitur si Papa litteris suis cum advertentia salutaret excommunicatum, ipse excommunicatus censeretur absolutus, ut docet Barbosa cum pluribus aliis.

XII. Idem argumentum currit, idemque beneficium extenditur ad alios excommunicatos, à prælatis Papæ inferioribus, ut (v. g.) ab Episcopo, Generali, vel Provinciali: undè si Episcopus scienter, & advertentiâ scriberet alicui in quem tulit excommunicationis sententiam cum reservatione, absolveret illum, & esset verè absolutus; quia gratiæ sunt ampliandæ, ac benignè interpretandæ. Prætereà Prælatus tunc excommunicato scienter, & cùm plena deliberatione scribens, liberè removet formalem excommunicationis effectū, utpotè privationem à consortio fidelium eique restituit jus conversandi, cum alijs; cum liceat ovi esse cum ovibus, cum quibus est pastor: ergo removet etiam, aut saltem censetur removere causam formalem, nimirum excommunicationem.

XIII. Plures effectus infert excommunicatio major: quamvis effectus hujus cencensuræ adæquatus sit unicus, nimirum totalis privatio Ecclesiasticæ communicationis; ut colligi potest ex rigore deffinitionis, & ex can. *si quem.* De sent. excommun. in illa quippe communione quâ privatur excommunicatus plura, includuntur bona spiritualia inter se diversa, ex

quibus.

quibus duodecim oriuntur inadequati excommunicationis effectus, quorum primus est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum. Secundus, privatio sacramentorum, tam activè, quam passivè. Tertius, privatio rerum sacrarum, & divinarum. Quartus inhabilitas ad Ecclesiasticos ordines, eorumque actus. Quintus, est privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ can. *excommunicati*. 9. quæst. 1. Sextus, est inhabilitas ad exercendos actus legitimos in judicio, Can. *à nobis*. De except. Septimus, est incapacitas ad conferenda Beneficia. Octavus, est incapacitas ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, eorumque fructus, Can. *Pastoralis*. De appellat. Nonus; est incapacitas ad obtinendum rescriptum, Can. *Ipso jure*. De Rescrip. in 6. Decimus, est privatio communicationis civilis cum alijs fidelibus, can. 9. Concil. Vernensis & can. *excommunicatos*. 11. quæst. 3. Undecimus, est suspicio de hæresi; ut dictum est supra. Duodecimus tandem effectus excommunicationis majoris, est irregularitas, si sequatur administratio in ordine Sacro, ut fusiùs dicemus infrà in proprio loco. Caveant igitur prælati tantorum malorum intuitu, nè ex ira oves censurâ feriant, sed solum ex justitia, sicut decet ministros Ecclesiæ.

XIV. Prædicti effectus non inferuntur jure divino, ut docent Covarruvias, Vasquez, & alij contrà Leandrum; qui oppositum existimant probabilius ex illo Math. 18. *Sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*. Sed solùm positivo: nam Calixtus, & alij summi Pontifices declarant excommunicatos his pœnis subjici, juxtà institutionem Apostolorum: nec intelligendi sunt de institutione declarativa tantùm, sed de inflictiva, subindequè censuræ sunt de jure Ecclesiastico, quapropter dicuntur pœnæ Ecclesiasticæ. Dum excommunicatio invalida est, ac nulla, non inducit hujusmodi effectus; quia Ecclesia in innocentes malum inferre non intendit; hinc est, quòd Prælatus qui injustè excommunicat, nedum peccat mortaliter ratione injustitiæ, quam committit; sed etiam est puniendus privatione jurisdictionis, quia abusus est potestate, & obligandus ad restitutionem damnorum, quæ passus est injustè excommunicatus. Tunc enim excommunicatio censetur provenire ex odio, & ira, à quibus Pastor debet esse alienus, Quia ex Toletano 11. Can. 5. *nullis vita præsulum perturbari debet excessibus motionum*.

XV. Olim excommunicatus, à cœtu fidelium adeò separatus erat, ut qui cum eo quoquomodo communicaret, esset etiam excommunicatus, quasi ejusdem criminis particeps, ut notant Canonistæ; sed cùm ea disciplina civilem societatem turbaret nimiùm, exsolevit; præterquam in his, qui denunciati fuerint nominatim, & specialiter excommunicati, can. *Excommunicatos*. 11. quæst. 3. & can. *cùm non ab homine*. De sent. excommun. modò enim solùm censendi sunt excommunicati vitandi omnes illi, qui publicè denunciati, nec non illi, qui adeò manifestè, & publicè in personam vim aliquam injuriosam adhibuerint; ut nulla possit hoc delictum tergiversatione celari, vel excusari, ut expresè declarat consilium constantiense, à Martino V. Approbatum, in quadam constitutione, quæ incipit, *ad evitanda scandala*, *& multa pericula*, &c. Relata à nostro Angelo de Clavosio in summa Angelica, verbo *Excommunicatio*. 8. num. 3. in fine, & ab alijs, & à nobis in secundo libro cap. 32. num. 3. Nostram assertionem probant Toletus lib. 1. cap. 12. & alij authoritate usus Romani, quo excommunicatos denunciatos, & notorios clericorum percussores dumtaxat, vitant cives Romani. (Hic usus non vitandi excommunicatos notorios nisi denunciati fuerint, receptus fuit per totam Galliam, & Germaniam.) Huic suffragatur ratio; injustum siquidem est à communione, ac consortio aliquem separari, nisi priùs Ecclesia, quæ est mater fidelium, separatum illum denunciaverit, & fugiendum expresè, ac nominatim pronunciaverit: alioquin sequeretur personam particularem posse licitè absque ulla jurisdictione proclamare vitandùm, quem præsumit, aut vidit incidere in casum sub excommunicatione à jure prohibitum, & indè orirentur multa scandala, atque anxietates, & perturbationes.

XVI Ut clerici percussor dicatur notorius notorietate facti, juxta mentem prædictæ constitutionis constantiensis, necessè est, ut percussio fiat coram testibus: verumtamen est, quòd de numero testium non conveniunt Doctores. Adrianus, Sotus, & alij requirunt decem esse de essentia hujusmodi notorietatis: Sylvester autém sex: meliùs tamen sentiunt alij, existimantes

tes percussionem non esse notoriam, nisi fiat coram majori parte Collegij, aut communitatis, ita Ledesma, & Ægidius. Quia delictum commissum in magna civitate coram sex, vel decem testibus, non est sufficienter notorium, ad vitandum percussionem, absque ulla denunciatione juridica, quamvis sufficiant, ut judex ipsum denunciet, cùm solitò parum pro nihilo reputetur. Ex quo sequi potest, quòd si percussor clerici in magna civitate notus fuerit tantùm, à sex, vel decem, est quasi occultus, & non notorius, & ideo probabilius est ad notorietatem sufficientem requiri majorem partem parochiæ, vel ad minùs numerum aliquem, cùm toto proportionem habentem: ita plures recentiores.

XVII. An verò illi sex, vel decem testes coram quibus delictum fuit in magna civitate commissum, teneantur saltem in occulto talem percussorem vitare tamquam excommunicatum, quamvis denunciatus non fuerit? duplex est sententia. Villalobos tract. 17. diffi. 3. Filiucius, Alterius, & alij affirmant: eorum ratio est, quia percussionis delictum est ipsis notorium. Sed non sufficit hæc ratio; licet enim notorium sit illis, qui percussioni interfuerunt, non est tamen absolutè notorium notorietate in extravag. requisita, ut vitetur percussor. Undè cùm non vitari, sit ipsi percussori Favor, dum non est absolutè notorius, aut denunciatus, nullus tenetur vitare illum; quia favores sunt ampliandi, suadet hæc is regula juris in 6. *odia restringi, & favores convenit ampliari.* Ita Navarrus, Bonacina, Aragonius & Hurtadus disp. 2. de excommunicatione. diff. 2.

CAPUT XVIII.

De privatione Communium suffragiorum Ecclesiæ.

I. Duplicis generis sunt Ecclesiæ suffragia: alia enim sunt communia, & alia particularia. Priora comprehendunt communem totiùs Ecclesiæ orationem, videlicet sacrificium missæ, canonicarum horarum recitationem, aliasque preces, quæ in Ecclesia publicè fiunt, ad impetrandum fidelibus auxilium supernaturale. Particularia autem, seu privata, comprehendunt nimirùm particularis hominis orationem, eleemosinam, jejunium, &c. Quæ fiunt ab homine quatenus est persona privata. fidelium communicatio est triplex, prima dicitur interior, quia ipsâ fideles communicant in fide, gratiâ, & charitate. Hæc communicatio auferri potest tantùm per peccatum mortale, quamvis fides cùm ipso peccato permaneat. Secunda est in Sacramentis, ac suffragijs Ecclesiæ. Tertia verò quæ dicitur merè externa, consistit in conversatione civili, & purè humana. Ecclesia agere potest de communicationibus posterioribus, & ipsis privare hos, nedùm in ordine ad eos qui vivunt, sed etiam ad eos qui in purgatorio existunt, cùm sit meritorum Christi dispensatrix; hæcque merita applicari possunt vivis, atque defunctis, in purgatorio existentibus.

II. Ecclesia de facto privat excommunicatos non toleratos suffragijs communibus, can. *à nobis est sepe quæsitum.* De senten. excommun. ubi Innocentius III. declarat excommunicato nihil esse nobiscùm commune, tam in vita, & congressu, quàm suffragiis communibus; ex quo sequitur filium non posse (saltem publicè) orare pro Patre mortuo excommunicato; quamvis ex vi præcepti teneatur sub mortali orare pro anima patris defuncti: ut docent Azorius, Sayrus, & alij qui hanc obligationem imponunt filijs, quorum parentes mortui sunt sine censuris; huic sententiæ non adhæreo; quoad preces privatas: Ita ut filius non possit privatim deum perorare pro patre excommunicato; Nam si filius teneatur ex justitia subvenire patri existenti in necessitate corporali, multo magis tenebitur subvenire eidem existēti in necessitate spirituali; scilicet in purgatorio, quidquid dicat Suarez, existimans filium ad hoc teneri ex solo charitatis præcepto, quod obligat tantùm dum parentes vivunt, non verò ex vi quarti præcepti, quòd respicit substantiam genitam, & consequenter obligat quandiu filius vivit.

III. Eidem constitutioni innocentianæ subscripserunt omnes Canonistæ, qui ex ea inferunt aplicantes communia Ecclesiæ suffragia excommunicato peccare mortaliter, nisi hæc communis oratio fiat in die

parasceves, inquo Ecclesia orare solet pro omnibus à communione fidelium separatis, ad ostendendum mortis Christi valorem, ut notat Bonacina; Ecclesia enim privando excommunicatum suffragijs, prohibet publicam pro ipsis orationem. Nec sufficit quod excommunicatus sit contritus,ut pro ipso orare publicè licitum sit; quia cum excommunicatus remaneat in censura,non obstante contritionis actu, donec absolvatur, pro ipso orare prohibitum est: ita Vasquez,Bassæus,Suarez,& alij contra Sayrum,Navarrum, & Valentiam,existimantes oppositũ probabilius esse. Eorum ratio est: quia improbabile videtur Ecclesiam suffragijs suis privare membra, quæ in charitate existunt, & quæ ex 1. Joann. 4. manent in deo, qui est charitas. Indè concludunt licitum esse orare pro excommunicato contrito. Hanc rationem negant alij mox citandi, quibus adhæreo: quia excommunicatio contracta, est pœna exterior, quæ per charitatem interiorem non tollitur;quapropter cùm non simus certi, an aliquis verè sit contritus, nec an sit in gratia, & certi simus ipsum esse excommunicatum; non possumus publicè orare pro eo,qui dolet de sua contumacia, ac peccato, si censuræ absolutionem non obtinuerit.Sed quia suffragia sunt duplicis generis, ut jam dixi; Observandum est hanc assertionem esse de suffragijs communibus, & publicis: cùm quilibet fidelis possit privatim orare Deum pro excommunicato, etiam non Tolerato: ita Avila parte 4. disp. 2. Con. 2. Sotus, Coninch; Cabassutius, & alij contrà Ledesma. Non desunt Theologi asserentes quod quilibet sacerdos orare potest pro excommunicatis sivè vivis, sivè defunctis in commemorationibus secretis, & particularibus, quæ fiunt in Canone Missæ, quia Ecclesia tantùm modò prohibet suffragia communia, & generalia applicari pro excommunicatis, idque ex varijs juris Canonici textibus colligitur: ita Mastrius in opere morali disp.13. num. 4. & alij Theologi, à quibus tamen recedere probabilius judico. Quia missa est oratio publica,& communis.

IV. Nedùm peccat Mortaliter, qui pro excommunicandis vitandis publicè orat, quia facit contrà prohibitionem Ecclesiæ, ut docet divus Thomas quodlib. 11. art. 9. sed etiam incurrit minorem excommunicationem, ut cùm Navarro in Manual. cap. 27. num. 36. docent Bonacina, Leander, & plures alij contrà Avilam, Sylvestrum, & Caïetanum. Ratio est, quia peccatum quod fideles committunt, dùm pro excommunicandis vitandis publicè orant, est peccatum communicationis cum ipsis excommunicatis, ut est manifestum: sed huic peccato imposita est excommunicatio minor,ut constat ex Can. *Qui communicaverit*. 11. quæst. 3. & ex Concilio Carthaginensi. 4. Can. 37. & Toletano. 1. Can. 18. ergo imponitur etiam pro excommunicatis Vitandis publicè orantibus. Cum publicè orare pro ipsis, sit communicare, ac aliquam conversationem, aut commercium habere cum excommunicatis. Ut quis hujusmodi pœnas incurrat propter publicam orationem, seu ut quis publicè oret pro excommunicato, non sufficit quòd dicat orationem publica authoritate institutam, & approbatam; sed requiritur insuper, ut eam publico Ecclesiæ nomine offerat: multæ enim preces, & orationes approbatæ sunt publicâ authoritate, quæ tamen privatæ nuncupantur, quia à personis privatis,atque privatim recitantur: idcircò ille, qui proprio motu, & in particulari orat in Ecclesia pro aliquo lapso in excommunicationem etiam denunciato, non incurrit minorem excommunicationem, quia non orat publicè.

V. An verò licitum sit publicè orare, & sacrificia offerre pro excommunicatis publicè toleratis? Doctores non conveniunt; Barbosa, & alij quos citat in cap. *à nobis* 1. de sent. excommun. negant. Eorum ratio est, quia Ecclesia excludit omnes excommunicatos à communibus Ecclesiæ suffragiis, & quantùm ex parte sua est, tradit eos potestati dæmonum, ut colligitur ex 1. ad Timoth. cap. 1. vers. 20. ubi Apostolus ait ex *quibus est Hymenæus & Alexander quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare*. Sed non convincit hæc ratio; Ecclesia enim privat hujusmodi suffragiis eos dumtaxat, quos privat communicatione fidelium, cùm sit mutua quædam connexio inter privationem suffragiorum, ac privationem communicanis fidelium: undè cùm Ecclesia non prohibeat communicare cùm excommunicatis toleratis, seu non vitandis, ut constat ex Concilio Constantiensi citato in cap. præced. num 15. nec prohibet orare pro illis. Hæc constitutio est favorabilis, cùm patres Concilij non excludant excommunicatos non denunciatos à consortio fideliũ, à

quo olim exculsi erant; & ideò extendenda est in quantùm verba patiuntur, seu ad orationes communes atque ad suffragia, quibus excommunicati Tolerati possunt simul unà cùm non excommunicatis interesse. Non obstat authoritas Apostoli. Quia est intelligenda de excommunicatis non tollerandis, ut suadet hæc particula *quos tradidi Satanæ* : Ita Navarrus, Villalobos, Rostiensis in Cap. *Cùm voluntate.* Et alij gravissimi Doctores, quos referunt,& sequuntur Coninch. & Ledesma.

VI. Authores adversantis sententiæ, sic Respondent ad authoritatem Concilij Constantiensis; nimirùm in ipso Concilio nullum favorem concessum fuisse excommunicatis; quòd verum esse probant per ultima verba decreti, quæ sunt hæc, *per hoc tamen non intendimus revelare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos.* At hæc ratio non nocet, tùm quia in hoc Concilio, constitutio *ad vitanda.* Non fuit edita ut excommunicatos oneraret; cùm ex vi ipsius licitum sit cum excommunicatis conversari, modò non fuerint denunciati. Tum quia patres Concilij per hæc verba non intendunt privare excommunicatos communibus Ecclesiæ suffragijs, ita ut illicitum sit publicè orare pro ipsis, alioquin eos privarent publico fidelium consortio, cùm ista pœna in alia, scilicet, in privatione suffragiorum, videatur inclusa; sed solùm suadere voluerunt, sic excommunicatos non esse absolutos quamvis non vitandos, sed semper censurâ ligatos, ac si denunciati fuissent donec absolvātur, ut denotat illud verbum, *Relevare.* Hoc est à censura. Nec modicus est favor ille, quo excommunicati possunt cum non excommunicatis conversari, cùm olim id prohibitum erat; igitur patres Concilij maximum excommunicatis concessere favorem; & antiquas constitutiones contrà excommunicatos mitigarunt.

VII. Indulgentiæ nullatenùs prosunt excōmunicato denunciato quamvis perfectè doleat de peccato, propter quod excommunicatus fuit, quia Indulgentiæ ad Ecclesiæ Thesaurū pertinent,& inter publica, ac cōmunia Ecclesiæ suffragia recensentur, cùm sumantur de ejusdem Thesauro, qui ex meritis Christi; ac Sanctorum coalescit, constitut. 40. quæ incipit, *Exurge.* A Leone X. edita. Secùs discendum est de excommunicato non vitando, ut ex numero præcedenti facilè colligitur. Indulgentia est applicatio satisfactionis Christi, & operum pœnalium ejusdem, ac Sanctorum ipsis defunctis. Unde indulgentiæ conceduntur defunctis per modum suffragij,& non per modum absolutionis. Quia Papa non potest absolvere mortuos à pœnis. Nec ligare eos Can. *Legatur.* 24. quæst. 2.

VIII. Hic obiter resolvendum est, an applicans indulgentiam, aut eam pro alio obtinens, debeat necessariò esse in statu gratiæ, ut ipsa indulgentia prosit? Emmanuel Sà affirmat, quia peccatum non minus impedit ad acquirendam alteri remissinem penæ, quàm sibi: at non nocet hæc ratio; peccatum enim non obstat collationi favoris, & Beneficij, sed solùm receptioni; quia indulgentia non inficitur ex malitia personæ operantis, sicut non inficitur sacrifficium missæ, nec sacramentum ex malitia personæ sacrificantis, aut sacramenta administrantis: horum enim omnium valor non ex opere operantis, sed ex opere operato procedit. Igitur, ut Indulgentia prosit alicui, non est simpliciter necessarium, ut ille, qui eam aplicat, aut pro alio obtinet, sit in gratia Sanctificante.

CAPUT XIX.

De privatione participationis passivæ Sacramentorum.

I. QUamvis absolutè loquendo quilibet fidelis dignè dispositus possit nedum licitè, sed etiam validè suscipere Sacramenta Ecclesiæ; attamen excommunicatus qui ea suscipit, peccat mortaliter, etiamsi sit aliundè dispositus: Can. *Cùm illorum.* de sent. excommun; quia facit contrà prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi: nullam aliam incurrit pœnam præter peccatum mortale, quia nulla alia extat in jure Canonico pœna expressa, contrà recipientes sacramenta in excommunicatione, exceptâ susceptione sacramenti ordinis, quod excommunicatis prohibetur, sub pœna irregularitatis. Ita Fliutius, Avila, & Alij: indè sequitur Sacerdotem excommunicatum Eucharistiam ad modum laïcorum sumendo, nullam irregularitatem incurrere ut docent Villalobos, & Hugolinus. Quia non est deterioris con-

ditionis, quàm laicus, & ideo si iste suscipiens Eucharistiam in censura, non fiat irregularis, nullamque incurrat pœnam Ecclesiasticã, nec sacerdos debet eam incurrere dum Eucharistiã suscipit admodũ laicorum.

II. Examinandum tamen restat, an excommunicatus, sivè Toleratus sivè vitandus possit validè sacramenta suscipere? omnes conveniunt quoad omnia, excepto pœnitentiæ sacramento; Quia ut sacramenta valida sint, solùm requiritur debita materia cùm forma præscripta, intentio ministri, atque recipientis; quæ omnia reperiri possunt in excommunicato suscipiente Sacramenta, & Ministro qui vult ipsum confirmare, vel ordinare; sed quoad pœnitentiæ Sacramentum, varia sunt Doctorum placita. Sylvester, Adrianus, Paludanus, & alij existimant, excommunicatos non posse hoc Sacramentum validè suscipere. Villalobos, Bonacina, Mastrius, Toletus, Covarruvias, & alij gravissimi Doctores affirmant absolutionem peccatorum collatam excommunicato, esse validam, modò ipse excommunicatus non noscat se denunciatum, nec censurâ ligatum, & ad sacramentum accedat bona fide, ac inculpabiliter; nec tenetur eamdem iterare confessionem, etiamsi posteà cognoscat se excommunicatum. Hæc sententia videtur mihi probabilior alterâ, quæ absolutè negat. Nam res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit cap. *Cognoscentes*, De constit. confessio autem excommunicati bona fide, & inculpabiliter facta caret culpâ: ergo in damnum, seu nullitatem vocari minimè debet; alioquin Ecclesia redderet incapaces omnes in naturali inadvertentia, inculpabili ignorantia, vel naturali oblivione existentes; quod prorsùs improbabile est. Insuper in isto Sacramento tunc reperiuntur omnia essentialia, quæ tam ex parte sacerdotis, quàm pœnitentis haberi possunt: ergo validum est, dum confertur excommunicato censuram ignoranti, & aliundè dispositio can. *Modò ipse excommunicatus*· quia si noscat se excommunicatum, invalide suscipit Sacramentum: sciens enim se non posse licitè confiteri, nisi priùs absolvatur ab excommunicatione, peccat sic faciendò, & est indispositus: at dùm accedit bona fide, nullum obicem ponit effectui sacramenti, & ideo recipit illum; ut (v. g.) si excommunicatus existens in articulo mortis, exhiberet sacerdoti signa contritionis, ac confessionis, posset ab ipso absolvi, etiamsi nulla fieret mentio de excõmunicatione in absolutione, ob ignorantiam confessarii qui excommunicationem nescit, vel ob bonam fidem ejusdem.

III. Insurgunt 1. adversarij dicentes in tali excommunicato non reperiri absolutionem à censura, quæ (Canonico jure) absolutionem â peccatis præcedere debet. Sed nulla est hæc ratio, quia pœnitentem priùs absolvi à censuris, quàm à peccatis, ut peccatorum remissionem consequatur, non est de essentia Sacramenti pœnitentiæ; sed solùm requiritur ex jure Canonico in inculpabili ignorantia non obligante; alioquin in nulla materia excusaret inculpabilis ignorantia, quod est falsum. Aliam addunt rationem, nimirum Ecclesiam privare sacerdotem jurisdictione absolvendi excommunicatos, quos ipsa privat usu, aut receptione Sacramentorum. Can. *Si celebrat*. De cleric. excommun. minis. Et indè concludunt. Confessionem excommunicati esse invalidam ex defectu jurisdictionis ministri; quamvis pœnitens bona fide accedat, ac inculpabiliter ignotet se esse excommunicatum; quippecùm privetur participatione, nullam partem debet habere in Sacramento pœnitentiæ. Minùs nocet illud fundamentum. Quia sacerdos non privatur jurisdictione sua per censuram pœnitentis; alioquin excommunicatio ipsius esset pœna confessarij, quòd est omninò improbabile; cùm Ecclesia non intendat punire innocentes, seu privare sacerdotem approbatum potestate absolvendi, propter pœnitentis excommunicationem, nec reddere illum, scilicet pœnitentem absolutè incapacem, ita ut absolvi non possit. Etiamsi faciat quod in se est, & sacerdos bona fide habeat intentionem absolvendi; Quia prohibitio illa non est irritatio, ut monet Mastrius, ex hac regula juris. *Multa prohibentur, quæ tamen facta tenent*. His addi possunt duæ rationes. 1. Quia Ecclesia excusat ipsum excommunicatum à peccato, à quo non excusat illum, qui ad pœnitentiæ sacramentum scienter accedit cùm excommunicatione. 2. Quia validè recipit, quamvis illicitè alia sacramenta; ergo recipit istud validè dum bona fide, & inculpabiliter confitetur peccata sua; nec tenetur posteà adveniente notitia iterare confessionem, sed solùm excommunicationis absolutionem petere ab eo, qui illam confer-

re potest, ut docet communis opinio.

IV. Duo tamen sunt casus, in quibus excommunicatus potest sacramenta suscipere, quin peccet. Primò dum invincibiliter ignorat se esse excommunicatum, vel jus excommunicatos excludens à participatione passiva sacramentorum. Secundò si ob vitandam gravem infamiam, vel scandalum, aut mortis periculum urgeat necessitas suscipiendi sacramenta, ut docent Doctores communiter, existimantes jus Canonicum in hac materia non obligare cùm tanto detrimento. In his casibus nedum licitè, sed etiam validè sacramenta suscipit excommunicatus; cùm nullum obicem ponat, & excommunicationis effectus censeatur suspensus ratione periculi mortis, aut scandali. Ita Bannius dispu. 7. de excommu. qu. 1. Reginaldus lib. 32. cap. 1. & alij quos sequitur Leander. Ratio Primi est, quia ignorantia tam pœnæ, quàm delicti excusat à pœna, sicut à culpa. Ratio autem secundi est. Quia necessitas facit licitum id, quòd antea erat illicitum, ac invalidum.

V. Excommunicatus privatur etiam auditione missæ. cap. *Alma Mater*. De excomm. in 6. cùm ex vi excommunicationis participatione, atque communione privatus existat; ideoque peccat dum missam audit, nisi aliqua justa causa, qualis est ignorantia, vel necessitas vitandi scandali, excuset; quia in re gravi facit contrà obligationem censuræ; undè excommunicatus, qui vinculum suum ignorans, videns Sacerdotem in necessitate habendi ministrum, Sacerdoti celebranti responderet, à peccato excusaretur ratione necessitatis, casu quo nullus alius adesset minister, ut apud Bonacinam tenent plures Doctores.

VI. Hic obiter observandum est, quod si Sacerdos celebrans sciret ipsum ministrum esse censurâ ligatum, teneretur abstinere se à celebratione missæ; etiamsi non posset habere alium ministrum assistentem, præter ipsum excommunicatum, quamvis excommunicatus nullum videns assistentem possit se committere, ac celebranti respondere in necessitate, ut in præcedenti num. probatum manet. Ratio discriminis est: quia privatio auditionis missæ in excommunicato est pœna, quæ interdùm potest licitè restringi, & præsertim in necessitate, ac proindè excommunicatus potest sine culpa respondere Sacerdoti celebranti, si nullus alius adsit minister. At celebrare coram excommunicato est in Sacerdote prohibitio absoluta, quæ non potest licitè prætermitti, nec violari.

VII. Quæritur an excommunicatus sive Toleratus, sive vitandus mortaliter peccet non audiendo missam in die festo, si possit facilè absolutionem obtinere, & absolvi nolit? Navarrus in manuel. cap. 21. num. 3. Suarez, Avila & alij quos sequitur Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct. 3. num. 4, negant. Eorum ratio est. Quia præceptum Ecclesiæ de missa audienda, non obligat impeditos, & consequenter nec excommunicatos ad obtinendam absolutionem, ut missam audiant. Ex adverso Nugnus 3. parte quæst. 83. art. 6. affirmat. Hæc posterior sententia videtur mihi præferenda priori. Etenim dum impedimentum est voluntarium, non excusat: undè cùm excommunicatus qui facilè absolutionem obtinere potest, eamque recusat, sit voluntariè impeditus, & impedimentum voluntariè retineat, censetur reus omissionis missæ. Nec obstat altera adversariorum ratio, nimirum Ecclesiam non obligare excommunicatos ad obtinendam absolutionem, ut missam audiant. Hujus nullitatis argumentum est. Quia Ecclesia obligat eos absolutè ad illam procurandam, statim post excommunicationem, ut apertè colligitur ex variis juris Canonici Textibus, & præsertim ex Tridentino sess. 25. de reform. cap. 3. deindè excommunicatus, qui non curat absolvi, censetur nolle absolutionem, & durāte censurâ voluntariè retentâ, censetur nolle audire missam in die festo, ideoque peccat contrà præceptum de missa audienda, sicut peccaret in sententia Bonacinæ, & aliorum, si tempore paschatis negligeret in procuranda excōmunicationis absolutione: nulla enim potest assignari ratio ob quam peccaret contrà præceptum de communione sumenda tempore paschatis, & non peccaret contra præceptum de missa audienda in die festo, cùm hæc duo præcepta sint æqualia. Hac doctrinâ suadetur quòd excommunicatus, qui suâ culpâ aut negligentiâ permansit in excommunicatione, si postea absolutione obtentâ ad pœnitentiæ sacramentum accedat, debet declarare in confessione numerum omissionum, seu festorum in quibus non satisfecit præcepto de missa audienda; quia omissio missæ censetur ei voluntaria, sicut perseverantia in excommunicatione.

VIII. Nedum peccat mortaliter excommunicatus audiendo missam (exceptis casibus memoratis.) Sed etiam assistendo di-

vinis officiis, quamvis sit tantummodò toleratus, & ex Concilio Constantiensi cùm ipso communicare possint non excommunicati, quia privilegium huiusce Concilij, quo permittitur conversatio cùm excommunicatis toleratis, aut non denunciatis, concessum fuit in gratiam non excommunicatorum, ut licitè possent communicare cùm excommunicatis non denunciatis. Si verò contingat excommunicatum esse in Sacris, vel Religiosum, vel aliundè astrictum obligatione recitandi officium; tenetur illud privatim recitare, nè de delicto commodum reportet, & à pœna eximatur: debet tamen sub pœna irregularitatis omittere *Dominus vobiscum*. Quia hæc verba sunt actus ordinis, ut notant plures Canonistæ, quos impugnat Bonacina, qui tantam pœnam approbare non audet ob materiæ parvitatem. Nec licet eidem in recitando privatim officia adhibere socium, nisi alium excommunicatum adinveniret;& cùm existat privatus communicatione, etiam in divinis officiis Canon. *Excommunicatos*. 11. quæst. 3. potest insuper ingredi templum, ibique privatim orare, & concionem audire, ut per eam compungi, & converti possit, dummodo conspectui publico se subducat; constat enim, inquit Cabassutius, fuisse veteris Ecclesiæ usum, & praxim, ut excommunicati non expellerentur de Ecclesia, nisi tempore offertorj post decantatum Evangelium, atque post finitam verbi Dei prædicationem, quæ immediatè post Evangelium fieri solebat, ut habetur in Concilio Carthaginensi IV. Can. 84.

IX. Licitum quoque est excommunicato tolerato concionari, dummodò ab aliis rogatus fuerit, ad habendam concionem, idcircò peccat ingerendo, & exhibendo se propria sponte ad concionandum: tunc enim sibi appropriat privilegium memoratum, non excommunicatis concessum. Reapsè præter peccatum, nullam aliam incurrit pœnam. Idem dico de actuali professore, cui incumbit obligatio legendi Theologiam, vel Philosophiam, aut docendi Grammaticam: ille quamvis excommunicatus, non tenetur se ab officio abstinere, nè communitas patiatur damnum; nisi in concione audienda, vel lectione adsit aliquis excommunicatus vitandus. Quia vetitum est communicare cùm excommunicatis vitandis Can. *præcipuè*. 11. quæst. 8. deindè docendi obligatio, qua astringitur æquivalet Rogationi, sicque potest docere, sicut rogatus potest prædicare.

X. Sacerdos celebrans tenetur admonere excommunicatum vitandum, quem videt in Ecclesia, ut exeat, & per vim ipsum expellere si exire noluerit; quin excommunicationem incurrat percutiendo clericum, vel Religiosum excommunicatum vitandum, missam audire volentem, ut expressè declarat Clemens III. in Can. *Veniens ad sidem Apostolicam*, de sent. excommun. imò ipse excommunicatus, exire nolendo novam incurrit excommunicationem, ex Clementina *Gravis* de sentent. excommun. si verò contingat non expedire ratione periculi, prædictum excommunicatum expellere, tenetur Sacerdos omittere celebrationem missæ, modò nondùm inchoata sit consecratio. Quia si dum ipse Sacerdos advertit excommunicatum vitandum esse in Ecclesia, inchoata sit consecratio. Debet sacrificium prosequi usquè ad sumptionem inclusivè, nè quod de jure divino est perficiendum (Can. *illud divini*. 7.quæst. 1.) maneat incompletum.Hæc ratio celebrantem cogens ad Sacrificium perficiendum, non militat pro adstantibus, serviente, seu ministro assistente excepto: quippecùm isti solùm præcepto Ecclesiastico teneantur interesse sacro, & simili præcepto, teneantur vitare excommunicatos, debent statim exire in simili casu; Sacerdos autem sumpto Eucharistiæ Sacramento, tenetur se recipere ad sacristiam, vel alium locum, & ibi recitare ea, quæ post communionem recitanda relinquuntur. Secùs si excommunicandus ille vitandus ingrediatur Ecclesiam per modum transitus, vel ad eandem confugiat,nè à satellitibus rapiatur. Quia tunc Sacerdos, & adstantes, non dicuntur propriè cùm illo communicare; cùm casus, & intentio ipsius excommunicati non sint communicare cùm non excommunicatis, nec è converso. Idem dicendum dum in Ecclesia adest cadaver publici excommunicati: quippecum ipsi deneganda sit sepultura Ecclesiastica, debet foras emitti. Ita Reginaldus lib. 32. num. 85. Hugolinus lib. 2. num. 23. Bonacina, & alij. Hic obiter observa, quòd si Sacerdos celebrans in Ecclesia, ubi adest excommunicatus vitandus non desisteret, nullam incurreret irregularitatem, etiamsi non admoneret, nec per vim expelleret ipsum excommuni-

catum. Can. *is qui* de senten. excommu.

XI. Licet excommunicatus vitandus non possit levare puerum de fonte baptismali, ut dicemus in quarto libro. Potest tamen res aliquas peragere Sacras, atque Canonicas, si non publicè, saltem privatim, ut mensam suam benedicere, signare se signo crucis, similesque actus pios elicere privatim, quia hujusmodi actus sunt actus Christianorum, quibus eos privare non intendit Ecclesia. Tenetur quidem confiteri fidem si adsit occasio., & alia signa quibus fideles, ab infidelibus distinguntur, exhibere, à fortiori poterit prædicta signa sacra peragere.

XII. Excommunicati nominatim denunciati, atqué publici Clericorum percussores, qui Sacramenta conficiunt, & administrant, nedùm peccant mortaliter Can. *si celebret*. Sed etiam incurrunt in perpetuum depositionem ab officio Sacerdotali, ut declarat Alexander III. in Can. *Latores.* de cleri excomm. ministro, nisi propter multitudinem mitigetur hæc pœna perpepetua. Hujus perpetuæ depositionis mitigatio facienda est, quandò multitudo in excommunicatione ministrantium quadragenarium excedit numerum, restatque magna ministrorum multitudo sufficiens ad communem utilitatem fidelium. Tunc enim deponendi sunt in perpetuum, tantùm illi, qui delicto dederunt causam; alij verò ad tempus à prælato Superiori destinandum. Quandò autem non excedit prædictum numerum, & restat magna ministrorum multitudo, tunc deponendi sunt omnes in perpetuum. Injunctâ cuilibet Salutari pœnitentiâ arbitrio ordi[illegible] mandavit Archiepiscopo Toletano ille summus Pontifex. Hujus mitigationis in magna delinquentium multitudine, ratio est. Quia ubi deliquit multitudo, mitiùs de pœna statuendum est, cùm propter multum populum, crimen transeat in nullum Can. *quoties à populis.* 1. quæst. 7. huic Pontineiæ consultationi subscripsere Abbas, Joannes Andræas, Ostiensis, & alij, quos refert, ac sequitur Barbosa in D. Can. *latores.* Qui insuper colligunt ex Can. *fraternitati.* Ejusd. tit. excommunicatos qui celebrare præsumpserint, omnibus beneficiis esse spoliandos, in pœnam temeritatis, & inobedientiæ contrà Ecclesiam. Nedùm à peccato, sed etiam à suspensione perpetua, tum officij Sacerdotalis, tum beneficij. Excommunicatum celebrantem excusant ignorantia invincibilis, naturalis oblivio, & inculpabilis inadvertentia; secus verò si ignorantia fuerit crassa, supina, aut erronea, ut declarat Gregorius IX. in cap. *Apostolica.* eod. tit.

XIII. Quæritur an ratio vitandi scandali. aut tuendæ famæ excuset etiam ab eisdem pœnis, quas excommunicatus vitandus celebrando incurrit? negant Silvester verbo *excommunicatio* 3. num. 1. Covarruvias in cap. *Alma mater.* 1. par. §. 2. num. 11. vasqués, & alij, à quorum sententia recedo. Quia in tanto damno, fideles suos Ecclesia non intendit ligare censuris, ut licet inferre ex rubricis generalibus missalis Romani §. *De defectibus animæ.* infine ubi præcipitur quòd dum Sacerdos in altari existens recordatur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, non tenetur relinquere sacrificium nè se prodat, sed solùm conteri, cùm proposito petendi absolutionem. Quòd non conceditur dum nullus est timor scandali, & ipse Sacerdos consecrationem nondum incepit: His verbis liquido constat licitum esse excommunicatis divina pertractare misteria, si contingat ratio vitandi scandali, aut famæ tuendæ. Ita D. Thomas 3. par quæst. 83. art. 6. D. Bonaventura in 4. dist. 13. Sotus, Navarrus, & alij.

XIV. Sacerdos excommunicatus potest in extrema necessitate, Baptismi sacramentum ministrare Can. *Si quem fortem.* 24. 9. 1. hæc assertio nullam patitur difficultatem: nam si hæreticus possit in necessitate Baptizare, à fortiori excommunicatus, etiamsi vitandus sit, Baptizare poterit in eodem casu. Imò tenetur tunc sub mortali ministrare illud sacramentum baptismi, nè anima pueri pereat. Quandò autem simul cùm Sacerdote illo reperitur Laïcus non excommunicatus volens baptizare, tunc Sacerdos excommunicatus nequit licitè Sacramentum baptismi ministrare. Quidquid in contrarium dicant victoria, Ugolinus, & alij, quos refert, & sequitur leander tract. 2. de excommun. disp. 2. quæst. 9. ideo enim Sacerdos excommunicatus potest baptizare in extrema necessitate, nè anima pereat, alias id facere non potest, quemadmodum non potest Eucharistiam administrare quacumque necessitate interveniente: nequit igitur baptisare si adsit Laïcus, qui baptizare velit. Quia tunc necessitas non censetur

extrema

extrema in ordine ad ipsum Sacerdotem excommunicatum, ut possit à peccato excusari, cùm adsit alter minister, nimirùm Laïcus non excommunicatus sciens, potens, ac volens administrare Sacramentum baptismi. Ita Sylvester verbo *Baptismus* 3. num. 11. Suarez disp. 11. sect. 1. num. 12. & Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct. 4.

XV. Major controversia est inter Canonistas, & summistas. An excommunicato vitando liceat pœnitentiæ Sacramentum administrare existenti, in articulo mortis, si nullus alter adsit minister. Covarruvias in cap. *alma mater*. 1. §. 6. num. 8. Adrianus de Baptismo quæst. 3. Paludanus, & alij; Quibus adhærere videtur Mastrius disp. 13. num. 47. negant. eorum fundamentum est, quia Sacerdos excommunicatus caret jurisdictione Can. *si celebrat*, De Cler. excommun. minist. huic opinioni contradicunt Busæus, Villalobos, Bonacina, Reginaldus, & alii, quibus lubens subscribo. Quia excommunicatus vitandus potest in articulo mortis absolvi à quocumque Sacerdote, ut colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. Patrum hujus Concilij ratio est, *né hac ipsa occasione aliquis pereat*. Quæ quidem ratio subsistit in gratiam fidelis non excommunicati in articulo mortis existentis, dùm nullus alius adest Sacerdos, à quo absolvi possit, nisi excommunicatus vitandus: ergo authoritate Tridentini; talis Sacerdos potest absolutionem conferre, nè anima infirmi pereat. Nec valet indè inferre Concilium tali decreto noluisse favere Sacerdotibus excommunicatis. Quia decretum non est in favorem Sacerdotum, qui in censuram lapsi sunt, sed in gratiam fidelium; ut in articulo mortis possent absolvi etiam ab excommunicato, si absit alius: ut probant verba Concilij, quæ sunt in gratiam fidelium duntaxat. Ratio in contrarium adducta non nocet: dato enim, & non concesso, quòd Sacerdos excommunicatus vitandus sit jurisdictione privatus. dùm pœnitens existit in articulo mortis, hoc non obstat. Quia ex Tridentino, quilibet Sacerdos circà existentem in articulo mortis habet jurisdictionem, & potest absolvere: cùm præsumendum sit, Ecclesiam excommunicationem suspendere pro eo articulo, saltem quoad jurisdictionis privationem, ut inquit Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 2. num. 37. de pœnit.

XVI. Sacerdos excommunicatus vitandus, non potest in eodem articulo Eucharistiam ministrare infirmo jam confesso, & absoluto, tunc hæc ratio Concilij Tridentini, (*Né hac ipsa occasione aliquis pereat.*) Non subsistit; cùm jam sit per confessionem absolutus à peccatis. Nec tunc urget præceptum de communione in articulo mortis sumenda, quidquid in contrarium dicat noster Villalobos. Quia divinum præceptum non obligat quandò non adest occasio, seu medium sumendi Eucharistiam, ut in præsenti casu contingeret: cùm Sacerdos excommunicatus vitandus, sit minister incompetens, seu quasi absens: si verò contingeret infirmum non esse confessum, nec absolutum, sed impotentem ad confessionem, tunc Sacerdos excommunicatus posset ei Eucharistiam ministrare, si cognosceret ipsum contritum per signa. Quia tunc præsumere posset infirmum esse verè attritum, & per Sacramentum fieri contritum; sicque hac ratione Sacramentum Eucharistiæ ei licitè conferret fructus pœnitentiæ, seu absolutionis beneficium. Hæc assertio quoad utramque partem affirmanda est, etiam de administratione Sacramenti Extremæ-Unctionis in eisdem circunstantiis; cùm infirmus alterius Sacramenti incapax, recipiendò Extremam-Unctionem possit ex attrito fieri contritus, & remissionem peccatorum obtinere, ut docent Filiucius, Coninch, & Bonacina.

XVII. Quoad Matrimonij assistentiam, parochus excommunicatus vitandus, non impeditur censurâ pro Sacramenti validitate: quamvis mortaliter peccet, si assistat communicando cùm aliis in rebus sacris, ut inquit Basilius de matrim. lib. 5. cap. 17. num. 11. contrà plures. Quia parochus non est minister Matrimonij, nec ejus præsentia est actus ordinis; ideoque per ipsius excommunicationem non impeditur validitas Sacramenti: peccat tamen mortaliter, nisi adsit necessitas excusans à consortio fidelium. Undè, si matrimonium sit alicujus volentis in articulo mortis ducere uxorem, quam in concubinam priùs habuerat, existimò quòd non peccat. Quia excusatur ob necessitatem contrahentium.

XVIII. An verò excommunicatus vitandus possit in articulo mortis licitè, ac validè matrimonium contrahere cùm sua concubina, coram parocho non excommunicato? communior opinio negat teste Leandro. Quia contrahentes sunt ministri

hujus sacramenti, & consequenter incompetentes propter excommunicationem. Nihilominus affirmativam sententiam judico probabiliorem, cùm eodem doctore. Istud enim sacramentum morientis animæ procurat salutem, sicut confessio peccatorum; supposito quòd ex justitia teneatur concubinam ducere in uxorem. Idem dico de administratione aliorum sacramentorum, dum urget extrema necessitas administraudi ea: quamvis ministri sint excommunicati vitandi. Alia difficultas agitatur, scilicet, an parochus censurâ ligatus possit validè licentiam conferre Sacerdoti, ut assistat matrimonio? Ledesma, Coninch, & alij negant: quia inquiunt hæc delegatio est actus jurisdictionis, quam (stante excommunicatione) non habet ipse parochus. Sed altera sententia videtur mihi probabilior. Quia ipse parochus excommunicatus etiam vitandus, potest validè assistere, ut dictum est num. 8. ergo delegare alterum ut assistat, non est propriè actus jurisdictionis, sed solùm quædam Matrimonij spectatoris designatio à Tridentina Synodo ordinata, ut ipse spectator possit de eo testificari. Ita Pontius, Sanchez & Hurtadus.

CAPUT XX.

De inhabilitate ad Ecclesiastica Beneficia.

I. EX Innocentio III. in Can. *Postulatis.* De Cler. excomm. electio, præsentatio, institutio, & collatio facta in favorem excommunicati etiam tolerati nullæ sunt: quia tàm toleratus, quàm vitandus est incapax, & indignus bonis Ecclesiasticis. Non desunt tamen doctores existimantes cum hurtado disp. *6.* de excomm. diff. 2. num. *6.* & *7.* hanc constitutionem intelligendam esse tantùm de excommunicato vitando; cum in ipsa habeatur. *Consultationi vestræ respondemus, quòd cùm excommunicatis communicare non debeat.* Quibus verbis suadetur summum Pontificem non loqui de excommunicatis toleratis, cùm quibus communicare licitum est ex Concilio Constantiensi. Sed hæc ratio non convincit. Quia tunc temporis ante celebrationem Concilij Constantiensis, prohibitum etiam erat communicare cùm excommunicatis non denunciatis; igitur constitutio Innocentij comprehendebat omnes excommunicatos. Nec valet adducere Concilium Constantiense in quo patres, cùm excommunicatis non denunciatis communicare permiserunt. Ex quo inferri potest hujus Concilij decretum mitigasse constitutionem Innocentianam, saltem in hac parte. Non valet inquam: Quia licet decretum sit in praxi receptum; tamen per hoc privilegium, excommunicati tolerati non redduntur habiles ad beneficia acquirenda. Concilium enim nullam affert excommunicatis utilitatem, nullumvè commodum contrà jura antiqua, sed solùm concessit aliis facultatem conversandi cùm ipsis, ut constat ex propriis verbis Concilij: Hujus sententiæ assertores sunt Abbas in cap. *postulastis.* Covarruvias, Cabassutius, Armilla, Navarrus in manual. cap. 27. num. 21. Barbosa, Rebuffus, & Sylvester docentes excommunicationem occultam reddere collationem beneficij invalidam: aliundè certum est extravag. *ad vitanda scandala.* Concedere non excommunicatis tantùm conversationem cùm excommunicatis nondùm denunciatis, ut jam dictum est, ex quo sequitur in censuram lapsum, nullum posse obtinere beneficium Ecclesiasticum.

II. Eadem Pontificia constitutio invalidat quoque collationem beneficij factam excommunicato invincibiliter ignoranti se esse excommunicatum. Licet enim ignorantia excuset à nova culpa, nova pœna, nova censura; nequit tamen excusare à nullitate, nec facere validum actum, qui aliàs erat invalidus à jure, in quo nulla fit de ignoranto excepto, & Clericus fit ad beneficia inhabilis. Ita docent plures contrà Navarrum in cap. de pœnit. dist. 5. nec excusatur per ignorantiam collatoris, qui ei beneficium contulit bonâ fide, scilicet putans ipsum non esse excommunicatum, ut notat Abbas: quia impedimentum Canonicum utporè excommunicatio non potest tolli, nisi per absolutionem; hic tamen obiter observa, Episcopum posse dispensare, ut quis retineat beneficium, sic obtentum, ut monet glossa in D. Can. *postulastis.* Verbo *dispensatum.* Idem expressè habetur in in cap. *nuper.* De senten. excommun. quo omnis dispensatio, Quæ in canone non reservatur Papæ., potest ab Episcopo concedi.

III. Collatio beneficij facta illi, qui tempore collationis credebatur excommunicatus, sed falsò, est valida. Quia inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica est effectus validæ, ac veræ excommunicationis majoris. Idcircò collatio facta excommunicato, qui communi opinione pro absoluto, aut non excommunicato reputatur, est invalida. Quia, ut excommunicatus, sit ad beneficium obtinendum incapax, opinioni prævalet veritas: Indè inferendum est, clericum, qui in excommunicatione obtinuit beneficium, non posse illud retinere, nec fructus ex ipso perceptos; quamvis posteà absolutionem excommunicationis obtinuerit sine nova collatione. Quia quòd ab initio non subsistit, per absolutionem non validatur: nam ex 18. regula juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quòd de jure ab initio non subsistit.* Sed necessarium est id, quòd ipsum jus exigit essentialiter, ut subsistat ab initio, quod est Canonica collatio: inconcussa enim est hæc regula juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri.* Ideoque tenetur resignare beneficium in manibus illius, ad quem pro tunc spectat ejus collatio. Et supposito quòd vellet habere illud, tenetur post absolutionem, novam ab eodem petere collationem; cùm ex jure Canonico, prior collatio sit, ac si facta non fuisset. Nec sufficit ei permutare, nec alteri conferre; nec in favorem tertij resignare, quippecum nullum habeat jus ad beneficium in excommunicatione obtentum, nullum jus potest transferre in alium cap. *nemo potest.* De Regul. juris.

IV. Quærunt Canonistæ, an qui tempore electionis, vel collationis beneficij non est excommunicatus, si posteà sit excommunicatus dum acceptat illud, hæc acceptatio sit valida? plures negant apud Covarruviam in cap. *Alma mater* 1. par. §. 7. num. 4. ratio est, quia licet ex collatione ante excommunicationem factâ, acquisierit jus ad Beneficium; tamen non acquisivit illud in ipso; cùm per solam acceptationem acquiratur, glossa sic testante in cap. *si tibi absenti.* De præbend. in 6. verbo *additio.* Ubi legitur. *Sed per eum etiam ante acceptationem non acquiritur dominium beneficii, vel canonicatûs.* Idem in Can. *forus.* De verbor. signif. ubi jus in re dicitur à justè possidendo; sed excommunicatus nequit acquirere jus spirituale, & Ecclesiasticum, quale est jus in beneficio: ergo nequit acceptare illud stante excommun. quamvis ei ante excommun. collatum fuerit. Altera tamen sententia, quæ affirmat Petrum (v.g.) posse licitè ac validè acceptare beneficium, quòd ei collatum fuit antequam incideret in censuras, videtur mihi probabilior: prædicta enim constitutio Innocentij III. non se extendit ad beneficij acceptationem, sed solùm irritat ejus collationem factam excommunicato: quia mens Pontificis, est invalidare actionem per quam acquiritur jus ad beneficium, quod habetur per collationem, non autem actionem quâ habetur jus in beneficio, versatur in materia odiosa, & ideo non est extendenda ad casus quos non exprimit. Unde si ille, cui collatum fuit beneficium antecedenter ad excommunicationem, acceptaverit illud, & ab excommunicatione quam post collationem incurrit absolvatur, statim ex vi collationis validæ, & consensûs exhibiti, acquirit jus in beneficio, nec indiget nova collatione, sed solùm absolutione; cùm prior collatio adhuc valida sit. Quia validè, seu clerico nullum impedimentum canonicum habenti facta fuit. Ex quo infero cùm Diana, quòd illè, qui antequam in excommunicationem incideret, obtinuit litteras ad primum beneficium vacaturum, potest illud acceptare, tempore quo vacat; quamvis tunc sit excommunicatus, id est non tenetur post absolutionem petere novas litteras, nec novam collationem, ut possideat beneficium vacans: Quoniam hujusmodi litteræ (adveniente absolutione) possunt licitè demandari executioni.

V. Eamdem Innocentij constitutionem ad pensionem clericalem extendunt Covarruvias, Barbosa, & alij, quos citant, qui volunt hujusmodi pensionem excommunicato conferri non posse: sed quia Can. *Postulastis.* Hoc non decernit de pensionibus: hanc sententiam rejicio; cùm in pœnalibus non fiat extensio, sed potiùs restrictio cap. *in pœnis.* De regulis juris in 6. deindè excommunicatus potest non obstante eadem constitutione acceptare beneficium antè excommunicationem collatum, ut tenent doctores citati: ergo pensio est valida, dum confertur excommunicato; cùm non sit vera beneficij collatio. Ita Abbas, Joannes Andreas, hurtadus, Felinus, & alij. Indè sequitur collationem pensionis temporalis, seu quæ datur titu-

lô sæculari pro aliquo ministerio erga Ecclesiam exhibito, vel exhibendo, ut duci, vel militi pro ipsa Ecclesia pugnanti, validam esse, etiamsi concedatur excommunicato; quia per se non datur in titulum, nec annexum habet ministerium, aut spirituale officium, ob quod beneficiarius percipit beneficij fructus. Ita Vasquès, Avila, Layman lib. 2. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 8. & Bonacina contra Covarruviam, & alios.

VI. An verò excommunicatus possit licitè retinere fructus beneficij ante excommunicationem acquisitos. Vel aut teneatur illos relinquere, sicut tenetur restituere eos, quos percepit ex beneficio in excommunicatione? Archidiaconus in cap. *ad hac*. dist 32. Abbas in cap. *Pastoralis*. De appellat. Suarès, Reginaldus, & Sylvester negant: existimant enim fructus beneficij retineri non posse post excommunicationem, quamvis antè ipsam acquisiti fuerint. Quia excommunicatio privat absolutè excommunicatum beneficij fructibus. Ex adverso Henriquez, præpositus, Layman, Sanchez & plures alij aliter sentiunt. Hæc posterior sententia videtur mihi probabilior, dummodò excommunicatus suum præstet officium; quia Ecclesia cui beneficium indulget, pariter tribuere censetur ea, quæ sunt accessoria, & consentanea ad beneficium; cùm qui det esse, hoc ipso det consequentia ad esse; & accessorium naturam sequi congruat principalis 42. Regula juris in 6. Undè cum jus Canonicum nullibi decernat excommunicatum existere ipso jure privatum beneficio, ei ante excommunicationem collato, nec ipsius fructibus privari debet ante judicis sententiam, si suum præstet officium; sicut enim licitè tenebat beneficium ante excommunicationem, potest etiam licitè retinere fructus tunc perceptos, nec tenetur eos à se sponte abdicare: nam Can. *Pastoralis* §. *verum* de appellat. ubi Innocentius III. loquendo de excommunicato ait. *Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur*. Non significatur privatio ipso facto, sed post judicis sententiam, cùm glossa verbo *subtrahuntur*. Hoc exponat de pœnali judicis sententia. Quia ibi ille summus Pontifex insinuat quid faciendum sit à judice, non autem à possessore beneficij.

VII. His adjunge cum Cabassutio consuetudinem, quæ idem probat: talem enim pœnam quasi jure ipso incursam, nusquam vidimus admissam sivè in foro pœnitentiali, sivè in contentioso, neque peti solet contra ipsam dispensatio, aut rehabilitatio, saltem in regno Galliæ. Nec obstat ratio Leandri nimirùm privationem fructuum acquisitorum esse effectum excommunicationis. Quia hujusmodi privatio ab excommunicatione causatur post sententiam dumtaxat. Dixi, *modò suum præstet officium*: namsi non præstet illud, fructus amittere debet. Quia non video undè possit eos retinere, cùm beneficij fructus dentur, & retineantur propter officium Can. *Cùm secundum*. De præbend. hinc est quòd beneficiarius, qui suâ culpâ officium suum amisit, restituere tenetur fructus sui beneficij, ut declarat consilium Lateranense sub Leone X. Declarans beneficiarios culpabiliter omittentes officium, teneri restituere de proventu beneficij, officio omisso correspondentes fructus.

VIII. Quamvis capitulum non possit propriè excommunicari. Can. *Romana*. De sentent. excommunicat. nihilominus invalida est beneficij collatio facta capitulo, Dùm omnes qui componunt illud disjunctim inciderunt in censuram: tunc enim omnia capituli membra sunt inhabilia, ac proindè capitulum est etiam inhabile ad beneficium obtinendum; Secùs tamen si unus tantùm illius capituli sit excommunicationis expers; cùm innocens, non sit ob aliorum consortium, gratiâ aut privilegio privandus, nec alterius odio debet prægravari juxta 22. regulam juris. Alioquin unus excommunicaretur excommunicatione alterius, & pro peccato alterius puniretur. Utile per inutile vitiaretur, quod improbat 37. regul. juris in 6. Nec in ipso innocente conservaretur jus capituli, quòd est falsum inquit Alterius lib. 2. dispu. 6.

IX. Gregorius IX. in Can. *tanta*. De excessib. Prælator. statuit collationem beneficij ab excommunicato factam, esse nullam, & invalidam. Huic constitutioni suffragatur ratio: nam conferre beneficia, est actus jurisdictionis, ut docet glossa in cap. *Transmissam*. Verbo *de talibus*. Ubi legitur. *De pertinentibus ad jurisdictionem puta sicut est judicare; excommunicare, corrigere, juramenta recipere à Vasallis, confirmare, investire, beneficia conferre, & consimilia, qua consistunt in jurisdi-*

ctione. Ex Clementina. *nè Romani*. De electione. Hæc pœna solùm attingit excommunicatum vitandum, ut docet communior opinio post extravagantem; *ad evitanda*. Quæ non prohibet cùm excommunicatis Toleratis consortium: imò nec peccat excommunicatus Toleratus conferendo beneficia ad petitionem alterius, modò in favorem Clerici non excommunicati conferat ea; licet peccaret conferendo ea sponte, & propria voluntate. Hujus discriminis argumentum est. Quia prædicta constitutione *ad evitanda* conceditur non excommunicatis libertas conversandi cùm excommunicatis non denunciatis: ergo excommunicatus Toleratus, nè huic libertati, aut privilegio non excommunicatorum noceat, potest licitè conferre beneficium clerico non excommunicato, qui rogat ipsum. Et nequit licitè excommunicati Tolerati pœnâ prægravari.

X. Non solùm potestate conferendi beneficia privatur excommunicatus vitandus; sed etiam facultate postulandi solemniter, ut declarat Innocentius III. in cap. *Gratum*. de postulat. Prælat. nam postulatio solemnis habet vim electionis, ad quam excommunicatus vitandus nullum jus habet. Can. *Cùm inter*. De elect. sicque invalida est solemnis postulatio ab excommunicato vitando facta. Secùs dicendum de postulatione simplici; cùm hæc electionis vim non habeat. hic obiter observandum est, ex can. *bona memoria* cod. quòd si postulantes ante postulationis admissionem recipiant postulatum in beneficio, invalida est collatio, & ipsi postulantes privantur jure eligendi, & electio ad alios, licet pauciores, devolvitur. Si verò omnes privati existant, devolvitur ad Papam in Ecclesijs Cathedralibus. Sic hostiensis, Panormitanus, & alij apud Barbosam. Clericus qui beneficium Canonicè obtinuit, potest validè in ejusdem possessione admitti, quamvis sit excommunicatus vitandus. Hæc assertio est contrà Suarem, Filiucium, & Leandrum. Ratio nostra est. Quia jus Canonicum irritat collationem beneficij excommunicato, & ab excommunicato factam; sed nullibi irritat acceptationem beneficij Canonicè collati, ut jam dictum est. Insuper licet unicuique acquirere rem propriam, ut suadet istud axioma *res pro Domino suo clamat*. Undè cùm iste clericus acquirat proprij beneficij possessionem, valida est ipsius admissio. Nec nocet adversariorum ratio, scilicet excommunicatum esse ab omni usu beneficij suspensum, & consequenter à possessione capienda, dùm non habet illam. Hæc enim ratio valet de beneficio ab excommunicato collato, vel ab excommunicato accepto; non autem de beneficij Canonicè collati possessione; cùm hæc possessio in beneficio collato secundum omnes formas juris, nullum jus novum tribuat. Imò valida quoque est; talis amissio in possessione beneficij, etiamsi per excommunicatum non vitandum ministretur. Quia licet unicuique sumere ab excommunicato Tolerato quòd suum est; ut apertè colligitur ex glossa in cap. *pro illorum*. de præbend. verbo *in Canonicum*. Et excommunicatus Toleratus potest licitè reddere alteri quò suum est. Quia hoc est de jure naturæ, quò nullus privari potest.

XI. Resignationem beneficij factam in favorem tertij ab excommunicato vitando, esse validam negant Covarruvias, Suarez, Filiutius, & Villalobos tract. 17. diffic. 12. num. 5. quia resignare sub conditione, ut tertiæ personæ transferatur beneficium, est concurrere ad beneficij collationem; cùm Prælatus illud conferat personæ assignatæ ab ipso resignante. Ex adverso Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct. 5. num. 7. Diana part. 5. tract. 9. resol. 106. & alij affirmant. Sed hæc posterior sententia videtur mihi probabilior: nam illa resignatio ex parte excommunicati, non est actus jurisdictionis; cùm resignare non sit eligere, nec instituere, nec præsentari; alioquin esset jus patronatus; sed solùm relinquere beneficium sub conditione, ut detur alteri, aut indicare superiori propriam voluntatem, ad exercendum juxtà ejusdem excommunicati mentem, jurisdictionis actum, quòd non est ad beneficij collationem propriè concurrere. Quamvis Prælatus illud conferat personæ ab excommunicato assignatæ: cùm ipsa beneficij collatio proveniat solùm à Prælato, qui est verus beneficij collator: nam beneficium non à resignante, sed à collatore Canonicè confertur.

XII. Præsentatio ad Beneficium Ecclesiasticum facta à patrono clerico excommunicato vitando, est illicita, & invalida, cùm ex Clemente. III. in Can. *Nobis*. de jure patron. hujusmodi præsentatio vim electionis habeat, & excommunicatus vitandus nequeat eligere. Huic constitutioni

subscripserunt Avila, Rebuffus, & alij. Si vero patronus præsentans sit laïcus, præsentatio est valida: quamvis sit excommunicatus vitandus, ut tenent Coninch, Vasquez, Layman, Leander, & Filiutius contrà plures; ratio discriminis est. Quia laïcus nihil juris ad beneficium confert præsentato, sed solùm ex quadam gratia permittitur ei nominare, vel proponere Clericum ratione fundationis, vel alterius doni, ut colligitur ex Concilio Lateranensi relato in Can. *Quoniam*. De jure patron. undè cùm laïcus non præsentet ex officio, ut patronus clericus, qui præsentat ratione præbendæ, nullumque jus præsentato tribuat in beneficium ad suum patrimonium spectans, sed solùm præsentet Episcopo clericum, ut perfruatur privilegió: præsentatio non est quid juris, nec electio est Canonica, sed est quid facti de bonis patrimonialibus, quòd jus Canonicum minime vetat excommunicatis vitandis; alioquin prohiberet jura, quæ ex bonis paternis sequntur. Quòd hactenus nemo docuit.

XIII. Episcopum posse non admittere præsentationem factam à laïco excommunicatio vitando, nulla est difficultas; quamvis hujusmodi præsentatio valida sit, atque licita: jus enim fidelibus prohibet communicationem cùm excommunicatis vitandis, idcircò Episcopus non tenetur ab eodem acceptare hujusmodi præsentationem. Imò nec cogi potest: quia cùm teneatur fugere excommunicatos vitandos, potest nolle audire istum, qui ad beneficium præsentat. Quinimò potest etiam licitè non admittere præsentationem factam à laïco excommunicato Tolerato. Quia licet nullus teneatur vitare excommunicatum Toleratum, nullus tamen ad hoc obligatur per extravagantem. *Ad evitanda*. Aliàs non esset privilegium de excommunicatis non denunciatis conversandis, sed præceptum: si autem contingat excommunicatum etiam Toleratum, esse in mora præsentandi, ita ut intrà Tempus à jure præscriptum, non sit culpâ suâ absolutus, poterit tunc Episcopus beneficium conferre cui voluerit, nulla ratione habita præsentationi sibi factæ ab excommunicato Tolerato, quia cùm ipso communicare non tenetur, & ob moram, ad Episcopum devolvitur jus præsentandi. Can. *Sicut nobis*. De supplend. neglig. Prælat. ut suadet hæc 25. regula juris in 6. *Mora sua cuilibet est nociva*. Dixi *culpâ suâ*. Quoniam impedito non currit tempus, nec est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri, seu justum impedimentum allegare, ut ait 60. Regula ejusdem juris. Dùm jus conferendi beneficium pertinet ad plures conjunctim, hique sunt excommunicati non Tolerati, collatio est nulla. Idem dico si ex ipsis non nulli sint non excommunicati. Quia cùm collatio fiat in nomine omnium, & ex omnibus fiat collator unus, per excommunicatum vitandum vitiatur; valet tamen collatio, si excommunicati, sint non vitandi: tunc enim capitulum confert beneficium ratione officij publici, ut notat Joannes Andræas apud Alterium lib. 2. disp. 5. cap. 1.

XIV. Jure eligendi ad Prælaturas etiam privantur excommunicati vitandi Can. *Nos consecrationem*. 9. Quæst. 1. licet enim ibi de consecratione solùm sit sermo: nihilominus de electione interpretatur Brancatus in Epitom. Canonum verbo *electio*. Idem colligitur ex can. *Cùm inter* de electión. & ex dictis in 1. lib. his adjunge electionem esse actum jurisdictionis, quâ jus Canonicum privat excommunicatos. Cùm sæpè contingere possit electores non posse vi repellere excommunicatum vitandum. Disputant Canonistæ, an tunc non excommunicati ita teneantur discedere, ut si eligant, electio sit invalida? Affirmant hurtadus, & Coninch. A quibus tamen recedo. Quia non debet quis suum negligere jus, ut evitet parcipationem excommunicati, quem sinè juris sui damno evitare non potest: ut declarat Innocentius III. in Can. *Si verò* De sent. excommuni. Sicque possunt tunc eligere, facta priùs protestatione. His electoribus, qui non possunt excommunicatum non Toleratum vitare; quin proprio eligendi juri cedant, favet necessitas, alioquin quælibet electio impediri posset per electorem, qui malo animo diceret se esse excommunicatum, & vellet, alijs resistentibus electoribus interresse electioni, ut esset nulla, ac Cassanda.

XV. Omnes jurisdictionis actus excommunicati vitandi, sunt invalidi, & irriti Can. *Adversus*. De immunit. Ecclesiast. ubi sententiæ, ac constitutiones excommunicatorum declarantur jure ipso nullæ, & invalidæ. Hinc sequitur excommunicatos vitandos non posse præcipere, judicium ferre, leges condere, nec indulgentias concedere; cùm omni jurisdictione ca-

reant. Nec peccant inferiores dùm superioris excommunicati non Tolerati recusant parere mandatis Can. *Gravem*. De pœnis. Quia ex jure positivo cui subjicitur ipse superior, tenentur vitare illum, atque omni Ecclesiastica jurisdictione privatum agnoscere. An verò Episcopus excommunicatus vitandus possit validè sacerdotem approbare ad confessiones audiendas? varij sunt Doctorum sensus. Ledesma, Rodriguez, Paludanus, & Tabiena affirmant. Ex adverso autem Sanchez lib. 3. de matrim. cap. 21. num. 9. Sylvester, Sotus, Bonacina, & alij quibus lubens subscribo negant. Quia approbatio ad confessiones audiendas, est actus, ac usus propriæ jurisdictionis, quâ privatur Episcopus excommunicatus non Toleratus. In hoc casu prohibitum est etiam Vicario Generali ejusdem Episcopi concedere approbationes ad audiendas confessiones, cùm in isto, cesset ejus jurisdictio, dùm cessat in Episcopo, cùm quo in materia jurisdictionis censetur una, eademque persona. Quapropter jurisdictio Vicarij Generalis non est delegata; sed ordinaria, cum sit ipsamet Episcopi jurisdictio. Secùs dicendum est de sacerdote approbato ab Episcopo, prius quàm excommunicationem incurreret. Quia jurisdictio delegata pro confessionibus audiendis non expirat, expirante, aut cessante delegante per mortem, vel per aliud ipsius delegantis impedimentum; præsertim si fuerit incæpta.

XVI Suarez disp. 14. sess. 2. num. 21. Rodriguez, & alij negant parochum excommunicatum, sivè vitandum, sivè Toleratum posse sacerdoti concedere licentiam ad conferendum extremæ-unctionis Sacramentum. Sed oppinio opposita est probabilior, quia dare hanc licentiam, non est propriè jurisdictionem exercere, sed aliam licentiam, aut alium ministrum substituere, ut extremam-unctionem conferat illis, quibus ipse Parochus impeditus tenetur eam conferre. Ita Sylvester, & Paludanus. Idem dico contrà ægidium, dum dat Sacerdoti licentiam, ut Matrimonio assistat. Quia hujusmodi licentiam dare, non est jurisdictionem exercere; sed solùm contrahentibus dare testem.

CAPUT XXI.

De privatione jurisdictionis utriusque fori.

I. Ecclesiasticus excommunicatus vitandus nequit excommunicationis sententiam ferre, ut expresè declarat Alexander II. in Can. *Audivimus*. 24. quæst. 1. per hunc enim textum, sententiam à judiee excommunicato latam nullius est momenti: quia illi, quos Ecclesia separat, super filios Ecclesiæ nullum jus habent: secus de excommunicato Tolerato, ut notat Navarrus in Manuel. cap. 27. num. 7. contrà Sylvestrum verbo *excommunicatio*. 1. num. 6. Ubi oppositum id probat ex eo quod excommunicati, tolerati ex extravag. *Ad evitanda*. Nullum jus obtinent contrà jus antiquum, quo erant vitandi. Nihilominus hanc Sylvestri opinionem improbat glossa in cap. *Ad probandum*. De Sent. & re judicata verbo. *Innodatus*. Ubi de excommunicato occulto legitur, *ut cùm communi opinione liber, & absolutus habeatur, & credatur, quidquid interim facit, valet*. His suffragatur ratio. Ecclesia Tolerat hujusmodi excommunicatum, eique suorum concedit usum officiorum; cùm permittat nos cùm ipso communieare in rebus sacris, & alijs ad jurisdictionem pertinentibus; Ideò non privat illum jurisdictione, nec ejus sententiam irritat. Adde sententiam in foro interiori nempè absolutionem Sacramentalem ab excommunicato Tolerato latam, esse validam, ut docet communior opinio: ergo valida erit in foro exteriori sententia excommunicationis lata ab excommunicato Tolerato, cùm sententia fori interioris sit majoris momenti, ac beneficij. Ad rationem in oppositum adductam dico extravag.. *Ad evitanda*. Esse in favorem non excommunicatorum, ut possint si velint cùm excommunicatis non denunciatis conversari. Hinc est, quòd si accedant ad judicem excommunicatum Toleratum, possunt ab ipso recipi, & judicari, ac si non esset excommunicatus.

II. Judex sæcularis excommunicatus vitandus, privatur usu jurisdictionis pro

tempore, quo remanet in censura can. *Pia* de exceptionib. in 6. & can. *miramur*. 24. quæst. 1. ubi Nicoalus Papa ait. *Absurdum est, ut cui non licet etiam cùm minimis (juxta sacras regulas) communicare, liceat penes vos etiam de majoribus judicare*. Rationi plurimùm conformis est hæc constitutio; cum nullam habere debeat jurisdictionem in membra Ecclesiæ, qui ab ipsa Ecclesia repellitur; quemadmodum enim Ecclesia non judicat de his, qui foris sunt, neque hi judicant de his qui sunt intrà Ecclesiam. Quapropter nedùm invalida est excommunicati judicis sententia ex defecta jurisdictionis; sed etiam peccat ipse judex, quia sibi usurpat jurisdictionis usum, quem non habet, & facit actum irritum, & invalidum in damnum tertij, quòd n quit sine culpa fieri, juxta 19. regulam juris in 6. *non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet se immiscet*. Idem dicendum de actibus ab arbitro excommunicato elicitis, dum ipse arbiter constitutus fuit ad formam judicis. Non desunt qui cùm victoria quæst. 16. de excommu. docent judices sæculares hanc pœnam non incurrere ipso jure; sed solùm si per annum insordescant: communis tamen Doctorum sensus affirmat oppositum, quia excommunicati vitandi, sunt ex D. Can. *Pia*. ab omni officio, actuque publico suspensi, & consequenter ea, quæ ab ipsis fiunt, sunt ipso jure invalida.

III. Major difficultas est, an excommunicatus vitandus possit in judicem eligi, vel ad aliam dignitatem temporalem jurisdictionem habentem? Filiutius tract. 12. num. 18. Coninch disp. 13. dub. 12. Suarez dispu. 16. sess. 2. num. 3. & alii affirmant. Sed rejicitur hæc sententia ex glossa in cap. *Venerabilem*. De elect. & in cap. ult. de cleric. excomm. ministr. Deindè actiones ad jurisdictionem temporalem pertinentes fieri nequeunt à persona excommmunicata vitanda, & ideo illicitum est conferre eisdem dignitates jurisdictionis temporalis; cùm prohibito uno, prohibitum censeatur id, per quòd ad illud pervenitur. Sicut dùm prohibetur aliquid, prohibetur etiam id quod sequitur ex illo juxta hanc 39. regulam juris in 6. moneo tamen assertionem nostram non tenere in duobus casibus, scilicet dùm dignitas illa à summo pontifice scienter confertur: tunc enim censetur valida collatio, quia Papa, qui suprà jus canonicum est, præsumitur tunc velle in eo dispensare. Et dùm dignitas advenit excommunicato mediante aliquo dominio temporali hæreditaro, cui annexa est dignitas, aut jurisdictio: jura enim non irritant acquisitionem Dominij temporalis, nec consequenter invalidant jurisdictionem quam habent annexam: quamvis excommunicatus non possit jurisdictionem exercere. Sic Barbosa in cap. *Venerabilem*. Num. 9. Abbas, Reginaldus, Sayrus, Cardinalis, Perreyra de renovat. emphyt. quæst. 7. num. 1.

IV. Quamvis excommunicatio major non tantùm in forro conscientiæ, sed etiam in sæculari judicio excludat actorem; ita ut excommunicatus non possit esse actor in judicio, ut declarat Alexander IV. in cap. *decernimus* de excommuni. in 6. potest tamen jus suum petere in judicio, quin peccet, nisi per exceptionem, vel per officium judicis repellatur, ut monet Corneio. Potest etiam se deffendere in judicio; ut priùs decreverat Alexander III. in cap. *Intelleximus*. De jud. quia deffensio danda est reo: omnia quæ adversus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, vel judicantur, omninò evacuantur. Quia absentem inauditum nulla lex damnat, ut monet Cornelius Papa Epist. 2. Relatus in Can. *Omnia*. 3. quæst. 9. Hanc sententiam tuentur Navarrus in Manuel. cap. 27. num. 23. Abbas, Filliutius, & alij. Immò in hoc regno galliæ consuetudo præscripsit, ut nulli excommunicati excludantur à litibus fori sæcularis sivè actorum, sivè reorum partes sustineant, ut refert Cabassutius lib. 5. cap. 14. Hæc consuetudo viget etiam in Hispania, ut testantur Covarruvias, Avila, & Henriquez. Insuper ubique licitum est judici vocare ad judicium excommunicatum vitandum, inquit Leander, & si necessè sit, ipsum cogere, ut statuit summus Pontifex Alexander III. nè reus excommunicatus commodum reportet de sua malitia. Idem suadet ratio; cum omnia, quæ adversus absentes in omni negotio judicantur, prorsùs evacuentur, & sæpè necessarium sit in judicio procedere contrà excommunicatum etiam vitandum. Quamvis judex possit rejicere excommunicatum Toleratum, qui se in judicio præsentat contrà alium. Quia liberum est non excommunicato communicare cùm excommunicato Tolerato; non tenetur tamen eum rejicere cùm ex extravag. *Ad evitanda*. Non teneatur eum vitare, ac proin-

dè

dè non tenetur eum rejicere, nisi ad requisitionem partis evidenter probantis excommunicationem.

V. Disputant Doctores, an reus excommunicatus possit per se ipsum respondere; ita ut non teneatur accipere procuratorem quem invenit idoneum? negant Sylvester, Felinus in cap. *intelleximus.* Ex adverso affirmant præpositus quæst. 2. de excommunic. dub. 13. num. 87. Filliucius can. *Venerabilem.* de exceptionib. hæc ultima opinio est probabilior. Quia nimis durum, multisvè conjunctum incommodis videtur constringere excommunicatũ, ut per alium se deffendat, dùm id per se vult, & potest facere. Nec obstat adducere glossam, quæ addit hanc particulam *per alium* quia glossa supponit reum non esse pro deffensione sua idoneum, ut observant Abbas, & Hostiensis. Hæc enim particula non est præceptiva; ita ut teneatur respondere per alium. Quia jure communi reo conceditur deffensio: sed est solùm in favorem excommunicati, qui si per se ipsum respondere non possit, potest respondere per alium. Igitur reus excommunicatus potest se deffendere in judicio per semetipsum, antequam absolvatur; etiamsi absolutionem obtinere possit; cùm absque ulla restrictione, ei à jure Canonico concedatur facultas deffendendi se, & deffentiones dandæ sint cuilibet inquisito ex qualibet causa, ut declarat Concilium Lateranense IV. Can. 8.

VI. Cùm excommunicatus vitandus tàm in judicialibus, quàm extrà judicialibus, removendus sit à legitimis actibus. Can. *Licet* de sent. excommunic. in 6. sequitur testimonium hujusmodi excommunicati, non solùm esse illicitum, & mortaliter peccaminosum, ut contrà Villalobos existimant plures; sed etiam invalidum: nam ex stephano Papa relato in Can. *Nullus* 3. quæst. 4. Testimonio excomunicati vitandi nulla est fides adhibenda. Eamdem nullitatem retinet, etiamsi à judice non repellatur; seu quamvis judex, & ambæ partes consentiant. Quia judicis, & partium consensus non possunt reddere validum testimonium, quod jus Canonicum irritat. ita Faber in 4. dist. 25. quæst. 1. contrà Filliutium: excipiendæ tamen sunt causæ fidei, ut statuit Alexander IV. in Can. *In fidei favorem* de hæret. in 6. hinc est excommunicatum vitandum posse esse testem in contractu matrimonij. Quia ad res fidei restringitur testimonij acceptatio. Advertendum tamen est cùm glossa in eodem Canone citato. Quòd dum testes sunt excommunicati vitandi; non admittuntur indistinctè in causa hæresis ad testificandum; sed quando est præsumptio, quòd ipsi dicunt verum. Idem de criminibus læsæ majestatis, & Simoniæ, in quibus testes excommunicati vitandi possunt admitti sub eadem conditione. Quantum ad excommunicatum toleratum, licitè, ac validè potest testimonium reddere, si requisitus fuerit, quia cùm ipso licita est conversatio. Quamvis glossa in D. cap. *Decernimus.* Declaret excommunicatum vitandum testari non posse: Nihilominus juxtà plurium Doctorum sensum, validum est testamentum ejus, sic Barbosa *Ibidem* num. 7. Covarruvias in rubr. de testam. p. 2. num. 18. Abbas in cap. *Ad probandum* de re judic. eorum ratio est. Quia in jure nullibi reperitur hæc prohibitio: deindè aiunt prohibitio in jure sit excõmunicatis specialiter propter hæresim, ut patet in can. *excõmunicamus itaque §. credentes* de hæret. Ergo excommunicatus ob alias causas potest validè testamentum condere. Licet juxtà non nullos peccet, nec aliud intendit citata glossa in cap. *decernimus.* verbo *& testificando.* Quia specialis prohibitio non est extendenda cùm ex 15. Regula juris in 6. odia sint restringenda.

VII. Potest etiam idem excommunicatus institui hæres, & bonorum hæreditatis Dominus; jus enim quòd in contrarium adducunt Sylvester, Tabiena, & alij deffensores oppositæ sententiæ, non se extendit ad omnes excommunicatos, sed solùm ad eos, qui propter hæresim, aut percussionem Cardinalium in excommunicationem lapsi sunt, ut notat Suarez; & hoc in odium, ac punitionem peccati hæresis: nam si excommunicatio non privet excommunicatum Dominio rerum suarum, certò nec privabit eum potestate acquirendi dominium bonorum testatoris, qui ei liberè dedit bona sua temporalia, & eum hæredem instituit. Hæc opinio videtur mihi probabilior: solùm addo istum hæredem excommunicatum non posse licitè bonis frui ante absolutionem; quippecùm non possit hujusmodi bona obtinere, nisi conversetur cùm non excommunicatis, non potest licitè hæreditatem petere, nisi priùs per absolutionem obtinuerit beneficium conversationis.

VIII. De curatore autem, vel tutore cujus munus necessariò exigit communicationem cùm alijs à jure prohibitam excõmunicatis vitandis. Aliter sentio. Undè peccat tutor, vel curator excommunicatus si suum exequatur officium, sivè in judicio, sivé extrà. Similiter peccat ille, qui curatoris excommunicato vitando confert officium. Ita Hugolinus, Tabul. 2. cap. 14. Et Diana part. 5. tract. 9. Resol. 115. Si verò contingat aliquem excommunicatum vitandum suscipere curatoris officium reverà peccat; validi tamen sunt actus, quos nomine pupilli elicit, nisi aliqua interveniat legitima oppositio. Quia nullum extat jus excommunicati curatoris gesta irritans. Insuper considerandus est, ut Pupillus dum erit extrà Tutelam: sed actus istius erunt validi non obstante censurâ; cùm semper remaneat Dominus bonorum suorum; ergo etiam tutoris actus sunt validi. Objiciunt Tabiena verbo *excommunicatio* 2. §. 14. Et Sylvester ibidem 3. num. 2. Officium tutoris est publicum, & ideò excommunicato vitando prohibitum sub pœna nullitatis actuum. Respondetur non esse ita publicum, ut includat jurisdictionem, quam sacri Canones prohibent sub pœna nullitatis actuum, sed solùm utilitatem publicam: quia ut quis subeat illud eget authoritate legis, & publici judicis ministerio; idcircò quamvis sit publicum, non est prohibitum excommunicatis sub pœna nullitatis actuum; cùm nullam includat jurisdictionem.

IX. Excommunicatus vitandus non potest esse procurator alterius, licet reus excommunicatus possit se deffendere in judicio, ut dictum est supra. Quia hoc ei conceditur ob necessariam sui deffensionem. Procurator autem est voluntarius. non valet igitur de procuratore ratio deffentionis. Nec valent ejus acta, si post institutionem in excommunicationem inciderit; At si institutus fuerit procurator ante excommunicationem, valida sunt ejus acta, quamdiu à judice recipitur, ut monent Faber, Turrianus, & alii, qui eumdem sensum habent de advocato, quem judex admittit, & cui non objicitur excommunicatio. Quare tunc potest licitè pro actibus suis stipendium accipere; non verò postquam ei objecta est excommunicatio; tunc enim acta ejus sunt irrita pro decisione causæ: & consequenter nullo stipendio digna: ut tradunt hurtadus, & Villalobos. Ratio hujus est, quia procurator, aut advocatus excommunicatus tenetur se abstinere à conversatione, & comercio aliorum: cùm sit jure vitandus, & nè sit censurarum contemptor non debet procurationem acceptare; at si ante excommunicationem institutus fuerit procurator, aut advocatus, non tenetur se abstinere, donec propter excommunicationem, quam incurrit repellatur à judice tamquam excommunicatus: quia indè non censetur censurarum contemptor; sed potiùs contractæ censuræ ignarus, & officij sui suspensionem expectare.

X. Non conveniunt Canonistæ, an excommunicatus vitandus valeat in judicio debitum suum petere à debitore suo? Panormitanus, Sayrus, Fœlinus, Adrianus, & alij. Negant ex Can. *Nos Sanctorum* 15. quæst. 6. & ex Can. *Iuratos milites* ibidem: eorum ratio est, quia jus Canonicum cum excommunicato vitando conversationem prohibens, improbat hujusmodi petitionem. Covarruvias, Sylvester, & alij, quos sequor affirmant: hæc posterior sententia est longè probabilior: nam quilibet tenetur reddere alteri quod suum est, nec in hoc excusatur per peccatum, delictum, aut pœnam; alioquin commodum delinquenti afferret peccatum, aut pœna, quòd est improbabile: ergo cùm indè sequatur debitorem excommunicatum vitandum teneri solvere debita, sequitur etiam creditorem quamvis excommunicatum vitandum posse debitum suum petere, à debitore suo excommunicato non tolerato. Deindè excommunicatus vitandus, si pauper sit, potest eleemosynam petere, aut laborare ut vivat, & laboris sui mercedem petere, nec potest eam illi denegare Dominus vineæ, in qua laboravit, neque debitor potest negare debitum creditori excommunicato. Ad citatos Canones dico, quòd loquuntur de debito fidelitatis, & obsequij; non autem de debito pecuniario, quod fundatur in jure divino, & Ecclesiastico. Ad rationem adductam dico, jus Canonicum omnem conversationem prohibens cum excommunicato vitando, esse intelligendum de conversatione merè Civili, & humana; non verò de ea, quam justitia præcipit, & necessitas excusat ab omni culpa, qualis est hæc de qua hîc agitur, cùm debita sint solvenda ex justitia, & ex necessitate salutis, aliàs fur excommunicatus denuncia-

tus, non teneretur restituere ea, quæ furatus est, nec justitia posset eum punire, quòd est falsum. Igitur eadem ratione creditor nonobstante excommunicatione, quam ex delicto incurrit, potest à debitore suo petere debitum suum, nec potest debitor illud licitè recusare, nisi fortè spes esset per delationem debiti, excommunicatum recurrere ad Superiorem pro absolutione obtinenda: tunc enim posset solutionem differre pro utilitate, & salute creditoris.

XI. Jurisdictionis nomine intelligitur potestas legitima disponendi de aliquo principaliter ad utilitatem, aut ad salutem temporalem, vel spiritualem aliorum, cum facultate obligandi eos habendam pro justa, ac rationabili talem dispositionem, seu ad se illi, ut tali conformandos. Hinc est quòd judex potest debitorem cogere ut creditori, quamvis excommunicato solvat debitum, & è conversò putà ut debitor solvat, etiamsi excommunicatus sit. Quia in hoc judex disponit de aliquo, seu de re mutuata, ad utilitatem alterius, utpotè creditoris, imò & debitoris; cùm ille recuperet quod suum est, iste verò restituat bonum alienum, quod nequit licitè retinere Domino rationabiliter invicto. Hinc est insupèr, quòd judex sivè sæcularis, sivè Ecclesiasticus, si sit excommunicatus vitandus jurisdictionem suam nequit exercere; quippecùm sit in pœna non potest licitè disponere de bono alterius, quia pœnâ, aut censurâ ligatur, id est privatur actione, aut exercitio jurisdictionis: etenim ligari, & non posse agere idem sonant, ligamen, & impotentia idem sunt. Jurisdictio secundum plures canonistas, est facultas alicujus habentis publicam authoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem. Et ideò cùm homo censurâ ligatus, non sit super alios, saltem in eo ordine, in quo est ligatus, nullam jurisdictionem habere potest super alios, tam in foro exteriori, quàm interiori, tam in foro pœnitentiæ, quàm in foro conscientiæ. Quædam enim est differentia inter forum pœnitentiæ, & forum conscientiæ. Jurisdictio in foro pœnitentiæ exercetur in tribunali Sacramentali à quolibet confessario absolvente à peccatis. Jurisdictio autem quæ est pro foro conscientiæ, hocque nomine intelligitur, exerceri potest extrà tribunal sacramentale; cujusmodi est facultas absolvendi à censuris, & irregularitatibus, atque dispensandi in votis, ut ab onere liberetur conscientia. Igitur forum pœnitentiæ distinguitur à foro conscientiæ, tamquam speciale quoddam à generali, cùm plures absolvant à peccatis in foro pœnitentiæ pro tranquilitate conscientiæ: qui tamen non possunt conscientiam absolvere à censuris, & ab alijs vinculis, quæ remittuntur in solo conscientiæ foro; non autem è contrà: nam illi, qui absolvunt in foro conscientiæ, solitò absolvunt etiam in foro pœnitentiæ, & sacramenti. Quoniam residet in prælatis, & pastoribus animarum.

CAPUT XXII.

De excommunicatione minori.

I. HÆc excommunicatio est censura Ecclesiastica, separans fidelem à passiva sacramentorum participatione, ut constat ex varijs Textibus juris. Hinc est quòd si Sacerdos minori ligatus excommunicatione celebret, non incurrit irregularitatem, nec aliam pœnam, ut statuit Gregorius IX. in Can. *si celebrat.* de Cler. excommun. ministr. est tamen ad Superioris arbitrium puniendus. Ista excommunicatio dicitur minor respectivè ad majorem, & ad ejusdem effectus; qui sunt multò majores, atque graviores. Et incurritur ex conversatione cùm excommunicato vitando. Præter privationem passivæ participationis sacramentorum, alium effectum causat nimirum privationem electionum, præsentationum, & collationum ad beneficia, & ad Ecclesiasticas dignitates: nam ex D. Can. *si celebrat.* Ligatus hac censurâ, non potest licitè eligi, nec præsentari ad beneficia, quamvis alium eligere, & præsentare possit, sicut potest ministrare sacramenta Ecclesiæ, frui suffragiis, ac divinis interesse officiis. Et si scienter eligeretur, reverà hæc electio non esset ipso jure irrita; esset tamen irritanda per sententiam, ut ex præcitato canone inferunt Toletus lib. 1. cap. 17. num. 4. Felinus in cap. *dilecta* de exceptionibus, & Barbosa contrà Hugolinum, Tab. 3. cap. 6. & Panormitanum: quia hæc electio facta fuit contrà legem prohibentem. Ex eodem canone inferendum est, hu-

jusmodi electionem non esse irritandam, si ignoranter facta fuerit; cùm in textu ipsam irritandam declarante, habeatur hæc particula *si scienter*, quæ poni non potuit in textu, nisi animo excusandi ignorantes, & eos qui bona fide eligunt; ideoque ad ignorantes trahi non debet hæc constitutio, ut concludit Barbosa num. 3. circà finem, ubi pro nostra sententia refert Raymundum antiquum glossatorem, & Henriquem.

II. Eadem Gregoriana constitutio declarans collationem beneficij factam ligato minori excommunicatione esse irritandam per judicis sententiam, non se extendit ad beneficia simplicia, quibus nulla competit animarum cura, nullaque Sacramentorum administratio, nec ad alia, quæ Sacramentorum nullo modo includunt susceptionē, hocque excommunicationem minorem, à majori distinguit prædicta constitutio: edita quidem fuit, nè sic excommunicatus eligeretur ad susceptionem Sacramentorum, quorum perceptio est ipsi prohibita, ut monent Sancti Patres, nôn autem, nè eligeretur ad ea, quæ ordinantur ad divinas laudes Deo recitandas sivè in choro, sivè extra, ad quas ordinantur beneficia simplicia, ut suadet hæc particula. *Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis patribus est privatus.* Quæ verba evidenter probant constitutionis finem non reperiri in collatione simplicis beneficij facta excommunicato, & consequenter nec ad eamdem collationem extendi posse prædictam constitutionem; cùm ipsa sit de materia pœnali, & pœnæ potiùs restringendæ, quàm ampliandæ sint, & odia restringi, & favores conveniat ampliari; ut constat ex 154. regula juris in 6. sic Rebuffus in praxi beneficiorum art. 1.

III. Disputant Canonistæ, an minori excommunicatione ligatus mortaliter peccet, dū sacramenta suscipit? plures stāt pro peccato veniali. Alij verò tenent pro mortali. Quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi; quæ quidem violatio non potest esse solùm venialis, ob contemptum rei sacræ, quem includit. Hanc posteriorem sententiam tueor, & addo ipsum excommunicatum pœnitentiæ sacramentum invalidè recipere, quoties intendit priùs absolutionem à peccatis, quàm censuris obtinere: Quia intendit habere impedimentum Canonicum ad licitam Sacramenti receptionem, & accedere indebitè; quantum autem administrationem dico, quòd dùm ministrat Sacramenta, non peccat mortaliter. Quia excommunicatio minor non privat activâ Sacramentorum participatione, Ita Suarez, & Filiucius. Objici potest summum Pontificem Gregorium IX. prædictæ constitutioni hæc addidisse verba. *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta.* Sed non nocet hæc ratio. Tum quia id non evenit quatenùs Sacramenta confert, sed quatenùs recipit Sacramentum, dum missam celebrat, ut facilè colligitur ex hac particula *si celebrat* in principio constitutionis apposita. Tùm quia non adjunxit particulam *graviter*. Quæ dùm de peccato mortali agitur, apponi solet: & ideo ex illis verbis, potiùs colligendum est contrà adversarios, peccatum quod committit in administratione, esse veniale quàm mortale. Quia pœnæ sunt restringendæ, indè sequitur Sacerdotem minori excommunicatione ligatum, unum dumtaxat committere peccatum mortale, dum celebrat missam, quia suscipit Sacramentum; quod nequit licitè suscipere.

IV. Minoris excommunicationis obstrictus vinculo, potest à censuris, & à peccatis absolvere, & omnes jurisdictionis actùs exercere Can. *duobus* de sent. excommunicat. hic tamen obiter observa, jus absolvendi ab excommunicatione minori pertinere ad proprium Sacerdotem, qui ordinariam habet jurisdictionem suprà excommunicatum, ut docuere Filiucius, Suarez, Alterius, & alij ex Can. *nuper*. Eod. tit. & si excommunicatio fuerit lata ab homine (ut fieri potest quia est pœna, quæ pertinet ad bonam Ecclesiæ gubernationem licet non sit in usu; cùm omnis excommunicatio minor solitò sit à jure, & incurratur participando in rebus prohibitis cum excommunicato vitando. Ut jam monui ex Can. *à nobis* de exception) debet absolvi ab eo, qui tulit eam; quamvis sit in eadem censura: hic enim per excommunicationem non excluditur à participatione bonorum spiritualium, nec à jurisdictione activa. Indè sequitur simplicem Sacerdotem non posse absolvere ab excommunicatione minori, sivè sit à jure, sivè ab homine. Quia non est proprius Sacerdos. Idem dico de alterius Parochiæ parocho, nisi sit à proprio excommunicati parocho delegatus. Parochus potest extrà confessionem, suum ab excommunicatione minori absol-

vere subditum; etiamsi nondùm sit Sacerdos. Quia hæc absolutio est ordinariæ jurisdictionis actus, qui parocho non Sacerdoti competit; cùm sit ipsi ordinaria. Hæc absolvendi jurisdictio omnibus censetur delegata Sacerdotibus ab Episcopo approbatis: Sacerdos enim approbatus potest per delegatam jurisdictionem dici Sacerdos proprius, ut colligunt innumeri Doctores ex cap. *omnis utriusque sexus*, & expressè in primo libro probatum manet.

V. Impugnanda est sententia eorum, qui asserunt quemlibet simplicem Sacerdotem, seu non approbatum ab ordinario pro cōfessionibus audiendis posse absolvere ab excommunicatione minori pœnitentem, qui peccatum mortale non habet; ex eo quod potest absolvere à venialibus. Quia simplex Sacerdos non habet facultatem absolvendi à venialibus; ut probabimus in lib. de Sacramentis cap. de minist. pœnitent. cùm gravissimis Doctoribus. Peccatum veniale non est materia sufficiens excommunicationis minoris: nam licet de facto ille, qui cum excommunicato non tolerato communicat in humanis ut v. g. qui salutat excommunicatum vitandum, fit excommunicatus excommuncatione minori, & peccet, ut in jure cautum est; tamen illud peccatum non est veniale, ut autumat Diana; sed mortale, ut dictum est in cap. præcedenti. num. 4.

VI. Quamvis communicans cum excommunicato vitando incurrat minorem excommunicationem; tamen communicans cum excommunicato excommunicatione minori, nullatenùs fit excommunicatus; etiamsi ipsi administret Sacramenta, & in eorumdem administratione peccet mortaliter, si excommunicatus minori excommunicatione fit notus; peccat tamen venialiter qui communicat cùm excommunicato excommunicatione minori.

CAPUT XXIII.

De Suspensione.

I. Suspensione propriè accepta sic deffinitur, *Censura Ecclesiastica, quâ Clericus privatur à jure, vel à judice usu sui officij, aut beneficij in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus.* Sic colligunt omnes Canonistæ ex cap. *cum medicinalis*. De sentent. excommunicat. in 6. Distinguitur essentialiter ab alijs censuris, & dividitur 1. in suspensionem ab officio sivè ordinis, sivè jurisdictionis, 2. in suspensionem à beneficio, 3. Tandem in suspensionem ab officio, ac beneficio simul. Hæc suspensio potest esse duplex, totalis, vel partialis, perpetua, vel solùm ad certum tempus. Prior est illa, quæ suspendit in totum ab officio, vel beneficio, hoc est ab omni ordinis, & jurisdictionis actu, nec non ab administratione beneficij, ejusdemque fructuum perceptione in perpetuum. Posterior verò est ea, quæ solùm ex parte ad certum tempus suspendit (v. g.) ab officio ordinis; non autem jurisdictionis, vel solum ex parte ordinis, vel jurisdictionis; ut contingit quandò aliquis suspēditur à celebratione missæ, & non suspenditur à confessionibus audiendis, aut è converso: quippecum hujusmodi actus sint diversi, unus potest impediri; quin impediatur alius. His addi potest altera suspensionis divisio; quæ est in suspensione à jure, & suspensione ab homine, ut de excommunicatione dictum est. Quamvis suspensionis membra sint diversa, tamen Canonistæ disputant, an suspensus ab officio, sit etiam suspensus à beneficio? plures affirmant, quia ex jure, beneficium datur propter officium. Ita Sylvester, & Covarruvias, à quibus recedo: nam suspensio ab officio, & suspensio à beneficio sunt duæ pœnæ diversæ; quarum una non censetur includere aliam; quippecùm pœnæ sint restringendæ; suspensus non tenetur sustinere pœnam, quæ non exprimitur in sententia. Nec valet adversariorum ratio. Quia licet beneficium detur propter officium privatus isto, non censetur privatus alio. Quia odia sunt restringenda, & in pœnis benigna facienda est interpretatio, ut statuit 59. regula juris in 6. & consequenter quamvis beneficium concessum fuerit propter officium, quando prælatus suspendit Clericum ab officio, non debemus interpretari eumdem esse suspensum etiam à beneficio, à quo debet sustentari: nam ex multiplici pœna eligimus mitiorem Can. *eos* dist 50. & Can. *Si quis dederit* 24. quæst. 1.

II. Omnibus quibus competit facultas excommunicandi, competit quoque facultas suspendendi; cùm ista sit in ordine censurarum alterâ minor, servatis tamen

conditionibus in excommunicatione ferenda servandis. An verò culpa ad suspensionem ferendam necessaria, debeat esse propria, ac mortalis, vel an sufficiat aliena, & venialis ?non conveniunt Doctores. Plures enim existimant sufficere culpam alienam, & venialem; sed probabilius est requiri propriam, ac mortalem, saltem dùm suspensio imponitur alicui clerico particulari; quia ex 23. regula in 6. sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus: nam pœna datur delinquenti propter culpam, hancque mortalem, dùm ipsa pœna est gravis sicut est suspensio ab officio, vel beneficio, ita Sotus, & Avila: licet suspensio levis, quæ solùm ab uno effectu suspendit Clericum v. g. à distributionibus unius horæ, inferri possit ob culpam venialem suspensionis sententia dari non potest, nisi in scriptis, & assignata causa; ut decrevit Concilium Generale Lugdunense primum.

III. Suspensus ab omni officio, illicitè quidem exercet ordinis actus, sed validè. Quia Ecclesia nequit characteris invalidare actus; quippecùm character indelebilis sit, ut sanciunt duo Concilia Florentinum scilicet, & Tridentinum: ejus actus sunt semper validi, si circà debitam materiam eliciantur cum debita forma; quamvis Ecclesia possit eos illicitos reddere prohibitione sua. Actus verò jurisdictionis nequeunt validè exerceri ab Ecclesiastico suspenso, cùm hæc jurisdictionis potestas auferri possit; quia ab Ecclesia concessa fuit; ideoque absolutio data à Sacerdote suspenso, est prorsus nulla; cùm hujusmodi facultas absolvendi à peccatis (excepto mortis articulo) sit potestas jurisdictionis Sacerdotibus concessa ab Episcopo. Suspensus ab ordine remanet suspensus à jure eligendi, quandò jus eligendi ex vi constitutionum requirit in subjecto eligente aliquem ordinem; ut patet in pluribus religionibus, & capitulis, in quibus, ut quis sit elector, debet esse in sacris. Quia sublato ordinis exercitio debet auferri omnis actus in exercitio ordinis fundatus; sicut accessorium tollitur, dum principale aufertur.

IV. Suspensus denunciatus, est vitandus sub pœna peccati mortalis, saltem in officiis à quibus est suspensus; quia ille, qui in actione gravi prohibita communicat, reverà nullam aliam incurrit pœnam, aut censuram; etiamsi participet cum ipso in crimine criminoso, nisi prohibita fuerit sub censura. Sed agit contrà prohibitionem. Igitur peccat. Ita Navarrus in manual. cap. 27. num. 163. his adjunge audientem missam Sacerdotis nominatim à divinis suspensi peccare mortaliter, ipsum quoque suspensum mortaliter offendere exercendo actum, à quo fuit suspensus; cùm in re gravi directè agat contrà Ecclesiæ prohibitionem. Peccat igitur fidelis, qui cùm suspenso denunciato communicat in officiis, à quibus est suspensus: nam dum Ecclesia suspendit Sacerdotem à celebratione missæ, nedùm vult ipsum Sacerdotem non posse celebrare; sed etiam nullum fidelem posse ejus missam audire. Nec obstat dicere nullum teneri exire ab Ecclesia, quandò suspensus ab officio ingreditur illam. Quia hoc non est communicare cùm suspenso in officio, à quo est suspensus; cùm ex ingressu amborum non fiat unus ingressus, & communicatio cum suspenso in officio, à quo est suspensus, requirat unitatem actionis.

V. Licet suspensus à jurisdictione, non maneat suspensus ab ordine; cùm experientia demonstret Sacerdotem à confessionibus audiendis suspensum; posse licitè consecrare, aut missam celebrare; nihilominus, qui ab ordine suspenditur, etiam à jurisdictione suspenditur. Sic Tenent Panormitanus in cap. *cùm dilectus*. Silvester verbo *suspensio* num. 5. Abbas, & alij quos impugnant Bonacina, & Toletus lib. 1. cap. 43. num. 1. Ratio opinionis Panormitani cui esse adhærendam censeo: est quia jurisdictio fundatur in ordine, quapropter, jurisdictio Ecclesiastica non potest committi Laïcis; ut sancit Concilium Colon. 3. cap. 2. teste laurea in Epit. Canonum verbo *jurisdictio*. Episcopus qui a beneficio suspenditur, manet etiam à Pontificatu suspensus; cùm sub nomine beneficij comprehendatur Episcopus; quamvis sit ordo distinctus à Sacerdorio, titulo de officijs.

VI. Clericus à beneficio suspensus privatur distributionibus quotidianis, quæ Clericis solitò dantur propter horas Canonicas. Quia dantur ratione beneficij, suntque quasi fructus ejusdem; ut Tenent Alterius, Leander, & Filliucius, contrà Navarrum, & Avilam, qui sub nomine fructus beneficiorum nolunt comprehendere distributiones quotidianas, sicut de facto sub eodem nomine non comprehenditur beneficij pensio. Fructus beneficij, nec non quo-

tidianæ retributiones, quibus privatur suspensus à beneficio, debent in Ecclesiæ utilitatem converti, nè ex suspensione Ecclesia detrimentum patiatur. Utrum aliqua fructuum portio tradenda sit ipsi suspenso à beneficio, ut sufficientem habeat sustentationem? Respondent Doctores cùm distinctione, scilicet nullam ei tradendam esse, si suspensus fuerit ob contumaciam: quippecum in ipsius potestate fuerit liberari à suspensione, & acquirere jus ad frectus, debet potiùs omninò privari fructibus beneficij, & ad mendicitatem cogi, quàm commodum, seu sustentationem reportare ex delicto in contemptum Ecclesiæ. Sed si fuerit suspensus in pœnam perpetrati delicti, non est hujusmodi portione privandus: quippecum par non sit, ut Clericus suspensus cogatur mendicare contrà honestatem statûs Clericalis, dùm non potest se à tali pœna liberare; tradenda est ei sufficiens portio, ut sustentetur, nè ex toto egeat. Ut inquit glossa in cap. *cùm Vintoniensis*. de elect. verbo *admisseram*. Indè colligitur suspensum à beneficio non remanere privatum jure eligendi, confirmandi, aut conferendi beneficia, ut docent plures contrà Barbosam; quia tale jus non est propriè beneficij fructus; aliàs hæc suspensio esset veluti suspensio ab ordine, quâ suspensus privatur jure eligendi, ut dictum est.

VII. Beneficium non potest validè conferri suspenso ab officio Can. *cùm dilectus*. De consuetud. & Can. *quia diversitatem*. De concess. præbend. quamvis ille, qui suspenditur ab officio, non remaneat suspensus à beneficio suo. Quia beneficium dari non potest, nisi propter officium, id est nisi ille, cui confertur, sit astrictus, aut possit actu astringi obligatione recitandi officium; ut constat in jure; sicque suspensus ab officio ob quòd beneficium confertur, debet etiam esse incapax beneficij. Beneficium enim videtur accessorium, & officium principale, quod accessorium sequitur. Ita Azorius part. 2. lib. 6. cap. 7. dub. 2. Lessius & Bonacina contrà Suarem, Dianam, & Filliucium. Insuper nullus potest licite beneficium obtinere, nisi sit idoneus ad sustinenda omnia onera, ad quæ beneficium obligat: quamuis habens beneficium possit illud licitè retinere, etiamsi suspendatur, aut non possit hujusmodi onera sustinere pro aliquo tempore. Sed officium inter beneficij onera computatur: ergo incapax officij, non potest obtinere beneficium. Idem suadet hæc. 39. Regula juris in 9. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo*. Idem Can. *eos* dist. 81. Can. *pastoralis* de appellat. ac proindè cui prohibetur officium, prohibetur beneficij susceptio. Ex his liquet suspensum à beneficio, non esse suspensum ab officio, sed solùm à perceptione fructuum, ac temporali administratione beneficij. Quia officium non datur ob beneficium.

VIII. Suspensus ab officio non potest administrare sacramenta; cùm nequeat exercere officium, nec jurisdictionem: potest tamen ea (præter ordinem) recipere, & divinis interesse officiis. Quia sacramentorum receptio non est actus officij, nec jurisdictionis (si ordinis sacramentum excipias) cùm sacramenta de quibus agitur conveniant Christianis non Clericis; nec eos efficiant Clericos. Dixi *excepto ordine*, quia de eo aliqua est difficultas. Bonacina de suspens. punt. 2. num. 15. & Alterius tom. 2. disp. 4. cap. 2. Hanc exceptionem improbant. Quia inquiunt in materia odiosa qualis est prohibitio recipiendi sacramenta, rigor non est extendendus. Sed non militat ratio. Quia ordini sacro annectitur necessariò officium Ecclesiasticum, à quo ordinandus supponitur suspensus, & consequenter si non possit Ecclesiasticum obtinere officium; nec poterit obtinere ordinem, cui annexum est officium. Ille qui suspensus est à susceptione sacramentorum, reverà peccat mortaliter, si durante suspensione sacramenta suscipiat, sed nullam incurrit irregularitatem, ut clariùs patebit ex dicendis in capite de irregularitate.

IX. Ex superioris ordinis suspensione, non potest inferri inferioris suspensio; cùm priores à posterioribus minimè dependeant. Idcirco suspensus à sacerdotio, potest Evangelium pronunciare, & Diaconatùs officium exercere, & sic de cæteris discurrendum est. An verò suspensus ab ordine inferiori, sit etiam suspensus à supperiori? negant Coninch. disp. 5. dubi. 12. num. 2. Filliucius, & alij existimantes sacerdotem à Diaconatu suspensum, sacerdotis officia exercere posse. Ex adverso Toletus lib. 1. cap. 43. num. 4. Et Reginaldus affirmant. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior: Destructo siquidem fundamento, necessariò destruuntur ea, quæ in ipso fundantur; Ideoque

à Diaconatu suspensus, suspenditur etiam à sacerdotio quòd in illo fundatur: certum quidem est in jure, quod suscipiens præsbiteratum omisso Diaconatu remanet suspensus, ex eo quòd non sit Diaconus; eadem ratione à Diaconatu suspensus, est suspensus à sacerdotio. Insuper cui non licet quòd est minùs, neque quòd est majùs in eadem materia licere debet; sed Diaconatus officium est minùs officio sacerdotis: ergo, &c.

X. Nulla sunt in jure Canonico verba pro suspensionis solutione determinata, nec necesse est suspensionis explicare causam in absolutione. Episcopus potest absolvere à suspensione etiam reservata Papæ, si ex delicto occulto, & nondùm ad forum contentiosum deducto, proveniat: ut decrevit tridentinum sess. 24. cap. 6. pariter, & à suspensione proveniente ex delicto noto, si juris conditori non sit reservata, ut de absolutione excommunicationis nulli reservatæ dictum fuit; si verò contingat suspensionem fuisse latam à jure ad certum, & determinatum tempus, existimo cùm Avila, Sanchez, & Sylvestro, contrà Panormitanum: Episcopum non posse absolvere ante completum tempus: quia tunc absolutio conferre nequit absque dispensatione juris, suspensionem usque ad tale tempus valituram statuentis, in quo jure dispensare potest solus Papa: nam in hac suspensione videtur in esse saltem tacitè, hæc conditio, nimirùm: nisi recesserit à contumacia, & satisfecerit. Igitur non potest absolvi sic suspensus durante tali conditione, sine dispensatione summi Pontificis, qui est suprà jus Canonicum. Indè in foro clericum sic suspensum, non esse absolutum per solam temporis consũmationem, ita ut sit absolutus adveniente tempore, sed requiritur absolutio. Quia hæc suspensio de qua hìc agitur, non est mera prohibitio, sed censura, quæ non potest auferri nisi per absolutionem, sicut excommunicatio.

CAPUT XXIV.

De interdicto.

I. INterdictum, quòd ut colligitur ex glossa in cap. *Non est nobis*. De sponsa lib. Est censura Ecclesiastica, separans hominem à perceptione quorumdam Sacramentorum, à Divinis officiis, & à sepultura Ecclesiastica. Solitò dividitur in locale, personale, & mixtum ex utraque: primum de quo præcipuè agitur, est censura Ecclesiastica, quâ immediatè, & directè locus aliquis interdicitur, nè in eo divina celebrentur officia, nisi modò à jure præscripto, ex quo interdicto sequitur indirectè personarum interdictum, cùm in eo loco prohibitum sit celebrare, missam audire, &c. Licet personæ ejusdem loci possint in alio loco non interdicto missam audire. Istud dividitur in generale, & particulare, ut colligitur ex cap. *præsenti* De sentent. excommunicat. in 6. Primum est illud quo interdicitur regnum, vel provincia, vel Diœcesis, vel civitas. Particulare verò est illud, quo aliqua Ecclesia interdicitur, vel aliquæ Ecclesiæ interdicuntur in una civitate. Eamdem divisionem patitur interdictum personale; cùm omnes homines unius civitatis interdici possint; sicut unus particularis. Undè interdicto unius civitatis populo, interdicti quoque sunt ij, qui de novo post tale interdictum fiunt ejusdem populi, aut communitatis partes. Quia interdictum generale ligat omnia membra ipso durante adventitia; ut inferunt Covarruvias, Paludanus, Coninch, & alij ex Can. *Non decet*. dist. 22. excipiendi tamen sunt amentes, & infantes, qui rationis usu carent; ut docet communis opinio contrà Navarrum, Sylvestrum, & cordubam. Excipiendus est etiam ille, qui interdictum posuit; cùm jurisdictio coactiva in foro exteriori exerceri possit, in subditos dumtaxat; quamvis ipse superior comprehendatur saltem indirectè, dùm interdictum est locale, cùm obligatio servandi istud non ex ferente, sed ex ipso jure communi talis interdicti effectus oriatur. Mixtum verò est illud quod comprehendit locale, & personale simul; ut quandò prælatus interdicit aliquam Parochiam, & Parochianos; ita ut aliam Ecclesiam non possint ingredi.

II. Non desunt existimantes, quòd dùm interdicitur Clerus, interdicuntur etiam Religiosi ejusdem civitatis, aut Diœcesis. Ita Suarez, & Covarruvias. Quia interdictum personale non potest cadere nisi in populum, vel clerum, sed Religiosi non comprehenduntur sub nomine populo: ergo sub nomine Cleri; sicque in tali casu

remanent

remanent interdicti. At non placet hæc ratio. Quia sub nomine Cleri intelliguntur Clerici sæculares; cùm Regulares solitò publicentur, cùm hac restrictione *Regularis*. Et præsertim in odiosis: non enim sub nomine populi, nec sub nomine Cleri cōprehenduntur. Sed sub nomine cleri regularis; ut colligi potest ex cap. *grave*. De off. ordin. quo declaratur in rescripto, quo mandatur Episcopo, ut corrigat Clericos, non comprehendi Religiosos. Ita Sayrus, & Henriquez. Posito interdicto locali generali, omnes ejusdem loci personæ non censentur etiam directè interdictæ; nisi de personis fiat expressa mensio, vel nisi interdicto dederint causam culpabilem: can. *Si sententia*. De sentent. excommunicat. in 6. quia interdictum solitò cadit in eos, qui sunt ipsius causa culpabilis. Quare interdictis Ecclesiæ Cathedrali, & Collegiatis alicujus civitatis, sub forma præcisa de interdicto locali, Clerus non censetur interdictus directè: ideo sacerdos hujus cleri potest licitè celebrare in Ecclesia alterius civitatis non interdictæ. Nec posito interdicto generali personali, interdictum locale generale censetur positum; etiamsi non exprimatur. Ita docet Barbosa in D. Can. *sententia*. Ubi ait interdicto clero alicujus Ecclesiæ, non propter hoc interdicta intelligitur Ecclesia, item glossa ibidem verbo *In clerùm* (dicens) *undè alij clerici licitè celebrant in illa*. Tùm quia hæc duo interdicta, sunt omninò per se distincta, & possunt diversis interdictis ligari loca, & personæ, etiam successivè. Tùm quia interdicto loco, non censetur interdictus populus; ut jam monui.

III. Omnes qui suspendere, ac excommunicare possunt, habent etiam interdictum ferendi potestatem, ut docent unanimiter omnes Canonistæ. Hic obiter observa, eos quibus competit excommunicare, non posse tamen censuram interdicti localis ferre; quamvis possint idem ferre circà personas: nam prælati regulares possunt suos subditos excommunicare, & interdicere, sed non possunt eorumdem loca interdicere: ratio Bonacinæ, Villalobos, Filliucij, Lezanæ verbo. *Interdictum*. Num. 7. & aliorum est. Quia Prælatorum regularium jurisdictio potiùs in personas, quàm in loca cadit, nec apud ipsos est in usu hujusmodi interdictum locale. Huic rationi apud omnes receptæ, Ista addi potest, scilicet quia superiores regularium nullam pœnam possunt inferre sæcularibus, in quos nullam habent jurisdictionem; inferrent tamen eam, si suas Ecclesias interdicere possent; cùm privarentur ingressu Ecclesiæ regularium, & essent indirectè interdicti, ut est manifestum; excipiendi tamen sunt Abbates, alijvè superiores regulares, qui instar Episcoporum habent territorium in quo sæculares commorantur, & jurisdictionem Episcopalem exercent in territorium, & personas; ut monet Rodriguez. Tom. 2. quæst. regul. 107. art. 2. Quia eorum jurisdictio, non solum cadit in personas, sed etiam in locum, in quo personæ habitant.

IV. Quamvis ex variis textibus juris constet Episcopos non posse interdicere clerum, nec Ecclesiam sine consensu capituli; ut habetur in primo Canone de excessib. Prælat. Modo tamen id facere possunt, sine tali consensu. Quia juri antiquo fuit consuetudine derogatum. Sic docent Villalobos, Bonacina, Sayrus, & alii communiter; hæc Episcoporum potestas non se extendit ad loca, nec ad personas alterius Diœcesis, sed solùm ad loca, & personas propriæ Diœcesis, quamvis existant in aliena provincia, vel Diœcesi; saltem in casibus in quibus Episcopus potest eos excommunicare. Quia potestas excommunicandi continet potestatem interdicendi. Et personæ quæ possunt excommunicari; possunt etiam interdici. Ita Navarrus, Avila, & alij. nullum interdictum sivè generale, sivè speciale, sivè locale, sivè personale, potest sine mortali culpa inferri, ut declarat Concilium Raven. 3. post Clementem V. can. 19. decernentem interdicti sententiam ferri non posse pro levi causa. Et Innocentium. IV. can. *Cum Medicinalis*. De sent. excommunicat. in 6. His suffragatur ratio: nam interdictum est pœna spiritualis, quâ culpabiles dumtaxat puniri debent, cùm de natura pœnæ sit culpam supponere: vel est gladius spiritualis, quo Ecclesia ferit reos, & numquam innocentes. Tandem quòd de causa materiali excommunicationis dictum est, de causa interdicti etiam dici potest. Quia interdictum est censura, sicut excommunicatio, & consequenter illud non potest ferri, nisi ob peccatum mortale, & externum, sicùt excommunicatio: nam sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ex 23. regula juris in 6.

V. In extravaganti *providè* de sent. ex-

communicat. Et ex Concilio supra citato, interdictum locale generale non potest sine summi Pontificis licentia ferri propter debitum pecuniarum, ab aliqua communitate contractum. Hæc constitutio se extendit etiam ad interdictum generale personale pro debito pecuniario ferendum, illudque prohibet; quippecum interdictum generale personale non sit levius locali, imò gravius videatur. Probabile est prædictam constitutionem Bonifacij VIII. Prohibere etiam sub eodem motivo interdictum generale personale; licet mentem summi Pontificis esse hanc; nimirum debitum pecuniarium non esse puniendum penâ Ecclesiasticâ, & spirituali: cùm pro debitoribus emendãdis jus civile suas habeat leges. Igitur quandò prohibuit interdictum locale, voluit etiam prohibere personale. Idem colligi potest ex causa finali interdicti, quæ est correctio, & emendatio delinquentis, aut ipsius animæ salus. Hâc siquidem interdicti censurâ, Ecclesia tristitiam ostendit, ac mærorem super peccatum illius, qui interdicto dedit causam. Undè cùm possibile sit liberum à peccato, pecuniario ligari debito: certum enim est innocentem, aut justum posse petere mutuum pecuniarum, & posteà habere impotentiam solvendi; ut probat quotidiana experientia: præsumendum est Ecclesiam, quæ tradit ministris suis potestatem remittendi peccata, & puniendi, nolle hujusmodi debitores interdicti punire pœnâ; cùm peccatores dumtaxat punire vellit. Ita plures contrà Panormitanũ, & alios. Hic obiter observa interdictum personale speciale non posse in aliquem ferri, nisi propter propriam culpam, & hanc mortalem: ut docent præpositus, Layman, & alij, qui absolutè negant interdictum ferri posse pro veniali.

VI. Interdicti sententia (quæ non potest ferri nisi scripto, & cùm expressione causæ) præviâ monitione, & cùm intentione concedendi interdicti copiam delinquenti petenti eam.) Dùm fertur ad tempus, vel sub conditione, cessat ipso tempore elapso, vel adimpleta conditione, cùm in tantùm operetur, in quantùm verba exprimunt, nec liget ultrà intentionem judicis interdicentis: ut docent Bonacina, Coninch, Suarez, & alij. At quandò interdictum est absolutum, & indeterminatum, non potest auferri, nec suspendi, nisi ab eo, qui tulit illud, vel ab ejus superiore in casu legitimi recursùs, sub forma absolutionem exprimente. Interdicti absolutio dari potest ob cautelam, si locale generale excipias, ut declarat Gregorius X. in Can. *Præsenti.* De senten. excommunicat. Ubi ille summus Pontifex præcepit interdictum generale locale, non posse relaxari ad cautelam: ut notant Govarruvias, & Barbosa ibidem num. 11.

VII. Quamvis interdictum tolli debeat verbis, sicut fertur; nihilominus sublatum censetur, si non servetur ab eo, in cujus gratiam latum fuit; ut decrevit innocentius III. in can. *Petisti*: de privileg. nè ille, qui interdictum impetravit, de aliorũ fletu ridere videatur. Ratio in glossa est: Quia non debet quis illud facere, à quo impetravit alijs prohiberi, nec debet alijs imponere legem, quam ipse negligit observare. Idem sentiunt Barbosa, Reginaldus, & alij. Hæc Pontificia constitutio non aufert interdictum, quòd non servatur ab eo, ob cujus delictum fuit positum: quidquid in contrarium dicat Alterius disp. 2. cap. 7. verba enim summi Pontificis sunt hæc. *Petitis per sedem Apostolicã doceri; utrum cùm propter hospitalarios vel templarios vestrum generale suspendatur interdictum, eisdem non observantibus, vos illud teneamini observare; ad quod duximus respondendum, quod illorum excessus vobis non præbet licentiam excedendi.* Quibus verbis constat interdictum esse observandum ab illis, qui causam ei non dederunt, licet delinquentes ob quos latum fuit, violent illud. Insuper interdictum fertur, ut ab aliquo observetur, & præsertim à delinquente; Pœna enim datur propter culpam (id est) reo, & delinquenti, nec ab ipso dependet, sed à judice hanc pœnam auferre: ergo violatio delinquentis, non dispensat alios in observatione interdicti.

VIII. Tenet etiam interdictum, quamvis non servetur ab eo, qui tulit illud: licet enim delicta superiorum præbeant scandalum Can. *Magna.* De voto; indè tamen non sequitur inferiores excusari à pœna, & culpa. Idcircò excessus illius superioris, non servantis interdictum quod tulit, non præbet aliis licentiam excedendi. Prætereà Prælatus censetur nolle esse sub lege pœnali, aut odiosa, quam tulit. Nisi sit locus interpretandi, voluntatem ejus esse removere interdictum; ita ut verum sit dicere, Prælatus vult interdictum non obligare. Quia ipse non servat illud. So-

Ius Papa potest per interiorem voluntatis actum auferre interdictum; quia non subjicitur regulis juris, quibus statuitur, interdictum esse ponendum, vel Tollendum, verbis exprimentibus voluntatem Prælati interdicentis. Episcopus potest absolvere ab interdicto locali à jure communi posito Can. *Nuper*. De sentent. excommunicat. Quia tale interdictum non est ipsius juris conditori reservatum, ut monent Avila, & Reginaldus. Potest etiam illud suspendere ad tempus Can. *Ad hæc*. De appellat. id enim quòd ab Episcopo relaxari potest, valet etiam ab ipso suspendi ad tempus, ut docet Filliucius. Dixi *locale*. Quia ab interdicto personali absolvere nequit, nisi sit occultum; ut de cæteris pœnis Canonicis à jure latis, publicè contractis dictum est. Dixi etiam *à jure*. Quia si interdictum sit à Papa tanquam ab homine ferente illud, ab ipso solo tolli potest. Quia tunc censetur velle sibi reservare interdicti absolutionem.

IX. Parochus, nec ordinarius confessor possunt jure ordinario absolvere ab interdicto generali locali; quia non habent jurisdictionem fori contentiosi, nec ab interdicto generali personali: quia non habent jurisdictionem in foro exteriori, seu in communitatem, qualis requiritur ad absolvendum populum. Possunt tamen absolvere ab interdicto personali particulari, modò non sit reservatum. Can. *Nuper* de senten. excommuni. Non obstat absolutioni, si interdictum sit annexum excommunicationi reservatæ, modò interdicti reservatio non sit expressa, sicut reservatio excommunicationis. Ratio est: Quia materia odiosa debet potiùs restringi, quàm ampliari, sic etiam docent Toletus lib. 1. cap. 55. num. 3. Sayrus, Andræas, & alij. Ex destructione Ecclesiæ interdictæ, non sequitur absolutio interdicti localis, quod non tantum ædificia, sed etiam solum ipsum, seu locum Ecclesiæ attingit; & ideò non licet sepelire Christianos in tali loco, nec celebrare. Interdictum generale personale non tollitur per civitatis, vel communitatis dissolutionem; nisi respectu eorum, qui interdicto non dederunt causam. Quia isti erant interdicto ligati, quatenùs erant pars communitatis, & consequenter cùm communitate dissoluta, non sint ampliùs pars illius, liberi remanent; respectu autem eorum qui interdicto dederunt causam non cessat; Quia propter culpam, in tali dispositionis causa, interdictum, fit particulare, personamque culpabilem sequitur, & personas singulares attingit, quatenùs subjiciuntur communitati interdictæ.

X. Absolvens ab interdicto, antequam absolvat debet vocare partes, easque audire ubi id opus erit, ut eas componat, & partem offendentem ad satisfactionem astringat, cùm interdictum sit pœna Medicinalis. Immò ex Can. *Venerabili* de sentent. excommunic. sæpè necessè est ante absolutionem cautionem juratoriam exigere, seu jurantem de stando præceptis Ecclesiæ, si absolvendo, id est personæ interdictæ impossibile sit ante absolutionem præstare omnia, quæ præstare tenetur. Debet insuper exigere propositum non committendi de cætero crimen, ob quòd latum fuit interdictum. Quia finis interdicti est emendatio delinquentis; ut jam dictum est. Interdicti suspensio haberi potest à legato à latere, modò sit in territorio legationis suæ, & latum fuerit à Prælato legationis subdito: ab eodem legato obtineri potest etiam privilegium celebrandi tempore interdicti. Idque durat donec revocetur ab ipso, vel à successore.

CAPUT XXV.

De peccatis & pœnis violantium interdictum.

I. INterdicti violationem esse ex genere suo peccatum, nullus dubitat. Quia interdictum est censura Ecclesiastica, quæ non potest contemni citrà peccatum, nec violari, nisi inadvertantia, ignorantiâ, & bona fide, quæ impediunt censuræ incursionem, excusent. Peccatum illud est mortale: quia interdictum violans, facit contrà præceptum Ecclesiæ in re gravi. Aliundè interdictum solito fertur propter peccatum mortale, ut ex dictis patet. Igitur dicendum est non posse violari sine peccato mortali. Idem peccatum committit clericus nedùm exercendo in loco interdicto ordinem sacrum, ut volunt Bonacina, & Reginaldus; sed etiam exercendo actum minoris ordinis, si id faciat modo clericorum proprio. Ita Suarez, & Alterius. Quia actus ordinis non sacri, est materia sufficiens ad constituendum peccatum,

mortale. Talis siquidem actus clerico competit ex officio; ideoque ipso interdicto durante, nequit ab illo exerceri; cùm officio existat privatus. Præter peccatum mortale, quòd committunt clerici sacrum exercendo ordinem tempore interdicti, incurrunt irregularitatem Can. *Ijs cui*. De sentent. excommunicati. In 6. & Can. 1. de sentent. & re judic. licet enim ibi sermo sit de suspenso à divinis exercente divina officia, nihilominus idem sentiendum est de interdicto, in quo formaliter, aut saltem virtualiter continetur suspensio à Divinis: ut docent Caïetanus, Sotus, & alij, cùm quibus idem assero. Quia interdictus à divinis(v. g.) Est in eodem impedimento quoad divina exercenda, subindeque sub eadem pœna tenetur se abstinere. Præter irregularitatem incurrunt suspensionem ab officio, ac jurisdictione; ut colligunt citati Doctores ex can. *Tanta* de excessib. Prælat. Immò clerici, interdictum violantes, possunt per sententiam privari beneficijs Can. *Pastoralis* de cler. excomm.

II. Reverà laïci, qui aliquòd interdictum violant, nullam incurrunt irregularitatem. (Licet incurrant excommunicationem, dum cogunt aliquem ut celebret in loco interdicto, vel vocant alios interdictos, ut divinis intersint officiis, quæ celebrantur in ipso; ut fatentur Doctores (ex Clement. 2. de senten. excommunicat.) peccant tamen mortaliter. Quia faciunt contrà prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Disputatur utrum laïcus non interdictus peccet etiam mortaliter, si missam audiat in loco interdicto? Plures negant absolutè, & volunt violantes interdictum locale, (si sint laïci) non peccare mortaliter nec venialiter. Alij autem solùm negant de peccato mortali, & concedunt de veniali, ut Sylvester, Sotus, & alij. Ex adverso præpositus, Villalobos, & Saytus affirmant; sed hæc ultima opinio videtur mihi probabilior: nam per interdictum locale, Ecclesia vult laïcos non posse audire missam in tali loco: quia prohibitioni de missa non dicenda in loco interdicto, correspondere videtur prohibitio de missa ibi non audienda; cùm celebratio missæ ordinetur ad auditionem, ac assistentiam fidelium; Et nolle quòd missa celebretur in tali loco. Idem sit, ac nolle quòd nullus ibi audiat missam, ut suadet hæc regula 29. juris in 6. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* Peccat etiam laïcus non interdictus, si accedat ad sacramenta in loco interdicto suscipienda, ut Fusiùs mox dicemus. Clericus verò potest interdictum violare, & pœnas incurrere conferendo sacramenta in loco interdicto: etiam si ipse non sit interdictus. Peccat quoque conferendo sacramenta alicui interdicto; quamvis nec ipse, nec locus interdicto subjiciantur. Indè colliges clericum, qui in loco interdicto missam audit, nullam incurrere irregularitatem, sed solùm peccare, quia auditio illa, non est actio ordinis sacri, nisi clericus ille sit Prælatus in celebratione missæ suam interponens authoritatem. Quia ex 72. regula juris in 6. *Qui facit per alium, est perindè, ac si faciat per se ipsum.*

III. Cùm interdictum officia divina, Sacramenta, & sepulturam Ecclesiasticam tantùm prohibeat cap. *Alma mater* & cap. *si civitas*. de sentent. excommuni in 6. sequitur nullum committi peccatum in communicatione in rebus humanis cùm interdicto, etiam denunciato, licet peccatum sit, non vitare ipsum in rebus à quibus interdictus fuit: hæc enim communicatio includeret contemptum censuræ; secùs de interdicto tolerato dicendum est: quia cùm isto licita est communicatio, nedùm in civilibus; sed etiam in rebus à quibus est occultè interdictus: ut habetur ex Concilio Constantiensi, ex quo licitum est communicare cùm excommunicato Tolerato; Et indè infero personam interdictam, quamvis toleratam, non posse sine peccato in rebus, à quibus est interdicta communicare cùm non interdictis: quia privilegium conversandi cùm excommunicatis toleratis, non est in favorem interdictorum, seu censuratorum; sed aliorum qui non sunt in censura.

IV. Interdictum personale ipso jure incurritur 1. casu, quo judex Ecclesiasticus præsumat sinè monitione, & scriptis, etiam disjunctim ferre aliquam censuram Can. 1. de sentent. excommun. in 6. hoc interdictum est ab ingressu Ecclesiæ per mensem integrum. 2. casu quo Metropolitanus, qui suffraganeum ultrà annum non residentem in proprio Episcopatu, negligat deferre ad summum Pontificem vel per nuntium, vel saltem per literas. Ut statuit Tridentinum sess. 6. de reformat. cap. 1. eamdem pœnam incurrit antiquior suffraganeus residens, qui existit in eadem ne-

gligentia circà Metropolitanum non residentem. Ligantur etiam interdicti censurâ omnes cujuscumque conditionis sint, qui commentarios, & interpretationes suas præferunt decreti Concilij Tridentini, ut declarat Pius IV. in Bulla confirmationis quæ incipit. *Benedictus Deus*. Edita Romæ anno 1565. septim. Kalend. Februar. Pontificatus. anu. 5. qui interdictum locale generale violat, privatur ingressu Ecclesiæ Can. *Episcoporum*. De privileg. in 6. donec de hujusmodi transgressione ad arbitrium interdicentis, cujus sententiam contempsit, competenter satisfecerit, ut præcepit Bonifacius VIII. hæc constitutio se extendit ad omnes personas (non obstantibus quibuscumque sedis Apostolicæ privilegiis) ut ex propriis constitutionis verbis constat. An verò interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit sepeliri in Ecclesia, si dederit signa contritionis: Affirmo Can. *is cui*. De sentent. excommu. in 6. eo enim ipso, quod decessit cùm dolore de peccatis commissis, remansit absolutus à jure, quòd interdictum posuit sub tali conditione, scilicet nisi pœnituerit; ut notat Cornejus. Igitur impleta conditione, sublatum remanet interdictum ab ingressu Ecclesiæ. In aliis autem casibus prohibetur illi ingressus Ecclesiæ simpliciter: quidquid dicant nonnulli, existimantes interdictum ab ingressu Ecclesiæ intelligendum esse dumtaxat de ingressu durante divinorum officiorum tempore.

V. Idem summus Pontifex in Can. *animarum*. De sepult. in 6. vinculo interdicti ligat Ecclesiam, aut Cemeterium omnium Clericorum etiam regularium, qui aliquem inducunt ad movendum, & jurandum, ut in eorum Ecclesia eligat sepulturam, vel ut semel electam ulterius non immutet; si verò contingat aliquem ipsorum id fecisse, præter interdictum astringitur obligatione restituendi Ecclesiæ, in qua de jure consanguinitatis, vel præteritæ electionis defunctus sepeliendus erat, omnia quæ occasione sepulturæ accepta fuerunt; etiamsi non petantur. Quia quòd mala fide, & contrà jus alterius detinetur, obligat ex se injustum detentorem ad restitutionem. Immò & ipsum cadaver si petatur reddendum est. Sic Navarrus in Manuel. cap. 27. num. 169. Filiucius, Bassæus, & alij. Eadem constitutio interdicti vinculo in perpetuum ligat Ecclesiam, in qua scienter sepelitur hæreticus. Et si Valdo fidem adhibere liceat, Episcopus Diœcesanus non potest illud interdictum auferre. Id facilè suaderi potest, ex verbis ipsius constitutionis, in qua Papa hoc prohibet in virtute Sanctæ obedientiæ, nec non sub pœna maledictionis æternæ. Idem glossa verbo *æterna* ubi legitur *Hodie transgressores excommunicati sunt ipso jure, nec absolvuntur ab alio, quàm à Papa nisi in mortis articulo*.

VI. Gregorius X. in Concilio Lugdunensi relatus in Canone de injuriis in 6. infert, interdictum generale personale, quandò universitas concedit represalias, vel pignorationes contrà Ecclesiasticos, aut eorumdem bona: & quandò his concessis, hujusmodi concessionem non revocat intrà mensem ab illis, quibus bona concessit. Huic constitutioni subscripsere omnes Canonistæ. Quia bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticis propria, ab omnibus hominum insidiis debent esse libera. Idem summus Pontifex, nedùm interdicto, sed etiam excommunicationi subijcit singulares personas, quæ contraveniunt. Bonifacius VIII. in Can. *Clericis* de immunit. Eccles. in 6. Eadem censurâ ligat easdem personas, quæ ab Ecclesiasticis onera, & alia exigunt de bonis Ecclesiasticis, autque Ecclesiarum bona occupant. Mandat insuper in virtute obedientiæ, & sub pœna depositionis, prælatis, & personis Ecclesiasticis, ut talibus decimis, & contributionibus nullatenus acquiescant, absque licentia sedis Apostolicæ: igitur jus exigendi decimas, aut partem decimarum ab Ecclesiasticis, nulli competit, nisi regibus, & principibus quibus concessum fuit à sede Apostolica.

VII. Joannes XXII. in extravaganti de præbendis, & dignitatibus cap. *Salvator noster*. Interdictas declarat universitates, & personas, quæ ex certa scientia contradicere præsumpserint statutis in ipsa extravaganti habitis circà redditus, & divisionem Episcopatûs Tolosani, in quinque Diœceses per certos distinctos limites; hac divisione ipsa Tolosana Ecclesia, quæ prius erat Narbonensis suffraganea erecta fuit in Metropolitanam. Istius interdicti absolutio est reservata Papæ. Interdictum locale generale incurritur, quandò Episcopus, & alij Ecclesiastici inferiores permanent per mensem in excommunicatione, vel suspensione, ob culpam quam admiserunt in concedenda domo manifestis usurariis, ad exercendum fœnus; ut tenet Bonacina ex Can. *usurarum* de usur. in 6. hæc pœna incurri-

tur ipso facto: sic enim denotat hæc particula Textus. *Ex tunc Ecclesiastico subjaceant interdicto.* Ut advertunt plures canonistæ apud Barbosam. Eamdem pœnam incurrit civitas (præter urbem) quæ concurrit per actum, Concilium, vel favorem ad percussionem Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nisi intrà mensem rigorosè puniat énormitatem delicti: ut colligunt plures Canonistæ ex Can. *Fœlicis.* De pœnis in *6.*

CAPUT XXVI.

De effectibus interdicti.

I. QUamvis jure antiquo plures essent interdicti effectus; nunc tamen post Bonifacium VIII. Martinum V. & Eugenium IV. tres tantum enumerantur: quorum. 1. est privatio, non omnium, sed quorumdam Sacramentorum. Quia tempore cujuscumque interdicti licitè recipi, & administrari possunt, qualia sunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ Can. *Quoniam.* Can. *Alma mater* de sentent. excommunicat. in *6.* Can. *Non est vobis.* De sponsal. 2. est privatio activa, & passiva divinorum officiorum. 3. Tandem est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ Can. *quod in te.* De pœnit. & remiss. Can. *Civitas* De sentent. excommunicat. in *6.* hæ constitutiones non loquuntur de interdicto partiali; ita ut nullus possit interdici: quin ab his omnibus interdicatur, sed de totali. Quia effectus interdicti partialis non sunt determinati, nec inter se connexi, possunt quidem determinari ad unum, uel ad duos effectus tantum, ad unam vel ad duas actiones ab eo, qui tulit illud, ut contingit dum aliquis interdicitur tantum ab officio confessarij, & non interdicitur ab officio prædicationis, vel ab utroque, & non interdicitur ab Ecclesiastica sepultura; alioquin interdictum esset sicut excommunicatio, quæ poni non potest tantum quoad unum effectum, quòd est falsum; cùm effectus interdicti distinctos respiciant actus prohibendos; effectus excommunicationis autem minimè: est enim gladius, qui separat totaliter fidelem à communione aliorum, & ipsum privat omnibus bonis spiritualibus. His addo cum Toleto lib. 1. cap. 53. num. 2 Episcopum posse Chrisma conficere in Ecclesia interdicta; quippècum licitum sit administrare Sacramenta Baptismi; & Confirmationis; ut jam monui: licitum est etiam conficere Chrisma, quod in baptismo, & confirmatione adhibetur; Nam si deesset chrisma, necessitas baptizandi in Ecclesia interdicta, aut confirmandi exigeret necessitatem conficiendi chrisma in eadem Ecclesia.

II. Horum Sacramentorum administratio fieri potest etiam solemniter, & extrà casum necessitatis à persona generaliter interdicta, absque propria culpa, seu quæ non dedit causam interdicto generali: nam si durante interdicto locali generali, ita licitum sit Baptizare in Ecclesia interdicta; ut parochus cujus parochia est interdicta, possit in ea conferre baptismum; etiamsi sit alia non interdicta, in qua commodè baptizare posset, ut tenent Filiucius, Coninch, Suarez, & alij; licitum quoque est Sacerdoti baptizare solemniter durantè interdicto generali personali, nisi ipse Sacerdos interdicto dederit causam: in tali enim casu in necessitate tantum, posset baptizare. Idem dicendum est de administratione confirmationis, & pœnitentiæ.

III. Quæritur an pœnitentiæ Sacramenti administratio facta à ministro, ob propriam culpam interdicto, esset valida? negat Faber in 4. dist. 15. quæst. 1. §. 1. num. 23. istius Doctoris fundamentum est. Quia personaliter, ac culpabiliter interdictus incurrit privationem activam, & passivam Sacramentorum, quam excommunicatus incurrit, & consequenter (inquit) administratio facta à ministro sic interdicto, est invalida, ac si facta fuisset à ministro excommunicato. Sed hæc ratio non obstat; quia non sunt in eadem privatione excommunicatus, & interdictus, saltem quantum ad jurisdictionem, & Sacramenti invaliditatem; sed solum quantum ad usum activum hujus Sacramenti: ut communiter Respondent Cornelius, Bonacina Leander & alij. Undè probabilius est affirmare; nam jus Canonicum non privat interdictum omninò jurisdictione, ut privat excommunicatum. Ergo interdictus validè absolvit; quamvis absolvendo extra necessitatem graviter peccet. Quia interdictum non privat potestate ordinis, & jurisdictionis: ita ut censeatur non habere illam, sed solum impedit usum licitum illius, ideò cùm necessitas faciat

licitum, quòd anteà erat illicitum; sequitur quòd Sacerdos interdictus potest in necessitate licitè istud Sacramentum administrare, & consequenter validè, si nullus adesset Sacerdos non interdictus; nec nocet asserere personaliter interdictum non posse absolvere, eo quod non possit absolvi. Interdictus accedit indispositus cùm non possit liciter accedere ad Sacramentum, sicque absolutio quæ illi datur est invalida, non ex defectu jurisdictionis, sed ex defectu dispositionis; at interdictus absolvens, per suum peccatum non invalidat Sacramentum, cùm nullum ponat ipsius effectui obicem.

IV. Tempore interdicti localis Ministrari non potest Eucharistia, nisi existentibus in articulo, vel periculo mortis. Can. *permittimus*. De sentent. excommunicat. anvero defferri possit cum solita solemnitate? conveniunt Doctores pro parte affirmativa. Quia quoties aliquid in jure permittitur absolutè, & absque ulla restrictione, intelligitur permissum secundum dispositionem, quam ex se exigit. Hic obiter duo observa. Primo Eucharistiam tempore interdicti dari posse mulieribus partûs dolores patientibus, & periculosam navigationem inchoantibus, propter mortis periculum. Secundò in prædicto mortis articulo, vel periculo necesse esse, quòd præcedat expressa satisfactio, si fuerint particulariter interdicti illi, quibus danda est SacroSancta Eucharistia cap. *Alma mater*. Licitum est tempore interdicti particularis dare Eucharistiam in paschate personaliter interdictis, ut adimpleatur præceptum de annua communione. Ita docent Suarez, Coninch, & Filiucius. Quia ferens interdictum nequit dispensare in præceptis Ecclesiasticis: Communior tamen opinio id negat. Quia jus canonicum excipit tantum mortis periculum, nec ita tunc urget præceptum de communione paschali, ut fideles eam suscipere teneantur; alias obligaret etiam præceptum de missa audienda in die festo, quòd nemo concedit durante interdicto locali generali. Ad rationem adversariorum dico quòd non valet: Quia interdictum est etiam de jure Ecclesiastico, quòd cùm sit punitivum, privat in pœnam delicti Sacrâ Eucharistiâ; sicque indirectè dispensat in jure Ecclesiastico de communione sumenda in die paschatis. Minùs valet objicere in die paschatis licitum esse divinis officiis interesse, ac proindè concessum fuisse jus Eucharistiam suscipiendi: non valet inquam. Quia nulla est convexio inter officium, & communionem Paschalem: unum enim potest permitti, & aliud prohiberi, sicque jus potest permittere assistentiam missæ, & prohibere communionem.

V. Sacramentum ordinis ministrari non potest tempore interdicti personalis, aut localis; quia de isto sacramento nulla fit mentio in jure; in quo tamen fit de Baptismo, confirmatione, & pœnitentia. Nec possunt tunc Clerici prima Tonsura initiati ad Superiores promoveri ordines; ut docent Panormitanus, Covarruvias, & alij contrà Innocentium in cap. *Non est vobis*. De sponsalib. Existimantem id fieri posse, ex eo quod isti jam sunt Clerici: sed nulla est hujus Doctoris ratio: Quia in jure non reperitur differentia, nec exceptio inter Clericos, & Laïcos respectu Sacramenti ordinis. Aliter tamen sentio si durante interdicto immineat ministro ordinandi necessitas: nam ex jure licitum est tempore interdicti, missarum Solemnia celebrare non pulsatis campanis, submissa voce, januis clausis, & exclusis interdictis; ut habetur in cap. *Permittimus*. de senten. excommunicat. Ergo idem jus concedit etiam facultatem instituendi ministros, ad hujusmodi celebrationem necessarios, si non sint; aliàs inutilis esse posset permissio celebrandi solemnia tempore interdicti localis: quemadmodum enim ex licentia confirmandi tempore interdicti, sequitur licentia conficiendi Chrisma; Quia ad confirmationem concurrit, ut dictum est num. 1. Ita licere debet in casu necessitatis sacerdotium conferre tempore interdicti, ex eo quòd tunc liceat aliquandò celebrare, cùm sacerdotes necessarij sint indispensabiliter, pro missarum solemnijs.

VI. Quandò propter delictum Domini alicujus loci, aut civitatis, aut Rectoris interdicitur civitas (quòd contingit dùm ipse Dominus impedit nè Legatus, vel Nuntius summi Pontificis legitimè, ac rationabiliter missus suo fungatur officio: ut habetur in extravag. *Super gentes* de consuetudine) & populus. Clerici ejusdem civitatis possunt ordines licitè suscipere in loco non interdicto, modò non sint culpabiles de causa interdicti. Dixi *In loco non interdicto*. Quia in alio, seu in interdicto, illi, qui personaliter inter-

dicti sunt, non possunt ordines suscipere; etiam ab ipso Episcopo, qui talem interdicit locum (seclusa necessitate) quam supposui numero præcedenti. Immò Episcopus ille irregularis fieret, si ibi ordines conferret; interdicto remanente integro. Ex Innocentio III. relato in Can. *Quod in te.* de Pœnit. & remission. Sacramentum extremæ-unctionis nulli administrari potest tempore interdicti generalis, aut particularis, etiam in mortis articulo; nisi adsit speciale privilegium; cùm non sit de necessitate salutis, nec ullus textus id concedat; potest tamen dari illi infirmo si in articulo mortis Eucharistiam, nec pœnitentiam, seu absolutionem recipere potuit. Præsumendum enim est Ecclesiam velle salutis periculum vitare; cùm in articulo mortis suis amplissimam ministris concedat facultatem, nè fideles pereant; ut habemus in tridentino; sed in isto sacramento, moribundus potest ex attrito fieri contritus. Quia tunc extrema-unctio locum pœnitentiæ habere censetur: ut colligitur ex communi scholasticorum sententia, & consequenter si ipse moribundus sit attritus salvabitur; cùm Deus non despiciat cor contritum, teste Propheta Psal. 50. Ergo in tali casu conferri potest extrema unctio, nè amima moribundi pereat, præsertim cùm finis interdicti sit resipiscentia, & emendatio delinquentis: ut jam dictum est, non vero animarum perditio.

VII. Matrimonij Sacramentum non potest administrari tempore interdicti. Quia dum jus aliquid generaliter prohibet, denegat id, quòd non est expresse concessum. extrava. Clement. *Exivit.* sed jus Canonicum prohibens Sacramentorum administrationem tempore interdicti, non excipit Sacramentum matrimonij: sed solum Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam; alia verò de quibus dictum fuit posse licitè ministrari, supponunt necessitatem quamdam, quam matrimonium supponere non potest, durante interdicto; nec obstat dicere matrimonium esse contractum humanum, qui per interdictum non prohibetur. Quia licet sit contractus humanus, est nihilominus sacramentum cujus administrationem prohibet interdictum, cùm prohibeat administrationem Sacramentorum, quæ non excipiuntur in jure, inter quæ non reperitur matrimonium. Minus obstat adversariorum ratio, nimirùm sacramenta prohibita tempore interdicti esse ea, quorum administratio spectat ad solos Ecclesiæ ministros, inter quæ non reperitur matrimonium, cujus minister non est sacerdos. Non valet hæc ratio. Quia cùm jus absolutè prohibeat tempore interdicti Sacramenta, exceptis aliquibus, inter quæ non numeratur matrimonium, etiam prohibet idem matrimonium, quòd est verum Sacramentum novæ legis à Christo institutum; alioquin summi Pontifices inter Sacramenta excepta, scilicet Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam, numerassent matrimonium. Sic Lezana, Reginaldus, Hugolinus, Faber, & alij gravissimi. Aliter discurrendum est de sponsalijs de futuro, quæ cùm non sint verè sacramentum, nec quid sacrum, ut fatentur omnes; sed solùm futurarum nuptiarum, aut futuri matrimonij mutua promissio, quæ est purus contractus humanus, fieri possunt, nedùm in loco interdicto, sed etiam inter personas interdictas, quia contractus humani non sunt prohibiti per interdictum; aliàs interdictum esset, sicut excommunicatio, quæ privat conversatione, quòd est falsum. Conjugati ante interdictum locale generale possunt benedici, etiamsi statim feratur interdictum. Modò ei causam non dederint, & benedictio detur illis sine solemnitate Jan
uis Clausis, & adhibitis alijs circumstantijs à jure requisitis, de quibus erit sermo in numero sequenti.

VIII. Secundus interdicti effectus, est privatio divinorum officiorum: Nomine divini officij, hic intelligitur id, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seu à persona consecrata, vel ad illud deputata. Hinc fit, officia quæ ex suo modo non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, ut litaniæ, officium beatæ Mariæ, officium defunctorum, & alia, quæ recitantur à persona particulari devotionis causâ, non censeri prohibita tempore interdicti: eo quod non sint censenda officia divina, & communia, nisi fiant processionaliter, sed privata; & consequenter fieri possunt etiam in Ecclesia interdicta, modò fiant sine solemnitate. Immò durante interdicto locali generali, ministri Ecclesiæ possunt missas quotidiè celebrare, & alia divina officia in Ecclesiis, & monasterijs, servatis quatuor conditionibus à Bonificio III. assignatis in cap. *Alma Mater.* De senten. excom-

excommunicat. in 6. scilicet modò id faciant Januis Clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, & exclusis interdictis, atque excommunicatis. Secùs verò dùm interdictum est locale speciale. Quia Bonifacius Papa VIII. Loquitur ibi de interdicto locali generali determinatè; sed Gregorius IX. in Can. *Permittimus*. Priùs decreverat missam posse celebrari tempore interdicti specialis semel in hebdomada, ad renovandam Eucharistiam. Quia interdictum nullum liberat à cura, quæ ad ipsum spectat, nec ab obligatione recitandi horas, quam contraxit ratione ordinis, vel beneficij, vel voti; sicque non eximit parochum à cura renovandi Eucharistiam pro infirmis, à divinis officijs, quæ tempore interdicti localis celebrari possunt. Excludendi sunt à loco interdicto etiam laïci non interdicti; quamvis prædicta constitutio Bonifacij de interdictis dumtaxat loquatur; id enim expresse habetur in alia ejusdem summi Pontificis constitutione; videlicet in Can. *Licet*. De privileg. in 6. Idem Suadet etiam universalis Ecclesiæ usus.

IX. Hæc constitutio *Licet* non obstat, nè laïcus non excommunicatus, nec interdictus possit in necessitate ministrare sacerdoti celebranti in loco interdicto ad renovandam Eucharistiam, aut ad ipsam consecrandam pro infirmis; quidquid in contrarium dicat Alterius illa enim constitutio *Permittimus*, dùm concedit sacerdoti licentiam celebrandi in loco interdicto, eidem concedit etiam omne adjutorium juxtà usum Ecclesiæ moraliter necessarium; & consequenter ministrum, seu respondentem, quo sacerdos indiget. Sic Villalobos, Covarruvias, & alij communiter. Alioquin eadem constitutio dispensaret in assistente, vel non posset reduci ad actum, quòd est falsum quoad utrumque. In precipuis festivitatibus scilicet nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes duobus sequentibus diebus comprehensis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, missæ, & divina Officia possunt publicè, ac solemniter celebrari; ut conceditur in cap. *Alma mater* §. *Adjicimus* non obstante interdicto locali generali, admissis personis interdictis, etiam illis, quæ interdicto dederunt causam; modò istæ non admittantur ad oblationes, nec ad communionem, & longè sint ab altari; ut à non interdictis discerni possint, & nè in sacris participent, cùm non interdictis. Idem privilegium concessum fuit per Martinum V. Constitutione. Quæ incipit *ineffabile*. Atque per Eugenium IV. in festivitate corporis Christi, pariterque in tota ejus octava, in die Immaculatæ Conceptionis, & in octava: ut referunt Leander de Primo effectu interdicti quæst. 33. Et Navarrus, in Manual. cap. 27. num. 182. in die omnium Sanctorum & sequenti, scilicet defunctorum; ut docent Paludanus, & Vivaldus. Extenditur tandem idem privilegium ad Diem, in qua contingit regem de novo ingredi in civitatem interdictam: tantum quippè privilegium regiæ dignitati est deferendum. Ita Covarruvias, Avila, Suarez, & alij. Dixi *non obstante interdicto locali generali*. Quia istud privilegium de officijs celebrandis in prædictis festivitatibus, non valet in interdicto locali particulari.

X. Laïci non interdicti possunt in his diebus sacramenta recipere: Ita Bonacina, Covarruvias, & Præpositus. Quia si laïci non possint sacramenta suscipere in Ecclesia durante interdicto generali; Hoc provenit quia privantur ingressu Ecclesiæ, saltem indirectè, scilicet ratione interdicti localis; Sed hæc ratio cessat in prædictis festivitatibus, quibus in jure conceditur missæ celebratio, ne dùm in favorem sacerdotis, sed etiam fidelium; Ideoque laïci possunt tunc sacramenta suscipere; Cùm in illis diebus interdictum censeatur suspensum à jure communi. Diana, Faber, & alij negant suppositum, id est fideles non posse tunc sacramenta suscipere: quia privantur ingressu Ecclesiæ. Volunt enim provenire ex alio motivo, scilicet quia durante interdicto privantur participatione sacramentorum, à Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia distinctorum; Sed non nocet hæc interpretatio: Quia favores sunt ampliandi.

XI. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ est tertius interdicti effectus, & si contingat aliquem laïcum fuisse sepultum in Ecclesia durante interdicto locali, debet exhumari, & in loco non Sacro sepeliri; si hoc advertatur interdicto adhuc subsistente; non autem si advertatur postquam cessaverit interdictum. Quia tunc non afficitur interdicti effectu. Dixi *Laïcum*. Quia tempore interdicti localis, licitum est sepelire clericos in Ecclesia interdicta. Can. *Quod inte* de pœnitent. & remission. me-

do id fiat fine solemnitate; ut declarat hæc antiqua constitutio: ex jure enim novo cap. *Alma mater.* sepeliri possunt cùm officio, & missa defunctorum servatis tamen moderationibus, quas servant sacerdotes in Ecclesia interdicta celebrantes, ut docent Sylvester: Angelus, Armilla, & alij. Clericus conjugatus modò non sit Bigamus, nec interdicto dederit causam, gaudet eodem Ecclesiasticæ sepulturæ privilegio: ut tenent Rodriguez, Avila, & Leander.

XII. Cùm ex dictis constet interdictum tres dumtaxat habere effectus: sequitur quòd non privat exercitio jurisdictionis exterioris, ac proindè sequitur prælatum, etiam interdictum posse excommunicare, à censuris absolvere, indulgentias concedere, &c. Tamen non desunt alium interdicto addentes effectum; videlicet personaliter interdictum non posse eligi ad Prælaturas, nec eligere sub pœna nullitatis actuum. Huic assertioni suffragatur ratio. Quia exercitium Prælaturæ respicit sacramenta, divina officia, ingressum Ecclesiæ, & similia, quæ personaliter interdicto prohibentur. Hanc sententiam docent Azorius tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Sà in summa verbo *Interdictum.* num. 18. Lezana ibidem num. 33. Peirinis, & alij. Qui idem dicunt de eo, qui interdictum violaverit.

CAPUT XXVII.

De depositione, & degradatione.

I. Depositio sic deffinitur communiter, *perpetua ab altaris ministerio, & gradu Ecclesiastico remotio, sine spe restitutionis; non amisso tamen clericali privilegio.* Hac deffinitione distinguitur à censuris, quæ sunt pœnæ medicinales restitutionis spem includentes; cùm excommunicatus possit absolvi, & in pristinum statum restitui. Distinguitur etiam à degradatione reali, seu actuali; quæ includit privationem privilegij clericalis. Distinguitur tandem ab irregularitate, cùm hæc non sit propria pœna, sed inhabilitas quædam ad ordines suscipiendos, aut exercendos. Prætereà in depositione nunquam dispensatur; quamvis Papa dispensare possit, & consequenter depositio est distincta à censuris, & alijs pœnis Canonicis. Ideircò clericus depositus, qui celebrat nedùm privatur functionibus Ecclesiasticis, officij scilicet, & beneficij; sed etiam laïca communione, excepto mortis articulo, in quo potest sacram suscipere Eucharistiam; ut notat Lezana. In hac laïcæ communionis privatione potest ab Episcopo dispensari post peractam pœnitentiam; ut patet ex Epistola Gregorij ad Venantium Lunensem Episcopum relati in can. *Accedens* dist. 50. Depositus non remanet exemptus ab oneribus clericorum: tenetur enim divinum recitare officium, omisso *Dominus vobiscum.* Ut de excommunicatis dictum est. Quia sunt duo verba, quæ maximam denotant dignitatem quâ depositus privatur tenetur quoque servare vota: quæ emisit, & se ab exercitio ordinum, & administratione sacramentorum abstinere sub pœna peccati mortalis; quamvis validi essent hujusmodi actus, si eos in debita forma, & materia eliceret, modò nullam requirant jurisdictionem; Ut est absolutio à peccatis, quæ cum supponat in absolvente jurisdictionem, depositus nequit validè absolvere. Potest absolvi, & Sacramenta recipere, sicut laïcus. Quia depositio est pœna, quæ non removet à susceptione sacramentorum, nec à conversatione fidelium, sed ab administratione, & gradu Ecclesiastico, clericali privilegio remanente. Hinc est quòd percutiens clericum, etiam depositum incurrit censuram Canonis *Si quis suadente.* Secùs dicendum de clerico degradato. Quia privatur privilegio canonis.

II. Crimina ob quæ imponi potest depositionis pœna, sunt stuprum, incestus, adulterium, & omnia delicta adulterio majore; furtum, perjurium, homicidium, etiam solo Concilio; vel hortatione factum, & percussio pueri, si ex ipsa moriatur puer: ut habetur ex Concilio Lateranensi 3. in append. tit. de deposit. cap. 7. Hìc obiter observa hujusmodi pœnam non esse imponendam sine legitima Accusatione: ut meritò jussit Gregorius VII. lib. 9. Epist. 15. Apud Lauream in Epitom. Canonum verbo *depositio.* Eadem accusatio fieri debet coram judice ipsius clerici competente, ad ferendam depositionis sententiam can. *Veritas.* De Dol. & contum. quapropter clericus memoratorum delictorum reus,

non perdit ipso jure beneficium anteà acquisitum, donec per sententiam eo privetur; ut tenet Barbosa ibidem num. 3. cùm flamino, Azorio, & alijs, quos refert: per sententiam non debet tamen ita privari beneficio, ut nullam redditüum partem habeat: nam cùm potiatur privilegio clericali, debet sustentari de redditu beneficij, sicque assignanda est illi ipsius portio aliqua, ut sustentetur; nisi habeat patrimonium sufficiens: ut docent Panormitanus, Felinus & alij. Degradatus autem nullam partem habere potest; quia privatur privilegio clericorum, & consequenter non potest frui Redditibus beneficij, quibus fruuntur clerici.

III. De jure communi ad solum Papam pertinet dispensare in depositione; ut monet Abbas in cap. *Cùm inte.* De re jud. Episcopus tamen id facere potest, dùm delictum non fuit adulteriò Gravius; ut declarat Alexander III. in Can. *At si clerici* de judiciis. Eadem authoritate Pontificia, firmatur assertio præcedens; nimirum ad Episcopum spectare reum judicare, & accusantes audire: ibi enim inquit ille summus Pontifex. *Si verò suo ordinario sit confessus, vel legitimè convictus de crimine, si crimen est tale, erit ab altari perpetuo removendus. De adulterijs, & aliis criminibus quæ sunt minora, potest Episcopus cùm clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Hinc est quòd Episcopus potest depositionis sententiam ferre, & in ea dispensare. Unde depositio tolli non potest per privilegia religionum, quibus conceditur Prælatis regularibus facultatem absolvendi, aut dispensandi in pœnis, ut indicat hæc particula depositionis *sine spe* in deffinitione inclusa.

IV. Degradatio apud Canonistas assignatur solitò duplex, verbalis scilicet, & actualis seu realis. Prior est illa, quæ fit tantum verbis & in Can. *Siquis.* De Cleric. excomm. ministr. & Can. *Dictum* dist. 81.. Appellatur depositio, de qua supra dictum est numero primo. Hæcque est duplex. Quarum una dicitur totalis. Quia officio, pariterque beneficiô privat; Et altera est partialis. Quia non officiô sed beneficiô privat, vel officio, sed non beneficio. Quaproptet in jure, dùm fit simpliciter mentio de degradatione intelligitur verbalis, seu depositio: ut monent Doctores. Degradatio autem actualis, seu realis,& quatenùs distinguitur à verbali, seu à depositione, sic deffinitur. *Pœna Ecclesiastica qua clerici absoluté privantur beneficiò, & officiò, immò & clericali privilegiò; sine ulla dispensationis, aut rehabilitationis spe, adjuncta reali actione, vel caremoniâ institutâ per Canones.* Indè sequitur degradationem verbalem, & realem computari, sicut sententiam, & sententiæ executionem; cùm per illam, seu verbalem proferatur sententia; per istam verò scilicet realem executioni mandetur; ut subtiliter observat Lezana; nulla tamen privat charactere ordinis, nec impedit quominus actus ordinis facti à degradato, sint validi: cùm character sit signum indelebile; licet contrà prohibitionem peccet degradatus eos exercens, & sub mortali teneatur servare ea, quæ ex Ecclesiæ jussu sequuntur ordines sacros, qualia sunt obligatio recitandi divinum officium, obligatio servandi castitatem, cùm inhabilitate ad matrimonium contrahendum, & simüia. Quia non ab oneribus, sed ab honoribus eximit degradatio realis.

V. Neutra degradatio est à jure ipso facto incurrenda, sed per judicis sententiam: utraque tamen reddit (ipso facto) hominem infamem: degradatio enim non imponitur, nisi propter gravissimum delictum publicum; ut constat ex dictis suprà num. 3. in quo assignantur causæ ob quas imponi potest degradatio, tam verbalis, quàm realis; ideoque nulla dignitas potest conferri verbaliter deposito, nec realiter degradato; juxta 77. regulam juris in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Multiplex est differentia inter degradationem verbalem, seu depositionem, & degradationem realem, seu actualem. Degradatio realis addit suprà totalem depositionem gradûs, atque privilegij clericalis priuationem; & exigit externa quædam solemnia, cùm quibus fieri solet; fit enim adstantibus Abbatibus infulatis, seu habentibus jus mitræ, ac baculi, si reperiri, & commodè interesse possint, ad condemnationem sacerdotis; alioquin horum deffectu, interesse debent aliæ personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ. Ad Diaconi autem, vel subdiaconi degradationem tribus assistentibus qualificatis, procedere potest Episcopus: juxtà Concilium Tridentinum sess. 13. de reform. cap. 4. abrogans jus antiquum Conciliorum Carthag. 2. Can. 10. &

Carthag. 3. can. 8. quæ præter proprium Episcopum, sex alios requirebant Episcopos ad condemnationem sacerdotis, & tres ad condemnationem Diaconi. Deindè degradatus induitur vestibus, & ornamentis in quibus fuit ordinatus, & defert vasa sacra ad conspectum Episcopi, qui gradatim exuit eum; Et sublatis omnibus, tondet caput, nè vestigium in eo remaneat clericalis tonsuræ; & indignum declarat publicè: ut omnibus constet de ipsius degradatione, ac indignitate ad statum clericalem: qui quidem status privilegiis, debitisque honoribus privat clericos, qui hujusmodi crimina scilicet stuprum, adulterium, &c. Perpetrant. Et prohibet ipsis conversationem cùm improbis viris can. *Pervenit ad nos fratrem*. 2. quæst. 7. licet enim hic canon sit de Episcopis in persona cujusdem sereni Massiliensis; comprehendit tamen omnes clericos: quia in honestate morum, menbra debent esse capiti conformia. Debent etiam cavere à discordijs can. 1. dist. 9. Nè in agro Domini Zizaniam seminet manus, quæ ad sacrificium Dominicum admissa est, quæ signum crucis imponit, & quæ divina sacramenta consummat.

VI. Degradatio verbalis, seu depositio clerici; quamvis præsbiter sit, fieri potest etiam per Vicarium generalem Episcopi; ut habetur in tridentino loco citato. Quantum ad actualem, plures docent fieri non posse, nisi per Episcopum ex eodem Concilio. Ita Villalobos tract. 10. diff. 12. num. 28. Bassæus verbo *Degradatio*. num. 3. Toletus lib. 1. cap. 50. num. 10. Fuliensis, Bonacina disp. 4. Præpos. 3. & alij, ob Cæremonias Sacrorum Vasorum. Laurea in Epitom. canon. verbo *degradatio*. Cabassutius lib. 5. cap. 18. num. 3. & Lezana, volunt tridentinum eamdem degradandi potestatem concessisse vicario generali Episcopi. Seu Episcopum posse ex vi decreti Tridentini per se, vel per vicarium Generalem ad degradationem procedere. At prima opinio videtur mihi probabilior ex verbis Concilij: ut consideranti patebit. Deindè omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Igitur vestes, & vasa, &c. Non possunt auferri à clerico, nisi ab Episcopo; quia ab Episcopo dumtaxat dari possunt. Verbalis degradatio fieri potest contrà absentem contumacem: actualis verò requirit degradandi præsentiam. Verbaliter degradatus, seu depositus non potest puniri à judice sæculari: cùm fori & Canonis retineat privilegium; nisi post verbalem degradationem fiat incorrigibilis, & per judicem Ecclesiasticum lata fuerit sententia de incorrigibilitatis qualitate declaratoria: can. *Cùm non ab homine* de judiciis. Actualiter autem degradatus, utrumque fori scilicet, & Canonis privilegium perdit. Undè sequitur quòd puniri potest à judice sæculari. Sequitur etiam quòd, qui eum percutit, nullam excommunicationem incurrit. Quia hæc percussio non est propriè percussio clerici, ex defectu privilegij canonis.

VII. Clericus simpliciter degradatus, seu depositus potest post emendationem, & pœnitentiam restitui per proprium Episcopum can. *At si clerici*. De judicijs. Immò & per vicarium generalem, aut per capitulum sede vacante; cùm ista dispensatio non sit actus ordinis, ac interdictionis; sed solùm interdictionis Episcopalis. Actualiter autem degradatus non potest restitui per Episcopum; sed solum per supremæ Apostolicæ potestatis dispensationem; nisi posteà certum esset ipsum clericum falsò fuisse accusatum, & immeritò degradatum: tunc enim inventus Innocens, in Sancta Sydono posset ab Episcopo in pristinum statum restitui; ut colligitur ex can. *Episcopus* can. *præsbiter* 11. quæst. 3. & ex 27. can. Concilij Toletani 4. his suffragatur ratio. Quia quemadmodum degradatio injusta non debet subsistere, nè innocens puniatur, nec erga ipsum innocentem injustè degradatum tenere debet, lex obligans debite degradatos ad conspectum summi Pontificis, ut dispensetur: plures Canonistæ existimant restitutionem clerici immeritò degradati, fieri posse ab Episcopo, sine assistentia aliorum prælatorum, quorum præsentia, atque judicium ad degradationis sententiam necessaria fuere. A quibus tamen recedere consentaneum judico. Quia in canone citato legimus amissos gradus, esse tunc recipiendos coram altari de manibus Episcoporum; quæ verba judicant restitutionem faciendam esse à quibus facta fuerat Innocentis clerici degradatio; cùm omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvatur cap. 1. de Regul. juris. Justè & validè degradatus, qui per summum Pontificem ad pristinum statum ex gratia restituitur, non debet restitui ad beneficium

à quo justè depositus fuerat, si alter illud justo titulo possideat. Quia cùm hæc restitutio gratuita sit, non debet fieri in præjudicium alterius: ut declarat Bonifacius VIII. in can. *Quamvis* de rescriptis in 6. Injustè autem degradatus, qui per Episcopum restituitur in pristinum statum, debet quoque restitui ad beneficium à quo immerito depositus fuerat; nè abyssus abyssum invocet; id est ne injusta degradatio trahat injustam beneficij spoliationem: alia addi potest ratio, scilicet ut restitutio sit integra, & ipse restitutus, sit plenè in pristino statu.

VIII. Prælati regulares quamvis possint censuras ferre, & jurisdictionem exteriorem, & contentiosam exercere; nullatenus tamen possunt actualiter, seu realiter suos degradare subditos; ut colligitur ex tridentino loco citato. His suffragatur ratio, quia sicut ordinare non pertinet ad Prælatos regulares, nec ad ipsos pertinere potest (jure communi) degradatio actualis; juxtà regulam juris in præcedenti numero relatam, neque ex privilegio speciali: quia nullum de hac re existit, ut testatur Lezana in materia privilegiorum regularium versatissimus; undè si contingat religiosum aliquem committere crimina; in quorum pœnam debeat secundum sacros canones realiter degradari. Tunc necessariò vocandus est à definitorio Episcopus Diœcesanus, qui degradationis sententiam pronunciet more solito. (An verò Episcopus vocandus, sit ille in cujus Diœcesi delinquens commisit delictum, vel alter? Existimo quod in hac parte definitorium remanet liberum, quia delinquens est nullius Diœcesis) nec potest à suo Prælato in pristinum statum restitui post hanc sententiam, casu quo degradatio posteà reperiatur injusta, & ipse religiosus Innocens: Quia restitutio spectat ad eumdem Episcopum, à quo facta fuit degradatio: tunc enim Prælatus regularis solum tenetur in conscientia ex sola injustitiæ notitia curare de restitutione facienda; Secùs dicendum est de degradatione verbali: hæc enim fieri potest à Prælatis regularium; sicque religiosus qui crimen tali degradatione dignum commisit, potest verbaliter, & absque solemnitate degradari per suos superiores. Ita idem Lezana plures alios citans. Huic sententiæ adhæreo, Quia per istam degradationem verbalé, non amittitur privilegiũ clericale,

CAPUT XXVIII.

De cessatione à Divinis.

I. PER cessationem à Divinis, Canonistæ nihil aliud intelligunt, quàm omissionem, & desistentiam à Divinis Officijs, administratione sacramentorum, & sepulturà laïcorum, per summum Pontificem, vel Episcopum impositam, vel per capitulum sede vacante, quibus competit jus imponendi illam. Quia illa cessatio à divinis pertinet ad forum contentiosum, & consenquenter omnes, quibus competit hujusmodi jurisdictio; possunt etiam cessationem à divinis imponere. Undè illi, quibus imponitur cessatio à divinis, non possunt persolvere divina officia, nec ministrare Sacramenta, nec laïcos sepelire in loco sacro. Hæcque duplex est generalis scilicet, & particularis. Prior est cessatio à divinis in toto regno, civitate, vel oppido: Posterior autem, seu particularis est ea, quà prohibentur divina in aliquo loco particulari, ut in una Ecclesia tantùm; ut de interdicto dixi suprà. Nec indè sequitur cessationem à divinis coincidere cùm interdicto, nec esse censuram: ut docuit Navarrus; Cùm non sit pœna Ecclesiastica, sed pura desistentia à divinis cadens in locum; non verò in personas, in quas solitò cadunt censuræ.

II. Violans cessationem à divinis graviter peccat; cùm in re gravi contrà Ecclesiæ prohibitionem faciat, sicut violans interdictum, nullam tamen incurrit irregularitatem: hæc enim pœna non incurritur, nisi sit in jure expressa: quia odia sunt restringenda. Igitur cùm nullibi constet violantes cessationem à divinis irregulares fieri; ipso facto non debent incurrere irregularitatem. Verumtamen Regulares, qui cessationem generalem non observant, incidunt in excommunicationem: ut notant Sylvester, Suares, & Lezana ex Clement I. de sentent. excommunicat. nec præsumendum est privilegium pro interdicto valere pro cessatione à divinis, aut è contrà; ut tradit Navarrus in Manuel. cap. 27. num. 188. Quia cessatio à divinis, & interdictum sunt in diverso ordine, ut

jam monui; sicque privilegia unius, seu cessationis à divinis: non possunt extendi ad interdictum, nec è converso. Cessatio à divinis non tollitur nisi, ab eo à quo ponitur, vel à superiore, aut successore ejusdem, vel ab eo, qui habet facultatem delegatam; ut de absolutione à censuris dictum est. In jure nulla praescribitur forma imponendi cessationem à Divinis. Quare ea, per quam manifestatur voluntas imponendi, aut tollendi hujusmodi cessationem, sufficit: ut monet Reginaldus. Quia dum jus non assignat modum, quô res fieri possunt, censetur illum relinquere arbitrio Praelati, qui concessit potestatem ligandi, & solvendi.

III. Delictum ob quod imponitur cessatio à divinis, debet esse grave, nec sufficit quòd sit cognitum conjecturis; sed debet esse manifestum, ac expressum in litteris, in quibus continetur sententia; ut declarat Innocentius IV. in Can. *si canonici*. De off. ordin. in 6. quia cessatio à divinis est valdè publica; cùm prohibeat officium divinum in loco publico, & cultum solemnem: est etiam onerosa Ecclesiae, ut inquit Bonacina: & ideò, ut inter poenam, & culpam debita appareat proportio, non propter quodlibet peccatum mortale externum ferenda est cessatio à divinis; sed solùm propter peccatum mortale contrarium bono communi, vel particulari Ecclesiae: cùm sit vinculum quô Ecclesia in signum moeroris sui, ob injuriam sibi factam suos ligat ministros, ut cessent ab exercitio spirituali, aut divino, & Ecclesiastico, eisque publicam prohibet celebrationem divinorum officiorum, nec non administrationem Sacramentorum. An verò tempore cessationis haec Sacramentorum administratio esset valida; quamvis illicita? Respondeo de hac difficultate discurrendum esse, sicut de interdicto, de quô suprà cap. de interdicto.

IV. Quamvis tempore cessationis à divinis, apud clericos maneat privata obligatio recitandi divinum officium ratione beneficij, vel ordinis; cùm cessatio à divinis non eximat ab oneribus. Tamen prohibita est publica divinorum officiorum celebratio etiam cùm moderatione in cap. *Alma mater* praescripta; cùm ibi exceptio fit tantùm de interdicto. Et cessatio à divinis non fit poena cadens in clericos, seu personas, sed in locum, ut jam monui. Quare non licet tempore cessationis, divina celebrare officia in die paschatis, aliarumque festivitatum; in quibus suspenditur interdictum locale generale. Sic Bonacina, Navarrus loco citato, Avila, & alij: qui referunt decisionem doctorum celeberrimae universitatis Salmaticensis habitam anno 1556. huic sententiae contradicunt Bassaeus, Caspensis, & alij: qui probabilius judicant oppositum, voluntque in praedictis festivitatibus licitum esse publicè divina peragere officia, tempore cessationis à divinis, sicut tempore interdicti localis generalis ratione ejusdem cap. *Alma mater*. Haec posterior opinio est postponenda priori; quia desistentia à divinis debet esse major, & universalior tempore cessationis à divinis, quàm tempore interdicti: confertur enim ob graviora delicta, quàm interdictum, & consequenter non habet moderationes, quas habet interdictum locale generale: nihilominùs ratione necessitatis, quae solitò facit licitum, quòd anteà erat illicitum: licita est celebratio missae: ut pro renovanda Eucharistia singulis hebdomadis, vel quoties necessarium fuerit pro communicando moribundo; quippecum prohibitum sit morientibus denegare poenitentiam Can. *quod inter*. De poenit. & remiss. illicitum quoque est eis denegare Viaticum. Ex quo sequitur licitam esse missae celebrationem tempore cessationis, sicut licita est tempore interdicti generalis localis. Quoad alia Sacramenta discurrendum est (durante cessatione à divinis) sicut interdicto cùm eadem moderatione, & in eadem necessitate.

V. Cessationem à Divinis Ecclesiasticâ privare Laïcos sepulturâ fatentur omnes canonistae, etiam eos qui tempore interdicti habent priuilegium sepulturae Ecclesiasticae. Dixi *Laïcos*: Quia Clerici, utqué Religiosi (ex benigna interpretatione) non privantur ipsâ sepulturâ Ecclesiasticâ, modò sepelliantur sine divinis officiis: ut docent omnes; quamvis non constet in jure privilegium fuisse clericis concessum tempore cessationis: ut notant Avila, Filliucius, & alij. Sicut constat tempore interdicti; Quia personis Ecclesiasticis nulla debet infligi poena Canonica; nisi fuerit in jure expressa. Tum ob reveventiam eis debitam. Tum ob privilegia quibus potiuntur. Tùm quia non comprehenduntur sub nomine populi: ergo Clerici, & Religiosi possunt sepeliri in Ecclesia tempore cessationis à divinis officijs; quamvis laici in eadem sepeliri nequeant. Difficultas solùm

agitur inter Canoniſtas. An Laïci poſſint tempore ceſſationis à divinis ſepeliri in loco ſacro, præciſis officiis? Filliucius, Suarez, Reginaldus, Fulienſis, Caſpenſis, & alij affirmant. Quia nullibi probatur id vetitum eſſe, hoc non obſtante. Altera opinio videtur mihi probabilior. Quia ceſſatio à divinis privat beneficijs, quibus privat interdictum: nam ut ſuprà dictum eſt cùm Bonacina: ceſſatio à divinis non patitur moderationes, quas patitur interdictum in ſolemnitatibus, juxtà privilegia in cap. *Alma mater* conceſſa. Ergo nec patitur ſepulturam Laïcorum in loco Sacro, in quo ſepeliri non poſſunt tempore interdicti. Inſuper ſepelire Clericos in loco Sacro (ceſſatione durante) eſt privilegium ipſis conceſſum: ut exiſtimant omnes; ſed ſi in eodem loco Sacro ſepeliri poſſent etiam Laïci; falſum eſſet dicere tale privilegium fuiſſe Clericis (benigna interpretatione) cōceſſum, cùm eodem fruerentur Laïci. Igitur illicitum eſt tempore ceſſationis à divinis, ſepelire Laïcos in loco Sacro, etiam ſine ſolemnitate.

VI. Qui poſt monitionem cauſam dedit juſtæ ceſſationis à divinis; tenetur ad reficienda omnia damna, & mala, quæ paſſi ſunt Clerici, qui quotidianas amiſerunt diſtributiones, ut docent Silveſter, Sayrus, & alij. Quia unuſquiſque tenetur reſtituere alijs, quòd ſuâ culpâ voluntariè abſtulit: hoc enim eamdem imponit obligationem, ac furtum; cùm æquale ſecum ferat damnum, at iſte ſuo delicto cenſetur cauſa efficax injuſta horum damnorum, præbendo ceſſationi cauſam: juxta illud tritum axioma Philoſophorum: *Quòd eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Undè cùm ſit cauſa ceſſationis à divinis, à qua provenerunt hujuſmodi damna, tenetur ea reparare: ſic Coninch. idem colligitur ex Can. *Si læſerit* Can. *Si quis aperuerit*. De inuriis & damno dato, quibus omnes illi, qui ſunt cauſa voluntaria alicujus damni, tenentur ad reſtitutionem.

CAPUT XXIX.

Quid, & quotuplex ſit irregularitas.

I. CAnoniſtæ communiter, & alij qui loquuntur de irregularitate, eam ſic definiunt; *Impedimentum Canonicum prohibens nè quis, Vel ordinetur, vel in ſuſceptis ordinibus miniſtret, vel ad Superiores aſcendat.* Revera verbum illud non reperitur in Sacris Canonibus antiquis, ut obſervat Roia; ſed cùm Sacri Canones regulas præſcripſerint pro diſcernendis ad ordinationem idoneis: ut habetur in Concilio niceæno Can. 17. omnes illi, qui ab eiſdem regulis alieni ſunt, irregulares appellantur; quia ſunt extra eas regulas, aut quia regulæ non admittunt eos, aut non ſunt tales, quales regulæ juris eos eſſe volunt. controverſia ſolùm eſt, an irregularitas, quæ impedit ſuſceptionem ordinum. Can. *Si cujus uxorem.* Diſt. 34. impediat ſuſceptionem primæ tonſuræ; ita ut irregularitas non poſſit eam validè, nec licitè recipere. Quidam ſupponentes juxtà veriorem ſententiam, primam tonſuram non eſſe propriè ordinem, ſed medium quoddam ad ordines, quò tonſuratus dicitur potiùs deputatus ad ordines, quàm ordinatus: affirmant irregularitatem non impedire ſuſceptionem primæ tonſuræ, irregularem poſſe eam ſuſcipere; cùm tonſura non ſit ordo: & in odioſis (de quorum genere eſt irregularitas) non ſit facienda extenſio de uno caſu ad alium: ſed potiùs reſtrictio: ut patet ex regulis juris in 6. alij oppoſitum tuentur; eo quod tonſura, etiam intelligatur nomine ordinis Can. *Cùm contingat.* De ætat. & qualit. ordinand. quia eſt diſpoſitio ad illos, conſtituitque hominem in ſtatu clericali, & capacem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, atque beneficiorum. Hæc ſecunda ſententia eſt communior inter Canoniſtas, ideoque eſt in praxi tuenda. Ad rationem primæ ſententiæ quæ pluribus videtur probabilior, (poſito quòd prima tonſura non ſit ordo); Reſpondeo quòd licet tonſura non ſit verè ordo, habet tamen privilegium ordinis, & jus ad beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem, quod eſt, id quod impedit irregularitas, quæ reddit hominem inhabilem ad beneficia. Itaque impediendo tale privilegium, impedit etiam illud undè ſequitur. Sic docent Diana 4. part. tract. 2. reſol. 88. Suares, & alij contrà Lezanam, Navarrum in manual cap. 27. num. 191.

II. Irregularitas quamvis occulta reddit hominem incapacem, nedùm ad ſuſceptionem ordinum; ſed etiam ad receptionem beneficij Eccleſiaſtici: idcircò irregularis invalidè recipit collationem beneficij, quod retinere non poteſt, niſi obtenta irregula-

ritatis dispensatione. Quia inhabilis ad usum ordinum, ad beneficium quoque inhabilis est; cùm beneficium sit propter officium in Ecclesia exercendum; ut si irregularitas ex delicto homicidij proveniens non inducit ipso facto vacationem beneficij acquisiti Can. *ex parte* de excessib. prælat. Can. *miror*. dist. 50. sed solùm per pœnitentiam, judicisque sententiam: multò minùs igitur privatur beneficiò is, qui citrà culpam, sed ex solo defectu (qualis est corporis ægritudo) contraxit irregularitatem; cùm hæc sit minùs odiosa, & omninò inculpabilis; aliàs sequeretur quod pœna infligeretur sinè culpa, quòd est contrà regulam juris; licet quis possit sine culpa, sed ex sola incapacitate privari jure ad beneficium. Hinc est beneficiatium, qui post beneficij adeptionem incidit in talem irregularitatem, suum posse resignare beneficium in favorem alterius: hoc enim liberum est. Undè si illud retinere cupiat, potest licitè potiri fructibus. Verumtamen si beneficium sit curatum, & irregularis illud retinere velit, Episcopus potest de Vicario providere, cùm assignatione partis eorumdem fructuum; nè Grex Christi ex defectu curati damnum patiatur Can. *Ex parte* de cleric. ægrotant: Hæc irregularitas, quæ reddit clericum incapacem beneficij, cùm obligatione restituendi fructus perceptos ex illo beneficio in irregularitate susceptos; reddit etiam regularem incapacem prælaturæ regularis: ut observant Canonistæ ex Can. *dudum* de elect.

III. Irregularem esse incapacem jurisdictionis ordinariæ tenent omnes; cùm sit incapax beneficij, officij, & tituli spiritualis, in quibus solitò fundatur hujusmodi jurisdictio: qua de causa irregularis non potest eligi in prælatum, nec in Vicarium Generalem, aut officialem cujus jurisdictio est ordinaria: est quippè jurisdictio Episcopi. Est tamen capax delegatæ; cùm hæc non fundetur in beneficio, possitque sine ipso conferri (& præciso ordinum exercitio) retineri. Hinc est irregularem ad confessiones audiendas anteà approbatum, posse si non licitè, saltem validè Sacramentum pœnitentiæ administrare: ut concludunt Tuerianus de censuris. lib. 8. disp. 58, dub. 2. Bonacina punct. 4. num. 19. & Cåspensis contrà Avilam, & Hurtadum. Dixi *si non licitè*. Quia peccaret exercendo actum, cùm usu ordinis sacri conjunctum, irregulari prohibitum; valida tamen esset absolutio. Quia habet potestatem ordinis, & jurisdictionis delegatæ, quam non tollit irregularitas; nisi dùm irregularis est nominatus, ac denunciatus: quippecum sit in exercitio ordinum vitandus; est invalida ejus absolutio, non ex defectu jurisdictionis confessarij, cùm irregularitas subsequens non tulerit eam; sed quia pœnitens ponit obicem ad gratiam; cooperando peccato Sacerdotis functionem ordinis exercentis, contrà pœnam irregularitatis, & accedit ad Sacramentum indispositus, seu in transgressione mandatorum Ecclesiæ, quæ prohibet ei tale accessum ad irregularem vitandum. Si tamen contingat pœnitentem invincibiliter, & bona fide ignorare confessarium esse irregularem; Existimo confessionem tali Sacerdoti factam esse validam, pariter & absolutionem: quia nihil deest ex parte pœnitentis verè dispositi; nec ex parte Sacerdotis; cùm habeat potestatem ordinis, & jurisdictionis. Nec obstat Sacerdotis irregularis peccatum; licet enim iste peccet administrando in irregularitate sacramentum; tamen pœnitens irregularitatem ignorans non peccat, nec Sacramenti effectum impedit ministri peccatum, aut improbitas: ut fatentur omnes Theologi. Eamdem sententiam tenent Bassæus, Præpositus, Diana, Coninch, & alij contra paucos.

IV. Licitum est irregulari exercere actus, quos præstare potest Laïcus; cum irregularitas solùm privet actibus, qui sunt ordinatorum proprij; ideoque potest percipere omnia sacramenta, excepto ordine: irregularis enim nequit ordinem suscipere, nec susceptos exercere; ut jam dictum est. Potest etiam in Ecclesia exercere omnes actus non ordinatorum, scilicet ingredi Ecclesiam, audire missam. Immò, & illi inservire atquè absolvi à peccato propter quod incursa est irregularitas. Quia irregularitas non privat usu passivo sacramentorum; ordine semper excepto. Potest insuper baptizare sine solemnitate in omni casu, in quo Laïcus Baptizare potest. Immò, & absolvere pœnitentem in articulo mortis existentem, si irregularis sit Sacerdos: & si parochus sit, matrimonio assistere. Quia hoc non est actus ordinis, sed jurisdictionis, nec est assistentia ministri in Sacramento, sed testis; ut docent Lezana, & Villalobos, pro eadem sententia Doctores non paucos referentes.

V. nullam pœnam à peccato mortali

distinctam

distinctam incurrit irregularis, qui ordines suscipit, vel exercet: nulla enim pœna incurritur nisi sit in jure expressa; alioquin pœnæ essent potiùs ampliandæ, quàm restringendæ. Subjectum irregularitatis capax, est homo, quatenus est capax Sacramenti ordinis suscipiendi, vel exercendi, excepto summo Pontifice, qui cùm sit suprà jus positivum, quò introducta fuit irregularitas, nequit huic pœnæ subijci. Si verò contingeret Cardinalem esse irregularem, reverà non posset eligi in summum Pontificem; cùm prohibita sit electio irregularis in prælaturam, & ad beneficium Ecclesiasticum; sed si ipsa irregularitate non obstante eligeretur, electione facta non esset amplius irregularis; quippecum statim esset suprà jus positivum: cessaret pœna, quam jus infligit subditis suis. Irregularitas non ab homine, nec à judice imponitur, sed solùm à jure Can. *is qui*. De sentent. excommunicat. in 6. idem suadet ratio: nam quælibet irregularitas provenit ex defectu sine culpa, vel ex delicto, seu ex culpa, sed neutra potest esse Ab homine. Igitur non potest esse ab homine; sed ab eodem jure, nec incurritur nisi in canone, aut in Bulla Pontificia reperiatur hæc particula *ipso facto*, in materia irregularitatis. Quia hæc pœna non incurritur nisi in casibus in jure expressis: ut ex eodem canone colligitur. Itaque dum in jure non ponitur hæc particula, sed alia de futuro ut (v. g.) *irregularis fiat*. Textus non est intelligendus de irregularitate; sed de degradatione verbali, seu depositione. Ut monet Villalobos tom. 1. diff. 8. num. 2. cui sententiæ subscribo.

VI. In homine Baptizato nulla remanet irregularitas ratione actionum, vel conditionum, quæ baptismum præcessere, nisi de ea fiat expressa in jure mentio: ut habetur de Bigamo in can. *Unius uxoris* can. *deindè* dist. 26. Hic obiter observa maximam esse controversiam, scilicet an infidelis, qui in infidelitate sæpius contraxit matrimonium, sit bigamus, & irregularis; ita ut etiam post baptismum non possit ordinari sine dispensatione? Nicolaus delira 1. ad Timoth. 3. major in 4. dist. 27. quæst. 6. dub. ult. Almainus in 4. dist. 26. quæst. 1. volunt matrimonia in infidelitate contracta Baptizato minimè imputari, eique nullum impedimentum inferre: Quia infidelis, per Baptismum novus efficitur homo, & consequenter non potest inspici; ut verus Bigamus, quatenus Bigamia est irregularitas ex defectu Sacramenti; cùm nasci non possit, nisi post Baptismum. Quia irregularitas est pœna Ecclesiastica, quæ membris Ecclesiæ dumtaxat infligi potest. Ex adverso D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. Covarruvias, Bonacina, Sanchez, Barbosa, Bellarminus, & alij affirmant cum D. Augustino in Epist. ad Titum, & lib. de bono conjugali cap. 18. & Divo Ambrosio lib. 1. de off. cap. ult. Hæc posterior opinio videtur mihi præferenda priori. Quia Ecclesia induxit hoc impedimentum ad sacros ordines suscipiendos. Quia Bigami disparitatem habent cùm misticis Christi, & Ecclesiæ nuptijs; quarum imaginem referunt nuptiæ hominum, teste Apostolo ad Ephesios 5. quæ quidem disparitas reperitur in bis conjugatis, & non tollitur per Baptismum; licet tollantur pœna, & culpa incontinentiæ: nam Baptizatus est homo novus quoad innocentiam, non autem quoad unitatem nuptiarum, si semel, & iterum nuptias contraxerit ante baptismum: ergo iste baptizatus, dispensatione eget ne peccet, cùm reverà sit Bigamus. Quantùm ad irregularitatem ex culpa, & delicto provenientem, nulla est inter Doctores controversia: hæc enim certò tollitur per baptismum; etiamsi ex homicidio proveniat.

VII. Per professionem in religione approbata emissam tolluntur irregularitates in jure expressæ; non tamen omnes absolutè, quia professio operatur juxta intentionem conditoris canonum: ut advertit Panormitanus in cap. 1. *De apostatis*. Irregularitas verò in jure expressa, est ea, quæ ex natalium defectu provenit. Hæcque tantùm quoad ordines per professionem tollitur, & remanet quoad Prælaturas, & dignitates religionis can. 1. *De filijs presbit.* & ideo illegitimus quamvis professus, non potest fieri Abbas, nec prior, nec Guardianus, absque dispensatione summi Pontificis. Idem dicendum est de monialibus illegitimè natis: quia non possunt eligi abbatissæ sine dispensatione. Ita sentiunt Doctores unanimiter. Cùm quibus tamen observandum est, in hac re consulenda esse singularum religionum privilegia; cùm plures sint religiones in quibus per professionem tollitur hæc irregularitas, etiam quoad Prælaturas, & dignitates: ut refert Portellus verbo *illegitimus*,

V. v.

& post ipsum, Villalobos tom. 1. tract. 13. diff. 60. num. 7. de congregatione Sancti Joannis Evangelistæ instituta in Lusitania; quæ tale privilegium obtinuit ab Eugenio IV. Immò addo cùm Diana loco citato resol. 56. Gregorium XIV. concessisse illud privilegium Prælatis regularium, ut in capitulo generali, vel provinciali possint dispensare, cùm suis subditis illegitimis ad Prælaturas, & dignitates quòd extendi potest etiam ad moniales ipsis subditas.

VIII. Cùm cessante causa, cesset pariter & effectus, cessat irregularitas, ablatâ causâ ob quam fuit inducta: ea enim, quæ provenit ex defectu ætatis, tollitur per legitimæ ætatis adventum, irregularitas ex infamia facti aufertur per emendationem vitæ, & ea quæ ex ignorantia provenit, tollitur per scientiam. Sic Suarez, Toletus, Hugolinus, & alij communiter. Tollitur quoque irregularitas per abrogationem legis eam imponentis; ideoque Cessat in eo, qui ante abrogationem, contraxit irregularitatem, si deindè lex abrogetur: quamvis censura semel contracta requirat absolutionem. Suprema in irregularitate dispensandi potestas residet in summo Pontifice can. *continebatur* de homicid. volunt, & ab ipso solo dispensari potest omnis irregularitas can. 1. de sentent. & re judic. in 6. cùm ex Tridentino sessi. 24. de reform. cap. 6. irregularitas, quæ ex homicidio voluntario; (quamvis occulto) provenit, nequeat ab Episcopis dispensari. Pollent tamen hac dispensandi potestate Episcopi circà alias irregularitates ex delicto, si delictum sit occultum, & nondum ad forum contentiosum deductum fuerit; ut decrevit idem Concilium. Quantùm ad irregularitates ex defectu, Episcopus non potest dispensare, nisi in uno casu; Scilicet circà illegitimorum natalitia, non absolutè; sed solùm ad minores ordines, & ad simplex beneficium can. *Ut filii.* De filijs præsbit. Eumdem Episcopum dispensare posse circà Bigamiam ad minores ordines, & ad beneficium simplex docent Azorius part. 2. lib. 3. cap. 5. Sylvester verbo *Bigamus.* quæst. 7. & alij. A quibus tamen recedo. Tum quia ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario; sed Bigamia non est fundamentaliter ex delicto, sed ex defectu; cùm secundæ nuptiæ sint licitæ, ac validæ, nec sunt in genere delicti, sed defectus in ordine ad susceptionem ordinum: ergo nequeunt in ista fundamentaliter dispensare: ut expressè habetur in declaratione ejusdem concilij sess. 23, de reform. cap. 17. num. 4. Tùm quia idem declaratum fuit in Sacra Congregatione Cardinalium: ut testantur Barbosa in collectan. Bullar. verbo *Bigamus* & Lezana in verbo *Bigamia* num. 4. propria decreti verba referentes.

IX. Irregularitates quas incurrunt Prælati, alijque Ecclesiastici ab officio suspensi celebrantes, vel facientes alia, quæ sunt ordinis, à solo Papa dispensari possunt; ut declarat Innocentius IV. in cap. *Cùm æterni* §. *sciturus.* de sentent. & re judic. in 6. Sicut absolutio suspensionis contractæ ab eo, qui ordinem, suscepit dùm erat censuræ vinculo obstrictus, ab eodem summo Pontifice conferri can. *Cùm illorum* de sentent. excommunicat. eidem quoque reservata est absolutio irregularitatis, de qua est quæstio. Ille, qui plures irregularitates contraxit ob varios defectus, vel ob diversa crimina, si in una nominatim dispensetur, non censetur dispensatus ab alia. Quia irregularitates sunt impedimenta Canonica inter se diversa, nedùm ob diversitatem finis: quædam enim sunt ad ordines, & aliæ ad usum ordinum; sed etiam ob diversitatem causarum: unde cùm dispensatio non plus exprimat, quàm significet, sequitur quòd nominatim dispensans in una, non dispensat in alia; sicque dispensatus in defectu ætatis, quam petit, non dispensatur in defectu Bigamiæ si sit legitimus. In obtinenda, atque concedenda irregularitatis dispensatione tria requiruntur. Primò ex parte concedentis requiritur, ut exprimatur ipsa dispensatio, aliquo signo externo dispensantis voluntatem sufficienter manifestante: cùm actus humanus, qualis est dispensatio, debeat esse sensibilis; ut irregularis agnoscat se dispensatum. Secundò necesse est ut justa causa interveniat, hæcque cognita, Aut utilitas aliqua dispensationem postulans: ut præcipit sacra tridentina Synodus sess. 23. de Reform. cap. 18. Alioquin dispensatio aliter facta subreptitia censenda esset. Tertio ex parte dispensandi necessariò debet exprimi irregularitatis species; aliàs si contingat dispensandum esse pluribus irregularitatibus obstrictum, nullius validam obtinebit dispensationem, nisi petitio fuerit de omnibus, quippecum nulla sit ratio, undè

desumere valeat, in qua dispensatus fuerit, irregularis remanet sicut anteà. Insuper advertendum est non requiri expressionem numeri delictorum, ob quæ dispensandus contraxit irregularitatem, nisi delicta sint diversæ speciei. Quia delicta diversæ speciei, habent diversas malitias, quas aperire necesse est, ut perfectè cognoscatur a dispensante irregularitatum gravitas.

X. In dubio juris, seu legis irregularitatem imponentis, non tenetur quis; factâ debitâ diligentiâ, se gerere ut irregularem, nedùm in foro externo; sed etiam nec in interno, quamdiu durat dubium; etiamsi sit de homicidio. Unde si ille, qui hominem occidit: dubitet an per illam occisionem sit irregularis, scilicet an homicidium irregularitatem contineat, vel non, potest praticè suum deponere dubium judicando homicidam non esse irregularem: nam ex II. regula juris in 6. cum jura partium sunt obscura, reo favendum est potiùs quàm actori. Hanc sententiam tenent Toletus lib. 1. cap. 57. num. 13. Bonacina disp. 7. quæst. 1. punct. 5. proposit. 1. Mastrius disp. 13. num. 137. Citans Scotum; contrà plures qui dubium istud homicidij non excipiunt authoritate Clementis III. in can. *Ad audientiam.* De homicid. ubi (inquiunt) ille summus Pontifex resolvit dubitantem de homicidio debere se irregularem gerere: Quia in dubijs tutior pars est eligenda. Sed non advertunt summum Pontificem ibi non loqui de dubio juris, sed de dubio facti, ut notat Barbosa. Idque constat ex proprio textu, qui est de dubio mortis cujusdam famuli à clerico vulnerati. Nec expositioni huic obstat ratio adducta, nimirùm in dubijs tutiorem partem esse eligendam. Quia Clemens III. Applicat illam solùm ad dubium facti homicidij, nec licet eam ad dubium juris extendere. Tum quia pœnæ non sunt ampliandæ; Immò potiùs restringendæ: idcircò ratio quæ est de dubio facti, ad dubium juris minimè est extendenda, cùm respiciat irregularitatem, quæ est pœna magna, atque odiosa. Tum quia ex Bonifacio VIII. Relato in cap. *Is qui* de sentent. excommunicat. in 6. Nullus censendus est irregularis ob aliquod delictum commissum; nisi talis pœna expressè inveniatur in jure Canonico; sed in jure à Clemente III Edito, non repetitur hæc Pœna, dum dubium homicidij est dubium juris; ideoque ratio assignata suadens tutiorem partem esse eligendam, non tenet in dubio juris: etiam quoad homicidium, sed solùm in dubio facti: ut observant Doctores jam citati contrà quos alij sic objiciunt.

XI. Dubium juris non excusat, bellè quidem dubium facti; ut inferri potest ex hac 13. Regula juris in 6. *Ignorantia facti, non juris excusat.* Ergo dubius in jure non excusatur ab irregularitate. Respondeo hanc regulam non nocere: Quia est de illo, qui dubitat de jure quòd scire debet; non autem de illo, qui dubitat an jus expressè contineat aliquid, scilicet an mens conditoris sit: hanc, vel illam actionem esse materiam irregularitatis, vel alterius pœnæ. Ita ut sapientes judicium ferre nequeant, an in jure contineatur talis pœna. Quia non invenitur in jure ex vi verborum inflicta. Ille enim qui sic dubitat, adhibitâ omni diligentiâ pro dubio deponendo, censetur laborare ignorantiâ invincibili, & consequenter est excusandus ab irregularitate. Dubius an homicidium commiserit, debet se genere pro irregulari, & ab actibus ordinum se abstinere, donec dispensetur, vel donec dubium deponatur, seu noscat se innocentem: Quia non dubitat de jure, sed de facto; non debet tamen abstinere se à susceptione redditi um beneficij Can. *Ad audientiam* Can. *significasti*. il. 2. §. *Quòd si*. De homicid. idque obtinet tam in forò interno; quàm externo: primus enim canon expressè loquitur de foro externo, & alter de foro interno; tàm in homicidio irregularitatem ex defectu inducente, quàm in homicidio cùm delicto: ut notat Cabassutius ex can. *Petitio tua* eod. tit. non vero in alijs dubijs facti; cùm jura citata loquantur solùm de casu homicidij, & odia sint potiùs astringenda, quàm ampliãda. Undè quandò dubium est in alijs factis irregularitatem inducentibus (v. g.) In facto hæresis, vel apostasiæ à fidè, dubitans non est censendus irregularis. Cùm jus citatum dubitatum de facto homicidij expressè, ac determinatè oneret. Ex quo sequitur medicum, qui probabiliter suspicatur ægrotum suâ culpâ mortali interijsse, non posse citrà dispensationẽ ordines suscipere. Item neque eum, qui cùm abortum procuraverit, dubitat an fœtus esset animatus. Idem dicendum est de eo, qui postquam dedit Concilium homicidij dubitat, utrum Concilium suum efficaciter influxerit in

occisionem. Quia hujusmodi dubia homicidium concernunt.

XII. Quoad secundam capitis partem. Dico cùm communi sententia irregularitatem dividi in eam, quæ est ex defectu tantùm, & in eam, quæ est ex peccato, seu delicto. Ratio hujus divisionis est: quia omnis irregularitas contrahitur præcisè propter indecentiam in jure assignatam; quæ quidem indecentia oriri potest ex defectu tantùm sine peccato, & ex peccato, seu delicto, sine defectu Physico. Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur peccatum mortale, & hoc externum, atque consummatum; quamvis non possit probari, sitque occultum; ut colligitur ex tridentino statuente Episcopum posse dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepto homicidio. Indè inferendum est ab irregularitate excusare ea, quæ excusant à peccato mortali. Cùm ex dictis constet irregularitatem ex delicto necessariò exigere peccatum mortale. Inter hujusmodi irregularitates, istud reperitur discrimen, quòd prima sæpè tollitur ablato defectu, ut jam monui suprà; alia autem, quæ est ex delicto, subsistit donec irregularis dispensetur in ea Can. *Miror.* dist. 50. dixi *sæpe*, Quia multæ sunt irregularitates ex defectu, quæ durant donec irregularis dispensetur in ea. Qualis est illa, quæ provenit ex Bigamia, vel ex defectu natalium; Secùs est dicendum de ea, quæ provenit ex servitute, vel matrimonio. Quæ tolli potest sine ulla dispensatione, ut est evidens: quia cessat statim ac recuperatur libertas, vel dissoluitur matrimonium per mortem uxoris. Irregularitas ex delicto proveniens, est gravior alterâ, quæ provenit ex defectu, ob peccatum in quo fundatur, aut ex quo nascitur. Idcirco dispensando ab irregularitate ex defectu proveniente, non est injungenda pœnitentia medecinalis, sicut dispensando ab alia. Quia ille petit ut impeditus, iste verò nedùm postulat dispensari ut impeditus; sed etiam ut reus.



CAPUT XXX.

De irregularitatibus quæ ex defectu exurgunt.

I. IN duplici statu sunt hujusmodi defectus: quidam enim sunt in mente, & quidam in corpore; sed priùs examinanda est irregularitas proveniens ex defectu animi; omnes illi, qui usu rationis prorsùs carent, sunt irregulares jure divino, & humano. Immò sunt inepti jure naturali ad suscipiendos ordines, cùm eos exercere non valent ex defectu intentionis, judicij, & rationis. Idem dicendum de perpetuò amentibus. Sed si talis defectus superveniat ordinato, non privat illum perpetuò ab usu ordinis suscepti; ita ut egeat dispensatione, sed solùm quamdiu defectus durat, & potest ordinem exercere sicut exerceret illum, si defectus præcessisset, & talem ordinem cùm dispensatione suscepisset. Quoad alios ordines, quos non habet, indiget dispensatione, cùm subsistat impedimentum ad suscipiendos ordines. In eadem irregularitate existunt illiterati. Can. *Illiteratos* dist. 36. cui subscripsere Navarrus, Bonacina, Toletus, alijque plures contrà Garciam existimantem scientiæ defectum irregularitatem non inducere; sed solùm susceptionem ordinum prohibere. A qua sententia recedendum est. Quia ex can. *Nullus Episcopus.* de temp. ordin. in 6. inter irregularitates connumeratur hæc ex defectu Literaturæ, ut notant Rebuffus de Pacif. possess. num. 226. Azorius, & Villalobos. Dicitur autem penitùs illiteratus ille, qui prima Grammaticæ Rudimenta non didicit; ut post rotæ decisionem monent præpositus, & Barbosa. Undè si ordinandus aliquod Grammaticæ principium habuerit, potest licitè minores suscipere ordines, ut tradit tridentinum sess. 23. de reform. cap. 11. Modò ostendat spem addiscendi in futurum. Si verò contingat quòd sciat solùm legere, & scribere, potest ad primam tonsuram admitti, ex eodem concilio citato cap. 9. Quantum ad alios ordines; ille non est censendus illiteratus, qui scit ea, quæ spe-

ctant ad exercitium ordinis suscipiendi. Hinc est quòd idem Concilium sess. 23. de reform. cap. 12. statuit ordinandos omnes esse ab Episcopo examinandos, & dignos duntaxat esse admittendos. At quamvis non possint ordinare illiteratos: Existimo tamen Episcopos posse cùm regularibus non multum literatis dispensare, ut ad sacros promoveantur ordines, propter illum addiscendi in futurum oportunitatem. Quia ex continua in conventu communicatione cùm viris doctis in religione, possunt in dies accrescere in scientia: Nec in ipsis exigi debet tanta scientia, quanta exigitur in saecularibus: Quia non ordinatur ad curam animarum, quae majorem scientiam exigit.

II. Neophytus, seu homo ex lege judaïca, Mahumetica, vel Ethnica ad Fidem Christianam nuper conversus, adultaque aetate Baptisatus, est irregularis can. *Quoniam.* dist. 48. Undè ij, qui à multo tempore, seu à duobus annis transactis ab infidelitate, ad Christianismum conversi sunt, Neophyti nuncupari non debent, nec sunt irregulares: Quia non censentur novi in fide. Ideoque possunt citrà dispensationem ordinari, si sint humiles, & aliundè habeant dispositiones jure requisitas: nam in can. *Neophytus* dist. 61. Neophytos ordinare prohibitum est, nè in superbiam extollantur: ut post divum Ambrosium in eodem Canone citatum, advertunt Alfonsus, Alvarez, & alij. In hac irregularitate Episcopum posse dispensare cùm Neophyto bene instructo, & in fide confirmato docet Henricus in summ. lib. 14. de irregularitat. cap. 4. §. 7. Sed existimo in tali casu, Episcopum non dispensare, etiamsi Neophytum instructum ordinare possit; sed solùm declarare irregularitem cessasse. Quia in rigore juris Episcopus non potest ad ordines admittere recenter Baptizatos; cùm haec irregularitas sit ex defectu notorio, cujus dispensatio pertinet ad summum Pontificem. Notorium enim est, recenter baptisatum non esse instructum de his, quae spectant ad exercitium ordinis: Immò prorsus contrà rationem est velle constituere magistrum illum, qui numquam fuit discipulus: ergo in hoc defectu, solus Papa dispensare potest, cùm sit de genere irregularitatis ex publico defectu provenientis.

III. Haeretici, Apostatae à fide, eorumque fautores, aut deffensores, quamvis occulti, sunt irregulares; ut declarat Alexander. IV. in can. *Quicumque* de haeret. in 6. Haec irregularitas tenet tàm in laïcis quàm in clericis, tàm ad ordines receptos quàm ad suscipiendos. Nec necesse est haeretisim esse notariam evidentiâ facti: sufficit enim quòd sit externa. Schysmatici autem prout tales sunt, non sunt irregulares ex jure; cùm nullibi constet; licet alias in currant poenas contrà Schysmaticos latas; ut docent Suarez, & Bonacina contrà Hugolinum. Religiosus verò Apostata à Religione, ipsa Apostasia durante, irregularis est: ut decrevit Honorius. III. in Can. *Consultationi* de Apostat. Haec irregularitas ob haeresim contracta, à Papa dumtaxat dispensari valet; Episcopus tamen secundum probabilem sententiam dispensare potest, si delictum sit occultum; ut colligi potest ex tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat. ex can. *statutum* de haeret. in 6. filij haereticorum usque ad secundam generationem patris haeretici, quamvis fideles, irregulares sunt ad Beneficia, & officia Ecclesiastica; sed si sint filij matris haereticae, haec poena non descendit ad secundam generationem. (Haec assertio supponit parentes mortuos fuisse in haeresi: nam si poenitentiam egerint, & ut verè fideles mortui fuerint, filij nullam irregularitatem contrahunt, quamvis parentes mortui fuerint in irregularitate.) Haec constitutio se extendit etiam ad filios fautorum, receptatorum, & defensorum haereticorum. Energumeni sunt ita irregulares; ut numquam possint ordinari, etiamsi liberentur. Idem dicendum est de dementibus, Epilepticis, & lunaticis. Si verò jam ante promoti erant, possunt ab Episcopo dispensari; ut in susceptis ordinibus ministrent, quandò posteà constat eos libertatos fuisse: ut colligitur ex can. *nuper* 7. quaest. 2. ad Episcopum enim spectat judicare, an liberatus sit à morbo consideratis omnibus morbi, & personae conditionibus. Hic obiter observa Epilepticos intrà decimum quartum aetatis annum tantum, non esse inter irregulares computandos; ut monet Caballutius. Quia Epilepsia amotionem recipit ante pubertatem: ut docet Hypocrates Aphor. 7. sect. 5. & ideo ille, qui ante pubertatem tali laborabat morbo, non est irregularis; si aliquod annorum spatio Symptoma non recurerit. Et potest sine dispensatione ordinari: quia censetur Sanus; alio-

quin magna Clericorum, ac Sacerdotum pars esset irregularis, inquit idem Doctor. Nec contrarij sunt Canones citati, qui intelligi debent de gravi Epilepsia post 25. annum quæ ex eodem medico ferè comitatur usque ad mortem.

IV. Ut Epilepticus celebret non est necesse, ut sit omninò liberatus ab Epileptica ægritudine, quæ ei supervenit; sed sufficit quòd ea raró corripiatur (ut semel in mense cadendo in terram sine clamore, spumarum Emissione, & horrenda corporis agitatione) modò sibi adjunctum habeat alium Sacerdotem jejunium, qui in casu necessitatis possit perficere sacrum: ut ex Can. *nuper* 7. quæst. 2. colligunt Villalobos, & alij. Servi non possunt ordinari antè manumissionem; cùm irregulares censeantur; ut declarat Consilium Toletanum relatum in can. 1. de ser. non ordinand, nec excusari possunt à peccato Episcopi, qui scienter eos ordinant: ut colligunt plures ex Can. *Si servus scienter.* dist. 54. ordinati tamen possunt, si Dominus consentiat; quamvis negativè, seu si sciat, quin contradicat: tunc enim donantur libertate: ut docent Barbosa, Arorius, Caspensis, & alij. Obligati ad publica ratiocinia, ut tutores, curatores, publici administratores, & quæstores sunt etiam irregulares Can. *præterea* dist. 15. & tit. de obligat. ad ratiocin. his adjunge Sixti V. Constitutionem quæ incipit. *Cùm de omnibus.* Quia ratiociniis obligati professionem emittere non possunt in Religione, nec ad ordines promoveri. Idem dico de eo, qui maximo gravatus debito, non habet undè creditori satisfaciat; nisi creditor ei dimittat debita: quia per hujusmodi dimissionem remanet liber à debito; cùm æquivaleat solutioni, à quo debito Episcopus, & prælatus regularis nequeunt liberare debitorem.

V. Quilibet defectus corporis, qui impedit usum ordinis (qualis est cæcitas) vel notabilem causat deformitatem, ut est lepra, vel carentia visus in oculo sinistro, causat irregularitatem; si ob talem defectum, ad legendum necesse sit contorquere vultum ad sinistram partem; ut expressè habetur in Can. *tua nos.* De cler. ægrot. & in toto tit. de corp. vitiat: & ideo ille non est irregularis in quo, ita prævalet occulus dexter, ut sine ulla indecentia, & conversione ad populum, possit de altari legere Canonem. Ita docent Navarrus in Manual. cap. 27. num. 199. Bonacina, Toletus Filliucius, & alij: qui idem colligunt, ex Can. *si Evangelica* dist. 55. indè inferendum est quòd omnis homo monstruosus ex cujus visu nascitur horror, vel qui caret pede, manu una, omnis surdus, ita ut nullo modo possit audire, est irregularis; licet talis surditatis defectus, non impediat exercitium susceptorum ordinum; habens manus tremulas est etiam irregularis ob difficultatem elevandi sanguinem, & periculum effundendi illum; nec missæ celebrationem permittit ille defectus, quandò contingit Sacerdoti: quia est impedimentum exercitij, sicut susceptionis ordinum. Tandem irregulares sunt omnes illi, qui perpetuò laborant dolore capitis: quia sunt in perpetuo periculo Cadendi; ad Episcopum autem pertinet judicare an deformitas, vel infirmitas oculorum irregularitatem inducat, vel non: ut statuit Alexander III. in Can. *cùm de tua electione* de corp. vitiat. cui subscripsere communiter Canonistæ; Nè credas tamen cùm paludano, sayro, & aliis, illum qui ob defectum oculi sinistri non potest ad Sacerdotium promoveri, posse inferiores ordines Sacros suscipere: Quia habens defectum impedientem susceptionem ordinis præsbiteratùs, ad Reliquos ordines irregularis est utique censendus; cùm isti seu Diaconatus, & Subdiaconatus ad Sacerdotium ordinentur; quamvis ille, qui post susceptum Sacerdotium Evasit irregularis; possit adhuc alios exercere ordines, seu eos ad quos ei superest habilitas. Ita Hugolinus, Bonacina, Angelus, Avila, & alij gravissimi Doctores.

VI. Habentes cruta distorta non sunt irregulares, si hæc deformitas tegi possit vestibus, seu toga; ut notat Bassæus verbo. *irregularitas* 2. num. 7. idem dico de Gibbosis, qui non sunt irregulares, si se erigere possint, aut stare recto capite, alioquin essent irregulares, cùm non possent actum ordinis exercere. Quantùm ad alios corporis defectus hic omissos; ut habere sex digitos in manu, unum occulum grandiorem alio, vel carere unguibus, & sic, de cæteris; dico quòd non inducunt irregularitatem, nisi habeant deformitatem ita magnam; ut provocent ad risum, aut incutiant abstantibus horrorem, vel impediant usum ordinis. Quia tunc in homine hujusmodi defectus habente, impossibilis est finis ob quem Christus instituit

Sacramentum ordinis. Et consequenter cùm sit naturaliter impeditus, est irregularis; nec potest dispensari quantum ad exercitium ordinum; licet absolutè dispensari posset quoad susceptionem eorumdem. Abstemius non potest ad Sacros ordines promoueri, nec à summo Pontifice dispensari; cùm jure divino necessè sit Eucharistiæ sacramentum confici sub utraque specie scilicet panis, & vini: illi autem, qui suscepto Sacerdotio, fit abstemius: ita ut non possit degustare vinum; valet confessiones audire, sacramenta conferre, concionari, & similes actus elicere. Quia non fit inhabilis ad omnia Sacramenta, sed solùm ad Eucharistiam conficiendam.

VII. Ex defectu natalium exurgit irregularitas can. 1. & 2. de filiis presb. non ordin. & Can. *is qui*. De filiis presbist. Undè omnes, qui non sunt ex legitimo matrimonio vero, vel probabiliter existimato tali, vel per subsequens matrimonium legitimati, sunt ipso jure irregulares. Rationem assignat Scotus in 4. dist. 25. quæst. 1. videlicet. Quia tales illegitimi malenati, præsumuntur malè morigerati, & paternæ incontinentiæ imitatores. Si vero contingat dubium circá hunc natalium defectum, licita est ordinum susceptio. Quia extrà casum homicidij, in dubio juris, vel facti, nullus tenetur reputare se irregularem; cùm ut jam dictum est, exceptô homicidiô, nullibi exprimatur, quòd aliquis sit irregularis, stante dubio. Idem dicendum est de filiis expositis, qui non debent censeri illegitimi; ideoque nec irregulares: ut docent Scotus, Coninchius, Sayrus, aliique plures. Ratio hujus rei est. Quia Gregorius IX. in titulo de infantibus, & languidis expositis relatus, ut Patres Concilij Arelatensis 2. can. 32. in multis s hujusmodi infantibus favent; & novissimè Gregorius XIV. Qui in Bulla in gratiam confraternitatis pro expositis edita: vult ipsos pro legitimis haberi. Quia hæc expositio non probat sufficienter infantem esse illegitimum; cùm parentes ob paupertatem suos sæpè exponant filios. Deindè qui non probatur malus, jure præsumitur bonus, vel saltem talis præsumi debet; ut colligitur ex Innocentio III. Relato in titulo de scrutinio. Ubi ille summus Pontifex ait, quòd quilibet præsumi debet dignus, nisi probetur indignus, & glossa addit. *De quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium.* Undè cùm expositi non probentur illegitimi, censendi sunt legitimi, & habiles ad susceptionem ordinum.

VIII. Ex Bigamia nascitur irregularitas Can. *super*. De bigam. non. ordin. estque triplex, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria. Prima est, cùm quis validè matrimonium contraxit cùm duabus. sive ante, sivè post Baptismum; ut facile colligi potest ex dictis in capite præcedenti de infideli, qui binas contraxit nuptias. Secunda est, cùm quis duxit viduam, vel quomodocumque vitiatam Can. *si quis viduam* dist. 50. aut duxit virginem, sed post matrimonium adulterata est; modò post adulterium, ipse maritus eam cognoverit; quia si eam non cognoverit, nulla deducitur irregularitas Can. *si cujus* & Can. *Laïcì* dist. 34. Tertia autem seu similitudinaria est, quandò quis post solemne castitatis votum contrahit matrimonium; etiam obtenta dispensatione Can. *quotquot* 27. quæst. 1. Can. *nuper* & Canon. *à nobis fuit* de Bigamis. Sic nominatur quia verè assimilatur Bigamiæ, ob duplex matrimonium contractæ: nam per votum castitatis quodammodo contrahitur matrimonium spirituale cùm Deo. Et ideo si post emissum illud votum, matrimonium contrahatur, debet dici Bigamia similitudinaliter. Hic obiter observa. Quòd si vir conjugatus adulteretur, non ideo fit Bigamus, nec irregularis, etiamsi duxerit eam, quam anteà defloraverat, ut advertunt Doctores. observa insuper sponsalia cùm pluribus contracta, etiam secuta copula, fornicationem, adulterium, vel matrimonium ratum cùm pluribus, non sufficere ad Bigamiam contrahendam, sed requiri verum, seu consummatum matrimonium; licet enim matrimonium ratum sit verum Ecclesiæ Sacramentum, Referens Christi cùm Ecclesia unionem; tamen non refert illam, quæ per verbi divini incarnationem facta est; scilicet indivisibilem unionem corporum in unitate carnis repræsentantem conjunctionem duarum naturarum in Christo, in unitate personæ; sed tantum eam, quæ ex Gratia, & charitate resultat; ut ait Scotus. Quia Bigami non arcentur ab ordinibus præcisè propter incontinentiam; aliàs voluptuosi essent irregulares, sed propter deformitatem, quam habent cùm nuptiis verbi divini cùm humanitate. *Dices* dum quis duxit corruptam in uxorem fit Bigamus: ergo etiam est Bigamus dum duxit

virginem, si ipse sit corruptus per fornicationem, aut adulterium ante matrimonium. *Nego* consequentiam. Quia Bigamia est defectus, qui non sequitur illum, qui ministrat matrimonij Sacramentum, sed eum qui recipit illud, cùm dicatur defectus Sacramenti. Undè cùm contrahentes sint ministri; ita ut unus alteri istud Sacramentum conferat, sequitur quòd corruptio uxoris remanet in uiro tamquam defectus sacramenti, & facit illum Bigamum: & è contrà, id est corruptio viri est in uxore, sicque corruptio viri non est defectus sacramenti in ipso, sed in uxore, & corruptio uxoris est defectus Sacramenti in viro.

IX. Ex Canone 22. & 23. Apostolorum ut habetur in Can. *si quis abscidit*, dist. 55. & ex Concilio Arelatensi 2. Can. 7. qui se (carnali vitio repugnare nescientes) abscindunt, ad clerum pervenire non possunt; idcircò irregularis est ille, qui se ipsum abscindit ex indignatione; Quia nemo membrorum suorum Dominus est; ut observant Navarrus in manual. cap. 27. num. 219. & Lessius de justitia lib. 2. cap. 9. dub. 14. Eam irregularitatem incurrit qui se castrari permisit ob cantum, vel castitatem, quòd etiam illicitum esse tradunt Cabessutius, & Bonacina; sed si permiserit ob causam justam, atque licitam, ut (v.g.) ob curationem morbi, non est irregularis; ut colligitur ex Can. *significasti* de corpor. Vitiat. alias illicitum esset curam adhibere clericis ægrotis; dum sanari non possunt sine aliqua mutilatione. Irregularis est etiam is, qui suâ culpâ gravi, quamvis invitus, aliquo membro mutilatus fuit; etiamsi ea membri privatio nullam induxisset irregularitatem, eo quod vel occulta sit, vel deformitatem non causet, nec actus ordinis impediat: ut facilè infertur ex dictis Gelasij Papæ in Can. *si Evangelica admonitio*. dist. 55. talis enim mutilatio, cùm sit culpabilis, pœnam, scilicet irregularitatem inducit. dixi *suâ culpâ gravi*: quia injustè & sine culpa, vel si justè propter necessitatem mutilatus fuerit, non est irregularis; modò illa privatio membri non impediat ordinis usum, nec notabilem afferat deformitatem. Ita Navarrus loco citato num. 198. Molina disp. 30. num. 18. Sayrus, Avila, & alij qui idem colligunt ex Can. *qui partem*. dist. 55.

X. Ex defectu Lenitatis exurgit irregularitas; ut habetur ex Can. *in Archiepiscopatu*. De Raptorib. & ex Can. *Episcopos*. Nè clerici, vel Monach. in 6. hæcque contrahitur quandò quis occidit hominem, vel ipsum mutilat; etiamsi sine culpa id faciat, ut (v. g.) judex, Apparitor, Carnifex, accusatores, & testes in causa sanguinis, si mors sequatur, aut mutilatio. Idem dico de militibus in bello justo vulnerantibus, vel occidentibus: ut habetur ex variis juris Canonici textibus Can. *sententiam*. Nè Cler, vel Monach. Can. *si quis viduam*. dist. 50. Can. *aliquantos*. Dist. 51. excepto casu defensionis propriæ vitæ. In aliis autem casibus mutilatores, & homicidæ sivè justi, sive injusti excludantur ab ordinum susceptione. Quia non præ se ferunt pacem, nec repræsentant Christum, qui non vult mortem peccatorum; sed ut convertantur & vivant.

XI. Eamdem incurrunt irregularitatem omnes, qui in mortem alterius influunt voluntariè, sivè per consensum, sivè per judicium, sivè per actionem aliquam tendentem ad mortem, aut ad accelerationem ejus; excepto summo Pontifice, qui cùm sit supra jus positivum, irregularitatem in jure expressam contrahere nequit; undè judex Ecclesiasticus habens jurisdictionem temporalem, nequit judicare causas sanguinis immediatè, nec mediatè; scilicet condemnando reum ad pœnam, quæ tendat ad mortis accelerationem. Quia hujusmodi sententia æquivalet sententiæ mortis; valet tamen (quin irregularis fiat) specialiter mandare alicui, ut inquirat de eo delicto, & justitiam exerceat secundum formam juris; etiam si posteà judex delegatus ipsum reum morte puniat; cùm necesse sit bono publicò, quòd delicta puniantur pœnâ naturæ delicti proportionatâ. Idcircò princeps temporalis sic delegando, non fit irregularis, modò ipse judex principalis, nimirùm Ecclesiasticus specialiter non intendat mortem, nec mutilationem: ut ex citatis juris Canonici textibus, & aliis citandis certum est. Concionator excitans principes, ut condant legem certa delicta prohibentem sub pœna mortis, nullam incurrit irregularitatem. Quia non cooperatur ad mortem, nec vult illam alicui; sed justitiam omnibus. Potest quoque citrà irregularitatem confessarius non absolvere judicem nolentem occidere reum, quem secundum legem, & pro bono publico occidere tenetur, modò directè non intendat

pœnam

pœnam mortis sed justitiam. Item obligare potest pœnitentem reum ad confitendum judici delictum morte dignum, de quo ab ipso judice interrogatur secundum formam juris: hoc enim non est ad mortem concurrere, sed suum adimplere munus, nec concurrere ex parte inferentis mortem, sed ex parte sustinentis. Sic sentiunt Lezana, Sayrus, Diana, Laymanus, Bonacina, & alij communiter. Esset tamen irregularis si excitaret illum consilio suo ad omissionem appellationis ei jure concessæ pro morte evitanda aut differenda; etiam si certò sciret appellationem esse frivolam, aut superfluam: Quia concurreret ad mortis accelerationem.

XII. Propter defectum lenitatis, Laïci irregularitatem incurrunt in suprà memoratis actibus causas sanguinis concernentibus, licet non peccent, nullumque præceptum Ecclesiæ violent. Clerici autem hæc omnia agentes, scilicet judicando, vel ad mortem concurrendo, præter irregularitatem quam contrahunt, peccant mortaliter, Quia faciunt contrà Ecclesiæ præceptum; ideoque quoad clericos, & Religiosos hæc irregularitas ex defectu lenitatis proveniens, potiùs dicenda est ex delicto, quàm ex defectu; & consequenter probabilius existimo Episcopum posse dispensare, in hac irregularitate cùm clericis, juxtà modum concessionis illis factæ. In Tridentino sess. 24. de Reformat. cap. 6. idem docent Lezana verbo. *Bellum* num. 22. & Caspensis. An vero Laïcus, qui laqueo se suspendit, remaneat irregularis, si per amicos ipsum suspensum videntes, impediatur? nego contrà plures. Quia hoc delictum non est verè homicidium reale, & consummatum.

XIII. Quamvis non sit defectus Lenitatis infirmum curare per unius membri abscissionem, aut adustionem, dùm conservatio totius id exigit: nihilominus hanc irregularitatem incurrit Clericus sacris initiatus ordinibus, dum hujusmodi operationem exercet Can. *sententiam*. Ne Cler. vel Monach. & Can. *tua nos*. De homicid. remota tamen abscissione, aut adustione nullatenus peccat, nec incurrit irregularitatem in exercitio chirurgiæ, aut medicinæ, modò eam exerceat secundum regulas artis, & sine ullo avaritiæ labe, aut alio abusu; etiamsi fortuitò, & ex accidenti mors indè sequatur, ut declarat Innocentius III. in citato Canone, *Tua nos*. Ubi expressè definit casum de quo est quæstio. Differunt tantum Clerici, & Laïci in hac arte, eo quòd Laïci non incurrunt irregularitatem, si membrum resecent, aut resecari mandent, necessitate sic exigente; Clerici verò eam incurrunt. An peccent Clerici, & irregularitatem incurrant, dùm bona intentione, & remota mortis probabilitate ægro jusculum, vel aquam propinant, si inopinatò, æger citiùs moriatur & suffocetur, aut ex motione sui corporis expiret? Præpositus in cap. 1. dist. 50. num. 1. Innocentius in cap. *tua nos*. De homicid. Toletus lib. 1. cap. 81. num. 12. & alij affirmant absolutè, tàm de Clericis, quàm de Laïcis; nisi præcesserit medici mandatum: Quia hoc est dare operam rei illicitæ, ac periculosæ. Ex adverso negant Bonacina quæst. 4. punct. 7. num. 12. Suarez disp. 47. sess. 5. num. 3. Villalobos, Hugolinus, Caballutius, & alij quibus subscribo. Ratio est, quia hujusmodi officia non sunt per se illicita, nec directè tendunt ad mortem, aut accelerationem ejus, ut ad irregularitatem requiritur, immò sunt officia charitatis, ac naturalia, quæ non possunt tantâ puniri pœnâ ob necessitatem, ex qua infero clericum non posse ea exercere, dum adstant Laïci, cùm tunc non adsit necessitas respectu ipsius clerici. Clericus nequit esse testis in causa sanguinis sub pœna depositionis & excommunicationis Can. *His à quibus*. 23. quæst. 8. idem declaratum fuit in Concilio Masisconensi 2. can. 19. nec ad id ullo jure compelli potest; ut declarat Concilium africanum Can. 26. quamvis testificari possit pro Ecclesia Can. *super* 14. quæst. 2. & pro Innocentis oppressi liberatione; petitâ tamen superioris sui licentiâ; etiamsi præter ipsius intentionem exindè sequatur mors calumniatoris: id enim contigit per accidens; cùm solùm voluerit veritatem manifestare, & innocentem liberare. At casu quòd falsum Testimonium dixerit, reus est criminis Can. 13. Concilij Epaniensis.

XIV. Clerici possunt, quin irregularitatem incurrant, esse accusatores in materia criminis capitalis, dummodò duas servent conditiones juxtà decretum Bonifacij VIII. relatum in Can. *prælati*. De homicid. in 6. Prima est, ut Clericus accuset de injuria sibi, suisvè rebus illata; non autem alteri. Secunda ut expressè protestetur se non intendere mortem, nec mutilationis pœnam: Non obstat quòd reus in tali casu, seu mo-

teria criminis capitalis debeat de jure puniri pœnâ sanguinis; alioquin (ut advertit ille summus Pontifex) clerici de malefactoribus suis conqueri non auderent, & daretur Vitiosis materia trucidandi Clericos, ipsorumque bona liberé deprædandi. Protestatio impedit nè Clerici incurrant irregularitatem, dum revelant patriæ proditionem, quia possunt hanc injuriam inspicere tanquam propriam: cùm proditio patriæ singulorum personas comprehendat, atque fortunas. Aliæ resurgunt irregularitates ex defectu inculpabili, ut ex defectu ætatis. &c. de quibus jam dictum est alibi. Clericus, qui dat alteri arma ut occidat, est irregularis, etiamsi det ea militi in bello justo: Quia concurrit ad occisionem, si sequatur mors; excusatur tamen ab irregularitate, si ei illa tribuat, ut se deffendat, & pugnet, modò non intendat occisionem alicujus in particulari; quamvis sequatur mors alicujus hostis. Quia est tantùm causa occisionis per accidens. Sic Bassæus, & plures alij quos ipse refert verbo *irregularitas* num. 26. tandem Clerici qui intersunt executioni mortis, si non sint irregulares, ex defectu concursûs, nihilominus semper peccant mortaliter, si ad sint ex causa injusta, & prohibita Clericis. Ita Navarrus, Henriquez, & alij contrà aliquos stantes pro veniali.

CAPUT XXXI.

De irregularitatibus ex Delicto.

I. PRima irregularitas ex delicto consurgens, est ea, quæ oritur ex infamia Can. *omnipotens*. De accusat. Can. *infames 6*. quæst. 1. & ex Toletano 4. Can. 18. hæcque sic definitur. *Publica opinio prava de vita, & moribus alicujus.* Et est duplex: una enim est infamia juris; altera vero est infamia facti. Prima seu ea, quæ incurritur per delictum, cui à jure sivè Canonico, siuè civili, imposita est infamiæ pœna, reddit hominem inhabilem ad ordines suscipiendos, susceptos exercendos, interueniente sententia declaratoria criminis; ut tenet etiam Cabassutius in praxi lib. 5. cap. 2. num. 3. contrà non nullos quos impugnat Vasquez. Infamia facti seu ea, quæ oritur ex aliquo gravi delicto propter quòd ipso facto; sine aliquo actu judiciario de delinquente apud bonos, ac graves viros sinistra diuulgatur opinio; non impedit absolutè exercitium ordinis, sed solùm quamdiu delinquens non fuerit emendatus; id infero ex hac regulâ juris in 6. *peccati venia non datur nisi correcto* Ex qua sequitur quòd venia debet dari emendato. Et delinquens debet restitui in pristinum statum; quamvis hæc ratio non teneat, si delictum ex se inducat irregularitatem, ut delicto homicidij connaturale est: homicidam enim ab irregularitate non eximit emendatio. Hanc sententiam tenent Sayrus, Bassæus, Lezana, & alij. Et ideò irregularitas, quæ provenit ex infamia juris, est irregularitas simpliciter; ea verò, quæ oritur ex infamia facti, est irregularitas secundum quid: quia ex communiori opinione illa non tollitur, nisi accedat Apostolica dispensatio, vel canonica purgatio (nisi contracta fuerit ob crimen cujus dispensatio obtineri potest ab Episcopo, quale est crimen adulterij ut dictum est supra.) Ista verò seu infamia facti tollitur per notoriam morum emendationem cap. *omnes 6*. quæst. 1. vel per purgationem Canonicam: ut docent Tabiena, & Armilla, hæcque potest etiam esse duplex: sæpe enim contrahitur sine delicto vero, sed solùm putativo & præsumpto, ut contingit innocentibus, qui per falsas probationes, aut præsumptiones condemnantur in judicio; nec per hoc expertes sunt obligationis, quâ cæteri ad purgationem astringuntur. Cùm in lege Canonica cap. *omnes 6*. quæst. 1. infames sint omnes, quos sæculum infames judicat.

II. In jure, infames, qui irregulares censentur, sunt fidem negantes, seu hæretici, statuta Ecclesiæ spernentes, circulatores, histriones, mimi, comedi, & alij, qui similes exercent artes; fures, sacrilegi, omnes delinquentes criminaliter, patres odio prosequentes, sepulturam sanctorum violantes, incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, adulteri, malefici, Venefici, loca non sibi convenientia tenentes, Ecclesiarum bona rapientes, calumniatores, sine legitima probatione accusantes, principum animos provocantes contrà innocentem, Anathematizati, pulsi ab Ecclesia propter scelera, & omnes alij, quos leges civiles declarant infames Can. *qui in aliquo*. Dist. 51. Can. *infames*. Plures sunt casus in quibus infamia juris incurrit

tur absque peccato proprio. Quia irregularitas non solum per hæresim, & Apostasiam à fide incurritur Can. *qui bis*. de consecrat. dist. 4. sed etiam propter delictum aliorum, quia ut jam dictum est cap. 27. eadem pœna ad filios hæreticorum se extendit Can. *statutum*. De hæret. nisi constet ipsorum parentes conversos fuisse ante mortem. Difficultas non modica indè nascitur, scilicet an filij, ante lapsum patris in hæresim nati, sint etiam irregulares ex vi ejusdem constitutionis? Diana part. 4. tract. 8. resol. 74. & plures alij affirmant. Ego autem nego. Tum quia constitutio loquitur de filiis ab hæretico patre natis, quod de istis non verificatur in nativitate. Tum quia hæc constitutio est in materia odiosa. Igitur non est ita amplianda; ut comprehendat omnes filios ante hæresim natos, de quibus non loquitur expressè. Ita Bassæus citans Hugolinum, Bonacinam, & alios. Olim pœnitentia publica, ac solemnis indicabat irregularitatem, & impediebat susceptionem ordinum, susceptorumque usum Can. *Ex pœnitentibus* dist. 50. & Can. 68. Concilij Carthaginensis 4; sed modò non inducit eam, nisi sit propter delictum publicum, ac infame. Ita Bonacina, Lezana, & alij. Sacri quidem canones loquuntur de pœnitentia publica, & solemni, quæ olim semel in vita imponebatur cùm quibusdam certis cæremoniis, quæ cùm jam non sint in usu, irregularitas non debet extendi ad pœnitentiam publicam, quæ modò fieri solet absque infamia.

III. Iteratio baptismi sivè publica, sivè occulta inducit irregularitatem, nam qui scienter bis, aut pluries baptismum eidem confert Can. *Ex* de apostat. vel suscipit, est irregularis: ut declarat Fælix III. in Can. *Eos* de consecrat. dist. 4. Can. *qui in qualibet* 1. quæst. 7. idem pariter statutum fuit in Concilio Carthaginensi 5. Can. 11, si quis tamen ex ignorantia juris, vel facti permiserit se baptizari, non fieret irregularis: hujusmodi enim irregularitas provenit ex delicto, à quo excusat ignorantia juris, vel facti. Sic Doctor subtilis in 4. dist. 6. Hugolinus, Scotus in 4. dist. 3. quæst. unica. Barbosa, Covarruvias in Clement. *Si furiosus* part. 1. num. 8. contrà Avilam de censuris part. 7. dub. 2. concl. 4. & Henriquem, qui oppositum colligunt ex Can. 117. dist. 4. de consecrat. ubi sic legitur. *Qui bis ignoranter Baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd secundum canones ordinari non possunt*. Quibus suadetur (inquiunt) ignorantiam non excusare rebaptizatum. Sed textus ille minimè obstat. Quia juxtà glossam verbo *ordinari* ignoranter rebaptizatus, potest promoveri, vel quia ipse Textus non est summi Pontificis, nec Concilij Generalis, vel Provincialis, sed Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, & consequenter nequit habere vigorem legis in universa Ecclesia, nec vim derogativam Canonum, quibus ignorantia invincibilis excusat à delicto. Ita Diuus Antoninus in 3. p. tit. 28. cap. 6. Barbosa in D. cap. *qui bis* num. 2. & alij quos citat. Hæc irregularitas non incurritur in iteratione baptismi quandò intervenit id, quòd tollit voluntarium, atque peccatum; sed ignorantia invincibilis tollit voluntarium, ac peccatum: ut docent Theologi. Igitur impedit irregularitatem.

IV. Major difficultas est inter Canonistas scilicet, an hæc irregularitas incurratur in iteratione aliorum sacramentorum Characterem imprimentium, videlicet in iteratione confirmationis, & ordinis? Bassæus verbo *irregularitas* 8. num. 5. Villalobos tract. 21. diff. 11. num. ult. Lezana, alijque plures gravissimi Doctores negant. Sed ex adverso Navarrus in Manuel cap. 27. num. 246. & 247. Majolus lib. 3. cap. 19. Hugolinus affirmant. Hæc posterior opinio videtur mihi præferenda priori. Hæc enim irregularitas videtur expressa in Can. *sicut* dist. 68 ubi legitur. *Sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterùm ordine, non debet consecrari*. Quibus verbis æqualiter prohiberi videtur consecrationis iteratio, sicut iteratio baptismi, & consequenter sub eadem, ac æquali pœna; ut suadet hæc particula. *Sicut*. Quæ est similitudinis tàm in materia pœnæ, quàm delicti: id est tribuit æqualem pœnam delictis inter quæ reperitur. Ratio adversariorum est: Quia odia sunt restringenda. Sed hoc non obstat dùm agitur de pœnis ob multiplicationem delictorum, ut contingit in nostro casu. Scienter, ac voluntariè celebrans in loco interdicto incurrit irregularitatem; quia per exercitium Sacrorum ordinum aliquam Ecclesiæ censuram violans, fit irregularis. Can. *is qui* §. *scienter*. De sentent. excommunicat. in 6. secùs dicendum de eo, qui in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato non

tolerato celebrat missam. Idem Canon. quo celebrans in censura fit irregularis, non est de excommunicato minori, excommunicatione exercente ordines; cùm id nullus Canon decernat; neque de excommunicato excommunicatione minori exercente aliquem actum minorum ordinum; quamvis aliqui contrarium doceant: id enim proprium est solius exercitij sacrorum ordinum; ut tenent Lezana, & Toletus, nec potest extendi ad exercitium aliorum, cùm pœnæ sint restringendæ. In uno tantum casu irregularitati subjicit excommunicatos in exercitio minoris ordinis, nimirum quandò excommunicatio contracta fuit ob Simoniam: ut habetur ex Bulla Sixti V. contrà malè promotos quæ incipit. *Sanctum & salutare.* Sic Saytus lib. 4. cap. 17. & alij.

V. Clericus, qui seriò, scienter atque solemniter exercet ordinem quem non habet, incurrit irregularitatem ex delicto, ut declarant hormisdas Papa in Can. *Si quis* & Urbanus III. in Can. *ex litteris.* De cler. non ordin. ministrant. Nec potest absolvi nisi à summo Pontifice, quandò delictum est publicum. An verò hanc irregularitatem incurrat Laicus, qui solemniter exercet ordinem, quem non habet? duæ sunt oppositæ sententiæ; negativam tamen sequor. Quia Canones intelligi debent juxtà titulum sub quo ponuntur. Undè cùm præcitati Canones loquantur de Clerico non ordinato ministrante, de Laïcis minimè intelligi possunt; alioquin odia essent amplianda, quòd improbat regula juris. Ita Reginaldus. lib. 30. num. 192. Sylvester & alij quos referunt, ac sequuntur Lezana, & Barbosa. Hinc est quòd Religiosi professi non clerici, seu conversi, non fiunt irregulares dùm in missis solemnibus acolitatus funguntur officio; cùm reverà non sint Clerici, nec ad clericatum destinati; licet gaudeant clericorum privilegio tam fori, quàm Canonis. Idem dicendum est de Clerico Subdiaconatus ordine non insignito, qui in missis solemnibus Epistolam Canit sine manipulo, etiamsi sit dalmatica indutus. Can. *Ut quisque presbyter.* de vit. & honest. Clericor. Quia non exercent propriè, nec solemniter ex officio ordinem Subdiaconatûs; cùm ad illius solemnitatem requirantur vestium ornamenta, dalmatica scilicet, & manipulus. Quia Ecclesia hujusmodi vestium usum instituit pro solemni Subdiaconatus exercitio, Plures apud Bonacinam existimant clericum illum Epistolam canentem cùm manipulo & dalmatica, non fieri irregularem, modò non intendat exercere ex officio, sed solùm supplere Subdiaconi defectum, ut missa cùm majori solemnitate celebretur juxtà Cathedralium Ecclesiarum morem. Sed hæc opinio videtur falsa. Tùm quia ad incurrendam irregularitatem in exercitio ordinis non suscepti, sufficit, quòd exerceatur seriò & scienter. Tum quia juxtà 19. regulam juris in 6. *Non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet se immiscet*; ideoque culpabilis est ille Clericus deferendo manipulum (quòd ad eum non pertinet) ac si Subdiaconus esset. Et incurrit irregularitatem. Ita Toletus, Coninch; & alij. Quemadmodum Clericus potest canere Epistolam sine manipulo; quin incurrat irregularitatem, ita, & Evangelium sine stola, & præcipue ubi viget talis consuetudo; cùm non sit major ratio de Evangelio, quàm de Epistola; ut notat Laymanus: nam lectio Evangelij non est absolutè prohibita, sed solùm cùm stola, in quo casu à solis Diaconibus pronunciari potest.

VI. Tandem amplissimam ex delicto irregularitatem producit homicidium, nedum ex parte mandantis, ac consulentis; sed etiam ex parte exequentis, si factum sequatur Can. *suscepimus.* De homicid. hanc tamen differentiam assignant Canonistæ inter mandantem, & consulentem homicidium. Nam qui mandavit non incurrit irregularitatem ex delicto homicidij contrahendam, si mandatum revocet, antequam mandatarius ipsum exequatur. Consulens verò eam incurrit, etiamsi Consilium revocaverit ante homicidij executionem. Ratio hujus differentiæ est, quia mandatum fit in mandantis gratiam, ac commodum; & ideo dum is, qui mandavit revocat mandatum, prius quàm executioni mandetur, est à delicto immunis. Prætereà mandans suum non assequitur intentum, nec censetur illud velle assequi; cùm per ipsum non steterit homicidij suspensio: nam voluntas executoris pendebat à mandante, igitur si revocato mandato, effectus sequatur, soli executori debet tribui. Consilium verò dirigitur in gratiam, & commodum ejus cui datur, nec est in potestate consulentis revocare illud; cùm homicida non agat tunc propter consulentem, sicut ageret propter mandantem, sed

propter se ipsum mediante Consilio, quòd cùm ei liberè datum fuerit, ab eo auferri non potest. Hæc irregularitas incurritur toties, quoties homicidium, aut mutilatio membrorum fit culpabiliter effectu secuto, sivè voluntariè, sivè casu fortuitò; si adsit ipsius homicidæ culpa. Quia ubi est culpa, ibi est peccatum: obligatione enim quâ quis tenetur vitare homicidium, aut mutilationem, tenetur etiam vitare id, undè sequitur probabiliter.

VII. Præter mandantes, & consulentes homicidium, irregularitatem incurrunt etiam illi, qui non impediunt illud, si ex justitia teneantur illud impedire, modò possint. Ita communior opinio contrà Dianam, Vasquem, Hurtadum, & alios. Quia effectus, qui sequitur ex omissione alicujus rei, quæ de præcepto, & ex obligatione poni debet, imputatur illi, qui ejusmodi rem omisit, aut non fecit id, quòd debebat ex justitia facere, ex cujus positione effectus non fuisset secutus: hoc enim (suppositâ advertentiâ) est velle effectum. Igitur ille, qui tenetur homicidium impedire fit irregularis, si illud non impediat: quia homicidium illi imputandum est, & pœnâ irregularitatis est illi infligenda; cùm sit pœna, quæ hujusmodi delictum sequitur, & homicidij delictum imputetur illi. Cui ex jure incumbit obligatio conservandi vitam occisi; alioquin sequeretur quòd testis, qui dolosè taceret in judicio veritatem, ex cujus silentio morte damnaretur reus, non esset homicida, seu causa mortis; Quòd est falsum; quia legitimè citatus, & debitè interrogatus tenetur revelare veritatem facti, & præsertim in hac materia. Si verò teneatur solùm ex charitate, reverà peccat non impediendo homicidium, sed non incurrit irregularitatem: ut docent Filliucius, Toletus, & alij.

VIII. Ex præcedenti assertione sequitur. Quòd ille, qui scit aliquem velle occidere hominem in vindictam injuriæ ei illatæ, irregularitatem non incurrere, etiamsi non contradicat ei, aut eum non impediat; licet peccet mortaliter contrà charitatem, quâ tenetur diligere proximum. Secùs est dicendum de illo, qui ad abortum fœtûs animati provocat mulierem, quam ipse gravidavit. Iste enim est irregularis; quia nedùm peccat contrà charitatem, sed etiam contrà justitiam, quæ obligat patrem ad conservationem filij. Ita Suares, Sanchez & alij contrà Dianam, Lessium, & Hurtadum, qui putant talem obligationem incumbere patri titulo pietatis. Quòd improbo. Quia Filius est quoddam depositum, ut ait Divus Bernardus, quòd parentes tenentur servare cùm omni debita diligentia & cura: unicuique enim Deus mandavit de proximo suo, & strictius parentibus respectu filiorum; cùm ex Apostolo, qui suorum curam non habet, & maximè domesticorum sit infideli deterior.

IX. Ex dictis in numero 6. agitari potest altera difficultas scilicet, an dum quis mandat, vel consulit, ut homicidium fiat. Si contingat mandatarium, vel illum qui Consilium accepit, occidi ab eo, quem volebat occidere juxtà mandatum, aut Consilium, ipse mandans, aut consulens sit irregularis? duæ sunt opiniones. Caspensis, Turrianus, & alij negant. Eorum ratio est. Quia in jure constat hanc irregularitatem incurri tantum ob mandatum, aut Consilium occisionis. Sed in isto casu mandans mandatarij mortem non mandavit, ergo non debet esse irregularis, licet mandatarius occidatur. Mastriùs, Avila, & alij affirmant. Hanc ultimam tueor opinionem. Quia ex ipsius mandato, aut Consilio oritur mandatarij occisio; si non immediatè & primo intentionaliter, saltem mediatè, ac causaliter, & ipse qui mandavit potest dici causa hujus homicidij, quia jussit actum commissum in volventem in se periculum homicidij, ut est evidens. Quòd sufficit ad irregularitatem contrahendam: quapropter asserendum est etiam eumdem mandantem fuisse irregularem, si mandatarius ex ignorantia non occidisset eum, de cujus occisione habuerat mandatum, sed alium; Quia dedit operam rei illicitæ, & prohibitæ sub pœna irregularitatis. Ad rationem adversariorum dico, quòd probat tale homicidium non esse directè voluntarium; sed non probat ipsum non esse causale, nec inculpabile: Cùm reverà tale seu culpabile sit: ergo debet imputari illi, qui mandavit tale homicidium sufficiens ad irregularitatem contrahendam. Quia hoc mandatum est verè causa occisionis; cùm ipso sublato, nulla fuisset occisio: nam illud est causa mortis, & contrahit irregularitatem, quod prohibetur propter periculum homicidij: sed in hac materia, mandatum prohibetur propter periculum homicidij, & consequenter est ipsius causa.

X. Eadem ratione irregularitatem in-

currit ille, qui suadet militi ut è castris fugiat, si posteà contingat ipsum militem fugientem suspendi ob fugam, ut desertoribus non rarò contingit. Quia fugam hanc suadere militi, & ei mortem procurare causaliter, in unum coincidunt, tempore belli, in quo desertores observantur, ac inquiruntur, ut suspendantur, & consequenter sic consulens influit causaliter in mortem, & est causa homicidij: nam qui alium provocat ad actum cui debetur pœna mortis, influit in mortem, sicut influit in actum cui debetur; ergo ille, qui Consilio influit in fugam, influit etiam in occisionem, aut mortem, quam fuga meretur. Nec obstat si præter ejus intentionem accidat mors fugientis, quia cogitare debuit id contingere posse, & desertores esse sic puniendos pœnâ mortis; juxtà irrevocabile principis edictũ: & ideo si miles suspendatur ob fugam; quamvis præter intentionem, consulens debet esse irregularis ratione homicidij causalis; cùm sit moraliter causa mortis, ex eo quòd sit causa desertionis, quæ est causa mortis, principe sic ordinante:

CAPUT XXXII.

Varia circa delicta, eorumque pœnas difficultates solvuntur.

I. Cum plus noceat lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris, ut monet glossa super illud psal. 69. *Convertantur statim, qui dicunt mihi euge, euge.* Hic examinanda, atque resolvenda est adulationis gravitas. Hoc vitium tripliciter contrariatur charitati. scilicet ratione materiæ, intentionis, & occasionis: nam dum quis laudat vitia, & peccata alterius, contradicit charitati, & dilectioni Dei, ac proximi ratione materiæ: Quia loquitur contrà justitiam Dei peccata punientem; & contrà proximum, quem in peccato fovere, est prorsùs ipsi injuriosum. Quandò quis alteri adulatur animò nocendi illi sivè in corpore, sivè in anima, contrariatur charitati ratione intentionis: Et dum quis laudat per excessum, peccat contra charitatem occasionaliter. Quia præbet alteri occasionem peccandi: tunc enim hujusmodi in laudes indebitas audiens sæpè peccat, in laudantem aut laudatum; ideoque charitatem offendit occasione adulationis, & ipsa adulatio est delictum grave ratione materiæ, vel intentionis, vel occasionis, sed gravius peccatum est in primo modo, quàm in aliis, quia in hoc modo adulatores, sunt illi de quibus Isaias cap. 5. vers. 20. ait *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Hinc est quòd adulationis modus est in confessione explicandus, ut confessarius agnoscat peccati gravitatem. Quandò autem adulatio non fit aliquo ex prædictis modis; ut dum quis adulatur alteri causâ delectandi alios, vel vitandi aliquod malum, aut obtinendi aliquod bonum temporale necessarium, non est peccatum mortale, (nisi scandaliset aut mentiatur in re gravi) quia non est contrà charitatem, sed est peccatum ad minus veniale contrà præceptum de veritate dicenda: quòd si sit in re gravi est mortale, & si sit in re levi est veniale.

II. Rixa, quæ est quoddam privatum bellum inter privatas personas, non ex aliqua authoritate publica, sed ex inordinata voluntate, semper importat peccatum mortale aut veniale. Quandò quis alium invadit injustè; peccat mortaliter quia nocet illi, illumque provocat ad odium, si autem justè secundum rem, & injustè tantum secundum modum, hocque leviter; peccat venialiter, ideoque rixa semper est peccatum. Secùs discurrendum est de eo, qui se deffendit: In eo enim potest esse sine peccato, quandoque cum peccato mortali, quandoque cum peccato veniali. Nam si contra rixosum se deffendat solo animo repellendi injuriam illatam, hocque cum debita moderatione, non peccat. Quia vim vi repellere licet. Si se deffendat animo vindictæ, & odij; ita ut insurgat in impugnantem animo occidendi, aut graviter lædendi eum, peccat mortaliter. Quia hoc non est vim vi repellere, sed velle vindictam sumere. Si autem deffendat se aliquo levi motu odij, Vel parùm excedendo moderationem, peccat venialiter, licet rixosus peccet mortaliter provocando illum ad contradictiones. Rixæ gravitatem ex duplici capite desumenda est. à causa scilicet, & ab effectu: oritur enim ex ira, ex concupiscentia, ex superbia, & ex jactantia: ut colligitur ex scriptura Jacob. 4. vers. 1. *Unde bella, & lites in vobis? nonnè hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ mi-*

litant in membris vestris. Et proverb. cap. 28. vers. 25, *Qui se jactat, & dilatat, jurgia concitat*. Et producit odium, rixas alias, discordias & multa alia mala, ut constat proverb. cap. 10. vers. 12. *Odium suscitat rixas, & universa delicta operit charitas*, & cap. 17. vers. 19. *Qui meditatur discordias, diligit rixas*. Indè inferendum est rixam esse peccatum grave; quia origo ipsius, & effectus sunt peccata gravia. Tandem rixa impugnat id quod maximè Deus diligit in hominibus, utpotè amorem mutuum, quem Deus ipse præcipit Joann. 15. vers. 12. *Hoc est Præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*: nam ex rixis in cordibus rixantium nascitur discordia, quæ amorem mutuum penitùs extinguit, & odium parit.

III. Ex odio nascitur detractio in quantum nocet inimico, aut ipse detractor inimico nocere intendit: plures quidem ex sola mala voluntate proni sunt ad detrahendum indifferenter de omnibus; ut indè valeant minuere gloriam omnium, in quo censu detractio non est ex odio, sed ex invidia. *Quæ est tristitia de bono alterius, perindè ac si malum nostrum esset, quatenus illò propriam gloriam aut excellentiam imminui concipimus*. Sic detrahentes nimirùm ex invidia graviter peccant, licet ex facili lapsu linguæ agant absque magna præmeditatione. Quia nocumenta proximo inferunt ejus denigrando famam. Reverà ni fallor illi, qui ex ódio detrahunt, magis peccant, quàm illi, qui ex invidia, aut ex pronitate ad detrahendum: Quia cum majori libertate, & cognitione agunt. Necdum violant præceptum charitatis, & dilectionis, cum alijs detractoribus, sed transgrediuntur insuper præceptum istud *diligite inimicos vestros*; ut denigrando famam inimici de eo vindictam sumant. Hinc est quòd detractor debet in confessione explicare naturā detractionis, tam ex parte principij undè procedit, quàm ex parte personarum, quarum defectus, aut crimina detexit, nam multa delicta sunt Levia, vel vulgò Levia censentur, respectu unius personæ, quæ tamen respectu alterius gravia sunt & magnam illi inferunt infamiam, ut (v.g.) conversatio sæcularis, & liberior: tamen honesta, cum persona alterius sexûs, nullam aut certè levem injuriam affert viro sæculari: viro autem religioso, aut alteri in dignitate Ecclesiastica constituto, gravem infamiam inurit, ut est manifestum: igitur detractio consideranda est ex parte personæ offensæ, cujus circumstantiā fit gravior, intrà eamdem speciem. Istud detractionis peccatum committunt omnes, qui proximi crimen aperiunt, vel exagerant, qui proximi facta, vel dicta peiorem in partem interpretantur, qui Præclarum proximi factum pro viribus minuunt, vel laudis occasione data silent, aut frigida laudatione infringunt. Primi peccant contrà charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Secundi peccant contra charitatem, & justitiam; quia vertunt in malam partem, rem seu dictum, aut factum in quod ullam non habent potestatem & volunt indè proximum contemnere. Tertij autem peccant contra justitiam, quia non reddunt unicuique quod suum est.

IV. In idem detractionis peccatum incidunt, qui lubenter, & cum voluptate audiunt detractorem: nam Apostolus ad Rom. cap. 1. vers. 32. de vitijs, & præsertim de detractione scribens ait; *Qui talia agunt digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus* & D. Bernardus lib. de consideratione cap. 13. inquit *detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim*: quibus verbis constat detractores, & omnes qui eos audiunt esse ejusdem delicti æqualiter reos coram Deo; & ideo isti tenentur corripere illos, & verbis redarguere: non de falsitate, si vera sint ea, quæ dicuntur, sed de hoc quòd peccant fratri detrahendo. Et si aliquā circunstantiā nequeant verbis redarguere, ita ut impotentiā morali excusentur, tenentur recedere, si possint. Absque ullo incomodo. Et si non possint, debent per tristitiam faciei indicare, quod detractio eis displicet, cùm ex illa displicentia nullum possit ipsis evenire damnum, & faciant id, quod possunt ut detractor taceat, aut ut delicta proximi non revelentur; alioquin detractorem audiens est condetractor. Aliter discurrendum est de his, quibus ex officio incumbit obligatio corripiendi, quales sunt Superiores, utpotè Episcopi, Prælati regulares, Parrochi, Magistratus; patres & matresfamilias, & alij, qui aliquam authoritatem habent in detrahentes: etenim personæ memoratæ non tenentur corrigere ex sola charitate, quæ cum benigna; ac patiens

sit; ut monet Apostolus, illi, quos obligat aliquandò excusantur. Sed tenentur ex justitia, quæ ex D. Thoma. 2. 2. quæst. 58. art. 11. in argum. *Sed contrà* utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Hac de causa dicitur in can. *Quamvis* de regulis juris ex D. Gregorij magni registro, *Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.*

V. Nullus potest citrà peccatum detractionem detractione, & calumniam calumniâ repellere: quamvis vim vi repellere liceat cum, moderamine inculpatæ tutellæ, dum agitur de vita conservanda contrà aggressorem injustè volentem occidere. Ratio discriminis est, quia repellendo injustum aggressorem, aggressus salvat se ipsum; at repellendo detractorem detractione, se, & aggressorem occidit linguâ: igitur nè aggressus spereat debet coërcere linguam suam à malo, & labia nè loquantur dolum. Id enim præcipit christus Lucæ. 6. vers. 28. dicens. *Orate pro calumniantibus vos.* Hoc præcepto, nedum tenemur calumniam non repellere calumnijs; sed etiam tenemur pro calumniantibus orare, & nobis maledicentibus benedicere. Quia in hoc vocati sumus, ut benedictionem hereditate possideamus. Prohibetur Christianis reddere malum pro malo, & maledictum pro maledicto; & præcipitur eis inimicitias in semetipsis interficere, injurias pati, & calumnias patienter sustinere, nè priventur æterna beatitudine, cujus assecutio à patientia plurimum dependet. Nam ex divo Cypriano lib. de bono patientiæ ait. *Patientia est quæ nos Deo, & commendat, & servat: ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet; facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias, & contumelias mites: docet delinquentibus citò ignoscere, &c.*

VI. Quamvis usus venereorum secundum se non sit prohibendus, nec illicitus, si fiat debito modo, & ordine: sicut enim ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborum, ita etiam ad conservationem totius humani generis usus venereorum, ut tradit D. Augustinus lib. de bono conjugali. Nihilominus luxuria est peccatum ex genere suo; etiamsi sit usus venereorum. Quia est usus voluptate vitiatus, suprà modum, & contra legem naturalem, ac divinam opratus, & perceptus; ideoque est peccaminosus actus nedū extrà matrimonium, sed etiam in matrimonio; cùm ad propriam uxorem accedere causâ luxuriæ sit peccatum, ut docet D. Hieronimus in cap. 5. Epist. ad Ephes. dicens *Liberorum in matrimonio opera concessa sunt: voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnata.* Idem colligitur ex illo Tobiæ junioris cap. 8. vers. 9. *Et nunc Domine, tu scis quia non luxuria causâ accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione.* Septem sunt luxuriæ species, scilicet simplex fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, raptus, & vitium contrà naturam; quæ licet conveniant in substantia; Actûs carnalis tamen essentialiter differunt ratione personarum, & circumstantiarum: nam fornicatio simplex est commixtio soluti cum soluta, sivè vidua, sit sivè meretrix, sivè concubina. Adulterium verò, est commixtio sicut simplex fornicatio, sed est commixtio hominis conjugati, cum uxore alterius hominis. Stuprum est commixtio, aut copula illicita virginis sub cura parentum existentis, hæc commixtio dicitur defloratio virginis. Et sacrilegium est copula, aut commixtio violans personam Deo consecratam ordine sacro, vel votô professionis religiosæ, vel locum sacrum, id est Ecclesiam consecratam, vel benedictam. Incestus est commixtio venerea personarum consanguinearum, vel affinium intra gradus prohibitos. Raptus autem licet non sit commixtio formaliter, tendit tamen ad illam, estque luxuriæ species, quâ persona quæpiam invita per vim, aut seductionem abducitur copulæ causâ, sivè, in matrimonio ut dum persona abducitur matrimonij contrahendi causâ, sivè extrà matrimonium, ut dum abducitur, ut opprimatur, & polluatur invita, in quo casu raptus est cum stupro conjunctus; cùm vim inferat puellæ ad florem virginitatis ejus delibandum. Vitium contra naturam est etiam actus venereus, ex quo generatio sequi non potest. Ejus species sunt pollutio, in ordinatus concubitus, Sodomia, & bestialitas. Indè inferendum est quamlibet luxuriæ speciem propriam habere difformitatem, in

confessio-

confessione aperiendam, quamvis omnes venereum actum importent.

VII. Quia fornicatio fieri potest cum vidua, cum meretrice, vel cum concubina: potest esse cum una gravius peccatum, quàm cum alia. Existimo quod ea quæ fit cum meretrice publica, est peccatum gravius, quàm fornicatio, quæ fit cum meretrice non prostituta, seu non publica. Ratio est quia prior graviorem injuriam facit proli: hæc siquidem fornicatio impedit bonam educationem prolis nasciturae; cùm harum meretricum filij non cognoscant patrem, & solitâ educatione priventur. Insuper hæc fornicatio fit, nè ulla proles nascatur: ex altera autem hæc duo mala minimè sequuntur; cùm meretrix facile cognoscat patrem prolis, & possit ex concubitu concipere. Concubinatus est crimen gravius alijs fornicationibus. Tum quia adddit in fornicatione statum, & perseverantiam, tum quia verisimile est quòd fit cum magno proximorum scandalo. Et quia istud peccatum ab homine soluto, & ab uxorato committi potest; dum ab uxorato committitur est gravius eô, quod committit homo solutus. Quia præter malitiam fornicationis, includit contemptum sacramenti matrimonij: ut declarat tridentinum sess. 24. de reform. matrim. cap. 8. ideoque fornicarij, & concubinarij tenentur in confessione memoratas circunstantias declarare, cùm fornicationem aggravent.

VIII. Cum adulterium ex duplici capite sit considerandum, nimirum ex parte viri soluti, vel uxorati, & ex parte mulieris solutæ, vel non solutæ; advertendum est, quòd est Gravius quandò fit ab homine uxorato cum muliere non soluta, quàm dum fit cum soluta, seu libera. Quia hoc adulteriô fit injuria uxori hominis, & marito mulieris, & quælibet pars violat alienum matrimonium; cùm vir habeat uxorem cui fidem promitit, & uxor habeat virum. Quod non contingit, dum una pars est soluta, & libera. Viri adulterium gravius peccatum est adulteriô mulieris, quidquid dicant nonnulli, existimantes mulierem adulteram magis peccare, vel saltem hominem, & feminam æqualiter peccare in adulterio. Ratio nostra est. Quia vir est caput mulieris: ut monet Apostolus, mulier est sub potestate viri, ac proindè ad virum pertinet exemplo regere fœminam. Igitur adulterium viri debet indè esse peccatum gravius. *Dices* adulterium uxoris non solum frangit fidem, & injuriam infert viro; sed etiam facit prolem ejus incertam, & infert injuriam legitimis filijs, cum privet eos hereditate, vel saltem aliquâ portione ejusdem hereditatis. Respondetur instanstiam probare adulterium uxoris esse gravius ex parte effectuum, (quos sæpè non intendit mulier adultera) non vero ex parte principij, & cognitionis, quâ adulterium hominis fit magis voluntarium: & per consequens est peccatum gravius.

IX. Quandò duæ personæ sacræ violant castitatem, sacrilegium est gravius peccatum, quàm illud, quod una persona sacra committit cum altera omnino sæculari. Quia duplex consecratio violatur in primo; cum quælibet persona sacra, & suam, & alienam consecrationem contaminet; In secundo autem una sola consecratio violetur. Non solum ab ipsamet persona sacra, sed etiam â persona complici, quamvis omninò sæcularis sit: nam si persona sacra concubitum habens cum alia sacra, suam, & alienam consecrationem contaminat: ut fatentur omnes. Certum est quòd persona profana, aut non sacra, consecrationem personæ sacræ violat, dum cum ipsa copulatur, aut aliquem actum venereum committit; nec sufficit illi in confessione sacrametali declarare peccatum (suppressâ circunstantiâ personæ cōplicis): tenetur enim eam declarare; cùm ex ea circunstantia, fornicatio, & actus impudici majorem, atque novam desumant difformitatem in confessione declarandam; ut confessio sacramentalis sit verè integra.

X. Stuprum est peccatum simplici fornicatione gravius; cùm deflotatio virginis singularem involvat deformitatem; ex eo quod est violatio claustri virginalis; nec tollitur hujus stupri deformitas per puellæ consensum, quemadmodum non tollitur deformitas adulterij; licet maritus consentiat. Quia puella nequit licitè violare, nec alteri permittere ut violet signaculum virginitatis; quod secundum ordinem naturalem, quælibet puella debet servare donec matrimonium contrahat: sicut uxor debet servare fidem conjugalem; cujus violatio non est in potestate mariti: Cùm lex de hac fide servanda, non sit à marito, sed à Deo, à quo est omnis potestas tum præceptiva, tum prohibitiva. Parùm

refert dicere ex illo consensu puellæ, & mariti sequi nullam injuriam fieri puellæ, nec marito; quia volenti, & consentienti nulla fit injuria ex 27. Regula juris in 6. Et ideo stuprum, & adulterium non esse ita graviora simplici fornicatione; dum puella, & maritus consentiunt; quàm dum non consentiunt. *Nego* instantiam: quia puella non est domina sui corporis, nec maritus est Dominus corporis mulieris: nisi ad usus licitos, & legitimos; ideoque nequeunt consentire ad actus prohibitos, seu ad copulam carnalem, quæ in solo matrimonio licita est, lege divina, quæ solis uxoratis prædictam permittit copulam. His addo exemplum aliud quod est de percussione clerici, hæc enim percussio importat excommunicationem; etiamsi sit clerici volentis, & consentientis: ut fatentur omnes; quia infert injuriam toti ordini clericali, & legi hujusmodi percussionem prohibenti sub pœna excommunicationis. Hoc exemplum certè probat consensum puellæ non excusare stupratorem, nec puellam à peccato stupri: ex quo sequitur circunstantiam virginitatis esse à fœmina declarandam in confessione, pariter & à viro qui Virginem corrupit, aut actum venereum cum ea habuit: quia illa circunstantia stupri mutat speciem peccati luxuriæ, sicut circunstantia adulterij: stuprum enim est species luxuriæ sicut adulterium, non obstante puellæ & conjugis consensu. Reverà si absque ulla vi puella, sed solum blanditiis, & importunis precibus in stuprum consentiat, tunc consensus minuit peccati stupri gravitatem, & injuriæ. Quia nolenti, vel deceptæ puellæ gravior, quàm volenti fit injuria. Sed non tollit stupri deformitatem, quæ provenit præcisè ex illicita Virginis defloratione, quæ semper illicita, est dum fit extra matrimonium.

XI. Incestus, qui est consanguinearum, vel affinium abusus, seu concubitus; novam malitiam, ac singularem deformitatem addit actui fornicationis, scilicet violationem fœderis naturalis, & honoris lege naturali consanguineis, & affinibus debiti. Hæc deformitas tanta est in affinibus, quanta in consanguineis ad copulam accedentibus: habet enim eosdem gradus; cùm inter affines prohibitio contrahendi matrimonium sit usque ad quartum gradum inclusivè, sicut inter consanguineos: ut patet in impedimentis dirimentibus. Ratio hujus æqualitatis est. Quia affinitas est propter consanguinitatem, & in ipsa fundatur: nullus enim est affinis alteri, nisi quia est consanguineus alteri. (V.g.) Petrus habet affinitatem cum Magdalena uxore Pauli, quia habet consanguinitatem cum Paulo: Ergo convenit quòd affinitas, & consanguinitas ejusdem rationis incovenientiam faciant, cùm affinitas sit propter consanguinitatem; & Homo, qui uxorem extraneam accepit cum qua est una caro, jungatur consanguineis uxoris, ac si essent consanguinei sui. At quia illi quatuor gradus sunt diversi tam in consanguinitate, quàm in affinitate: primò enim homo fit alteri propinquior: secundò sequitur quòd eò peccatum est gravius, quò personæ sunt magis conjunctæ, consanguineæ, aut affines. Alioquin antiqui Canones pœnitentiales incestæ copulæ reos pro majoris propinquitatis ratione graviori pœnitentiæ non subjicerent, nec ex Ecclesiæ præcepto gradus essent in confessione declarandi: quòd est falsum. Cum ex communi omnium Doctorum sententia in confessione declarandum sit, an incestus fuerit cum consanguinea, vel cum affine, & in quo consanguinitatis vel affinitatis gradu. Undè non sufficit incestuoso peccata sua confitenti, dicere commisi incestum, si cum matre peccaverit, sed tenetur incestus gradum aperire, & de incestu in primo gradu se accusare, & sic de cæteris. Præter consanguineas, & affines personas, incestuosæ sunt etiam personæ cognatione spirituali conjunctæ, si ad copulam Carnalem accedant, ut colligitur ex tridentino sess. 24. De reform. matrimonij cap. 2. ubi Sancti Patres declarant cognationem contrahi Spiritualem ex Baptismo, & Confirmatione.

XII. Malitiam, ac deformitatem singularem actui fornicationis addit quoque raptus; cùm sit violentia fœminæ ad explendam libidinem illata, hæcque procedat ex magnitudine concupiscentiæ. Hinc sacra tridentina Synodus sess. 24. de reform. matrimonij loco citato cap. 6. declarat raptum esse impedimentum dirimens, quandiu rapta in raptoris potestate manet. Ubi legitur *Decrevit Sancta Synodus*, *&c.* Sponsus qui antè matrimonium suam abducit Sponsam, reverà peccat, sed non censetur verè raptor, neque obnoxius raptorum pœnis. Quia ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua

Sponsa: ut colligitur ex varijs juris canonici textibus.

XIII. Quoniam in raptore, & in fœmina rapta sæpé sunt circumstantiæ, quæ peccati speciem mutant, raptus potest esse peccatum gravius in uno, quàm in alio; juxta dignitatem, & conditionem personæ raptæ: nam si vir nullo voto castitatis obstrictus puellam raperet, certò minus peccaret, quàm sacerdos, qui raperet eam. Et si idem homo raperet consanguineam, vel affinem plus peccaret, quàm si raperet extraneam: & sic de cæteris circunstantijs raptoris, vel raptæ, quæ naturam, aut speciem peccati mutant, vel aggravant. Undè raptores tenentur hujusmodi circunstantijs attendere, easque in sacramentali confessione declarare. Confessarius non debet raptorem absolvere donec raptam puellam ad pristinam libertatem restituerit can. *Desponsatus* 36. quæst. 11. ut suaderi potest non solùm ex hac 4. regula juris in 6. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quæ potest habere locum quandò puella non consentit, vel parentes ejus; Sed etiam ratione: nam ex tridentino supra citato, nullum potest inter raptorem, & raptam iniri matrimonium, quamdiu puella est in potestate raptoris: ergo nulla debet raptoribus conferri absolutio quamdiu durat raptus. Idem dicendum est de illis, qui ad raptum consilio, aut alio modo cooperantur: quia qui auxilium præbent ad raptum perficiendum, raptui consentiunt, & ideo eadem pœnâ puniendi sunt; ut monet Apostolus ad Romanos. cap. 1. raptus, & stuprum sæpè concurrunt; cùm non raro contingat (diabolo suadente) Virginem violenter abstrahi de domo patris, & violari ipsa non consentiente; Et dato quòd consentiat, si parentes non consentiant: Hoc sufficit ad rationem stupri. Aliquando non concurrunt, ut dum quis rapit viduam, vel puellam corruptam; tunc enim est raptus sine stupro. Et dum quis abducit Virginem, & nullâ vi illatâ eam illicitè deflorat, est stuprum sine raptu,

XIV. Inter omnes luxuriæ species, vitium contrà naturam est peccatum gravissimum. Quia in agendo agere contrà ea, quæ sunt secundum naturam determinata, est gravissimum, & turpissimum. Deindè in alijs luxuriæ peccatis subsistit naturalis copulæ finis, in isto autem subvertitur, & continetur malitia cæterorum; ideoque est gravius cæteris luxuriæ peccatis. Pollutio quæ est hujus vitij species, potest esse involuntaria, seu nocturna secundum se, ac proindè inculpabilis. Quia id, quod agit homo dormiens, non imputatur ei ad culpam ex defectu rationis, & libertatis, alia verò, quæ directa, & voluntaria dicitur, est peccatum gravissimum, jure naturali prohibitum; Et per se, ac intrinsecè malum. Prior seu nocturna potest aliquandò esse peccaminosa; ut si proveniat ex eo qui se inhonestè composuit, qui nimium cibum, aut potum sumpsit, aut aliquid aliud egit, ut contingeret pollutio in somno: tunc enim pollutio esset volita in causa: nec potest excusari à peccato causâ sanitatis, aut vitandæ mortis: ut monet Apostolus 1. Corinth. cap. 6. dicens. *Molles regnum Dei non possidebunt.* Quia voluntaria pollutio, sivè in se, sivè in causa prohibetur divina lege, sicut in eam delectatio voluntaria. Observandum tamen, est quòd licet nulla subsistat justa causa procurandi pollutionem, potest esse causa permittendi eam, etiam prævisam; modò nullus ad ejus delectationem adhibeatur consensus; alioquin sequeretur quòd medicus, Chirurgus, & alij ex quorum officio pollutio interdùm emergit, tenerentur desistere pollutionis vitandæ gratiâ; etiamsi per accidens, & præter intentionem exurgeret in carne pollutio, aut impurus motus absque ullo voluntatis consensu, & remota omni delectatione, quòd est falsum. Quia ex tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali num. 5. Hujusmodi impuritates non nocere non consentientibus: ibi enim legimus. *Manere autem in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus: sed utiliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui legitimè certaverit coronabitur,* In hoc pollutionis peccato plures etiam sunt malitiæ gradus, sicut in alijs luxuriæ speciebus, ratione circunstantiarum; aut conditionum personarum, quæ pollutionem sibi procurant; aut earum circà quas cum procurant: certum enim est quòd in viro voto castitatis ligato, pollutio est peccatum gravius, quàm in laïco, & ea quæ fit aliena manu est peccatum gravius, quàm ea, quam quis sibi procurat propria manu.

XV. Inordinatus concubitus est species vitij contrà naturam; ut jam monui, estque peccatum simplici pollutione gravius: nam inordinatus concubitus qui est indebitus modus copulæ carnalis, quo semen extrà vas naturale effunditur expressè formaliter, & actu; ut generatio impediatur, addit copulæ illicitæ novam malitiam omninò detestabilem: ut colligitur ex illo Geneseos 38. vers. 8. 9. & 10. *Dixit ergo Judas ad Onam filium suum: ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi ut suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcircò percussit eum Dominus, eò quod rem detestabilem faceret.* Iste inordinatus concubitus non solùm in solà seminis effusione extrà vas sistit, sed etiam in periculo effusionis. Ideoque eò gravius est, quò magis à naturali modo receditur, & imminet effusionis periculum. Quia homo nedùm peccat in omissione debiti usûs; sed etiam in abusu alicujus rei: undè dum semen extrà vas effundit peccat omittendo debitum usum etiam in matrimonio, & dum effundit illud intrà vas cum periculo, ratione sitûs abutitur debito usu, & peccat, nisi necessitas aliqua excuset; sed magis in primo modo, quàm in secundo.

XVI. Sodomia est crimen pollutione simplici, & inordinato concubitu gravius: ut colligitur ex punitione quæ habetur. Genes. 19. vers. 24. & 25. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham Sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores Urbium, & cuncta terræ virentia.* Quæ quidem pœna ob istud nefarium crimen imposita & executioni demandata fuit, continet malitiam simplicis fornicationis, & inordinati concubitûs; cùm pollutionem, hancque contrà naturalem, & debitum ordinem includat: Dum committitur cum persona diversi sexûs, est peccatum gravius. Quia personæ diversi sexûs misceri majorem exprimit delectationem. Præterea duo viri, aut duæ fœminæ magis distant ab usu legitimo copulæ, quàm vir & fœmina. Igitur Sodomia viri cũ viro est malitiâ ac deformitate gravior, quàm Sodomia viri cum fœmina. Undè hæc differentia est in confessione declaranda. Idem peccatum est etiam gravius inter personas matrimonio conjunctas, quàm inter solutas: quia præter malitiam communem omni peccato Sodomiæ, incurrunt malitiam eorum, qui re sacra abutuntur: nedum enim matrimonij finem subuertunt, sed etiam violant fidem, quam promiserunt pro debito, ac legitimo matrimonij usu servando. Et inter illas personas quæ commitunt illud, gravius peccat ea, quæ agit, quàm illa quæ patitur. Quia actio magis agenti quàm patienti tribuitur. Bestialitas verò est gravissimum peccatum, cæterà contrà naturam peccata plurimùm excedens in malitia. Quapropter hujus abominationis reus, solitò accusatur de crimine pessimo.

XVII. Juxta Sanctorum patrum mentem luxuria, varios habet infaustos effectus D. Ambrosius lib. de Elia & jejunio cap. 19. Inquit *Luxuria nec fidem habet, nec observantiam disciplinæ: luxuria seminarium, & origo vitiorum est.* Idem Sanctus Doctor sibi objicit illud Apostoli. 1. ad Timoth. vers. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas, & sic respondet nec miremini me adversus Apostolum dixisse, quia ille ait avaritiam esse radicem vitiorum omnium, quoniam luxuria ipsius est mater avaritiæ. Etenim cùm exhauserit quis luxuriando proprias facultates,* Et D. Gregorius lib. 31. moralium, octo peccata tribuit luxuriæ, nimirum cæcitates mentis; inconsiderationem, præcipitationem, inconstantiam, amorem sui inordinatum, odium Dei, affectum præsentis sæculi, horrorem, vel desperationem futuri: ex quibus nascentur omnia mala, ut attentè consideranti patebit; Et ideò luxuria merito dicitur à D. Ambrosio radix omnium malorum; cùm omnia mala, & peccata ex memoratis vitiis oriantur, & alicui ipsorum attribuantur.

XVIII. Cùm ex Apostolo ad Ephesios cap. 5. Avaritia sit idolorum servitus, & avarus idololatra, avaritiæ delictum inter peccata gravissima, est respondendum: ut suadet illud Ecclesias. cap. 10. vers. 9. & 10. *Avaro nihil est scelestius; nihil est iniquius, quàm amare peccuniam: hic enim animam suam venalem habet; quoniam in vita sua projecit intima sua.* Ex quo infertur nullum scelus esse majus avaritiâ, & avarum plus amare pecuniam, & bona temporalia, quàm Deum, & consequenter esse idololatram; cũ impossibile sit servire Deo, & mammonæ

math. 6. & servire divitiis, fit Deum negare, & Deum alienum colere. Quoniam avarus divitias præ cæteris diligit, & ideo eas colit: ut monet D. Augustinus super Epistolam D. Pauli ad Philip, Ubi ait *Hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur.* Undè istud peccatum est in confessione aperiendum secundum totam suam latitudinem. Idest nedum secundum se, ita ut sufficiat avaro dicere accuso me de avaritiâ meâ; sed etiam secundùm desiderium retinendi apud se pecuniam, vel amorem acquirendi, aut possidendi eam contrà finem à Deo præscriptum: hoc quidem inordinato amore constituitur avarus. Quia ex ipso amore acquisitio, & possessio pecuniæ fiunt prorsùs illicitæ, ac prohibitæ; ut facilè colligitur ex varijs locis scripturæ, & textibus Juris Canonici, quibus pecuniæ usus præscribitur divitibus. Hic autem usus ab avaris minimè observatur: ut dum avarus sibi, aut suis denegat necessaria, pauperibus eleemosinam, aut pecuniam suam dat ad usuras: tunc enim tenetur avaritiam accusare cum effectu, & quandò effectus aliquis accusatur, debet accusari cum causa sua, seu cum avaritia, aut ut ex avaritia procedens: certum enim est quòd denegare sibi, aut pauperi necessaria, aut pecuniam dare ad usuram ex avaritia, est gravius peccare, quàm si omnia hæc fierent præcisâ avaritiâ. Cùm gravitas peccati in confessione declarandi, ex causa, & fine oriatur: nam causa, & finis aliquandò minuunt, & aliquandò aggravant peccata.

XIX. Pœnæ Ecclesiasticæ putà censuræ, quibus Ecclesia punit fidelium delicta; multùm timendæ sunt ob varias rationes; ut inferri potest ex dictis, & effectibus excommunicationis, interdicti, & suspensionis. Sed ut magis timeantur, hic asserendum est excommunicatum esse deteriorem gentili: est enim quasi apostata, & degradatus à Religione Christiana, & traditus Satanæ. Undè quemadmodum ille, qui ab ordinibus susceptis, degradatus fuit, deterioris videtur esse conditionis, quàm qui numquam ordines suscepit. Ita excommunicatus, qui traditur Satanæ, privatur beneficiis Ecclesiasticis, & conversatione civili fidelium; est deterioris conditionis, quàm qui nunquam Christianus fuit. Quia ut monet Tertulianus: deterius est bonum perdidisse, quàm nunquam accepisse: nam amittere bonum liberè, & voluntariè includit culpam, & contemptum largitoris, & alia mala, quæ de illo, qui bonum nunquam recepit minimè verificantur, nec illi imputari possunt: ideoque tenemur vitare mala propter quæ incurritur excommunicatio ipso facto, & abstinere à delictis, & à peccatis propter quæ tanta infligitur pœna. Si verò contingat ipsam pœnam infligi injustè, seu deficiente aliquo ad justam excommunicationis sententiam requisito, nimirum causâ certâ sufficiente, vel zelo justitiæ, vel ordine juris servandò. excommunicatus debet patienter, & humiliter pœnam sustinere, & prælato, aut judici à quo lata fuit se præsentare, canonicam satisfactionem offerendo, si in aliquo peccaverit, ut ab ipso absolvatur, cùm excommunicatio liget; quamvis injustè lata fuerit; ut fatentur communiter Canonistæ, excommunicationem injustam à nulla, & invalida distinguentes, hæcque patientia erit illi ad meritum, teste Augustino dicente, *Qui justus est, & injustè maledicitur, præmium illi redditur.*

XX. Quandò quis ignorat an fuerit excommunicatus, aut dubitat an excommunicatio sit nulla, vel valida, tenetur petere absolutionem ad cautelam; alioquin videretur censuras Ecclesiasticas contemnere, & nolle omnem moralem diligentiam adhibere pro salute consequenda; quippe cum censuræ sint timendæ, & privent beneficiis spiritualibus (putà Sacramentis) unusquisque tenetur se à tanta pœna liberare, eo modo quo potest, & indiget; & consequenter, dum quis ignorat, aut dubitat se esse excommunicatum, debet absolutionem petere ad cautelam pro majori animæ tranquilitate. Hæc absolutio dari solet appellanti de excommunicatione ad superiorem, saltem ad hunc effectum, ut excommunicatus à prælato inferiori à quo appellat, possit in judicio contendere, suamque prosequi appellationem apud judicem ad quem appellavit. Idem absolutionis beneficium conferri solet testibus excommunicatis, ut audiri possint eorum testimonia: ut declarat Clemens III. in Can. *Cum desideres.* De sentent. excomm. sed nulla opus est absolutione, si ipsi prælato Superiori constet excommunicationem fuisse latam post legitimam appellationem, vel post legitimi recursùs postulationem ad prælatum Superiorem, vel cõstet ipsam excommunicationem continere errorem intollerabilem: quamvis

evitari debeat in aliis; Donec deponatur talis error. Innocentio III. Sic declarante: in cap. *Per tuas litteras §. vos igitur* eod tit. Idem prius decreverat Alexander III. in cap. *Ad præsentiam* de appellatione. Ille qui petit absolutionem ad cautelam non debet per hoc reputari excommunicatus; ut decrevit Honorius III. in can. *Exhibita* de homicidio voluntario his verbis *homicidium casuale non imputatur ei, qui non occidit, nec fuit in culpa, etiamsi ad cautelam veniam postulaverit.* Junctâ glossâ verbo *postulavit*. Nam si petens absolutionem ad cautelam reputandus esset verè excommunicatus, superflua esset hæc restrictio *ad cautelã*. Quia haberetur sicut cæteri excõmunicati, qui absolutionem petunt.

XXI. Judex qui potest excommunicare, potest absolutionem ad cautelam conferre, quandò quis dubitat an censura sit à jure, seu an in censuram juris inciderit, potest absolvi ad cautelam ab eo qui potest simpliciter absolvere à censura juris. Quandò autem dubium est, an inciderit in censuram ab homine latam, potest absolvi ad cautelam ab eodem; scilicet ab ordinario, si voluerit, vel à superiore ejusdem, si ad ipsum causa per legitimam appellationem deducatur: ut fatentur omnes canonistæ in Can. *per tuas* de sentent. excomm. Maxima tamen difficultas est, an delegatus possit absolvere ad cautelem? communior opinio negat. Nisi hoc illi sit specialiter à jure concessum, vel ex speciali commissione hanc facultatem habuerit. Ita Innocentius, Andreas, Decius, & alij quorum ratio est. Quia absolutio ad cautelam est extraordinaria, & conceditur ex mera gratia, & consequenter facultas absolvendi à censuris ad cautelam, non censetur concessa delegatis ex vi delegationis; sed requiritur expressa mentio in litteris delegationis; cùm judex delegatus viâ ordinariâ (id est absque ulla speciali licentia pro causis extraordinarijs) solùm possit facere id, quod illi permissum est, seu ea, quæ ordinaria sunt.

XXII. Cùm omne agens agat propter finem, ut docet Philosophus; necesse est Prælatum censuras ferentem, aliquem habere finem. Quinam autem sit finis ille: dico primò per hanc pœnam spiritualem, Ecclesiam nihil magis intendere, quàm honorem Dei, & salutem hominum. Ecclesia enim in suis censuris ferendis, intendit, ut fideles præceptis divinis obtemperent, in hac vita; & post mortem ingrediantur ad vitam, quà vivent omnes, qui mandata servabunt, & ut obtineant coronam quam repromisit Deus omnibus, qui diligunt illum, can. *Audi* 11. quæst. 3. & can. *Sed illud* dist. 45. quare censura sic definitur à pluribus canonistis; est vinculum spirituale Ecclesiasticum ordinatum ad salutem spiritualem, tum illius qui ligatur, tum etiam ad salutem aliorum: indè enim constat Ecclesiam intendere salutem hominum: ut monet Apostolus 1. ad Corinth. cap. 5. Dicens de excommunicato *judicavi tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Pœnæ Ecclesiæ, & spirituales ad instar temporalium institutæ fuerunt, nimirum ut homines declinent à malo timore pœnæ; Idcirco Ecclesia fert censuras, ut homo quem excommunicat, aut ligat, salutem operetur, & cæteri istius exempló corrigantur: ut suadet idem Apostolus 1. Ad Timoth. cap. 5. ubi ait *peccatores coram omnibus argue; ut & cæteri timorem habeant.* Certum enim est quòd dum unus Ecclesiasticâ disciplinâ coërcetur, & pro delictis publicè, ac solemniter anathemate percutitur, cæteri à delictis committendis timore pœnæ abstinent can. *Sanctis* II. quæst. 3. Ideoque finis excommunicationis est gloria Dei, & salus hominum; cùm timor, & tremor inducant ad salutem: ut monet Apostolus dicens *in timore, & tremore operamini vestram salutem.*

XXIII. Homo excommunicatus videns se omni auxiliô humanô privatum, ab omni consortio alienum, & in alijs pœnis constitutum, Deo humiliter se submittit: ut evidenter manifestat oratio Jonæ Prophetæ, quæ excommunicatis propriè convenit. legitur enim cap. 2. ejusdem Prophetæ. *Projecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt: & ego dixi: abjectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo Templum Sanctum tuum. Circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum, sublevabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus. Quum Angustiaretur in me anima mea Domini recorda-*

tus sum; ut veniat ad te oratio mea, ad Templum Sanctum tuum Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent: Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi reddam pro salute Domino. His verbis liquidò constat hominem omni solatio,& humana conversatione destitutum in tanta afflictione clamare, ad Deum recurrere, & pro salute sua deo vota reddere. Nec aliud intendit Ecclesia,censuras ferens contrà delinquentes.

XXIV. Fidelis censurâ ligatus tenetur obtinere finem ob quam excommunicatus fuit; nimirùm timere nè in tali vinculo pereat, & post mortem privetur sepulturâ Ecclesiasticâ, alijsque beneficijs. Tenetur insuper à contumacia recedere. Undè peccat mortaliter si suâ culpâ remaneat in censurâ, quoniam præceptô Ecclesiasticô tenetur sibi absolutionem procurare, & à peccato ob quod incurritur excommunicatio se abstinere: licet unusquisque subsit legi de peccato vitando; sed quia quodlibet peccatum non inducit excommunicationem, existimo legem peccata sub pœna excommunicationis prohibentem, esse striĉtiùs observandam propter pœnam Ecclesiasticam, quàm habet annexam. Quia istius legis transgressor graviùs peccat, quàm transgressor legis peccatum prohibentis absque ulla censuræ pœna. Cùm propter contemptum Dei, & legis, includat contemptum censuræ; & duo contemptus sint deteriores, atque graviores unô. Præterea beneficium ex absolutione à censura proveniens, est diversum à beneficio, & absolutione à peccatis proveniente: excommunicatus autem dum absolvitur utrumque beneficium recipit, & consequenter dum peccat, peccato cui annexa est excommunicatio, in majorem, & deteriorem foveam incidit; cùm reatum incurrat, & pœnam Ecclesiasticam contrahat: contractâ quidem excommunicatione censuratus existit inter homines, & hominum caret commertio, traditur satanæ in interitum carnis:& privatur medijs ad vitam animæ opportunis, ut sacramentis, & suffragijs Ecclesiæ, & alijs malis induitur: ad quæ vitandâ omnem diligentiam moraliter possibilem adhibere necesse est. Non solùm ex lege malum prohibente, sed etiam ex nostra incolumitate tenemur fugere, aut vitare peccatum: quemadmodum enim bonum naturaliter prosequimur, quia nobis convenit, & prodest. Ita malum fugimus quia nobis nocet. Ideoque quod magis nocet, majori conatu repellimus, aut saltem repellere debemus. Hinc est quòd excommunicatus tenetur in conscientia intendere id, quod Ecclesia intendit dum excommunicat.

CAPUT XXXIII.

De pœnis à delinquentibus sustinendis post obitum.

I. CUM peccatum, vel delictum postquam consummatum fuerit generet mortem, teste scriptura: hic visis delictis, eorumque pœnis Ecclesiasticis, congruit de pœnis peccatoribus post vitam destinatis resolvere dubia. Sed prius supponendum est dari locum aliquem, in quo damnati juxta eorum demerita, & peccata cruciantur; ut ex varijs scripturæ, patrum, & Conciliorum textibus constat. Locus autem ille dicitur infernus in sacra pagina, & in Sanctis patribus, & ad ipsum descendent peccatores; ut probat illud Psal. 30. *Erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.*

II. Remorsus conscientiæ, qui solitò dicitur vermis conscientiæ,est una ex damnatorum pœnis; ut colligitur ex eo Judith. cap. 16. *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die judicij visitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Hinc est quòd vermis, aut remorsus conscientiæ est pœna perpetua, quam patiuntur damnati, proveniens ex amissione vitæ æternæ; ob levem satisfactionem habitam in peccato: nam si reus ad mortem, vel ad triremes damnatus doleat de delicto, per quod tantam pœnam meruit, dolor vel displicentia, erit in inferno major, cùm damnatus patiatur ibi pœnam æternam, absque ulla spe recuperandi bonum amissum, quô potiuntur illi, qui non peccaverunt, vel qui post peccatum pænitentiam egerunt. Naturaliter cupimus bonum, & odio habemus malum, idcircò damnati, qui cupiunt bonum quo carent, & odiunt malum quod tenent, certè dolorem & tristitiam habent de pec-

cato, quod est causa pœnæ quam nolunt, & conscientia eos continuò accusat de amissione boni, quod vellent, quodve habuissent, si non peccassent, aut si post peccatum pœnitentiam egissent. Hæc autem accusatio parit tristitiam, & remorsum conscientiæ, in quibus consistit damnatorum vermis: de quo Isayas cap. 66. ait *vermis eorum non morietur*. Insuper ex hoc textu judith sequitur quòd damnati post judicium præter pœnam vermis spiritualis, aliam patientur in corpore nimirùm vermes carnes damnatorum rondentes: Ut suadet hæc particula. *Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum*.

III. Nulla pœna potest esse major pœnâ damni, quam in inferno patiuntur damnati: hæc quippe consistit in privatione beatitudinis, quæ cùm sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, aut omne bonum, privatio ejusdem status, aut omnis boni, seu pœna damni, debet esse status omnium malorum. At quia voluntaria acceptatio pœnæ ejus rigorem minuit, atque tristitiam: quæ provenit ex rebus quæ nobis nolentibus accidunt: ut monet D. Augustinus, pœna Damni debet esse gravissima. Quia hæc carentia beatitudinis, aut privatio Dei est involuntaria, & nolita à Damnato: & quamvis consistat in carentiâ, aut privatione, quæ non suscipit magis, & minus; tamen non est æqualis in omnibus damnatis; ut docet communior opinio: datur enim juxta demeritorum inæqualitatem. Quoniam qui graviùs peccat, privat se majori rectitudine, & demerito, ac proindè se privat majori gloria, non solùm secundum speciem, scilicet quatenus exprimit Deum visum, sed etiam secundum perfectionis gradum; ita ut hæc privatio sit tantæ gloriæ, quanta seclusa est per peccata, & demerita, quæ cùm inæqualia sint in damnatis, inæqualis debet esse eorum pœna damni; licet consistat in carentia, aut privatione; quia non consistit in privatione objecti dumtaxat: in hoc si quidem sensu est æqualis in omnibus; cùm nullus damnatorum videat Deum, sed etiam in operatione visionis, & amoris, id est in beatitudine formali. Quæ non est æqualis in omnibus beatis, etiamsi omnes videant idem objectum, nempè Deum. Quia non vident cum in eodem gradu, ut probat diversitas luminis gloriæ, pariter & illud Christi Domini dicentis *in domo patris mei mantiones multæ sunt*. Idest unus beatus videt intensiùs Deum, quàm alter; & consequenter in inferno sunt multæ mãsiones, idest unus intensiùs cruciatur, quàm alius, si magis glorificaverit se, & fuerit in delicijs, quibus in inferno correspondet tormentum, aut supplicium, quod nedùm pœnam sensus, sed etiam pœnam damni comprehendit. Nec valet dicere ignem in quo consistit pœna sensus, esse agens naturale, æqualiter agens in damnatos. Quia non agit propria virtute simpliciter, sed juxta divinam cooperationem regulantem influxum ignis juxtà uniuscujusque demerita & peccata.

IV. Quamvis omnes Theologi conveniant pœnas inferni esse æternas juxtà illud Math. cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*. Non conveniunt tamen circà rationem, aut originem hujus æternæ durationis: Quidam dicunt peccatum finalè damnati sic puniri: Quia Deus prævidit quòd si damnatus perpetuò vixisset, perpetuò peccasset: hacque ratione debet puniri pœnâ perpetuâ, & æternâ propter obstinationem, & pronitatem peccatoris ad semper peccandum. Sed displicet hæc opinio; Quia Deus non punit in inferno peccata futura, & possibilia, sed solum peccata commissa, ut constat ex illo Math. cap. 25. vers. 42. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me*. Quibus verbis constat Deum non condemnare peccata, quæ damnati fecissent, si perpetuò vixissent; sed solum peccata quæ commisserunt in vita, & in quibus mortui sunt damnati. Nec præmiat opera bona futura in aliqua circumstantia conditionali prævisa, ut patet ex illo Math. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in Cilicio, & cinere pænitentiam egissent*. Hæc enim voluntas non fuit præmiata ergo nec mala, eodem modo prævisa, puniuntur in inferno. Alij dicunt cum D. Thoma in 4. sentent. dist. 46. art. 4. & Scoto pœnam in inferno esse æternam. Quia anima quæ peccavit, & ejus peccatum finalè perpetuò, & in æternum durant: nam sicut dum humanæ leges privant reum vitâ, ipse reus patibulo suspensus patitur in patibulo quamdiu vivit, & in æternum pateretur si ibi in æternum viveret, ita pariter damnatus in inferno in æternum patitur, quia anima

anima in æternum vivet., & peccatum ejus perpetuò durabit; cùm voluntas illius qui in peccato moritur in malo obstinetur, & peccatum ab eo non solvatur: Ideo enim pœna est æterna; Quia voluntas peccandi est æterna inquit Albertus Magnus. *Dices* illa voluntas peccandi non est demeritoria; Quia extrà statum viæ non meremur, nec demeremur, & consequenter pœna inferni non est æterna propter obstinationem voluntatis, & durationem peccati. Nego instantiam: quia licet illa voluntas peccandi non sit actu demeritoria; est tamen demeritoria & voluntaria in causa:nam per peccatum finale non retractatum, quantum in se ipsa fuit, in ipso statu permanere voluit post mortem, & de facto permanet: Ergo peccatum debet in inferno puniri pœnâ æternâ: quia peccatum, & peccator ibi durabunt in æternum; cùm in inferno nulla sit redemptio.

V. Hæretici, qui nolunt pœnas inferni esse æternas, sic insurgunt. Pœna debet correspondere culpæ; sed æternitas pœnæ non correspondet culpæ momentaneæ, qualis est culpa hominum: igitur pœna inferni non est æterna, nec perpetua; sed temporalis, & momentanea: aliàs lex divina non esset justa, nec possibilis: quia ultrà condignum, & injustè puniret delinquentes. Respondetur in inferno pœnam quamvis æternam correspondere culpæ: Quia proportio pœnæ ad culpam non debet attendi ex delectatione, & duratione ejus, quæ cùm momentaneæ sint, pœna æterna excederet; sed debet attendi ab objecto, & fine, à quo peccator per culpam finalem vult averti, & de facto avertitur, aut remanet aversus post mortem. Hic autem finis est Deus. Quippè peccatum est aversio à Deo, qui est ultimus finis noster, ideoque pœna inferni quamvis æterna sit, correspondet, & æquiparatur culpæ: quatenus est aversio à fine, hæcque est æterna, ac perpetua privatio Dei. Nec injustè hanc pœnam patitur damnatus: Quia voluntariè se avertit, & Deus eum justè ibi relinquit. Etenim qui se voluntariè præcipitat in foveam, de qua nequit propria virtute resurgere, nisi per auxilium ejus quem actu offendit, justè ab eo in illa relinquitur. Nec valet objicere indè sequi Deum cum damnatis nullam exercere misericordiam, quæ tamen ex sacra scriptura superexaltat judicium; Non valet inquam; Quia Deus punit citrà condignum demeriti, sicut præmiat ultrà condignum meriti. Reverà non exercet misericordiam liberantem à miseria, sicut eam exercet in hac vita; sed exercet misericordiam mitigantem cum damnatis, minuendo pœnæ gravitatem.

VI. In inferno datur verus, & realis ignis, qui damnatos post accusationem conscientiæ devorabit: ut, declarat scriptura ex illo Prophetæ Psal. 20. vers. 10. *Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Quem locum exponens Augustinus ait. *Conturbati vindictâ Domini post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno devorandi.* Et ex illo Math. 25. *ite maledicti in ignem æternum.* Idem habetur ex Sanctis patribus. D. Gregorius lib. 4. dial. cap. 28. & 29. ait. *Sicut in principio electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quòd à Die exitûs sui ignis reprobos exurat.* D. Bernardus *est deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis.* Idem sentiunt alij Sancti Patres, qui docent hunc ignem esse corporeum, & præsertim illi qui exponunt hæc verba Lucæ cap. 16. vers. 22. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Clamat enim se cruciari in illa flamma, & petit aquam; ut extinguatur ardor ex flamma proveniens. Igitur in inferno ignis est corporalis. Quia aqua, quæ materialis est, nequit reprimere ardorem ignis inferni, si esset spiritualis. De modo autem quo ignis inferni agit in animas damnatorum, ad Theologiam Scholasticam lectorem remittimus.

VII. Omnes Catholici firmiter credunt animas in purgatorio detentas, sustinere pœnas acerbiores, qualibet pœnâ hujus vitæ; cùm ex D. Gregorio, & aliis sanctis patribus ignis purgatorij sit idem met ignis inferni: *sicut enim* inquit idem Sanctus Doctor lib. 4. moralium. *In eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; sic idem ignis purgat electos, & damnat reprobos, sed reprobis est ad semper, electis tantum ad tempus.* Olim plures voluere tempus illud esse diem judicij universalis: existimabant enim omnes, & singulas animas intrantes in purgatorium ibi manere, donec Christus veniat judicare vivos & mortuos. Sed eos damnat universa Ecclesia, nedùm in varijs Concilijs, sed etiam ex illo Mach. cap. 12. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Igitur datur defunctis solutio ante judicium universale, alioquin superflua esset

sacrificia, & suffragia pro animabus purgatorij redimendis. Quòd est falsum: nam Ecclesia orat, & fidelibus orare præcipit pro animabus purgatorij, ut liberentur à pœnis, & ad patriam paradisi perducantur, & gaudia æterna possideant. Adversariorum fundamentum est: quia oblatio sacrificij conjungitur cum resurrectione; immò pro ipsa resurrectione inquiunt est applicanda oblatio: ut constat ex textu. *Misit Jerosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, justè, & religiosè de resurrectione cogitans.* Exindè concludunt effectus sacrificij juvare pro die judicij, & resurrectionis generalis. Sed non valet hæc ratio; Quia textus non conjungit solutionem, aut sublevationem defunctorum cum resurrectione; ut indè probetur ipsam solutionem fieri cum resurrectione generali; sed solùm ut indè ostendatur animæ immortalitas per resurrectionem; alioquin hæc conclusio *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur* esset superflua. Quia pœnæ defunctorum solvendæ; cùm non sint æternæ, in resurrectione erunt terminandæ; ideoque oratio pro defunctis non, fit ut à peccatis solvantur in die judicij, sed anteà.

VIII. Unus diutiùs alio manet in purgatorio, juxtà pœnarum luendarum exigentiam: sicut enim in via non omnes egent æquali satisfactione ob delictorum diversitatem: ita nequé in purgatorio; quia unus majori indiget purgatione quàm alius, ob majorem quem habet reatum ad pœnam pro peccatis remissis solvendam; nullus tamen è purgatorio egreditur donec plenè satisfecerit per satisfactionem propriam, vel per oblationes, & sacrificia Ecclesiæ, vel per eleemosynas aliaque suffragia ei applicata: colligitur enim ex principiis fidei suffragia aliquandò obtinere diminutionem pœnæ, aliquandò totalem liberationem. Undè D. Augustinus relatus in Can. *Tempus* 13. quæst. 2. Loquendo de hujusmodi suffragiis ait. *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certé: ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Ubi damnatione intelligitur cruciatio. Quia animæ in purgatorio existentes, ad temporalem cruciatum dicuntur damnatæ, & in inferno esse ad tempus.

IX. Absolutè incertum est, quantum pro qualibet anima purgante duratura sit purgatorij pœna; ut declarat Concilium Moguntinum 4. Can. 46. dicens de animabus in purgatorio existentibus *in quas moderata, & mixta Clementia severitate vindicat ad tempus, qui & misericordiæ suæ, & tormentorum modum, & mensuram novit.* Igitur solus Deus noscit tempus, quo animæ electæ (sed purgandæ) debent in purgatorio existere. Non durationem pœnæ uniuscujusque nobis revelavit Deus, sed solum durationem purgatorij; cùm ex illo Math. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, & ite maledicti in ignem æternum.* Claré inferatur post diem judicij nullam remanere pœnam nisi æternam, aut nullum alium esse locum pro hominibus præter cœlum, seu regnum, & infernum, seu ignem æternum, & consequenter post judicium non erit purgatorium. His suffragatur ratio: nam si pœna purgatorij sit temporalis, necesse est quód cesset nedùm respectu uniuscujusque ibi detentorum; sed etiam secundum se; cùm post judicium pœna erit æterna, & omnes animæ accipient præmium in cœlo, vel supplicium in inferno.

X. Animæ in purgatorio existentes non torquentur à dæmonibus, nequè ipsis respectu electorum purgandorum utitur Deus tamquam justitiæ suæ ministris: improbabile enim videtur, ut animæ eorum, qui finaliter victoriam contrà dæmones in hac vita reportarunt, puniantur ab eisdem, ut divinæ justitiæ ministris, eisque in altera vita in punitione subijciantur; ut inquit Mastrius. Deindè indecens videtur ut amici, & electi, per inimicos ipsius Dei exagitentur. Ergo animæ in purgatorio existentes, quæ amant Deum, sunt Sanctæ, justæ, & electæ non puniuntur per dæmones; Sed Deus eas punit immediatè per ignem tanquam per instrumentum obedientiale. Nec valet adducere exemplum de Job, & aliis, quos permisit Deus in vita exagitari per dœmones. Quia hoc permissum fuit, ut exagitati victoriam ex tentatione, & pugnâ reportarent, & dæmones repellerentur. At hæc ratio non subsistit in purgatorio; quia non est locus pugnæ, nec meriti, aut triumphi; ideoque non valet paritas. Minus valet referrè illud Divi Gregorij *Homines illos habebunt tortores in pœna, quos habuerunt incentores in culpa.* Quia ille Sanctus Doctor loquitur de damnatis, qui de incentoribus non triumpharunt, & dæmonibus adhæserunt usque ad mortem, & in peccato mortui sunt; non verò de anima-

bus in purgatorio existentibus, quæ in osculo pacis,& incharitate à vita decesserunt.

XI. Quantum ad parvulos cum peccato originali decedentes, dico juxtà communem doctorum sententiam quod ad pœnam damni perpetuam condemnantur; cùm hæc fistat in carentia visionis Dei, & nullus poterit intrare in regnum Dei, nisi baptizatus fuerit, aut susceperit baptisinum, quo deletur peccatum originale, & confertur fides, cui succedit visio Dei. Quoad pœnam sensus nego: quia parvuli absque ullo peccato actuali decedentes, sed cum solo originali, nullam delectationem habuerunt, nequé sensùs, nequé spiritùs subindeque nullam pœnam sensûs habebunt, nullove supplicio punientur ipsorum sensus: quia hæc punitio datur secundum delectationem propriam uniuscujusque damnati. Ex illo Apocalipsis cap. 18. *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Hac de causa,ob peccatum originale nulla baptisandis injungitur pœnitentia,nullusque de eo jubetur dolor,sicut fit propter peccatũ actuale. Igitur nulla pœna sensus correspondet peccato originali postmortem.Nec valet dicere quòd potest ei injungi pœna sensûs,sicut injungitur illi pœna damni.Quia pœna damni dicit privationẽ paternæ hæreditatis,nimirùm gloriæ,quâ pueri cũ peccato originali decedentes carent, ob culpam actualem primi parentis.Qui peccando pro se,& suis, amisit justitiam originalem. Pœna autem sensûs est pœna positiva, quæ ob propriam, & personalem culpam infligitur; ideoque nullus debet ipsâ puniri, nisi personaliter peccaverit, eique judex dicere possit in die judicij, *Esurivi, & non dedisti mihi manducare, sitivi, & non dedisti mihi bibere, nudus eram, & non cooperuisti me &c.* illi quidem dumtaxat qui talia fecerunt, & legem Dei non custodierunt, ibunt in ignem æternum: pueri autem non sunt verè, nec propriè legis divinæ transgressores,& consequenter non condemnabuntur ad pœnam ignis, sed solum ad pœnam damni; ut facilè colligi potest ex Concilio Florentino sess. ult. ubi legitur, *illorum autem animas quiin actuali mortali peccato,vel solo originali decedunt mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quæ quidem disparitas pœnarum nequit esse in solo Gradu;ita ut habens tantum peccatum originale, minus patiatur, quàm habens peccatum actuale; sed in qualitate id est, in hoc quod habens peccatum originale tantum, punitur pœnâ damni, & habens actuale punitur pœnâ sensus, & damni. Quia disparitas Idem significat, ac differentia essentialis. Unde D. Bernardus ait *sola propria voluntas ardet in inferno.*

XII. Hanc assertionem sic impugnant nonnulli. Pueri qui sine baptismo decesserunt, in judicio comparebunt; ut colligitur ex illo Math. 25. vers. 31. 32. & ex aliis locis scripturæ, quibus constat, & certi sumus quòd omnes homines nullo excepto resurgent, & comparebunt in die judicij. Idem habetur ex ipsius fine, qui est ostensio divinæ justitiæ, & liberalitatis Dei præmiantis, punientis, & glorificantis: infantes enim sive cum baptismo, sive cum peccato originali decesserint, sunt capaces hujusmodi ostensionis, ut est manifestum. sed (inquiunt) pueri ad judicium vocati non erunt à dextris,nec dicetur ipsis *venite benedicti patris mei*; Alioquin essent beati, ac illi qui cum baptismo, seu sine peccato originali decesserunt, quòd est falsum. Ergo erunt à sinistris simul cum illis qui actualiter, ac personaliter peccaverunt, & dicetur illis, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*, & consequenter patientur pœnam sensus sicut adulti damnati. Alioquin daretur medius locus inter damnatos, & beatos, & inter dexteram, & sinistram,quòd est falsum, ut docent communiter sancti Patres, & præsertim Augustinus de verbis Apostoli serm. 14. ubi ait *Quia in judicio universali, in quo Dominus facturus est duas partes, & unam collocaturus ad dexteram, alteram ad sinistram &c.* His suffragatur scriptura; legimus enim in Evangelio Mathæi jam citato,quòd Christus cum venerit in sedẽ majestatis suæ statuet oves à dextris suis,hœdos autem à sinistris.Sed hoc argumentũ non convincit,ut mox dicemus.

XIII. Huic argumento respondetur quòd parvuli,qui sine baptismo decesserunt, comparebunt in die judicij, & erunt à sinistris; negatur tamen consequentia: etenim authoritates adductæ probant quòd erunt duo hominum loca, infernus scilicet, & paradisus; sed non probant quòd existentes à sinistris, aut in inferno, debeant omnes pati easdem pœnas. Nec implicat quòd sint à sinistris, aut in inferno; quin patiantur pœnam sensûs & ignis; cùm maxima damnatorum pœna, sit pœna damni, quam patientur infantes propter peccatum origi-

nale, ob quod punientur privativè in die judicij, ideſt privatione, aut carentiâ viſionis beatificæ, ad quam jus non habent, ex eo quod non fuerint baptizati, & ipſi infantes in tanto malo conveniant cum damnatis & damnati vocari poſſint; licet eaſdem pœnas minimè patiantur, ſed ſolùm pœnam damni ſuſtineant, nec ad ipſos totus hujus ſententiæ *ite in ignem æternum* rigor dirigatur: nam hæc authoritas Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquiſque propria corporis proutgeſſit, ſive bonum, ſive malum.* dirigitur ad pueros, & de facto pueri comparebunt in die judicij; tamen non dirigitur ad eos ſecundum manifeſtationem ante tribunal Chriſti, & ſecundum relationem geſtorum; nihil enim in corpore geſſerunt parvuli: ergo hæc ſententia *ite maledicti in ignem æternum*, & locus à ſiniſtris, poteſt dirigi ad pueros, qui ſine baptiſmo, deceſſerunt, tantum ſecundum illam partem, quæ eſt de pœna damni (quam includit, ſicut pœnam ſensùs) quamvis ſolo nomine ignis ſit exprimenda, & intimanda reprobis in die ultimi judicij, & ſecundum locum putà infernum, ad quem poſt judicium deſcendent omnes, qui erunt à ſiniſtris.

XIV. Infantes, qui in peccato originali deceſſerunt, nullum dolorem, nullamque triſtitiam habent de pœna damni, nequé eam habebunt poſt diem judicij. Ut colligitur ex cap. *majores* de baptiſmo, ubi pro peccato originali aſſignatur pœna damni duntaxat, idcircò ex illa pœna damni nulla in ipſis naſcetur triſtitia, quæ eſt interior pœna ſenſus. Inſuper ſi triſtatentur de pœna damni, paterentur graviſſimum ſupplicium: Quia hæc triſtitia eſſet cum deſperatione de beatitudine aſſequenda; & conſequenter paterentur graviſſimam pœnam ſensûs, ſicut adulti damnati, ſaltem interiorem, & ab ipſis eſſent diverſi ſolùm quoad pœnas ſenſus exteriores, quòd eſt contra communiorem doctorum opinionem, quâ parvuli in inferno exiſtentes liberantur ab omni pœnâ ſenſibili, tam interiori, quàm exteriori: quod verum eſſe probat D. Bonaventura aſſerens pueros cum ſolo originali peccato decedentes tenere medium inter gratiam, & culpam actualem, inter bonos, & malos in ordine retributionis. Unde (inquit) cùm beati careant malô pœnæ ſenſibilis, & habeant viſionem Dei; & reprobi careant viſione Dei, & habeant malum pœnæ ſenſibilis, ſequitur quòd parvuli, qui ſine baptiſmo deceſſerunt, & medium locum tenent inter benedictos, & maledictos, debent eſſe ſine malo pœnæ ſenſibilis ſicut beati, & ſine viſione Dei ſicut damnati, ut in uno communicent cum beatis in privatione pœnæ ſensûs, & cum damnatis in privatione viſionis Dei. Igitur ait idem Sanctus Doctor, ſicut in beatis oſtenditur divina miſericordia, & in damnatis divina juſtitia, ita in parvulis oſtenditur utraque: Etenim ex una parte carent omni triſtitia, & dolore ſicut beati, & in hoc lucet divina miſericordia, ex alia verò carent beatitudine ſicut damnati, & in hoc apparet divina juſtitia. Nec valet dicere animas in purgatorio exiſtentes habere pœnam ſenſûs quamvis ſint ſine peccato actuali, & originali, & conſequenter animas parvulorum (quæ habent peccatum originale) debent pati aliquam pœnam ſenſûs. Non valet inquam: Quia animæ in purgatorio detinentur, ut tollatur reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in purgatorio antequam ad regna cælorum additus patere poſſit ut declarat Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 30. ille reatus autem pœnæ temporalis ſi remaneat poſt mortem, non poteſt tolli niſi per pœnam ſenſibilem in purgatorio: At pueri non habent illum, quamvis ſint in peccato originali. Quia pro hoc peccato delendo nulla injungitur pœna: ergo nullam pœnam ſensûs pati debent.

XV. Minus valet dicere quòd parvuli in judicio cognoſcent ſe ordinatos ad vitam æternam, eamque ordinatè appetent, quam tamen non habebunt, ideoque triſtabuntur. Tum quia triſtitia eſt de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt; ut monet D. Auguſtinus lib. 14. de civit. Dei cap. 15. tum quia impoſſibile eſt quòd quis videat ſe privatum maximò bonô abſque propria culpa; quin ſit triſtis, & afflictus. Hujus argumenti nullitas eſt; Quia licet parvuli agnoſcant ſe ad vitam æternam ordinatos, indè tamen non naſcetur in ipſius occaſio triſtitiæ, in ultimo judicio. Quia ſimul agnoſcent ſe evaſiſſe graviſſimas inferni pœnas, quas patientur alij, cum quibus


erunt à sinistris. Immò potiùs gaudebunt de pœnarum sensuum evasione; & ideò nullum dolorem habebunt de amisione beatitudinis, quæ non accidet, ipsis nolentibus. Quia scientes Deum sic disposuisse, & meritò eos privasse paradiso, ob culpam parentum, erunt contenti de statu suo inquit Brancatus Cardinalis sub nomine de Laurea notus: nam subdit idem Doctor. Si cognoscent elevationem, benè cognoscent se ex causa beatitudine privari, quatenus sunt membra massæ damnatæ. Sicut enim cognoscent quòd justè contraxerunt peccatum originale, ita cognoscent quòd justè habent ejusdem peccati pœnam, seu pœnam damni perpetuam, ad quam condemnabuntur coram omni hominum multitudine.

XVI. Addere possunt quòd parvuli in die judicij ex una parte cognoscent se capaces regni æterni, ad quod Christus vocabit electos. His verbis *venite benedicti Patris me percipite regnum* & ex alia poterunt illud, non obstante condemnatione sibi concupiscere inordinatè, cùm fomes peccati in eis non fuerit extinctus, & consequenter tristari de impossibilitate habendi illud, aut de privatione ipsius: nego secundam partem quæ est de concupiscentia inordinata. Quia in eis fomes non excitabitur, quemadmodum enim fomes ille non fuerit excitatus in via, nec excitabitur post judicium. Quia pueri non fient deterioris conditionis per separationem animæ à corpore, vel per novam unionem corporis cum anima: sed in via fomes parvulorum non excitatur; igitur neque excitabitur post judicium. Ordo divinæ justitiæ hoc exigit: justum quidem est, eos qui propria voluntate non peccaverunt, ab omni malo pœnæ liberari; cùm ex regulis juris, pœna non detur nisi subsit culpa, & pœna culpæ correspondeat: in parvulis autem, qui in solo peccato originali decesserunt, nulla erit propria culpa, nullumque opus liberum habebunt; ergo Christus, qui in die judicij reddet unicuique secundum opera sua, scilicet vitam æternam illis, qui bona egerunt, & ignem æternum illis qui mala egerunt. Nec ad vitam, nec ad ignem mittet pueros, qui nec bonum, nec malum egerunt; aliàs pueri punirentur ultrà condignum, & sustinerent pœnas sensûs, dolorem, & tristitiam sicut adulti, & non essent rei sicut adulti, Quòd est falsum: Deus enim juxta communem Sanctorum Patrum, ac Theologorum sententiam punit citra condignum & nullus est propriè & personaliter reus, nisi per se peccaverit.

XVII. Quidam existimarunt inter aliàs, quæ in purgatorio reperiuntur pœnas, unam esse incertitudinem de propria salute. Id inferebant ex illo missæ pro defunctis *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis, nè absorbeat eas tartarus, né cadant in obscurum.* Sed communis Ecclesiæ sensus est, animas in purgatorio existentes habere spem, & esse certas, atque securas de propria salute; quia quælibet statim post mortem judicatur judiciô particulari, & determinatur ad locum, seu ad cœlum, vel purgatorium, vel infernum, juxtà illud Apostoli ad Hebr. cap. 9. vers. 27. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Idem habetur ex illo Eccles. cap. 11. vers. 28. *Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundum vias suas.* Per quod judicium determinatur ad locum, in quo est mensura, & ad coronam, aut pœnam quam est consequutura. Undè cum anima, quæ in purgatione mittitur, cognoscat se esse in purgatorio, & ipsum purgatorium esse locum medium, in quo animæ purgantur, & ipsâ purgatione factâ, indè exeunt pro vita æterna consequenda, sequitur quòd quælibet anima in purgatorio existens est certa de sua salute, sicut in via certa erat quòd purgatorium est via ad cœlum. Aliundè D. Gregorius lib. 4. dial. cap. 40. & 55. refert plures animas apparuisse ad petendum auxilium, ut liberarentur à pœnis purgatorij, proculdubio hujusmodi auxilium non postulassent, nisi liberationem futuram cognovissent. Ad fundamentum oppositæ sententiæ dico Ecclesiam orare in missa defunctorum, nè animæ in purgatorio existentes graviter torqueantur pœnâ ignis, & carceris infernalis, non verò nè cadant in infernum inferiorem, seu in locum damnatorum: nam *Tartarus* non significat propriè locum damnatorum, sed locum

profundissimum conturbatione plenum. Nec per hæc verba *libera eas de ore Leonis* Ecclesia orat, nè sint damnatæ; sed solùm, ut in exitu à purgatorio serventur ab unguibus Leonis tentatoris, qui circuit habens iram magnam, quia modicum tempus habet, orat ut eis Archangelus Michaël assistat. Ita discurrit gaudentius. Vel Respondeo cum laurea, Ecclesia in missa defunctorum orare pro omnibus mortuis, & morituris, ut qui mortui sunt, liberentur à pœnis purgatorij, quas patiuntur, & ut qui morituri sunt, liberentur à pœnis in quas mitti possunt, vel purgatorias, aut alias profundi lacus, seu tartari, & de ore Leonis, nempè diaboli liberentur. Vel quòd Ecclesia orat ita pro defunctis, ac si tunc decederent. Ita idem Doctor.





LIBER QVARTVS
QUI EST DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

CAPVT I.

De Sacramentis in communi.

I. UT aquas salientes in vitam æternam hauriremus in gaudio de fontibus salvatoris, septem Sacramenta instituit idem salvator, ut per ipsorum effluvium in nos ubertim exundaret suavis Spiritus Sancti gratia, quâ efficimur divinæ naturæ consortes, & promovemur in filiorum Dei adoptivorum dignitatem, pro consequenda æterni patris hæreditate: nullus enim potest introire in regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua,& Spiritu Sancto. Ioann. 3. Quare Sacramentum sic à Theologis definiri solet. *Signum sensibile gratiam Dei ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Quia Sacramenta sunt signa pratica gratiæ, quam interius producunt & conferunt suscipientibus illa, modò nullum obicem ponant, ut sancit tridentinum sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere ubi legitur *si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiæ, vel justitiæ & notæ quadam Christianæ professionis anathema sit.* Hac ipsa causalitate, seu vi productiva gratiæ, multum differunt à Sacramentis veteris legis, ista enim non causabant gratiam; sed solùm per passionem Christi venturi dandam esse significabant, ut expresse declarat Florentinum.

II. Sacramenta Ecclesiæ præter gratiam Sanctificantem, aliam gratiam producunt, quæ dicitur Sacramentalis, seu jus ad specialia auxilia ad actiones Sacramentales exercendas necessaria: quoniam homo per Baptismum, nedùm recipit gratiam, quâ deletur peccatum Originale, sed etiam jus quoddam ad auxilia necessaria ad dignam receptionem aliorum Sacramentorum, quorum ipse Baptismus est janua. Per confirmationem præter augmentum gratiæ Sanctificantis, recipit jus ad specialia auxilia necessaria ad fidem constanter profitendam. Per Eucharistiam reci-

pit subsidia ad perseverandum in gratia, & ad vincendas tentationes. Pænitentia confert aliquod auxilium ad detestanda peccata, & ad satisfaciendum pro commissis, & sic de cæteris, quia quodlibet Sacramentum confert auxilium, & juvat ad consecutionem finis, ob quem institutum, fuit, ut facilè colligitur ex Concilio Mogundtino ubi de Sacramentis dicitur cap. 11. *Non esse ritus simplices, sed sacro Sancta Signacula, & efficacia signa, quæ ritè ea suscipientes gratiam eis conferendo sanctificant : gratiam verò sacramentalem, non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito ministri, sed ex interna, & divinæ operationis virtute existimandum esse.*

III. Baptismi & pænitentiæ Sacramenta ad conferendam primam gratiam instituta fuere; cùm per illud peccatum originale, & per istud actuale deleantur; ideoque dicuntur Sacramenta mortuorum: quia destinantur pro peccatoribus. Cætera verò dicuntur Sacramenta vivorum. Quia ex vi institutionis existentibus in gratia tantùm conferenda sunt; quamvis interdùm per accidens causent primam gratiam: etenim si fidelis habens peccatum mortale invincibiliter oblitum, putans bona fide, & præmissâ omni humanâ diligentiâ se esse in gratia, & mundum ab omni peccato, ad Eucharistiam accederet, primam gratiam seu remissivam illius peccati mortalis reciperet,& justificaretur; cùm ex tridentino loco citato omnia sacramenta ex se habeant vim conferendi gratiam non ponentibus obicem,& de facto iste peccatum suum invincibiliter ignorans, nullum obicem poneret; quamvis non confessus, nec contritus ad Sacram communionem accederet. Nec valet dicere quòd Eucharistiæ Sacramentum institutum fuit per modum cibi, qui à mortuis suscipi nequit. Quia hic Panis Angelicus habet vitam in semetipso, quam non habet panis corporeus: iste enim non est panis vivus, sicut ille.

IV. Cùm nullum Sacramentum sit aliô præstantius, ut sancit tridentinum loco citato can. 3. cujus verba sunt hæc. *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius: Anathema sit.* Certum est Deum voluisse majorem, ac uberiorem gratiam conferri ex opere operato, cæteris paribus, per sacramenta digniora, & præstantiora. Hac ratione Eucharistia majorem ac uberiorem gratiam præ cæteris confert; illi autem,qui eam sumunt, æqualem gratiam recipiunt,si sint æqualiter dispositi,& præparati. Quia Sacramenta ejusdem rationis inæqualem conferunt gratiam juxta inæqualem recipientis dispositionem; ita ut major gratia conferatur magis disposito, & minus disposito, minor: ut docet tridentinum sess. 6. cap. 7. ut spe majoris illius fructus excitemur ad suscipienda sacramenta cùm majori dispositione,& reverentia: hanc ipsam gratiã causant, quandò sunt in esse completo Sacramenti, scilicet in eo puncto, in quo materia, & forma habent illam perfectam significationem ad quam Sacramenta instituta sunt. Quia producunt gratiam in illo instanti, in quo eam significant, cùm sint signa pratica, quæ significando producunt, & significent gratiam in eo instanti, in quo materia, & forma perfectam habent significationem. An verò hæc causalitas sit Phisica, vel moralis, non ad nos, sed ad Scholasticos spectat assignare modum: quo Sacramenta producunt gratiam sanctificantem. Thomistæ stant pro influxu Physico, Scotistæ verò pro morali; ut fusè probavimus in cursu Theologico.

V. Omnia sacramenta non sunt æqualiter necessaria singulis hominibus: nam Baptismus est necessarius omnibus necessitate medij ad salutem. Quia sine ipso, nullus salvatur licet benè vivat can. *Cathecumenum.* De consecrat. dist. 2. Idem Suadet illud Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Pænitentia est necessaria etiam necessitate medij, non tamen omnibus, sed solis adultis peccatoribus: etenim istud pænitentiæ sacramentum institutum fuit ad delenda peccata actualia; & ideo dicitur secunda tabula post naufragium. De necessitate autem aliorum Sacramentorum (quæ dicuntur Sacramenta vivorum) discurremus in proprio loco. Tamen obiter observandum est omnia Sacramenta ex opere operato conferre gratiam, & nullum ipsorum fuisse institutum ad augendam fidem dumtaxat; ut habetur ex tridentino sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, Anathema sit.*

VI. Solus homo viator est Sacramentorum susceptor: ut facilè colligi potest ex definitione Sacramenti allata supra num. 1. Reverà omnes, & singuli viatores non sunt

sunt capaces omnium Sacramentorum: nam aliqui sunt incapces ordinis, ut fæminæ, alij nequeunt extremam unctionem recipere, quales sunt illi, qui ad usum rationis nondum pervenerunt. Et impotentes nequeunt matrimonium contrahere. Nullum Sacramentum potest conferri omninò invitis, & contradicentibus: requiritur enim in suscipiente intentio aliqua, si sit capax consensûs, & compos rationis, ut docent Concilia Arausicanum 1. & Carthaginense 3. dixi *Aliqua intentio*, quia ut quis Sacramentum suscipiat; sufficit quælibet intentio sivè actualis, sivè virtualis, sivè etiam habitualis; nam intentio ex parte suscipientis, non requiritur ut principium actionis sacramẽtalis, sicut requiritur in ministro, sed solùm tanquam dispositio aut cõditio quâ suscipiens ostenditur non repugnans Sacramento, & ideo, sufficit intentio habitualis, quæ satis indicat suscipientem non repugnare, aut quæ probat sufficienter eum velle Sacramentum suscipere. Qui autem indifferenter se habet; id est, qui nec consentit, nec dissentit, non recipit Sacramentum. Quia ut quis Sacramenta validè suscipiat, debet habere voluntatem aliquam recipiendi ea, quôd de indifferenti non verificatur.

VII. Nullus potest esse legitimus sacramentorum minister, nisi sit homo viator, ut tradit Apostolus. 1. ad Corinth. cap. 4. dicens *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Nec potest ea validè conficere, quin habeat intentionem conficiendi Sacramentum, & faciendi quòd Christus instituit, & Ecclesia facit; ut habemus in tridentino sess. 7. can. 11. De Sacramentis in genere. Reverà hæc intentio non debet necessariò esse actualis; quamvis perfectissima sit, cùm virtualis sufficiat: ipsa enim interveniente, actio Sacramentalis fit cum ea deliberatione quæ requiritur, ut actio sit moralis, ac humana. Habitualis autem est insufficiens, & nulla; & ideo nequit in sacramenti effectionem influere; quia talis intentio est quasi passiva, non manet in se ipsa, cùm jam sit præterita, nec in alio aliquo effectu indè secuto, aliás non esset merè habitualis, sed virtualis, quæ est ea, quâ operans virtute actualis intentionis prius habitæ, facit illa, quæ facit tanquam ex radice, aut præhabito principio absque ulla revocatione ordinato ad omnes actus sequentes, seu in proposito, ad actus pro conficiendo Sacramento requisitos.

VIII. Hæc intentio ministri ad effectionem Sacramentorum requisita, juxtà decretum Concilij Florentini, debet esse absoluta, nec sufficit conditionata, nisi talis sit, quæ statim in absolutam transeat; ut notat Mastrius, cujus ratio est: Quia sola intentio absoluta est efficax: Et ideo si Sacramenta ministrata aliquandò sub conditione de præsenti, vel de præterito, sint valida, hoc est: Quia illa conditio de præsenti, vel de præterito, transit in absolutam. Et intentio conditionata, impleta conditione, fit absoluta; ut probat exemplum istud de Baptismo. *Si non est Baptizatus, ego te Baptizo.* Quô constat Sacramentum esse validum, si puer non sit Baptizatus, & nullum, si sit Baptizatus. Nam intentio ministri non fuit Baptizare hominem jam Baptizatum. Hinc fit conditionem de futuro esse nullam; quia stantibus materiâ & formâ sacramenti, non potest transire in absolutam, & consequenter intentio ministri non potest influere in actum sacramentalem, cùm supposita conditione de futuro, maneat suspensa hæc intentio conficiendi sacramentum: etenim conditio de futuro solitò apponitur ad suspendendum effectum, donec impleatur. Et conditio de præsenti apponitur, ut effectus suspendatur, si sit adimpleta; ut probat exemplum relatum. Igitur effectus Sacramenti non producitur nisi minister absolutè intendat quòd producatur, vel nisi hæc intentio, si conditionalis sit, fiat absoluta per existentiam conditionis: hæc quippe intentio *Si non sis baptizatus, ego te Baptizo*, fit absoluta, & æquivalet huic *ego te Baptizo.* Si puer non sit Baptizatus. *Dices* ergo Sacramentum ministratum sub conditione de futuro, erit posteà validum, scilicet quandò adimplebitur conditio *nego* quia ad conficiendum Sacramentum ultrà ministri intentionem, requiritur aliquid aliud, nimirum materia, & forma sacramenti, quæ non erunt, quandò intentio erit absoluta, seu quando conditio erit adimpleta.

IX. Ex parte ministri præter intentionem, requiritur sufficiens, & legitima potestas conferendi Sacramenta, hæcque est à Christo, qui Sacramenta instituit, & ad eorumdem confectionem ministros designavit. Hæc autem potestas respectu Baptismi, est sufficienter in omnibus, &

singulis hominibus; cùm in necessitate quilibet homo possit Baptizare. Ut decrevit Florentinum in decreto Eugenij ubi de Baptismo ait *minister hujus sacramenti est sacerdos cui ex officio competit Baptizare: in casu autem necessitatis; non solum sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laïcus, & mulier*: Respectu verò aliorum Sacramentorum explicabitur inferiùs de unoquoque in proprio loco. Quantum ad fidem, & sanctitatem (quamvis desiderandæ sint ministris, qui Sanctè Sancta ministrare debent) non requiruntur necessariò in ipsis pro Sacramenti validitate, ut sanciunt plura concilia contrà hæreticos, & præsertim tridentinum loco citato can. 12. hanc veritatem defendunt omnes Theologi post Divum. Augustinum lib. 2. Contrà Parmenianum ubi ait *omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen ea dignè sumentibus.* Quibus verbis constat Sacramenta esse valida; etiamsi à ministris iniquis conferantur, modò adsint materia, forma, & intentio debita. Ratio discriminis est: Quia fides, & Sanctitas ministri non sunt de essentia sacramenti, nec ad ejus validitatem requiruntur, sicut materia, forma, & intentio; sed sunt de perfectione ministrantis dumtaxat

X. Tandem ex Concilio Florentino sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia. Quorum trium si unum desit, non perficitur sacramentum. Quia omnia requiruntur ex institutione divina formaliter, ac expressè, vel æquivalenter; ut patet in matrimonio, quod aliquandò est verum sacramentum solis nutibus absque verbis. Quia nutus, & alia cogitationum, & effectuum signa, quibus sponsi consensum significant, sunt verba æquivalenter, cum præstent in necessitate verborum effectum. Sic enim loquitur idem concilium de Sacramentis *Tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, quorum si desit aliquid, non perficitur sacramentum.*

XI. Non desunt, qui præter Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, alia assignant sacramenta; inferunt enim ex nonnullis sacræ scripturæ textibus, lotionem pedum, & aquam benedictam, habere rationem Sacramenti. Sed ex sacra scriptura, Sanctis patribus, & concilijs, nec plura, nec pauciora sunt quàm septem Sacramenta novæ legis ut sancit trid. sess. 9. can. 1. Lotio pedum non fuit instituta ad conferendam gratiam sanctificantem, nec ad delendum peccatum originale; cùm per solum Baptismum deleatur, nec ad remittendum peccatum actuale, istud quidem per pænitentiam deletur, nec ad augendam gratiam: Quia lavare aqua propriè sumptum, potiùs supponit subjectum mundandum, quàm mundum: lavatur enim quod est sordidum. Deindè nulla assignatur forma hujusmodi lotionis pedum: igitur non est verum Sacramentum à Christo Domino institutum, sed merum humilitatis exemplum, quod Christus discipulis suis Præbere voluit, ut imposterum essent pacifici, & humiles, sicut ipse pacificus, & humilis erat, quamvis magister, & Dominus; quare statim eos sic interrogavit. *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo, ego lavi pedes vestros Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quibus verbis constat voluntatē Christi tunc non fuisse sacramentum aliquod instituere, cùm nulla appareat hujus institutionis necessitas: sed humilitatis exemplum præbere, quod admirans Petrus exclamavit, & dixit *Domine tu mihi lavas pedes*, non ut beneficium respueret, sed ut tantâ reverentiâ se indignum ostenderet.

XII. Quamvis constet Christum dixisse Petro hanc lotionem respuenti *nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Indè tamen non licet inferre lotionem pedum esse necessariam ad salutem, nec ex hoc Petri responso, *Domine non solum pedes, sed manus & caput*, debemus deducere petrum cognovisse hujus lotionis necessitatem pro salute consequenda: Quia Christus sic respondit, ut petrum ad debitam obedientiam sollicitaret: quare statim Petrus respondit *Domine non solum pedes, sed manus, & caput.* Vel quia Christus per hæc verba *nisi lavero te non habebis partem mecum* non voluit significare partem in regno Dei, sed in mensa sua, & cœna parata, pro

comedendo pascha: cùm enim moris esset apud judæos ad mensam non accedere, nisi priùs lotis manibus, & pedibus, Christus eamdem ceremoniam servare voluit, discipulorum suorum pedes lavando. Hinc est quòd lotio pedum est profundæ humilitatis exemplum: non autem Sacramentum verum, & propriè dictum; Undè patres, qui hanc lotionem sacramentum vocant, intelligendi sunt de Sacramento largo modo, & impropriè sumpto, quod idem est ac aliquid Sacramentale, & inter sacramentalia reponendum.

XIII. Idem asserendum est de aqua benedicta, nedùm ob rationes de lotione pedum adductas, sed etiam, quia aqua benedicta instituta fuit ab Ecclesia, nam usus aquæ benedictæ non à Christo Domino, sed ab Ecclesia suam habuit institutionem, ut patet ex can. *aquam* de consecrat. dist. 3. ibi enim legimus *aquam sale consperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur: quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ ſanguine aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, multo magis aqua ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat. Et ſi ſale aſperſo per Eliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacratus ſal ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & à phantaſmatum verſutiis homines defendit?* Usus aquæ benedictæ est antiquissimus, cùm juxta communem Doctorum sensum hujus sacri ritus Cæremonia revocetur ad Alexandrum primum, qui creatus fuit Romæ pridie idus Novembris 118. Teste Eminentissimo Cardinali nostro de Laurea in Epit. Canonum.



CAPUT II.

Quænam requiratur mutatio in materia, vel forma ad Sacramentorum invaliditatem.

I. CUM virtus Sacramentorum tam in significando, quàm in operando pendeat à divina institutione, & à voluntate Dei, qui est author, fons, & largitor gratiæ; Sacramentum non potest esse validum, nisi res, & verba prout sunt à Deo determinata adhibeantur, id est absque mutatione, quæ cùm duplex sit, essentialis scilicet, & accidentalis, hic discutiendum est quænam mutatio requiratur sivè in materia, sivè in forma, ut sacramentum fiat invalidum. Mutatio essentialis, seu substantialis, est quandò materia, aut forma quæ adhibetur, differt secundum communem usum, & æstimationem hominum, re, & nomine ab ea, quam Christus præscripsit in Sacramentorum institutione. Accidentalis verò est quandò materia, aut forma non differt re, vel nomine ab ea, quam Christus instituit; sed solùm secundum accidentia, & cæremonias quæ cùm sint extra essentiam, possunt addi, vel omitti, aut mutari; quia substantia rei maneat imperfecta in essentialibus. Prior reddit Sacramentum invalidum. Quoniam ipsa interveniente in Sacramentis, sivè in materia, sivè in forma, non remanet eadem res, quæ est ordinata à Christo determinatè ad conferendam gratiam viatoribus, nec remanet idem verborum sensus, alioquin sequeretur quòd Sacramenta possent authoritate humana institui: nam posse mutare essentialia, quin Sacramentum sit inefficax, & invalidum, est posse instituere illud validè. Posterior autem non reddit illud invalidum, quia ipsa interveniente, remanet eadem res, quæ est ordinata à Christo; cùm accidentia non varient naturam rei; quamvis efficiant illud illicitum, eo quod unusquisque in Sacramentis administrandis teneatur se gerere juxta praxim, & communem usum receptum in Ecclesia: (v. g.) Si sacerdos consecraret panem ex fructi-

bus arborum, ut Castaneis, Nucibus, &c. Confectum, nullum conficeret Sacramentum. Quoniam hæc mutatio materiæ, esset essentialis. Si sacerdos latinus consecraret panem triticeum fermentatum, validè consecraret, quia hæc mutatio esset accidentalis, sed consecraret illicitè; eo quod non servaret praxim, & usum Ecclesiæ Romanæ, cui tenetur in conscientia obedire.

II. Christus Dominus determinavit materiam, & formam sacramentorum, cùm per materiam, & formam, aut per res, & verba, sacramenta ipsa à Christo Domino instituta determinentur, & intrinsecè constituentur. Hæcque determinatiò quamdam habet latitudinem intrà quam potest mutatio aliqua reperiri; quin Sacramentum fiat invalidum, etenim pro materia Eucharistiæ Christus instituit panem de tritico, & vinum de vite. Intrà panis latitudinem continetur omne triticum, & intrà latitudinem vini omne vinum de vite; quamvis triticum, & vitis plures species contineant. Ideoque omnis panis triticeus, & omne vinum de vite sunt materia Eucharistiæ, licet sit aliqua variatio, modò ipsa variatione posita, panis, & vinum sint intrà latitudinem tritici, & vini vitignei. Parùm refert ad validitatem Sacramenti, quòd panis sit Azimus, vel fermentatus, quòd vinum sit album, vel rubrum: his quidem non obstantibus, panis, & vinum intrà eamdem speciem remanent, suntque verè, ac essentialiter panis, & vinum.

III. Nec sufficit validitati Sacramenti, quòd materia sit intrà latitudinem speciei materiæ determinatæ à Christo Domino; requiritur insuper, quòd sit apta ad usum ipsius sacramenti secundum institutionem divinam: nam aqua liquida, & congelata, pasta, & panis usualis, vinum & acetum sunt intra latitudinem ejusdem speciei; tamen aqua congelata non potest esse materia baptismi, nec pasta & acetum materiæ Eucharistiæ. Quia aqua congelata non est apta ad usum baptismi, nimirum ablutionis, nec pasta ad usum convivij ad cujus modum instituta fuit Eucharistia; juxta illud Christi Domini testimonium *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*.

IV. In forma Sacramentorum reperitur etiam aliqua consimilis latitudo intrà formam à Christo determinatam, seu intrà speciem verborum: certum enim est hæc verba *Ego te Baptizo*, & ista, *je te Baptise* esse ejusdem speciei. Igitur tam illa, quàm ista sunt valida. Quia determinatio illa verborum à Christo facta, non est desumenda ex qualitate soni, vel Syllabarum, nec idiomatis; sed ex significatione. Hinc est quòd mutatio verborum non invalidat sacramentum, modò permaneat idem sensus, eademque significatio: nam in matrimonio requiruntur verba mutuum contrahentium consensum significantia; tamen nutus, & signa sufficere possunt: quia consensum illum significant, sicut vox, deficiente ipsa voce, & ideo in omni lingua, aut idiomate, Baptismus est validus, si verba significent id, quod significant ista. *Ego te Baptizo in nomine patris, &c.* Idem dicendum est de forma aliorum Sacramentorum: quia Christus non determinavit verba Sacramentorum, hoc, vel illo idiomate, esse proferenda, quamvis determinato idiomate ea protulerit, scilicet Hebraïco, vel Syriacô: quippe Christus Sacramenta instituendo alterutrô hòc idiomate usus est. Et consequenter mutatio unius vocis in aliam idem significantem, non invalidat Sacramentum. Sunt etiam valida Sacramenta, si in prolatione formæ, omittatur aliqua vox, dummodo non mutetur sensus formæ, quatenus instituta fuit à Christo ad significationem, & productionem gratiæ, ut (v. g.) dùm omittitur *Ego* in Baptismo, & pœnitentia. Quia suppressa hac ipsa voce, remanet idem sensus. Verbum *Baptizo* exprimit personam Baptizantem, & verbum *absolvo* personam absolventem: suppressâ autem istâ. *Te*, Sacramentum est nullum, ut monet Scotus. Quia forma necessariò exprimit suscipientem, qui non exprimitur, dùm vox *te* omittitur. Sacramenta sunt pariter valida, si in prolatione verborum addatur aliqua vox, modò idem sensus remaneat, & minister habeat intentionem faciendi quòd Ecclesia facit (v. g.) si quis uteretur hac formâ *Ego te Baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ Virginis.* Aut alterius Sancti, verum Sacramentum conficeret, modò non intenderet Baptizare in nomine, hoc est in virtute, vel authoritate Beatæ Virginis, sicut in nomine Patris, sed solum per verba addita, vellet Baptismum collatum in nomine Patris, &

Filij, & Spiritus Sancti prodesse Baptizato ad conservandam gratiam baptismalem; quia in hoc sensu additio non mutat sensum formæ sicut in priori; cùm invocatio beatæ virginis non sit de essentia formæ baptismi, sicut invocatio Sanctissimæ Trinitatis. hæc quidem verba formæ addita; licet dici possint inutilia, non sunt tamen vitiosa, & ideo non vitiant formam. Quia ex regulis juris, utile non vitiatur per inutile.

V. Si additio in forma, sit verborum repugnantium, Sacramentum est invalidum, quia est corruptiva formæ, ejusque sensum vertit, ut probat exemplum istud. *Ego te Baptizo in nomine Patris geniti, & Filij generantis patrem, & Spiritus Sancti, Patrem, & Filium producentis.* Etenim personæ divinæ in quorum nomine Baptismus confertur, non significantur, nec exprimuntur per illa verba addita, cùm pater in cujus nomine conferendum est Baptisma, non sit genitus; & filius non sit generans, nec Spiritus Sanctus producens, ut his verbis Athanasij in Symbolo Suadetur *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus, filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus, Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Undè quandò additio non est corruptiva formæ Sacramenti ob repugnatiam illud, non invalidat etiamsi sit falsa. Ut (v.g.) Ista *hoc est Corpus meum consecratum in fermentato pane.* Hæc additio in forma Eucharistiæ, est falsa, quia Christus, ut in proprio loco dicemus contrà Græcos, consecravit in Azimo, tamen Sacramentum est validum, quia non mutat sensum formæ à Christo institutæ, nec ipsi repugnat ex natura rei panis fermentati; ut cõsideranti patebit. Si additio esset de numero singulari in pluralem, proferendo scilicet. *Ego te Baptizo in nominibus Patris, &c.* Sacramentum conferetur nullum. Quia hoc est mutare sensum formæ; cùm in ipsa exprimenda sit unitas divinæ essentiæ, una virtus, unaque majestas trium personarum, & hæc vox. in nominibus significet tres essentias, tres virtutes, & tres Majestates distinctas. Quòd est falsum, in divinis essentialia non multiplicantur.

VI. Parochus, qui pronomen *Ego* mutaret, & diceret. *Nos te Baptizamus in nomine Patris, &c.* Validum conferret sacramentum, modò per Ly *nos* intenderet idem quòd *Ego* significare, ut de facto intendunt superiores, & Prælati, in præceptis quæ condunt. Ita communior opinio contrà Vegam: & Ledesmam, qui illam mutationem admittunt tantùm, quandò baptizans est Papa, aut Episcopus, qui ob dignitatem solent dicere *nos.* sed non convincit hæc ratio: etenim in administratione hujus sacramenti, omnes ministri eamdem habent authoritatem &, æqualiter tenentur proferre verba, quæ Christus instituit. Quoniam omnes pro Christo legatione funguntur & eidẽ Christo æqualiter subjiciuntur. Validum etiam esset Sacramentum, si diceret *Ego vos Baptizo* seu mutaret nomen *te* in *vos* modò intenderet personam particularem significare, & unum individuum Baptizare. Quia hoc verbum *vos* idem significat ac aliud *te.* Sacerdos tamen, qui proferendo formam Eucharistiæ mutaret vocem *meum* in aliam nempe *nostrum* seu diceret hoc *est corpus nostrum* non consecraret. Quia verteret verum sensum; cùm hæc vox *nostrum* significet Corpus esse Christi, & alterius; Eucharistia autem Corpus Christi tantum contineat.

VII. Interpolatio, seu intermissio verborum invalidat etiam Sacramentum, si sit tanta, ut communi sensu non iudicetur esse una oratio, quoniam forma Sacramentalis prout talis est, plura verba continet, & ipsis sit una forma, quatenus conjuncta, & continua sunt: nam si sacerdos Baptizans, cùm jam protulisset hæc verba *Ego te Baptizo* alloqueretur alium, scilicet patrem, aut patrinum pueri, & peracta locutione cætera verba proferret, nempè *in nomine Patris, &c.* Nullum certò foret Sacramentum. Quia verba non haberent rationem formæ Baptismi. Transpositio etiam quæ variat sensum invalidat Sacramentum. Ut ista (v. g.) *in nomine Patris te Filij Baptizo, & Spiritus Sancti.* Illa verò transpositio, quæ sensum non variat, validitati minimè nocet: validus enim est Baptismus collatus sub illa forma. *Ego Baptizo te in nomine Patris, &c.* Quidquid dicant nonnulli; quia sic non mutatur sensus formæ. valida foret etiam hæc. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ego te Baptizo.* Quia facit eumdem sensum ac ista. *Ego te Baptizo, &c.* Et sufficienter designat Baptizandum; & invocationem Sanctissimæ Trinitatis & nihil aliud requiritur ex parte formæ.

VIII. An mutatio verborum in alia Synomina invalidet Sacramentum, ut (v. g.) ista. *Ego te Baptizo in nomine genitoris, geniti & procedentis ab utroque?* Plures affirmant. Sed oppinio opposita est probabilior. Quia forma Baptismi debet significare divinas personas sub proprijs rationibus, seu relationibus, quibus constituuntur in ratione personarum divinarum; cùm Solius constitutivi sit significare primariò, & essentialiter constitutum: sed hæc nomina, *genitor*, *genitus*, *& procedens* non significant sic divinas personas; cùm significent solùm notionem, & originationem, & pater constituatur in ratione personæ per paternitatem, filius per filiationem, & Spiritus Sanctus per spirationem passivam; ut docent Theologi. Igitur non possi[illegible] esse forma Baptismi, nec significare di[illegible]as personas sub rationibus personali[illegible] juxtà mandatum Christi, Marc. Ulti[illegible] *[illegible]aptizantes eos in nomine Patris, &c.* D. Thomas, Scotus, & alij cum qui[illegible]ristimo particulam &, esse de essen[illegible] formæ baptismi. Undè invalidum est [illegible]aptisma sic collatum, *Ego te Baptizo in nomine Patris, Filij, Spiritus sancti.* Quia sic tres personæ in unam infunduntur, sublata quidem disjunctione, Pater, Filius; Spiritus videntur uni, & eidem personæ convenire, ut nomen, & cognomen, vel ut duo nomina: ut v. g. Marcus Antonius.

IX. Reclamant nonnulli, & sic insurgunt. Christus instituendo Sacramenta non mandavit ut adjiceretur forma: non enim cum instituit baptismum v. g. dixit Apostolis volo ut baptizans dicat. *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & sic de cæteris. Igitur Sacramenta nequeant esse invalida ex mutatione formæ, seu verborum. Respondeo Christum instituendo Baptismi sacramentum, aut dicendo Apostolis. *euntes Baptizantes* designavit saltem implicitè hujus sacramenti formam, esse istam *ego te Baptizo*: quia retulit hæc verba *Baptizantes eos* ad homines in particulari; scilicet ad Baptizantem, & Baptizandum. Et significavit in conferendo baptismate invocationem Sanctissimæ Trinitatis esse adjiciendam, & exprimendam à Baptizante super Baptizandum, seu aquâ abluendum: ideoque voluit hæc verba, *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Esse formam Baptismi; hæc quidem Sanctissimæ Trinitatis invocatio nequit aliter exprimi; nec licet ministris eam essentialiter mutare, cùm tam in moralibus, quàm in Physicis forma det esse, & formâ mutatâ intrinsece, mutetur & res. Tandem dum Christus instituit Sacramenta non præcepit expressè intentionem ministri; tamen quia Christus ea commisit ministris, & dispensatoribus, Ecclesia indè expressè infert intentionem ministri esse prorsùs necessariam pro validitate sacramenti; ut Sancit tridentinum sess. 7. can. 11. *Si quis di[illegible]erit in ministris dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathem sit*: eadem ratione Ecclesia infert expre[illegible]è formam baptismi esse hanc. *Ego te Baptizo in nomine Patris &c.* Quia in ejusmodi verbis Baptismum confert; quin liceat ea essentialiter mutare; quia ex illis *Baptizantes eos, &c.* Nulla alia forma potest colligi.

X. In Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij sæpè fit mutatio sivè in forma, sivè in materia, quin Sacramentum sit invalidum, nam actus pœnitentis scilicet confessio, contritio, & satisfactio sæpè mutantur, aut omittantur, & gratia recipitur [si contritionem excipias] quia elinguis, & mutus absque oris confessione potest peccata sua per nutus, vel per signa, vel per scripturam, & conceptum de eis dolorem confessario ita apertè declarare; ut possit facilè ab eo absolvi validè, & licitè. Idem dicendum de Sacramento matrimonij, in quo necessariò requiritur consensus conjugum verbis expressus. Tamen verba consensum exprimentia mutantur in signa; quin matrimonium fiat invalidum: ut dum ob necessitatem, conjunges per nutus, per signa, vel per scripturam consentiunt.

CAPUT III.

De Charactere Sacramentali.

I. NON omnia novæ legis sacramenta, sed tria duntaxat putà baptismus, Confirmatio & ordo imprimunt. charactere spiritualem, idest signum quoddam spirituale, & indelebile, ut non obs-

curè describit Apostolus 2. Ad Corinth. 1. vers. 21. 22. dicens. *Unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritûs in cordibus nostris.* Illa quidem vox *signavit* denotat Characterem. Ita definitum fuit in concilijs Florentino in decreto Eugenij, & tridentino sess. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, Anathema sit.* Idem sentiunt Sancti Patres communiter, & præsertim D. Augustinus lib. 6. de Baptismo cap. 1. ubi ait *Eduxit Pastoribus Ecclesia ovem, quæ foris errabat Dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus foris acceperat venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à vulnere sanari, Characterem tamen Dominicum in ea potiùs agnosci, quàm improbari, quandoquidem ipsum Characterem multi lupis infigunt*: Ille autem Dominicus character est aliquod indelebile signaculum impressum animæ ob fines infrà assignandos. Et D. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. dicens. *Spiritu signamur, ut splendorem, & imaginem ejus, & gratiam tenere possimus, quòd est spirituale signaculum.* Quòd ex Cyrillo Jerosolimitano est Sanctum, & indelebile.

II. In Ecclesia Christi diversi sunt hominum ordines, sicut in exercitu principis bene disposito; cùm sit ut Castrorum acies ordinata, proprijs characteribus distinguens quos suscipit, atque eos, quos ad fidei deffensionem, & ministeriorum dispensationem deputat: nam per Baptismum homo recipitur in familiam Christi, & ab omni alio extrà hanc familiam existentem distinguitur. Etenim per Baptismum gratiam recipimus, & inter oves Christi, & Filios Ecclesiæ connumeramur, aliquod igitur signum habemus, quô distinguimur ab infidelibus. Per confirmationem recipimur in militiam Christi, & ad deffensionem fidei Christianæ contrà inimicos crucis roboramur; ergo Christus dux militiæ nostræ nos charactere militiæ suæ notat, ut ab hostibus distinguamur, & ut fortiores simus in Bello. Tandem per sacramentum ordinis homo constituitur minister ad sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras obeundas, juxtà ordinum diversitatem. Hæc tria sacramenta iterari non possunt. Quia imprimunt Characterem à quo emanat virtus ad horum sacramentorum fines consequendos necessaria. cætera verò scilicet Eucharistia, pœnitentia extremaunctio, & matrimonium iterari possunt. Quia nullum effectum producunt præter gratiam, quæ est per peccatum amissibilis, quæ non est munus, nec officium, sed qualitas supernaturalis, quæ per peccatum expellitur, & per pœnitentiam recuperatur, & quam post amissionem recuperare necesse est Character Sacramenti alis non est relatio rationis, nec realis; sed forma realis absoluta, ut docet Scola subtilis; cùm non resultet ex extremis, ut relationi proprium est, sed imprimatur, & à Deo infundatur ad aliquam operationem exercendam. Charactere Baptismi homo fit idoneus ad susceptionem aliorum Sacramentorum. Confirmationis charactere disponitur ad fidei confirmationem. Et per characterem ordinis recipit facultatem exercendi diversa munera ipsorum ordinum, ideoque est forma absoluta pertinens ad secundam speciem qualitatis, nempè ad potentiam quæ inclinat, aut facilitat subjectum ad actum: certum enim est quòd Baptizatus est fortior in his, quæ Dei sunt, quàm non Baptizatus. Confirmatus quàm non Confirmatus, & ordinatus, quàm non ordinatus.

IV. Proximum & immediatum Characteris subjectum est voluntas, seu anima sub ratione formali voluntatis, ut docent communiter Theologi nostri. Eorum ratio est. Quia character est potestas suscipiendi, vel tradendi ea quæ pertinent ad cultum divinum, quæ subjectari non potest saltem proximè, & immediatè, nisi in voluntate, cujus est expendere, & peragere quæ ad cultum divinum pertinent. Undè Deus, ut ostendat omnia, quæ à nobis agenda sunt, à voluntate dependere, & solam voluntatem sufficere pro exequendis mandatis, cor nostrum petit unicuique dicens *Fili præbe mihi cor tuum.* Deindè character Baptismi obligat nos ad servandam legem Christi ab Ecclesia Romana nobis notificatam, ut insinuare videtur D. Gregorius Nazianzenus orat. 40. dicens. *Baptismus est sigillum: quia conservatio est, ac Dominationis significatio: significat enim cujus Domini possessio simus* & posteà *prius significata non facilè insidijs appetitur, quæ non est signata facilè*

cipitur à furibus. Character confirmationis obligat nos ad profitendam, & tuendam fidem Christianam, & character ordinis est potestas activa : inducens obligationem operandi, & instituendi ministros juxta necessitatem Ecclesiæ, ut ex dictis facilè colligitur: atqui omnis obligatio ad opus, spectat ad voluntatem, per quam homo se obligat, & obedientem se præbet Dei, & Ecclesiæ mandatis, sicut præceptum, & imperium sunt in voluntate. Igitur character est immediatè in voluntate, sicut gratia significans, aut habitus charitatis; & obedientia.

V. Character sacramentalis producitur eo modo, & tempore ; quo producitur gratia sanctificans, quippeeùm sit effectus secundarius Baptismi, confirmationis, & ordinis; sicut gratia est effectus primarius, debet produci ex opere operato, quandò Sacramentum est completum, & producit gratiam, seu effectum primarium. Adverte tamen istud esse discrimen; nimirum ad productionem characteris sufficere, quòd Sacramentum debito modo, hoc est cum debita materia, forma, & intentione ministri conficiatur, & ideò produci potest ; quin gratia producatur: gratia enim non producitur quandò in suscipiente adest obex (character tamen producitur) licet posteà ipsa gratia producatur, recedente obice, ex cujus recessu sacramentum iterum reviviscit, quoad gratiæ productionem, ut dicemus in capite sequenti. Hujus discriminis ratio est. Quia gratia ponitur directè propter justificationem animæ quæ sanctificari non potest, stante obice, nimirum indispositione. Character verò ponitur propter operationes jam memoratas, quæ à peccatore perfici possunt. Alioquin Sanctitas requireretur in ministris pro validitate sacramentorum, quòd est falsum.

VI. Cùm indelebilis, & inamissibilis sit character, & anima incorruptibilis, & immortalis sit ipsius subjectum mediatum sub ratione voluntatis, & principij liberi, necessariò subsistit post mortem, tam in beatis, quàm in damnatis cùm anima subsistat. Hinc est quòd si Sacerdos à mortuis resurgeret, non esset iterum baptizandus, nec ordinandus; quippe post resurrectionem esset idem homo, qui erat ante mortem; alioquin non esset resurrectio. An verò in alia vita ita permaneat, ut sit cùm potestate sibi annexa ad validè recipienda, vel conferenda alia Sacramenta? duæ sunt opiniones una negat. Ita vasquez, ægidius, hurtadus, & alij. Altera affirmat. Sic D. Thomas, Scotus, & alij quibus adhæreo, quamvis hæc potestas non sit de lege ordinaria reducibilis ad actum. Quia ut jam monui suprà, character est ipsamet potentia : est enim activus, & operativus : ipso enim roboramur, & voluntas fit fortior, & ipso mediante Sacerdos actus Sacramentales efficit, licet extrà viam nullum actum efficere valeat, quia extrà viam cessat materia cultus exterioris, quamvis remaneat finis ejus, qui est gloria Dei ob quam subsistit character in anima post mortem. Unde D. Augustinus lib. 11. contra Parmenianum cap. 13. ait. *Perversitatem hominum esse corrigendam, Sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam: constat enim eam in perversis, & sceleratis hominibus, sivè in eis qui intus sunt, sivè in eis qui foris sunt, impollutam, atque inviolabilem permanere; & quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant; sed in bonis permanent ad pœnam, in malis permanent ad iudicium.*

CAPUT IV.

De subjecto Sacramentorum.

I. Homines viatores dumtaxat, possunt validè Sacramenta suscipere; ut monui suprà cap. 1. num. 6. (ubi etiam resolvitur, an, & æqualis intentio ipsis necessaria sit, si sint adulti) quia Sacramenta instituta sunt ad salutem hominis viatoris; ideóque solus homo, quamdiu in hac vita degit, & est in via, est subjectum capax sacramentorum. At quia eorumdem effectus primarius, & principalis, seu gratia sanctificans, est quædam forma spiritualis, nonnullas in subjecto suscipiente dispositiones exigit Sacramenti validitas, quibus sublatis, gratia non confertur hæc est forma, quæ ad dispositiones sequitur, & qualitas, quæ cum qualitate contraria, nequit in eodem subjecto simul esse.

II. Ut baptismus gratiam sanctificantem conferat adulto, requiritur in ipso fides omnem infidelitatem, & errorem excludens

dens, & notitiam articulorum fidei includens: Christus enim Apostolos ad conversionem gentium delegans, ait illis *euntes docete omnes gentes, baptizantes.* Quæ verba exponens D. Hyeronimus ait *Primum docent omnes gentes, deindè doctas intingunt aquâ. Non enim potest fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antè anima fidei susceperit veritatem.* Ut ostenderet doctrinam præmittendam esse baptismo ob necessitatem fidei, sine qua impossibile est placere Deo; ut declarat Apostolus ad Hebræos cap. 11. Idem probat exemplum Philippi act. 8. qui, eunucho his verbis *ecce aquam quis prohibet me baptizari* baptismum postulanti dixit, *si credis ex toto corde, licet.* Sed, ut baptismus gratiam conferat parvulis, nullam in ipsis exigit fidem. Quia non habent usum liberi arbitrij, quo actu credere possint. Christus, & ejus Ecclesia intentionem, & dispositionem supplent: nam Sacerdoti interroganti puerum baptizandum *credis in Deum* respondetur *Credo.*

III. Si adultus baptizandus, sit à nativitate destitutus ratione, potest validè, ac licitè baptizari: etenim de adulto isto discurrendum est, sicut de puero; ut declarat Rituale Romanum, cùm hoc solo discrimine: Quòd si speratur ipsum aliquandò viâ medicamentorum, usurum ratione, expectandum est tempus illud, ut eum fide propria, & majori reverentia suscipiat baptismum; si autem desperetur, statim est baptizandus: Quia præsumendum est, quòd vellet baptizari, si baptismi necessitatem cognosceret. Si adultus, non sit ratione destitutus à nativitate, sed aliquandò usum rationis habuerit, non est baptizandus, si antè impedimentum voluerit baptizari; cùm judicetur habitualiter dissentiens, & consequenter nequit validè baptizari. Quia baptismus non est dandus invitis Can. *Qui sincera* dist. 45. quia per baptismum homo moritur veteri vitâ, & incipit quamdam vitæ novitatem juxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita, & nos in novitate vitæ ambulemus.* mori autẽ peccato, & novam vitam ducere, sunt actus liberi arbitrij, & voluntatis. Per baptismum multæ suscipiuntur obligationes, quibus nullus invitus potest ligari, sed si tunc, nimirum durante usu rationis, baptizari voluerit, est baptizandus eadem ratione, scilicet quia judicatur habitualiter consentiens; reverà expectandus est tempus sanitatis, si speretur; ut jam monui: hæc veritas colligitur ex cap. *Majores* de baptismo. Judæus, qui vult baptismum suscipere, est Cathechizandus per octo menses; nisi intrà tempus illud, aliqua infirmitas interveniat Can. *judæi* de consecrat. distinctione quarta.

IV Ut adultus dignè, ac debitè baptismum suscipiat, debet necessariò priùs pœnitentiam agere, & dolere de peccatis actualibus, quæ commisit: ut docet D. Augustinus lib. de vera & falsa pœnitentia. cap. 18. ubi ait *baptismus sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui spontanée peccavit.* Idem colligitur ex illo act. 2. ubi legitur Petrum dixisse judæis baptismum desiderantibus *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum.* Et alibi *pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et ex Trident. sess. 6. cap. 6. sic sentiunt omnes Doctores, inter quos, solùm difficultas est, an illa pœnitentia debeat esse actus perfectæ contritionis, an verò sufficiat attritio? Navarrus, Alensis, Victoria, & alij, quos citat Leander de sacram. baptis. disp. 6. quæst. 26. stant pro contritione. Alij verò pro attritione. Ita D. Thomas, Scotus, & alij, quos refert idem Doctor. Posterior opinio videtur mihi probabilior, modò resolutio sit de attritione, quæ excludit (sivè ex turpitudine peccati, sivè ex metu gehennæ) voluntatem peccandi; quatenus peccatum nihil aliud est, quàm injuria in Deum facta: hæc enim attritio includit necessariò pium aliquem ergà Deum affectum: etenim pœnitere de peccato quatenus est offensa Dei, respicit indirectè Deum offensum, estque dolere de peccato, quia per ipsum Deus offenditur. Reapsè talis actus nequit per se peccatores Deo reconciliare, sicut actus perfectæ contritionis; Sed accedente Sacramento ad remissionem peccatorum instituto, elevatur ad habitum sanctificantis charitatis: ut expresse declarat Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi legimus de attritione, seu contritione imperfecta. *Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen enim ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Igitur hæc attritio sufficit adulto, ut dignè, ac debitè baptismum suscipiat, sicut sufficit in confessione sacramentali pro absolutio-

ne obtinendæ, cùm ex eodem Concilio sess. 6. cap. 6. non major requiratur dispositio, aut animi dolor ad gratiam pœnitentiæ sacramenti, quàm ad gratiam baptismi in ætate adulta suscipiendam.

V. Hæc attritio sufficiens adulto ad recipiendam gratiam in baptismo, non debet necessariò existimari contritio, ut volunt Doctores contrà præcedentem assertionem citati: nam si contritio non sit absolutè, & simpliciter necessaria, nec existimatio ejusdem, quæ est judicium, quod nihil confert. debet tamen esse supernaturalis, seu ex auxilio supernaturali procedere, ut habemus ex Tridentino loco citato, & ut suadet ratio: nam naturalis attritio non excludit voluntatem peccandi, nec potest esse proportionata dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ est supernaturalis.

VI. Monstrum ex viro, & fœmina genitum, constans animâ, & corpore, esse absolutè baptizandum, nullus negat. Quia est verè homo. De modo autem, quo baptizandum sit, est difficultas. At omissis variis opinionibus, assigno probabiliorem. Et dico quòd si constet, vel ex duplici capite, vel ex duplici pectore, monstrum habere duas animas, unum est baptizandum post aliud, seu baptizandum est utrumque quodlibet sub propria forma: nulla enim est necessitas baptizandi monstrum illud, ut duo, dicendo *ego vos baptizo*. Si verò non cônstet monstrum habere duas animas, ut contingit dùm non apparent duo capita clarè distincta, nec duo pectora, aut duo capita cum uno pectore, vel duo pectora cum uno capite, bis conferendum est baptisma, scilicet in parte in qua caput perfectius apparet, & in alia; in capite est conferendum absolutè, dicendo *ego te baptizo* &c. & in alia parte est conferendum sub conditione, dicendo *Si non sis baptizatus, ego te baptizo in nomine patris &c.* eadem baptismi formâ, utpotè conditionatâ utendum est, quandò dubitatur an monstrum habeat animam rationalē dicendo *si sis capax baptismi, ego te baptizo &c.* hæc doctrina deducitur ex instructionibus Sti Caroli.

VII. Quamvis baptisma collatum adulto non sit validum, nisi consentiat, & positivè velit baptizari; nihilominùs baptisma collatum infantibus validum est sine consensu parentum, etiam infidelium; cùm habeat formam, materiam, & intentionem ministri; & repugnantia parentum nequeat abesse baptismo: ut docent communiter Scholastici contrà Durandum, & Paludanum. An verò sit etiam licitum? duæ sunt sententiæ. D. Thomas tenet negativam, etiamsi infideles subjiciantur Principi Christiano, & ipse Princeps mandet. Scotus in 4. dist. 4. quæst. 9. tenet aliam, quæ est affirmativa, ibi docet licere publicâ authoritate principis, vel communitatis baptizare pueros infidelium invitis parentibus, qui politicè tantū, & civiliter subsunt principibus Christianis; nec inde fit parentibus injuria. Quia abutuntur jure, quòd habent in filios, cùm eos privent bono seu baptismo, pro ipsis, sicut pro aliis, instituto à Christo Domino, juxta illud Math. ult. *Docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: & Marc 16. *euntes in mundum universum: prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Insuper credendum est noluisse Christum baptismi sacramentum, & gratiam pueris denegare de quibus dicebat. Math. 19. *Sinite parvulos & nolite prohibere eos ad me venire, talium est enim regnum cœlorum* Quos amplexabatur, super quos manus imponebat, & quos benedicebat: ergo princeps qui pueris subditorum suorum infidelium procuraret baptismum, non peccaret: quia ipsis procuraret quod pro ipsis instituit Deus, quô parentes nequeunt citrà culpam suos privare filios. Aliæ rationes, & responsa ad adversarios videri possunt in Theologia nostra Scholastica tract. de baptismo.

VIII. Neminem posse esse simul subjectum, & ministrum baptismi, seu neminem posse se ipsum baptizare, certum est; cùm ex scriptura baptizari sit renasci, & nullus ex se ipso nasci possit. Nam in baptismo ostendendum est quòd, alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat, ut notat Innocentius III. Can. *debitum* extra. de baptismo, ubi respondens Episcopo metensi ait *Sane intimasti* quod &c. certum est etiam unum non posse baptizari à pluribus dicentibus *nos te baptizamus*. Quia intentio Christi, & institutio Sacramenti excludunt pluralitatem ministrorum à collatione unius baptismi. Hinc est quòd si plures ita eumdem baptizarent, ut unus ablueret, & alius verba preferret, baptismus esset nullus. Plures simul baptizari possunt ab uno, unica aspersione, ut factum fuisse legimus act. 2. Reverà peccaret ille, qui extrà ca-

fum necessitatis plures simul baptizaret dicendo *ego vos baptizo* &c. quia non servaret modum præscriptum ab Ecclesia.

IX. Sacramenta non conferunt gratiam illis, qui ea sinè debita dispositione suscipiunt; ut docent Concilia, & præsertim Tridentinum sess. 7. de Sacram. in genere can. *6. si quis dixerit*, &c. Sed ea, quæ characterem imprimunt, si cùm indispositione suscipiantur, conferunt illam posteà recedente indispositione, seu peccato: nam qui ficta pietate accedit ad Sacramenta baptismi, confirmationis, & ordinis, validè Baptizatur, Confirmatur, & ordinatur, & recipit characterem, sed non recipit gratiam sanctificantem, nisi dùm fictio illa, seu impedimentum sublatum fuerit per pœnitentiam, de qua dictum est suprà num. 4. Ita docent Scotus, & communiter alij ex can. *tua* de consecrat. dist. 4. Quia character nullum impedimentum invenit in suscipiente, qui cùm intentione,ac voluntate accedit ad sacramentum; quamvis non doleat de peccatis commissis, cùm character, & peccatum nullam inter se dicant repugnantiam. At adultus, qui reus est alicujus peccati mortalis actualis, debet necessariò agere pœnitentiam, & reverà dolere de peccatis commissis, ut dictum est suprà. Quia hoc genus fictionis consistit in defectu pœnitentiæ, aut in affectu ad aliquod peccatum mortale, quod impedit infusionem gratiæ; licet non impediat characteris impressionem, ut tradit D. Augustinus lib. 1. De baptismo contrà Donatistas cap. 12. Idem D. Thomas 3. p. quæst. 69. art. 10. Ubi ait quòd baptismus, in eo qui fictus baptizatur, operatur ratione characteris quasi formæ impressæ aut seminis post se relicti. Tandem hæc tria sacramenta semel validè collata iterari nō possunt. Et licet propter fictionem, & obicem nullam conferant gratiam; conferunt tamen characterem (qui est dispositio ad gratiam inquit D. Bonaventura) ad cujus præsentiam Deus dat gratiam, recedente fictione, quæ impedivit illam in collatione sacramenti, ut notat Doctor subtilis.

X. Aliorum quatuor Sacramentorum, scilicet Eucharistiæ, Pœnitentiæ, extremæ unctionis, & matrimonij, absque debita dispensatione, seu indignè susceptorum gratia non reviviscit, quidquid dicant plures, præsertim de duobus posterioribus. Nam qui Eucharistiam sumit indebitè, seu indignè, judicium sibi manducat, & bibit, estque reus corporis, & sanguinis Domini, teste Apostolo 1. ad corin. cap. 11. vers. 29. qui fictè accedit ad pœnitentiæ Sacramentum, facit confessionem nullam, & invalidam, seu eidem Sacramento iterum subjiciendam; cùm in priori fictè seu nulliter facta, minimè dimissa fuerint peccata. Quoad alia duo putà extremam-unctionem, & matrimonium fictè suscepta, nullo modo remanent in subjecto indisposito, nihilque in ipso relinquunt undè possint ipsi gratiam conferre, accedente displicentia, aut remotione fictionis. Nec valet dicere quòd hæc duo Sacramenta sunt initerabilia; quia licet iterari nequeant secundum quid, sunt tamen iterabilia simpliciter; cùm primum iterari possit in alia infirmitate, & secundum iterum contrahi possit post mortem alterius conjugis. Ideoque Extrema-Unctio, & matrimonium non sunt duo sacramenta simpliciter, & per se initerabilia, sicut Baptismi, Confirmationis, & ordinis Sacramenta, ac proindè dum indebitè, vel fictè suscipiuntur, sunt prorsùs irrita, & invalida.

XI. Cùm administratio Sacramentorum Sacra sit, solemnes quosdam Cæremonias laudabiliter præscribit Ecclesia propter optimas rationes, quarum meminit tridentinum sess. 22. cap. 5. Primò ad majorem sacramenti venerationem conciliandam. Secundò ad Sacramentorum effectus magis declarandos. Tertiò ad mentem in spiritualium rerum contemplationem erigendam, fidemque, & charitatem excitandam: ibi Patres Concilij, sic loquuntur *Cum natura hominum*, &c. Hujusmodi cæremoniæ ab Ecclesia receptæ, & approbatæ nequeunt sine culpa contemni, nec à ministris pro libitò omitti, nec in novas alias privatâ authoritate mutari, possunt ut facilè colligitur ex eodem concilio sess. 7. de sacramētis in genere can. 13, *Si quis dixerit*. Cùm nullus sine culpa debeat excommunicari.

XII. Nullus debet ad sacramenta suscipienda accedere, nisi exteriori habitu, vestiumque modestiâ, debitam illis venerationem præseferat: quemadmodum enim Sancta Sanctè tractanda sunt; Sanctè etiam recipienda sunt. Quia obligatio hæc est mutua, & correlativa inter sacramenti ministrum, & susceptorem ejusdem. Et comprehendit forum externum, sicut in-

ternum, id est astringit utrumque ad sanctitatem animæ, & corporis, seu ad habendam gratiam in anima, & decentiam, atque modestiam extreiùs. Undè Synodus Aquensis celebrata anno 1585. Ait. *Sedulò Parochi videbunt, né ad sacramenta quævis aliquem admittant, nisi armis depositis modestoque habitu, ac composito corporis gestu aliquod reverentiæ interioris indicium exteriori cultu præse ferat, & fidei nostræ saltem initia recitare noverit.*

CAPUT V.

De Baptismi institutione, & divisione.

I. BABTISMA, quod juxtà mentem Doctoris subtilis in 4. dist. 3. quæst. 1. *Est ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua, simul verba certa cùm intentione debita proferente significans efficaciter ex institutione divina ablutionem animæ à peccato.* Non fuit institutum, dùm Christus est Baptizatus in Jordane: tunc enim non fuit Baptizatus baptismo suo, sed Baptismo Joannis disponentis homines ad suscipiendum Baptismum Christi; colligitur ex istis verbis Joannis ad Pharisæos Math. 3. *Ego quidem vos Baptizo in aqua, qui autem post me venturus est, ipse vos Baptizabit in Spiritu Sancto, & aqua.* Quòd Baptisma, diversum erat à Baptismate Christi, ut declarat tridentinum sess. 7. can. 1. De Baptismo, *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, Anathema sit.* Igitur Christus quandò in Jordane baptisatus fuit à Joanne, non instituit Baptismum, sed significationem quamdam exhibuit ejus, quod in baptismo à se instituendo fieri deberet, & dedicavit aquam tanquam materiam idoneam suo baptismo ex contactu suæ mundissimæ carnis; ut inquit D. Ambrosius lib. 2. in Lucam. Nec institutum fuit baptisma per illa verba Nicodemo dicta Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Quia, inquit Scotus, non est verisimile christum tam necessarium Sacramentum instituisse in conclavi, & coràm persona privata, quæ non debuit esse præco institutionis illius. Neque fuit institutum tempore assentionis, dum dixit Apostolis. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nam Apostoli baptizabant baptismo Christi antè Passionem: ut legitur Joann. 4. Ergo licet tempus institutionis baptismi non legatur præcisè, nec determinatè in Evangelio, probabiliùs tamen est, hanc ipsam institutionem factam fuisse, quandò Christus, & discipuli ejus Baptizabant; & fuisse confirmatam, ac approbatam post resurrectionem, quandò dictum fuit Appostolis *euntes, &c.* Math. ultim. Alioquin sequeretur, vel quòd Apostoli antè passionem Christi baptizassent fictitiè, & invalidè, cùm illud baptisma non fuisset sacramentum; vel quòd Apostoli baptizassent antè baptismi institutionem; sed utrumque est falsum.

II. Quamvis baptismus non fuerit absolutè necessarius ad salutem antè mortem Christi. Quia intrà tempus illud, vetus testamentum non fuit abrogatum, ut monet Apostolus ad heb. 9. Ideoque lex nova non obligabat; fuit tamen utilis, & sufficiens pro expiando peccato originali: quidquid dicant nonnulli: nam virtus operativa hujus sacramenti non habetur ex præcepto, neque ex obligatione recipiendi illud; hæc quidem obligatio fundatur in virtute. Nec ex promulgatione ejusdem, sed ex institutione Christi, quæ passionem præcessit. Præterea si Apostoli ante mortem Christi baptizantes, baptizassent puerum non Circumcisum, & puer mortuus fuisset, proculdubio esset salvatus. Quia tunc baptismus habebat virtutem, quam nunc habet; alioquin Apostoli invanum baptizassent quod non est dicendum, vel suspensus permansisset primarius effectus baptismi nimirum gratia, quòd est improbabile. Cùm certum sit quòd sacramenta causant gratiam positis materiâ, formâ, & intentione ministri, si nullum ponatur impedimentum.

III. Neque statim post mortem Christi, fuit necessarius baptismus ad salutem; sed solùm post sufficientem Evangelij promulgationem, ut facilè colligi potest ex tridentina Synodo sess. 6. cap. 4. Ratio est quia lex non obligat antèquam fuerit sufficienter promulgata. Cùm itaque baptimus positivâ lege divinâ præceptus sit; sequitur homines ad eum suscipiendum

non fuisse priùs obligatos, quàm lex de illo lata, ad hominum notitiam perveniret. Hanc conclusionem præter Scotistas, tenent Filiucius, Ægidius, & alij quos refert, & sequitur Leander. Hæc promulgatio cæpit obligare in die Pentecostes in Jerusalem, indè autem ad alias civitates respectivè. Quibusdam incæpit tempus ad Mensem post Pentecostem, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps sicut eis prædicabatur. Tandem completè obligavit post mortem Apostolorum, quorum sonus exivit in omnem terram: in baptismo enim duo distinguenda sunt tempora: ut advertit Scotus loco citato, scilicet tempus, quo erat sub consilio, & tempus, quo erat sub præcepto. Primum duravit à principio ex quo prædicabatur baptismus per Apostolos, & prædicationem solemnem, & authenticam ejusdem post assentionem Christi: secundum autem tempus incæpit in Pentecostes: Quia usque ad illum diem, Apostoli non prædicaverunt publicè, juxtà illud verbum Christi Luc. 24. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Sed in die Pentecostes, inquit idem doctor, misso Spiritu Sancto, Apostoli solemniter prædicaverunt, & appositæ sunt illo die animæ circiter tria millia, quæ baptismum receperunt, ut legitur act. 2. vers. 41. Ideoque ab illa die obligat baptismus juxtà sensum explicatum.

IV. Baptismum nunc esse necessarium necessitate medij omnibus hominibus, tàm adultis, quàm parvulis, cautum est in varijs concilijs, & præsertim in tridentino sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit baptismum liberum esse (hoc est) non necessarium ad salutem, Anathema sit.* Ex illo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.* Nec valet dicere pueros fidelium esse Sanctos teste Apostolo 1. Corin. cap. 7. vers. 14. Ac proindè baptismum non esse necessarium parvulis ex parentibus fidelibus natis: non valet. Apostolus enim vocat eos Sanctos quasi Sanctitati destinatos à parentibus, quorum curâ baptizantur, & per baptismum sanctificantur, ac in religione Catholica educantur. An verò præceptum divinum de baptismo suscipiendo obliget adultos quàm primùm commodè possunt, sub pœna peccati mortalis, ita ut peccent si baptizari non curent, aut ita ut licitum sit differre baptismum usque ad finem vitæ? In hoc non conveniunt Doctores. Ledesma, & Filiucius negant. Quia existimant nullum tempus esse determinatum antè finem vitæ. Alia opinio videtur mihi probabilior: nam, qui illum differt usque ad finem vitæ, se exponit periculo can. *quando quis* de consecrat. dist. 4. & contradicit Concilio Tridentino loco citato can. 12. dicenti *si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, Anathema sit.* Cùm his verbis constet baptismum non esse sine necessitate differendum: deindè baptismus est principium vitæ christianæ, quæ in fide per baptismum obtinenda incipit. Igitur præceptum obligat adultos quàm primùm commodè possunt. Ita communis opinio.

V. Parentes, aut tutores tenentur, quàm primùm possunt baptizare infantes, sub pœna peccati mortalis, quia sine ulla necessitate exponunt eos periculo damnationis, ut est manifestum, & in varijs concilijs statutum: nam licet præceptum divinum non obliget directè parvulos. Quia ante usum rationis sunt incapaces præceptorum, eos tamen obligat indirectè, seu in persona parentum, sicque in fide eorumdem, vel Ecclesiæ, baptizantur. Et consequenter peccant parentes, si absque ulla necessitate differant baptismum parvulorum ultrà tempus Diœcesis consuetudine institutum, aut constitutione Synodali determinatum. In hac Diœcesi Massiliensi statuto Synodali Illustrissimi Episcopi Caroli de Vintimille ex comitibus Massiliæ du Luc, parentes excommunicationem incurrunt si baptismum puerorum differant ultrà diem tertium.

VI. Quæritur an parentes possint licitè differre baptismum, si Parochus, aut minister hujus sacramenti nollet puerum baptizare, nisi prius acceptâ pecuniâ, vel inito pacto de ipsa danda post baptismum? Sylvester, Paludanus, & alij citantes divum Thomam affirmant. Quia committerent Simoniam; cùm pecuniâ emerent rem sacram, & darent rem spiritualem pro re temporali; alij autem negant: volunt enim parentes posse sine Simonia dare pecuniam parrocho nolenti baptizare; quia hoc est redimere puerum ab iniqua vexatione. Prima opinio videtur mihi probabilior. Quia hæc iniqua vexatio per aliud medium tolli potest, putà differen-

lo baptismum. Si verò contingat puerum esse in extrema necessitate, & in periculo mortis. Existimo cum Scoto in 4. dist. 25. quæst. 2. Circà finem. Quòd si non sit alius homo præter Parochum, qui possit conferre sacramentum, quin vendat illud, pater si non sit mancus, vel mutus, debet ipse baptizare filium suum; cùm omnes & singuli, etiam de populo sivè mares, sivè fœminæ, quamcumque illi sectam profiteantur, urgente necessitate, sine solemnibus cæremoniis, baptizare valeant. Et si sit mancus, vel mutus, in tali casu debet dimittere parvulum mori sine baptismo; potiùs quàm emere baptismum. Quia non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona, & unusquique potest, ac debet potiùs in se ipso vitare peccatum mortale, quàm damnationem in alio. Nec obstat dicere patrem posse dare pecuniam, ut Parochus moveatur ad faciendum, quòd facere debet. Quia supponimus parochum velle pecuniam tanquam prætium baptismi; adversarij opinioni nostræ adhærent in baptismo adulti in periculo mortis existentis: quia inquiunt, adultus potest sibi consulere per contritionem, quæ est baptismus Flaminis. Hac ipsa ratione adversarij probant Simoniam esse, pecuniam dare nolenti baptizare, & consequenter fateri coguntur patrem debere tunc potiùs suum puerum de legitimo matrimonio natum baptizare, quàm dare pecuniam, ut bapizetur, aut quam emere baptismum.

VII. Dicet forsan aliquis, patrem non teneri privare se jure petendi debitum. Quò de facto privaretur in prædicto casu baptizando filium suum, ob cognationem spiritualem, quæ per baptismum contrahitur inter baptizantem, & matrem pueri baptizati: *Nego* instantiam ut deffinitũ manet in can. *Ad limina* 30. quæst. 1. Hic obiter observandum est cum pluribus canonistis hanc constitutionem intelligendam esse dumtaxat de filio legitimo. Nam si filius à Patre baptizatus etiam in necessitate, fuerit ex fornicatione, ipse pater non potest in uxorem ducere matrem filij, seu concubinam. Ratio hujus observationis est. Quia si maritus, qui filium suum in necessitate existentem baptizavit, possit habitare cum uxore sua, aut matre filij, hoc est, nè homo separet, quod Deus conjunxit, ut notat textus. Junctâ glosâ; quæ quidem ratio non adest, si infans fuerit ex fornicatione, aut copulâ illicita. Quippecum hæc conjunctio illicita, non sit à Deo, concubina potest deseri; quin violetur hæc lex *Quod Deus conjunxit homo non separet.* & quin propria uxor deseratur.

VIII. Infantes expositi debent sub conditione baptizari, etiamsi ferant Schedulam in qua scriptum sit eos fuisse baptizatos, nisi nomen alicujus testis fide digni prodatur, ut habetur in can. *Placuit* de consecrat. dist. 4. Ibi enim legimus *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizasse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo esse baptizandos nè ipsa trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.* Ratio est, quia puer debet baptizari, quandò de ipsius baptismo non constat. Constare autem non dicitur per Schedulam simplicem, quam tales expositi ferre solent, quamvis scripta sit, quia semper restat in directore Xenodochij dubiũ de baptismo pueri. Præterea plures Episcopi statuere pueros domi necessitate baptizatos ab obstetricibus, esse iterum baptizandos sub conditione, eorum ratio est; Quia vix contingit baptismum conferri à laïcis; quin in ipso sit aliquod dubium probabile, sufficiens, ut iteretur sub conditione, à fortiori baptizandi sunt infantes expositi: qui cum timore, & tremore suscipiuntur, & ad Xenodochia deferuntur.

IX. Error circà personam baptizandam non invalidat baptismum. Quia licet minister, qui putans baptizare fœminam, & baptizat masculum, erret materialiter, & speculativè; tamen non errat formaliter, nec praticè putà ut minister sacramenti, nec deficit illi intentio faciendi id, quòd facere intendit Ecclesia pro remissione peccati originalis; cùm actu debitè applicet materiam proximam, & formam baptismi homini viatori determinatè nullam in se gratiæ oppositionem habenti. Et ideo baptismus esset validus non obstante tali errore, & masculus esset verè baptizatus. Ita communior opinio. Error in hoc sacramento non est impedimentum dirimens; sicut in matrimonio. Quia in isto una pars decipitur, & contrà proprium consensum, seu essentiã matrimonij contrahit; in illo autem, seu baptismo nulla pars

ita accipitur, ut essentia sacramenti destruatur.

X. Baptismus solitò dividitur in baptismum fluminis, sanguinis, & flaminis. Primus est ille, qui in aqua naturali cum expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione confertur. Secundus est martyrium. Tertius autem est contritio de peccatis commissis, cùm firmo proposito suscipiendi baptismum fluminis. Baptismus sanguinis habet ex opere operato vim supplendi vicem baptismi aquæ, juxtà illud Marc. 8. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.* Idem sentiunt Sancti patres de baptismo flaminis, qui potest etiam ad salutem æternam sufficere can. *Baptismi vicem* de consecrat. dist. 4. Modò contineat baptismi sacramentum in voto; cùm sit perfectus amor Dei, à Deo ipso infusus, aut à Spiritu Sancto excitante perfectam cordis contritionem. Quia votum baptismi perfectæ convertioni conjunctum, potest hominem justificare, & baptismi vicem supplere. Observandum tamen est quòd licet baptismus sanguinis, & flaminis appellentur sacramenta, tamen sacramenti dignitatem, & deffinitionem sibi non vendicant; cùm Martyrium, nec contritio sint signa certa, & sensibilia divinitùs instituta ad gratiam significandam, & conferendam: Appellantur enim sacramenta. Quia supplent effectum baptismi aquæ, qui est propriè, ac verè sacramentum à christo institutum.

XI. Non desunt Theologi, qui negant hominem posse assequi vitam æternam sine baptismo aquæ in re. eorum fundamentum est, quia hæc lex *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Est ita absoluta, & essentialis, ut à nulla alia revocari, nec alio medio suppleri possit. Huic authoritati respondendum est ex sacra scriptura, traditione, & Ecclesiæ interpretatione, hanc legem esse intelligendam de eo qui natus non fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto in re, nec in voto. Qui autem desiderat baptizari ex aqua, & Spiritu Sancto si non possit sic baptizari, corde regeneratus est, licet non corpore, estque justificatus. Ut facilè colligitur ex can. *Cathecumenum* qui est 37. dist. 4. de conse. Ubi legitur *cathecumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus, excepto martirio ubi omnia sacramenta baptismi complentur, baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet, hoc & martir coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, &c.* Idem habetur ex tridentino sess. 6. de justificatione cap. 4. Ubi patres Concilij dicunt de justificatione impij ipsam fieri non posse sine lavacro regenerationis, seu baptismo, aut ejus voto sicut scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ergo ex Concilio lex *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Non excludit votum baptismi, seu baptismum flaminis, nec baptismum sanguinis.

XII. Duo posteriora baptismata sanguinis scilicet, & flaminis non tribuunt characterem, per quem anima distinguitur, & ad gratiam præparatur, licet tribuant gratiam gratum facientem, sicut baptismus fluminis. Quia character est effectus veri sacramenti, non autem sacramenti vicem gerentis: etenim supplementum est de effectu primario, & principali, qui est remissio peccati, aut sanctificantis gratiæ infusio ad salutem animæ prorsùs necessaria, non autem de characteris impressione, quæ est effectus secundarius, & signaculum spirituale, quod à solo signo ad hoc à Christo Jesu instituto, provenit. Præter istos effectus, baptisma confert dona spiritus sancti, virtutes infusas, remissionem totius pœnæ & subjectionem sub potestate Ecclesiæ ad quam introducit.

XIII. Hic quæritur an baptismus sanguinis sit dignior baptismô fluminis? ut clariùs resolvatur dubium, considerandum est cum D. Bonaventura, dignitatem ex duplici capite provenire. Primo à malis à quibus liberat baptismus, & à bonis, quæ confert; & utrumque caput potest considerari etiam dupliciter scilicet intensivè, & extensivè. Undè dico quòd si martirium, & baptismus aquæ considerentur intensivè, baptismus sanguinis est nobilior in utroque ordine: nam efficaciùs liberat à malis, quàm baptismus aquæ. Quia omnia mala pœnæ, & culpæ, imminentia resecat, & secundum potentiam, & secundum actum. Quare D. Damascenus lib. 4. de fide cap. 5. ait *Baptismus sanguinis est valdè bonus, quia secundis sordibus non inquinatur.* Similiter efficacius ordinat ad bonum, quia statim ad gloriam perducit, & ad perfectionem gloriosiorem; cùm hoc baptismô baptizatus consequatur palmam. Et ideo in hoc

sensu baptismus sanguinis excedit baptismum aquæ. Ille autem excedit martirium in alio sensu, scilicet si mala, & bona summantur extensivè: nam baptismus aquæ plures liberat à malis, & à pluribus malis, quia emundat à peccato mortali, & veniali; martirium autem pauciores liberat, & à solis venialibus emundat eos. Quia supponit in martire charitatem, ut ait Apostolus 1. Ad Corinth. cap. 13. vers. 3. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Similiter in ordine ad bona, quæ conferunt baptismus aquæ, baptismus sanguinis, prior excedit, si hujusmodi sumantur extensivè: nam baptismus aquæ confert gratiam gratis datam, seu characterem, & gratiam gratum facientem, quæ est semen vitæ æternæ; martirium autem non tribuit characterem per quem distinguitur anima, & preparatur ad gratiam, nec tribuit gratiam sanctificantem, sed eam consummat: Igitur baptismus aquæ, & baptismus sanguinis se habent sicut excedens & excessum. Nec valet dicere baptismum aquæ ex opere operato, & ex passione Christi habere virtutem, & per consequens esse nobiliorem intensive, seu ex virtute producendi effectum. Non valet inquit Doctor Seraphicus. Quia ibi passio Domini non operatur secundum totam suam virtutem. Deindè baptismus sanguinis habet suam virtutem ex meritis Passionis Domini: Idem confirmat D. Cyprianus in præfatione libri de exhortatione martirij ad fortunatum, ubi ita legitur. *Nos tantum, qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos praparamus, insinuantes, & docentes hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius in honore pratiosius: baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo, Deus & Christus ejus exultant baptisma, post quod nemo jam peccat, baptisma quod fidei nostra sacramenta consummat. baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aqua baptismo accipitur peccatorum remissio, in baptismo sanguinis corona virtutum.*

XIV. Quamvis baptismus aquæ ex sua institutione non postulet in publico Ecclesiæ cœtu conferri, & puer possit intrà domesticos parietes validè baptizari; sacris tamen canonibus, & Apostolicis constitutionibus puer nequit licitè baptizari extrà Ecclesiam parrochialem, nisi subsit legitima causa, aut necessitas, quæ alia esse nequit, Nisi periculum mortis pueri baptizandi; qui potest tunc in domo validè baptizari ab obstetrice, vel à quocumque alio de populo. Ita concilium Aquense celebratum anno 1585. cujus verba sunt hæc *Curatus, sacerdosve extrà necessitatis casum, illis pœna excommunicationis proposità, nè ad domum cujusdam etiam magnatis ad baptismum ministrandum accedat: necessitas autem illa intelligatur, qua mortem infantis minatur.* Ab hac lege excipiuntur tamen regum & principium filii; ut legimus in Clementina unica *de baptismo* cujus verba sunt hæc *præsenti prohibemus edicto, nè quis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi regum, vel principum quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint: aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quòd alii attentare similia non præsumant.*

XV. Nonnulli hæretici potestatem conferendi validè baptismum solis divini verbi ministris tribuere volentes, asserunt ex illo Math. ult. *Ite docete omnes gentes baptizantes, &c.* Christum Dominum solis Apostolis contulisse potestatem baptizandi, & indè concludunt baptismum à persona laica collatum, esse nullum, hocque sacramentum ex sua institutione à solis sacerdotibus conferri posse nedùm licitè, sed etiam validè. Sed non nocet hæc ratio juris dispositioni, quâ quilibet homo viator rationis compos, validè semper, & si urget necessitas, licitè baptizare potest privatim, & sine solemnitate. Quia christus his verbis *Ite docentes omnes baptizantes* Dedit Apostolis facultatem baptizandi publicè, & solemniter. Quapropter in Ecclesia Christi, quæ est Ecclesia Romana, solus sacerdos solemniter baptizat. Sed non dedit illis absolutè, aut simpliciter potestatem baptizandi: quippè priusquam diceret *ite baptizate* discipuli baptizabant; cùm constet hæc verba dicta fuisse post resurrectionem, & Apostolos baptizasse ante passionem seu antequam

essent

essent sacerdo e ,&Episcopi,ut jam dictum est, & ideo baptismus ex sua institutione non postulat conferri à sacerdote, ut sit validus, sed conferri potest à quolibet homine, modò faciat quod intendit facere sponsa Christi. Aliter discurrendum est de baptismo licito. Hunc quidem conferre nequeunt laïci nisi in necessitate, ut sancit Florentinum in decreto Eugenij ubi de ministro baptismi sic legimus *Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare, in casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus: sed etiam laïcus, & mulier, immò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.* Idem legimus in tridentino sess. 7. can. 4. Unde si sint canones, laïcis, & præcipuè mulieribus, prohibentes administrationem baptismi, intelligendi sunt de baptismo quoad solemnitatem, & extrà necessitatem conferendo. Canones autem, qui baptismum à paganis infidelibus, & hæreticis collatum rejicere, ac irritum declarare videntur, intelligendi sunt de illis, qui baptismi formam, & Ecclesiæ ritum non servant. can. *Quos à Paganis* de consecrat dist. 4.

XVI. Cùm necessitas baptizandi possit esse diversa respectu ministrorum, sequitur non esse necessè quòd laïcus baptizet præsente clerico, nec mulier præsente viro, ut declarat Sanctus Carolus Borrom. in instructionibus baptismi ubi ait. *Illud verò cavendum est quòd etiam parrochus, prout occasio tulerit, accuratè monebit, ut né fœmina viro præsente, nequè rursùs clericus præsente subdiacono, hicque itidem coram diacono; nemoque præterea eorum coram sacerdote baptizare audeat. Ipse autem norit sibi licere baptizare etiam præsente suo Episcopo; & quoniam si, vel à muliere, vel à laico secùs fit, grave peccatum admittitur, id etiam monebit.* His suffragatur 19. regula juris in 6. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet se immiscet.* Peccant igitur graviter qui hunc ordinem in baptizandi necessitate subvertunt. Quia in re gravi præceptum Ecclesiæ violant, & contrà reverentiam sacramento debitam agunt.

XVII. Quamvis omnis viator possit in necessitate baptizare (servatò ordine jam memoratô;) tamen obstetrices, quæ baptizare consueverunt, baptizare possunt præsente viro formam hujus sacramenti ignorante: obstetrix enim in hoc casu tenetur sequi tutiorem partem non obstante præscripto ordine de viro præferendo. Tutius quidem est, Quòd ipsa baptizet; quàm vir planè ignarus, iste potest peccare contrà charitatem ignorando formam baptismi; Quia accedere potest necessitas baptizandi, & non poterit ob ignorantiam baptizare. At obstetrix peccat contrà justitiam, si baptizandi formam ignoret. Quia unusquisque tenetur necessaria artis suæ, aut officij scire, & si ex illa ignorantia artis sequatur ruina salutis alteriùs, est mortaliter culpabilis. Igitur obstetrix in nostro casu tenetur baptizare puerum (non obstante præsentia viri,) qui cùm ignarus sit, censetur absens.

CAPUT VI.

De materia, & forma hujus Sacramenti.

I. DUPLEX est baptismi materia, remota scilicet, & proxima. Prior est omnis, & sola aqua naturalis, elementaris, ut constat ex variis decretis conciliorum, & locis sacræ scripturæ, præsertim ex illo Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et ex illo ad Ephes. cap. 5. vers. 25. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacrò, aquæ in verbo vitæ.* Hinc est 1. quòd quælibet aqua simplex, & naturalis, sivè sit ex mari, sivè ex flumine, sivè ex fonte, sivè ex palude, aut pluvia, sivè ex glacie resoluta, aut ex nive, est materia remota baptismi; quamvis sit impura, aut turbida (modo illa impuritas tanta non sit, ut aqua recedat à ratione, & statu naturalis, & elementaris aquæ) calida vel frigida. 2. Quòd liquores, & omnes aquæ artificiales nequeunt esse materia baptismi. Quia non sunt in specie aquæ elementaris, ut inquit Scotus: fiunt enim per actionem ignis decoquentis, & resolventis, quæquidem mixtorum resolutio virtute ignis facta, non potest dici aqua naturalis; & elementaris *dices* aqua, quæ fluxit de la-

tere Christi non fuit vera, naturalis, & & elementaris, sed humor phlegmaticus, qui in corporibus mixtis, quale erat corpus Christi, solitò reperitur. Fuit tamen pignus hujus sacramenti; ut docent Divus Cyprianus Sermo: De passione Christi. Divus Augustinus tract. 120. In Joannem, & alij. Igitur baptismi materia non est aqua naturalis, & elementaris. *Respondeo* aquam, quæ fluxit de latere Christi, fuisse aquam veram, & naturalem, ut asserit Scotus nedùm testimonió Evangelistæ dicentis *Continuò exivit sanguis & aqua.* Quò constat eam aquam fuisse veram aquam, sicut sanguis fuit verè sanguis; sed etiam figurâ, quæ præcessit in veteri testamento, scilicet quandò Moyses percussit silicem, & ex eo non phlegma, sed aqua manavit. Idem sancit tridentinum sess. 22. cap. 7. ubi legitur *monet deindè sancta synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit. Quod sacramentum hac mixtione recollitur: & cùm aqua in Apocalypsi Beati Joannis, populi dicantur: ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

II. Minùs nocet dicere Stephanum Papam II. approbasse baptismum in vino collatum, ut patet ex responsis ejusdem ad Monachos Britamnici Monasterij cap. 11. interrogantes an baptismus urgente necessitate, & aquâ deficiente, in vino collatus, esset validus. Responsio hujus summi Pontificis est hæc. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit: nulla ei proindè adscribitur culpa: infantes si permaneant in baptismo.* Non nocet inquam. Tum quia hujus responsi non satis authentica, nec certa extant monumenta, ut fatentur communiter recentiores. Tum quia ille Summus Pontifex non fuit interrogatus de validitatè baptismi; sed de culpa, & pœna baptizantis, ut probat hæc particula responsionis, *nulla ei proindè adscribitur pœna* propter necessitatem, quæ facit licitum quod antea erat illicitum: undè Summus Pontifex non approbavit baptismum in vino factum, sed excusavit à culpa Sic bona fide & in necessitate baptizantem.

III. Materia proxima est ipsa actualis ablutio, ut præter Ecclesiæ, & Conciliorum decisiones, suadet ethimologia nominis, cùm baptizare, idem, ac abluere significet. Hujus rei argumentum est. Quia aqua non est materia baptismi, nisi quatenus lavat, abluit, aut est lavacrum, ut plures inferunt ex illo Pauli ad titum cap. 3. vers. 5. *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Igitur lotio, aut ablutio debet necessariò requiri in baptismo, non tanquam materia remota, nec tanquam forma, sed tanquam materia proxima. Hæc Sacramentalis ablutio triplici modo fieri potest, scilicet per immersionem baptizandi, vel aspersionem, vel effusionem aquæ in ipsum baptizandum: etenim Christus determinando ablutionem esse materiam proximam hujus Sacramenti, non determinavit modum, quò illa fieri deberet: quamvis rationabili de causa statutum sit ab Ecclesia, baptismum per effusionem aquæ in caput, aut aliam notabilem corporis partem, esse conferendum. Hæc constitutio Ecclesiastica non irritat ablutionem immersionis, & aspersionis. Quia quovis horum trium modorum fiat, homo sufficienter denominatur ablutus; alioquin dicendum esset baptismum ab Apostolis collatum, esse nullum; cùm fuerit per immersionem, vel aspersionem, cùm una die tria millia, altera quinque milia hominum Christi fidem, ac baptismum susceperunt. Sed solùm eam illicitam declarat, nisi excuset consuetudo Ecclesiæ, in qua fit baptismus. Quia in una fide, nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa Can. *de trina* de consecrat. dist. 4. nam si baptismus per immersionem sit in usu in aliqua Ecclesia, in ipsa per immersionem, conferendum est, in hac quidem re unusquisque Ecclesiæ suæ ritum sequi debet, nec valet inculpabiliter ab eo discedere, nisi necessitas cogat.

IV. Controversia est inter Doctores, an in Ecclesijs, in quibus baptisma per immersionem confertur, sit de validitate Sacramenti, ut post immersionem, sequatur emersio; aut valeat etiam si puer projiciatur in puteum cum prolatione verborum? Plures gravissimi authores tenent valere baptismum factum per projectionem, dummodò proferatur integra forma antè mortem pueri; quamvis hæc projectio sit illicita, & mortifera. Sic Thomistæ, & alij quorum ratio est. Quia in tali baptismo adest ablutio pueri, adest forma, adest & intentio

ministri. At ratio non valet: hæc enim ablutio licet sit vera in sensu Physico, non est sacramentalis, seu baptismalis; nec moralis;id est talis, qualis instituta fuit à Christo Domino; cùm ex natura sua sit ordinata ad mortem (quæ infallibiliter sequitur ex ipsa (non obstante intentione baptizantis ordinantis ablutionem ad vitam spiritualem infantis) & improbabile sit Christum pro materia proxima hujus Sacramenti ordinasse aliquid, ex quo infallibiliter sequitur mors corporalis.Immo hoc repugnat. Quia baptismus nequit conferri, quin sit suavior circumcisione juxtà illud Math. 11. vers. 30. *Iugum meum suave est, & onus meum leve*. Quòd tamen falsum esset, si baptismus per projectionem esset validus. Ideoque asserendum est cùm Doctore Subtili baptisma per projectionem in puteum, aut flumen factam, esse omninò invalidum. Quia submersio violenta, qualis est projectio, ad quam non sequitur emersio, non vitam, sed mortem parit. Et quamvis significet sepulturam Christi, non significat tamen (sine emersione) resurrectionem ejus, ut finis hujusmodi ablutionis, scilicet immersionis, exigit.

V. Ut ablutio sufficiat, debet necessariò esse notabilis, nedùm quoad aquæ quantitatem, sed etiam quoad partem corporis. Quia ad baptismum requiritur contactus successivus, & ea quantitas aquæ, quâ homo possit denominari ablutus. Undè una, aut duæ guttæ non sufficiunt, necesse enim est quòd aqua sit tanta, ut possit extendi per partem corporis in quam infunditur. Nec sufficit quælibet pars corporis (v. g.) digitus, manus, aut pes. Hinc est quòd si appareat ex utero matris, pes, aut manus pueri; & ipse puer baptizetur propter imminentem necessitatem,est post nativitatem rebatizandus sub conditione. Quòd minime faciendum esset, si puer ille baptizatus fuisset in capite, vel in alia notabili parte corporis. Quia ex effusione aquæ in illam partem principalem, & valdè notabilem, homo secundum communem sapientum æstimationem, dicitur ablutus, lotus, tinctus; non autem ex infusione in partem minimam. Hæc confirmantur instructionibus Sancti Caroli Borromæi de baptismi administratione ubi ait *Si fœtus ex utero matris, quæ in partu periculosè laborat, vel manu, vel pede, vel aliâ aliquâ parte extans, ob necessitatem in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est; cùm superstes erit sub conditione baptizetur, adhibitis cæteris baptismi cæremoniis. Si verò in capite quod primùm ex utero prodiit,baptizatus est, formâ rite servatâ; quando supervixerit, ad Ecclesiam deferatur cui tantùm reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad solemnitatem baptismi attinent.*

VI. Vera, ac legitima forma baptismi est hæc *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Hæc est ea, quæ deducitur ex illo Math. 28. vers. 19. *baptizantes eos &c.* ubi Christus mandat, & vult, ut quilibet Apostolus doceat, eique dat potestatem baptizandi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Undè infertur nullum Apostolum potuisse istud Sacramentum conferre, seu ministrare; quin dixerit *ego te baptizo* cùm sit minister. Hac ratione Alexander III. relatus in Can. 1. de baptis. ait *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen, & non dixerit ego te baptizo in nomine Patris; & Flij & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus*. Causa hujus nullitatis est certò defectus formæ; cùm ibi ille summus Pontifex supponat materiam, & intentionem ministri, & nihil aliud requiratur aut deficiat in prædicto baptismo nisi forma, aut hæc verba *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

VII. Baptismus collatus sub ista forma *ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis* est invalidus. Quia ad valorem baptismi non sufficit sola invocatio Sanctissimæ Trinitatis, sed etiam requiritur expressio,& invocatio expressa personarum Can. *in Synodo* de consecrat. dist. 4. invalidus pariter esset sub ista forma *in nomine unius & trini* aut *in nomine trium personarum*. Quia non exprimerentur expressè tres divinæ personæ sub propriis relationibus, quibus constituuntur in esse personali: *sicut* enim inquit D. Thomas *aqua sumitur ad baptismum,quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina quibus cōmunius consueverunt nominari personæ, nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.* Indè patet falsam esse sententiam Paludani, & aliorum asserentium formam baptismi per nutum, aut scriptum absque prolatione verborum, esse veram, cùm hujus Sacramenti forma consistat in præcedentibus verbis à Christo Domino determinatis, intrà cujus formæ la-

titudinem, non sistunt signa, & nutus.

VIII. Disputatur an valeret baptisma collatum in solo nomine Christi? plures affirmant, cùm magistro in 4. dist. 3. Adriano, Alensi, & aliis gravissimis, existimantibus aliquandò sic baptizare licitum fuisse, & præsertim tempore Apostolorum, qui baptizabant sub hac forma *ego te baptizo in nomine Jesu Christi* ut legitur in actibus Apostolorum. Alij negant. Ita Scotus & D. Thomas quos sequuntur ferè omnes. Tùm quia inutilis est ratio adversariorum: nam Apostoli hac formâ uti potuerunt ex dispensatione speciali, ut divulgaretur nomen Christi, ut notat Scotus, quæ quidem dispensatio usque ad nos pervenire non potuit. Quia cessavit causa ipsius. Tùm quia Pelagius Papa relatus in Can. *multi sunt* de consecrat. dist. 4. hanc ultimam opinionem confirmat: ibi enim ait *multi sunt qui in nomine solùmmodo Christi una etiam mersione se asserunt baptizare; Evangelicum verò præceptum ipsò Deò & Domino Salvatore nostrò Jesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis, ite baptizate &c.* Tum quia dum dicitur Apostolos baptizasse tantùm in nomine Jesu, idem est ac baptizasse baptismô à Christo Jesu institutô, non autem à Joanne.

IX. His tamen addo Apostolos non baptizasse sub hac forma *ego te baptizo in nomine Christi.* Nec legitur in Sacra Scriptura fuisse in hoc dispensatos: Ratio enim quam afferunt adversarij, putà ut nomen Christi divulgaretur, est insufficiens. Quia tolli potest per istam formam *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.* Quâ utebantur Apostoli, ut docet D. Cyprianus Epist. 73. in illud Petri act. 2. *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi* ubi ait *Jesu Christi mensionem fecit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque filius adjungeretur.* Argumentum hujus rei est, quia Apostoli non obtinuerunt dispensationem mutandi formam à Christo præscriptam, aut non invocandi, nec exprimendi Sanctissimam Trinitatem juxtà præceptum istud *ite baptizantes in nomine Patris &c.* exprimendam, nec de facto eam mutarunt. Nec valet aferre textus Sacræ Scripturæ, quibus significari videtur, Apostolos baptizasse in nomine Jesu Christi, ut act. 10. vers. 48. *Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Et cap. 19. vers. 5. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Quia indicat baptismum fuisse administratum ab Apostolis in merito, & virtute Christi; vel baptismum ab Apostolis collatum, non esse baptismum Joannis, sed Christi. Igitur baptismus sub ista forma *ego te baptizo in nomine Jesu Christi* est invalidus, nec fuit sub eadem ab Apostolis administratus. Quia violassent præceptum istud *baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Sed hoc non est credendum: ergo baptizabant secundum ritum Ecclesiæ Romanæ; cujus sunt fundamenta.

X. Baptisma collatum sub hac forma *ego te baptizo cum Patre; & Filio, & Spiritu Sancto* nullum esset: hoc enim non est baptizare in nomine Sanctissimæ, ac individuæ Trinitatis, sed significare ministrum baptizare conjunctim cum Personis Sanctissimæ Trinitatis. Nec est exprimere expressè unitatem essentiæ; & ideo baptismus sic administratus, est invalidus. Esset etiam invalidus si administraretur sub ista forma *ego te baptizo in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.* Quia indè non exprimitur unitas essentiæ, quæ per ly *in nomine* significatur in baptismo; esset tamen validus si administraretur sub ista forma *ego te baptizo in unum Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum*, vel sub ista *ego te baptizo in uno Deo, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.* Quia neutra mutat sensum formæ præscriptæ, cùm servet unitatem essentiæ, ut constat ex hac particula *unum Deum*, aut *uno Deo* & personas sub proprio constitutivo denotet, ut causam, & authorem sacramenti baptismi. Deindè propositio *per* idem sæpè significat, quod propositio *in* ut notant plures canonistæ contra Ægidium, & alios. Quantum ad baptismum collatum cum multiplicatione actionis, seu sub ista forma *ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine filij, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti* variè sentiunt canonistæ Plures stant pro validitate. Quia (inquiunt) remanet enim idem sensus formæ, exprimuntur insuper unitas essentiæ, Trinitas personarum, & unica actio ministri; existimo tamen oppositum probabilius, & hominem sic baptizatum esse sub conditione rebaptizandum. Tum quia unitas formæ interrupta est, cùm verè interruptio fit quandò verba non pro-

feruntur sic *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Tum quia non denotatur, nec significatur unitas essentiæ in tribus divinis personis existentis: nam supposita repetitione nominis, forma de qua agitur, est sicut ista *baptizo te in nominibus Patris &c.* quæ est nulla, & distinguit totaliter Patrem à Filio. Tum quia baptismus debet conferri in nomine trium divinarum personarum: at dicere *ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filij*, hæc secunda repetitio non est in nomine Patris, nec in nomine Spiritus Sancti; cùm determinet expressè personam, & sic baptizans videatur velle baptizare non sub nomine trium personarum simul, seu quatenus sunt unus Deus, sed sub nomine uniuscujusque personæ, ac si virtus, & potestas unius personæ non esset virtus, & potestas alterius: certum enim est quòd hæc pars *ego te baptizo in nomine Patris* nequit unam orationem construere cum ista *ego te baptizo in nomine Filij* neque illæ duæ cum ista *ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti*, cùm significet tres ablutiones distinctas in tribus nominibus factas. Nullus est igitur baptismus sub tali forma administratus; invalidus quoque esset si administraretur sub ista forma *ego te baptizo in nomine Patris, vel Filij, vel Spiritus Sancti.* Quia hæc forma dividit unitatem essentiæ, & unam tantum Sanctissimæ Trinitatis personam exprimit in baptismo.

XI. Irritus esset baptismus si quis baptizaret sub ista forma *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus* ut baptizant hæretici in Provincia Bosniæ. Omisso enim nomine *Sancti* non exprimitur expressè tertia persona Sanctissimæ Trinitatis, quæ uno nomine dicitur Spiritus Sanctus. Ita D. Thomas, Filliucius, & alij. Irritus pariter esset si quis sic baptizaret *ego baptizo in te nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* Quia verè mutaret sensum formæ. Propositio *in* non denotaret baptismum esse in nomine trium divinarum personarum, sed potiùs in nomine, aut in persona hominis abluti. Præterea nomen *te* non esset casus verbi *baptizo* ac proindè mutaretur sensus veræ, ac perfectæ formæ baptismi, cùm non faceret sensum, quem facit hæc *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ita docent plures contrà Ægidium.

XII. Quæritur an valeret baptismus, si quis aquæ defluenti è tecto, submitteret puerum abluendum, & diceret *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti?* Angelus, Bonacina, Leander, & alij affirmant. Quia inquiunt puer esset verè formaliter, & materialiter ablutus. Alij negant. Ita Scotus quem sequuntur omnes Scotistæ. Hæc opinio videtur mihi probabilior: licet enim puer esset verè, & formaliter ablutus, non esset tamen ablutus à ministro; cùm non esset ipse, qui aquam infunderet, igitur nec baptizatus ab ipso. Dum diceret *ego te baptizo* falsum diceret si abluere, aut baptizare sit, super alium aquam infundere. Nec esset hujus actionis minister, sed solum occasio, aut instrumentum merè passivum, à quo nequit conferri baptismus, quia in ejus institutione Christus præcepit, & voluit ut ab unico ministro prodiret utraque actio scilicet abluendi, & proferendi verba, ut non obscurè colligitur ex verbis illis *baptizantes eos in nomine Patris,* non ad tecta, neque ad puteos, neque ad fontes, sed ad homines directis. Hinc est quòd puer in puteum projectus, uel aquæ defluenti è tecto submissus, aut ablutus à manco verba proferente, & à mutuo aquam infundente, est iterum baptizandus absque conditione: quia tale baptisma est absolute nullum, & irritum, eò quod minister non abluat, nec baptizet; quamvis dicat *ego te baptizo* cùm non infundat aquam. Plures volunt hunc baptismum fore validum si administraretur sub hac Græcorum forma *baptizetur N. Seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* quia nullam falsitatem includit. Nam licet ille, qui profert verba non abluat, puer tamen abluitur. Sed non valet hæc ratio. Quia etiam sub forma græcorum debet ita exprimi actus baptizandi, ut notetur esse ab eo ministro, qui verbà profert: nam illa forma græcorum non est pura deprecatio, sed efficax operatio, & actio ministri agentis secundum sensum horum verborum *baptizantes eos.* Igitur in baptismo tam apud græcos, quàm Latinos aqua debet infundi, & applicari à ministro dicente *ego te baptizo* vel *baptizetur servus &c;* ut dicit minister Græcus. *Dices* per istud verbum *baptizetur* non exprimitur actio ministri, sicut exprimitur per verbum *baptizo* nihilominus baptisma græcorum est validum: ergo validum pariter esset baptisma, si quis aquæ defluenti è tecto submitteret puerum

abluendum, & diceret *ego te baptizo* quamvis hæ verba non exprimeret: verè actionem ministri. Respondeo personam ministri Græci etiam exprimi quia dum dicit *baptizetur* vel *baptizatur* ut observat Arcudius de baptismo cap. 7. idem significat, ac si diceret per actum istum, qui à me fit, putà per aspersionem aquæ baptizetur, aut baptizatur servus Christi, seu abluitur; cùm minister Græcus sic loquendo agat; & aquam infundat. Quod verificari non potest de eo, qui puerum aquæ defluenti è tecto submittit quamvis dicat *ego te baptizo*.

XIII. Baptismus præter effectus jam assignatos, quales sunt, gratiâ sanctificans, character, remissio omnium peccatorum, producit virtutes supernaturales, nimirum fidem, spem, & charitatem; ut declarat tridentinum sess. 6. cap. 7. Ubi baptismi sacramentum dicitur sacramentum fidei, & posteà additur. *Hanc fidem antè baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate fides præstare non potest, undè & statim verbum Christi audiunt: si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque veram, & christianam justitiam accipientes, eam seu primam stolam pro illa, quam adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam, & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, & habeant vitam æternam.* His addendus est D. Chrisostomus homil. Ad Neophytos, ubi sic exponit effectus baptismi dicens. *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur Paulò ante captivi: & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati: Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & justi: non solum, justi, sed & filij: non solum filij, sed & hæredes: non solum hæredes, sed & fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed & cohæredes, non tantum cohæredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa spiritûs. Vides quot sint baptismatis largitates: & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hâc de causâ etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccatis (propriæ nimirum voluntatis & actionis) ut eis detur, vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut sint ejus membra.* Hunc S. Joannis Chrysostomi locum totidem verbis refert S. Augustinus libro 1. contra Julianum cap. 6. *dices* si pueri in baptismo præter gratiam sanctificantem, & characterem reciperent virtutes supernaturales, non essent ita proclives ad malum? *Nego.* Quia hujusmodi virtutes non conferuntur in baptismo quoad usum, ut habetur in Clementina. *De summa trinitate, & fide catholica*, sed solùm quoad habitum, continuo studio, & vivâ pietate, excolendæ, ut superetur difficultas, ex cupiditate carnis adversus spiritum, quæ post baptismum relicta est.

XIV. Per baptismum efficimur universæ legis Christi observandæ debitores. Quia per illam regenerationem baptismalem sumus filij Dei, & cohæredes Christi, ideoque ejus mandata observare tenemur; nec sufficit nobis baptisma pro vita æterna consequenda; ita ut satis sit credere, & nullatenus necessarium sit, operari, nec ambulare in mandatis Domini: fides enim sine operibus mortua est sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ut monet Jacobus Epist. 1. cap. 2. vers. 26. Ideo non solùm fidei debitores fecit nos baptismus, sed etiam universæ legis Christi servandæ, ut sancit tridentinum sess. 4. de baptis. can. 7. Idem colligitur ex institutione ipsius baptismi Math. ult. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti.* Ad quæ verba immediate sequuntur hæc *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*: quibus constat Christianos per baptismum non soliùs fidei; sed etiam universæ legis Christi servandæ debitores fieri. Quapropter christus adolescenti de salute solicito interroganti Maht. 19. vers. 16. *magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam* non respondit *crede tantum* sed dixit *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Igitur non solum tenemur credere, sed etiam servare mandata Dei. Ad imitationem Christi, & ad bona opera obligamur baptismô: *frustra* enim inquit D. Leo Sermon. 25. In nativitate Domini, *appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi. Qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri forma esset discipuli, & illam hu-*

militatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. Nec valet objicere nonnullos sacræ scripturæ textus, quibus salus nostra videtur tribui dono fidei, ut v. g. Joann. 3. *qui credit in filium, habet vitam æternam.* Luc. 7. *Fides tua te salvam fecit*: Quia hujusmodi textus non excludunt bona opera, nec obsérvantiam mandatorum, ut patet ex alijs jam adductis & ex illo Math. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Sed suadent sine fide opera esse mortua, & nullius meriti apud Deum: quemadmodum enim sine operibus, fides mortua est, ita opera sine fide, mortua sunt. Undè Paulus ad Galatas 5. vers. 6. ait *in Christo Jesu, nequè circumcisio, nequè præputium, sed fides, quæ per Charitatem operatur.* Homo autem cujus fides operatur, sine dubio benè, ac rectè vivit: ergo ut quis salvetur, & obtineat coronam, quam repromisit Deus omnibus, qui diligunt illum, necesse est credere, & servare legem Dei.

XV. Nedum ad observantiam præceptorum Dei, sed etiam Ecclesiæ fideles obligantur baptismô. Quoniam ipsô fiunt filij Ecclesiæ, & mandatis ipsius subiiciuntur: hinc est quòd illi, qui Ecclesiæ parere nolunt, nec eam audiunt, habendi sunt ut ethnici, & publicani: nam ad baptizatos pertinent hæc verba Math. 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Et ut contemptores Dei: juxtà illud Luc. 10. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit* Quoniam summus Pontifex, & Episcopi, quos spiritus sanctus posuit Regere Ecclesiam Dei, habent à Deo potestatem condendi leges, & præcepta, quibus obligantur illi, pro quorum animabus, Pastores sunt rationes reddituri in strictissimo Dei judicio. Quarè concilium tridentinum nos obligatos declarat sess. 6. can. 20. & 21. ait *si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi verò Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit. Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem; cui obediant, anathema sit.*

CAPUT VII.

De patrino.

I. ANtiquissima, atque conveniens est consuetudo adhibendi ad baptismum susceptores, sivè patrinos. Antiquitas colligitur ex divo Dionisio lib. de Ecclesiastica Hierarchiâ cap. 7. ubi ait *divinis nostris ducibus in mentem venit, & visum est suscipere infantes, secundum istum sanctum modum, quòd naturales pueri parentes tradderent puerum cuidam docto in divinis Pedagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre; & salvationis sanctæ subsceptore.* Nam per *divinis nostris ducibus* intelligit Apostolos, & vult ipsos esse hujus consuetudinis authores; ideoque antiquissima est. Est etiam conveniens, nam baptismus est spiritualis regeneratio per quam nascimur filij Dei, ut certum habemus, ex variis sacræ scripturæ locis, & presertim ex illo Joann. 1. *dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt.* Sed puero nato dantur nutrix, & Pedagogus, ut eorumdem ope educetur, & instruatur doctrinâ, & bonis artibus: igitur convenit, ut, qui ex baptismi fonte vitam spiritualem habere incipiunt, aliquorum fidei, & prudentiæ committantur, ut ab ipsis fidei nostræ Rudimenta suscipiant, & ad pietatem instrui valeant, cùm sæpè contingat patres, & matres è vivis descedere antequàm filii ad rationis usum perveniant, & pastores sæpè nequeant tantorum puerorum curam in fide erudiendi, suscipere, quæ quidem cura alicui scilicet patrino commitere necesse est. Hanc convenientiam affirmat Amalarius lib. 1. de officiis Ecclesiasticis cap. 2. ubi refert quòd neophiti per octo dies sub patrinis, & matrinis deducebantur ad Ecclesiam, & ad alia christianæ pietatis exercitia, quòd probat antiquitatem, & convenientiam hujus consuetudinis.

II. Olim tres admittebantur patrini, seu susceptores pueri in Baptismo, ad sanctissimæ Trinitatis Mysterium indicandum, ut tradit Uvaldensis. Verùm posteà unus fuit admissus secundum baptizandi sexum

seu vir pro masculo, & fœmina pro fœmina can. *non plures* de consecrat. dist. 4. Ubi Leo Papa ait *non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quàm unus sive vir, sive mulier. In confirmatione quodque idipsum fiat.* Ratio erat quia est unus Deus, una fides, unum baptisma. Sed modò ex sacra tridentina synodo sess. 24. cap. 2. possunt esse duo tantum, seu unus, & una. Quorum munus in administratione hujus sacramenti est, baptizandum sacerdoti offerre, pro ipso fidei professionem emittere, atque spondere baptizandum piè, ac religiosè victurum; ut docet can. *Vos ante omnia.* De consecrat. dist. 4. Ibi enim legimus. *Vos ante omnia tam mulieres quàm viros, qui filios in baptismo suscepistis moneo, ut vos cognoscatis apud Deum extitisse fidejussores pro illis, quos uisi estis de sacro fonte suscipere, ideoque semper eos admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis quos suscepistis de sacro fonte ostendite.* Hac de causa nullus potest esse patrinus, quin sit baptizatus can. *In baptismate* de consecrat. dist. 4. Ubi dicitur *in baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Ratio glossæ est. Quia patrini debent instruere filios suos in symbolo, & in alijs. Hoc facere non possunt, qui primo in eis instructi non fuerunt, nec potest esse patrinus ille, qui non est Catholicus. Quia licet hæreticus sit validè baptizatus, tamen non est aptus ad baptizandum instruendum in fide catholica. Debet etiam esse adultus. Et compos rationis sufficientis ad peccatum mortale, & cognitionis officii à patrinis adimplendi, ut per ipsum puer baptizandus valeat respondere baptizanti, quòd credit, & abrenunciat diabolo. In hoc officio dispensatur si baptizandus sit adultus, cui incumbit necessitas respondendi *credo. Abrenuncio* pariter, & in obligatione imponendi nomen (quæ etiam patrino incumbit, ut colligunt plures ex illo Luc. 2. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer vocatum est nomen ejus Jesus*) quia adultus potest proprium nomen retinere in baptismo, ut patet de de Sancto Augustino. Adultus enim potest sibi in baptismo imponere nomen, & de facto plures sibi imposuerunt illud.

III. Quamvis patrinus non requiratur necessariò ad validitatem baptismi, nec sit de substantia ejus, cùm patrini institutio non sit juris divini, ut ex dictis colligitur, est tamen admittendus jure Ecclesiasticò; etiam in baptismo privato, nisi necessitas excuset. Quia tridentinum statuens patrinum in baptismo, indiscriminatim loquitur, & baptismus privatus est spiritualis regeneratio per quam filij Dei nascimur, sicut baptismus solemnis. Hinc fit quòd parrochus peccaret mortaliter, si solemniter baptizaret sine patrino. Cùm in re gravi faceret contrà præceptum Ecclesiæ. Eadem ratione peccaret etiam si plures quàm duos, putà unum & unam assignaret patrinos. Quia contrà idem concilium cognationem spiritualem extenderet ultrà duos. An patrinus in baptismo, possit etiam esse patrinus pueri ejusdem in confirmatione? Respondeo ex can. *In Cathechismo* de consecrat. dist. 4. negativè. Nisi necessitas id exigat: ex eodem canone in confirmatione, unus patrinus dumtaxat requiritur. Idem ex can. *Non plures.* Qui debet etiam esse confirmatus can. *In baptismate.* An verò peccaret mortaliter, qui secùs faceret? duæ sunt sententiæ. Probabilior tamen stat pro mortali. Ita Victor, Sotus, & alij. Quia ex varijs concilijs præsertim ex bituricensi anno 1584. Et Aquensi 1585. Quibus præcipitur confirmatio ut quibus possit levare puerum de fonte baptismali.

IV. Ad suscipiendum ex sacro fonte puerum, non sunt admittendi monachi, aliivè regulares, aut moniales, ut habetur in can. *Non licet* de consecrat dist. 4. Ibi enim legitur, *non licet abbati, vel monacho de baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Ubi glosa observat monachos posse habere commatres baptizando. Reverà canon, aut concilium Antissiodorense ex quo est desumptus, non loquitur de regularibus, & ideo ex hoc jure non prohibetur illis levare puerum de fonte, immò non desunt Doctores affirmantes religiosos mendicantes posse sine culpâ esse patrinos; ab hac sententiâ tamen recedo. Quia ab officio patrinorum excluduntur per concilia Matisconense 2. Rhemense, & Bituricense. Concilium Aquense hanc inhibitionem extendit nedùm ad regulares, sed etiam ad clericos seculares sacris initiatos, ait enim *compater né adhibeatur regularis aliquis, nec passim clericus secularis*

laris sacris initiatus, aut Ecclesiasticum beneficium obtinens; Sunt etiam quam plurimæ constitutiones synodales idem vetantes; inter alias constitutiones illustrissimi Episcopi Massiliensis Caroli de vintimille du Luc. 1698. Æditæ cap. de baptismo art. 6. Prohibent clericis, officium patrinorum.

V. Ad suscipiendum puerum ex sacro fonte non sunt admittendi peregrini, hospites, ignoti, neque ij quorum domicilium longè abest, quoniam suscepti muneris functionem in puero instruendo præstare nequeunt. Nec admittendi sunt excommunicati, interdicti, publici criminis rei, infamesve, putá concubinarij, usurarij, ebriosi, qui cum inimicis reconciliari nolunt, qui Paschalis confessionis, & communionis officio perfuncti non fuerint, nec pueri natu minores quatuordecim annis, aut puellæ duodecim. Ita S. Carolus Borromæus in concilio Provinciali mediolanensi 1. Idem decretum fuit in alijs concilijs provincialibus, & nationalibus.

VI. Ex Bonifacio Papa octavo in canone 1. de cognatione spirituali in 6. cujus verba in fine hujus numeri referenda sunt ex baptismo, & confirmatione oritur cognatio spiritualis; hæcque intercedit ex baptismo. Primò inter baptizantem, & baptizatum; & inter eumdem baptizantem & patrem, & matrem ejusdem baptizati. Secundò inter susceptores seu patrinum, & matrinam cùm baptizato simul cùm patre, & matre ejusdem baptizati. Quantùm ad susceptores, seu patrinum, & matrinam nulla contrahitur inter ipsos cognatio spiritualis. Ex confirmatione verò intercedit inter patrinum, & matrinam cùm confirmato, & cum patre & matre confirmati: verba decreti Bonifacij sunt hæc *Nedum inter baptizatum, & illum, qui eum suscepit de baptismo, ac inter eumdem baptizatum, & suscipientes filios, & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: immò etiam inter suscipientem, patremque baptizati, & matrem, cognationem spiritualem in baptismo cõtrahi jure constat: quæ cognatio ad contrahendum matrimonium impedit, & dirimit post contractum. Et eadem, quæ de suscipiente sunt dicta, sunt etiam de baptizante censenda. Ex confirmatione quoque, seu frontis chrismatione spiritualis cognatio eiisdemmodis contrahitur, matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta.*

VII. Indè concludendum est contrà Suarem, & Filiucium tract. 2. num. 161. conjuges maritum scilicet, & uxorem ejus posse absque ullo peccato esse patrinos, aut susceptores alienæ prolis (nisi hoc alias in aliqua Diœcesi; jure speciali prohibitum sit) cùm inter eos nulla ex baptismo oriatur cognatio spiritualis. Et aliundè nulla sit in jure Ecclesiastico prohibitio, ut declarat Urbanus II. in can. ult. causæ 3. quæst. 4. Ubi ait *quòd autem uxor cùm marito in baptismate simul non debeat suscipere puerum, nulla authoritate reperitur prohibitum.* Nec valet obijcere quòd idem summus Pontifex statim addit *dignum esse decernimus, ut utrique simul ad hoc aspirare minimè præsumant.* Quia non prohibet hoc sub præcepto, sed sub consilio, ut notat Navarrus, ægidius, & alij. Vel dico quòd si ille summus Pontifex id prohibuerit sub præcepto, & absolutè; revocatum tamen fuit per tridentinum sess. 24. cap. 2. Quò nulla statuitur cognatio spiritualis inter susceptores. Tandem si esset aliquod præceptum hoc prohibens observaretur in tota Ecclesia. Sunt tamen plures in quibus vir, & uxor levant puerum alienum de fonte, ut videmus in Ecclesia Antipolitana, & in alijs.

VIII. Non desunt Doctores asserentes patrinum in baptismo privato nullam cognationem spiritualem contrahere cum baptiszato. Eorum ratio est, quia in tali baptismo Ecclesia nullum expostulat patrinum. Ita Hurtadus, Rebellus, & alij quos impugno. Quia in tali baptismo patrinus verè patrini munus obit, & puer spiritualiter generatur, sicut in baptismo solemni; ob quam generationem contrahitur spiritualis cognatio; deniquè baptismus domi sine cæremonijs collatus, est verè & propriè Sacramentum, sicut ille, qui in Ecclesia solemni ritù administratur. Igitur si in hoc Sacramento patrinus cognationem spiritualem contrahat, quia est Sacramentum, ut tradit D. Thomas, sequitur quòd susceptores prolis in baptismo privato contrahunt illam, sicut susceptores in baptismo solemni. Nec valet adversariorum ratio: nam dato quòd Ecclesia nullum patrinum exigat in baptismo privato; tamen si detur, eumdem effectum præstat. Aliàs Ecclesia nedum non

exigeret patrinum in baptismo privato, sed etiam illum prohiberet, quòd est falsum. Ita Navarrus, Armilla, Ægidius, Layman, & alij Doctores. Qui nostram tuentur sententiam. Ex eo quòd necessitas instituendi patrinos in baptismo subsistat tam in baptismo privato, seu ob necessitatem domi collato, quàm in baptismo solemni, ut non obscurè colligitur ex dictis supra juxtà decreta conciliorum.

IX. Major difficultas est, utrum qui mittit procuratorem ad suscipiendum infantem de sacro baptismatis fonte, contrahat istam cognationem, vel procurator? Respondent plures, quos refert, & sequitur Leander, nullum horum, videlicet nec procuratorem, nec mittentem hujusmodi cognationem contrahere: Primam partem probant. Quia procurator non est verè patrinus, sed ejus vices gerens. Secundam verò, Quia mittens non tangit infantem, nec eum levat de sacro fonte; cùm sit absens, & per procuratorem repræsenteretur. Sed displicet hæc opinio. Quia indè sequeretur quòd puer nullum patrinum haberet, & Parochus sine patrino baptizaret, quòd est falsum. Toletus, Sotus, & alij existimant procuratorem contrahere cognationem Spiritualem. Quia obit munus patrini, ex quo resurgit cognatio illa. At non sufficit hæc ratio. Quia munus patrini attribuitur mittenti juxtà hanc regulam juris. *Qui per alium facit, per se facere videtur.* Igitur verius est cognationem istam contrahi à mittente, non à procuratore. Ita Rebellus, Hurtadus, Ledesma, Navarrus, Cabassutius, & alij: qui testantur ita declaratum fuisse in Sacra Congregatione Cardinalium: Quia actio procuratoris attribuenda est mittenti, qui verè patrinus est censendus, non autem procuratori, qui non agnoscitur ut patrinus. Nam sicut in matrimonio per procuratorem inito, procurator non fit sponsus, nec in baptismo; procurator fit patrinus; cùm agat nomine, & mandatô mittentis, sicut procurator in matrimonio.

X. Adversarij opponunt. Ad contrahendam cognationem requiri contactum Physicum baptizati; cùm patrini sit levare, suscipere, & tenere puerum. Sed mittens non tangit Physicè puerum, sed procurator: ergo solus procurator contrahit cognationem Spiritualem præscriptam in tridentino. Respondetur non requiri contactum Physicum, & proprium, sed sufficere moralem, & alienum; ut probat regula supradicta, quâ per alium faciens, per se facere videtur. Si addant Parochum, qui alterum pro se constituit ad baptizandum, nullam contrahere cognationem; sed solum eum, qui propriâ manu baptizat. Respondendum est paritatem non valere. Quia constitutus à Parocho ad baptizandum, non baptizat nomine, seu authoritate Parochi, sed solùm de licentia ejus: baptizat enim authoritate institutoris Sacramentorum, utporè Christi, cujus in hac parte est minister immediatus, independenter à Parocho. Igitur non Parochi aut mittentis, sed constituti, & baptizantis est contrahere cognationem, quæ juxta sacram tridentinam synodum contrahitur inter baptizantem, & baptizatum: sed procurator non levat puerum proprio nomine, sed mandatô, & nomine mittentis, & consequenter iste debet cognationem contrahere; non autem ille, seu procurator; cùm ex eodem Concilio, alij à designatis patrinis, qui baptizandum tenuerint, vel tetigerint, nullam cognationem contrahant, non obstantibus constitutionibus in contrarium facientibus.

CAPUT VIII.

De Confirmatione.

I. Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum, ut colligitur ex gestis Apostolorum, qui per manuum impositionem conferebant Spiritum Sanctum illis, qui baptizati erant in nomine Jesu. Ut legimus act. 8. cap. vers. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, & cap. 19. vers. 6. *& cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & Prophetabant.* Idem ex tridentino sess. 7. de confir. can. 1. *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum Otiosam Caremoniam esse, & non potiùs verum, & proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quàm catachesim quamdam, quâ adolescentia proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit.*

Est igitur Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum; cùm sit signum sensibile constans ex rebus, & verbis, nempè impositione manuum, & chrismatione junctis orationibus, & conferat gratiam ex opere operato; ut fatentur communiter Sancti patres, & scriptores antiqui, ut optatus Milevitanus lib. 7. Contrà Parmenianum, Pacianus, Barchinonensis Episcopus ad Sympronianum Novatianum, & alij. Impugnant hæretici, dicentes per baptismum homines habere effectus, quos Catholici à Confirmatione proclamant se recipere; ipse quidem baptismus nos munit, confirmat, Roborat, & perficit per Spiritum Sanctum qui nobis datur. Fateor nos per baptismum hujusmodi effectus habere, sed diverso modo conveniunt: nam gratia, Robur, & perfectio, quæ in baptismo accepimus, est gratia regenerationis, & adoptionis, aut filiationis: ea autem quam ex confirmatione habemus, est gratia plenitudinis, atque Roboris Christiani hominis virili ætati conveniens; cùm nobis detur ad profitendam fidem Christi, & ad vincendos hostes Ecclesiæ Dei, quòd infantibus minimè convenit: non enim milites Dei sunt actu, sed filij sicut modò geniti infantes.

II. Istud Sacramentum institutum fuit à Christo Domino in die Cœnæ, ut monet Fabianus Papa can. *Litteris* de consecrat. dist. 3. Nec valet dicere Doctorem subtilem in 4. dist. 2. quæst. 1. Asserere confirmationem institutam fuisse post Resurrectionem Christi, dùm Christus dixit Apostolus *accipite Spiritum Sanctum* Joann. 20. Quia tunc confirmatio non fuit instituta, sed promulgata. Hæcque est mens Doctoris subtilis. Quamvis initerabilis sit, potest nihilominus in casu dubij absque ullo peccato conferri sub conditione, ut baptisma; licet non sit tantæ necessitatis. Ita plures Doctores contrà Angelum, qui docet confirmationem posse tunc absolutè conferri. Quia (inquit) non dicitur iteratùm, quòd nescitur factum. Tandem confirmatio imponit characterem, ut declarat tridentinum sess. 7. can. 9. Ergo est Sacramentum quod iterari minimè potest.

III. Susceptio hujus Sacramenti non est præcisè, & per se necessaria ad salutem necessitate medij sicut susceptio baptismi, ut fatentur omnes Theologi. Nec necessitate præcepti respectivè ad singulos fideles in propria, & privata persona directè spectatos. Quia nullibi in Sacra scriptura præscribitur obligatio recipiendi confirmationem. Nec in jure Ecclesiastico formaliter præcipitur hujus sacramenti susceptio: nam can. *Spiritus Sanctus* can. *de his*, & alij de consecrat. dist. 5. non obligant fideles ad suscipiendam confirmationem, sed solùm Episcopos ad eam ministrandam, & ad vigilandum, ut à sibi commissis ovibus, post septennium suscipiatur. Ita expressè declaratum manet in concilio Mediolanensi quartò. Hinc est quòd confirmationem spontè omittens, secluso contemptu, aut aliâ circunstantiâ, non peccat mortaliter. Dixi *aut aliâ circunstantiâ*. 1. Quia in locis ubi imminet persecutio contrà fidem Ecclesiæ, tenetur quilibet fidelis non confirmatus, hoc Sacramentum suscipere, si Episcopum commodè adire possit, ut ex illo Robur & vires, ad fidem constanter profitendam, acquirat: ut docent plures, quos refert & sequitur Mastrius. Unusquisque enim tenetur suæ securitati consulere ad evadenda pericula, & vincendos hostes salutis. 2. Quia dum datur occasio, non confirmatus debet sacramentum istud suscipere; alioquin censendus esset culpabiliter negligens in re magni momenti, & gravi; cùm oblata opportunitate, non suscipere confirmationem, sit illam contemnere, inquit Scotus, & contemptus Sacramentorum sit æternæ saluti omninò contrarius juxtà D. Thomam 3. p. quæst. 65. art. 4. ad 3. quem sequuntur omnes Theologi.

IV. Sacramentum confirmationis est necessarium necessitate præcepti respectivè ad Ecclesiam Dei: quæ cùm sit respublica legitimè, ac ritè à Deo ut castrorum acies ordinata, & à Christo Domino instituta, necessariò in ea debent esse aliqui confirmati, & ex officio, aut munere destinati ad ipsius defensionem, nè omnes inveniat inermes diabolus ille cautor fraudulentus, à quo nemo unquam nocendi inducias extorsit: ut inquit Petrus Damianus sermone primo in dedicatione Ecclesiæ. Igitur eâ ratione, quâ necessariò debent esse in Ecclesia aliqui duces, qui cæteris præsint, ut eos ad pugnam, & victoriam inducant, debent etiam esse in eadem Ecclesiâ aliqui confirmati, qui sub Ecclesiæ ducibus militent. Ac proindè istud sacramentum est necessarium necessitate præcepti tam divini, quàm Ecclesiastici respe-

ctivè ad universam Ecclesiam, quæ militat in terris, ut fideles triumphent in cœlis. Non autem ad singulos fideles in propria & privata persona spectatos: nam ad salutem consequendam sufficit quilibet gradus gratiæ sanctificantis, cùm ita expellat peccatum, ut cum ipso simul esse nequeat: confirmatio autem non primam, sed secundam gratiam confert: Ideoque non est sic necessaria unicuique in particulari, ut salvetur. Undè illi, qui confirmati nõ sunt, rei minimè sunt, nisi confirmationẽ suscipere contempserint, aut Neglexerint. Hinc est. 1. Quòd istud Sacramentũ in voto est adultis necessariũ: nam si teneamur non contemnere illud, neque negligere, tenemur illud velle, dum erit occasio suscipiendi illud. 2. Quòd parentes peccant graviter si pueros confirmandos non adducant ad Episcopum, dùm idoneam ætatem attingunt, Et Episcopus confirmat.

V. Omnis & solus baptizatus est subjectum capax confirmationis, ut colligitur ex can. *Omnes* de consecrat. dist. 5. Ubi Urbanus Papa ait *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum recipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Quia, cùm Spiritus Sanctus infunditur cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* Et ex praxi Apostolorum, qui baptizatos dumtaxat impositione manuum confirmabant. Nec obstat dicere Spiritum Sanctum datum fuisse Cornelio antequàm baptizaretur, ut legimus in actibus Apostolorum cap. 10. vers. 44. & 47. Quia Cornelius baptizatus erat in voto, aut per contritionem, aut dilectionem Dei super omnia: Erat enim religiosus, ac timens Deum. Ibidem vers. 2.

VI. Quâ autem ætate convenientiùs sit baptizatos confirmari, non conveniunt Doctores. Plures asserunt expectandam esse ætatem duodecim annorum. Alii septennium desiderant, sed in jure nulla est determinata ætas, ad validè suscipiendum confirmationis sacramentum; cùm constet antiquâ Ecclesiæ praxi, fuisse olim parvulis ministratum; quamvis modò ex jussu catechismi Romani, non conferatur antè rationis usum, scilicet antè septennium: ut vitetur hujus sacramenti iterationis periculum. Quòd contingere posset, si confirmatus esset incapax recordationis, defectu judicij; Et ut cum reverentia suscipiatur. Hoc non obstante, existimo Episcopum posse absque ullo scrupulo istud sacramentum infantibus conferre, eis in locis, ubi raro adsunt Episcopi, nec ad eos facilis patet recursus; nè tanti sacramenti beneficiô priventur, ut declarat concilium Mediolanense 5. Sancto Carolo præside. Perpetuò amentibus etiam conferri potest istud Sacramentum: Quia sunt capaces augmenti gratiæ. Ita communior opinio. Potest etiam administrari infirmis, & in periculo vitæ constitutis piè postulantibus confirmationem, ut declarant concilia Parisiense 6. lib. 1. cap. 33. Et Mediolanense 5. part. 1. Ubi legitur. *Si quis cùm periculosè ægrotat se Chrismatis sacramento confirmatum non esse meminerit; ac propterea id sibi ministrari petat: tunc Episcopus, si eo in loco est ubi ille ægrotat; ut nè sine hoc Sacramento decedat, eum charitate paterna invisat, & ritè confirmet.*

VII. Ut adultus debitè, ac dignè confirmationis sacramenta suscipiat, debet primò habere intentionem saltem virtualem, ut de baptismo dictum est. Secundò debet esse in gratia. Quoniam pro vivis instituta fuit confirmatio. An vero habens peccatum mortale debeat confessionem præmittere antè receptionem hujus sacramenti, vel an sufficiat illi contritio? Plures, quos citat & reijcit Leander, tenent confessionem esse præmittendam. Alij quibus adhæret Cabassutius docent contritionem sufficere. Quia sola perceptione venerabilis Eucharistiæ præcipitur confessio ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. prior opinio videtur mihi præferenda. Tum quia Tridentinum præcipiendo confessionem ante Eucharistiæ sumptionem, nihil determinat circà alia sacramenta, tum quia sic determinatum fuit in Concilio Coloniensi secundo part. 7. cap. 9. ut testatur Eminentissimus Cardinalis Laurea in Epitome Canonum verbo *confirmatio*. Tertiò debet profiteri Symbolum fidei, ut declarant varia concilia, nimirum Parisiense, Tolosanum, Aquense, Narbonense, & alia.

VIII. Materia remota Sacramenti confirmationis est chrisma confectum ex oleo olivarum, & balsamo, ut declarant concilia, Patres, & Eugenius, qui expresè decernit materiam confirmationis esse chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo quod odorem significat bonæ famæ. Hoc chrisma debet esse benedictum ab Episcopo, ut sancit Florentinum. Quia solis Episcopis

jure divino data est hæc potestas 26. quæst. 6. Can. *si jubet*. Can. *presbyter*. Unde sequitur simplicem Sacerdotem non posse committi ad benedicendum, nec conficiendum chrisma, cùm ex instituto Christi Domini conficiendum sit ab Episcopis feriâ quintâ majoris Hebdomadæ, ut tradit Fabianus Papa. Itaque si Episcopus confirmationem conferret cum chrismate à simplici Sacerdote benedicto, sacramentum sub conditione iterandum esset: Quia hæc controversia est adhuc dubia & indecisa. Materia proxima est unctio in fronte facta cùm chrismate in modum crucis, ut docent communiter omnes. An verò hæc unctio debeat necessariò necessitate sacramenti fieri in fronte confirmandi, hæcque in modum crucis? Plures existimant hanc necessitatem esse de præcepto Ecclesiæ tantùm. Ita Ledesma, Victor, & alij. Sed altera opinio, quæ tenet esse de necessitate sacramenti, est probabilior, & colligitur ex Florentino in decreto de Armenis. Deindè istud sacramentum confertur baptizatis, nè Christi nomen confiteri erubescant, ideoque ex fine confirmationis, unctio debet fieri in fronte, quæ verecundiæ sedes est. Quòd debeat insuper fieri in modum crucis ex necessitate Sacramenti, & ex intentione Christi, patet: nam illud necessariò & indispensabiliter requiritur ad Sacramentum, quod per formam primario, & vi verborum exprimitur: sed unctio per modum crucis exprimitur per verba formæ hujus sacramenti; cùm consistat in his verbis *signo te signô crucis* ut statim dicemus: ergo hæc consignatio in modum crucis est necessaria, ex institutione sacramenti confirmationis. Ita Bonacina, Villalobos, & alij quàm plurimi. De eadem necessitate est, quòd hæc unctio fiat immediatè manu Episcopi, quidquid dicant nonnulli. Quia sacramentum confirmationis à primis Ecclesiæ exordijs impositione manuum conferebatur, ut probat Apostolorum usus relatus in libro actuum cap. 8. ibi enim de ipsis Apostolis legimus. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

IX. Non desunt authores, qui assertionem nostram chrisma admittentem impugnant, ex eo quod Apostoli absque chrismate istud sacramentum administraverint cum sola manuum impositione. Idque probant ex scriptura, quæ non chrismatis, sed impositionis manuum dumtaxat meminit: sed respondetur quòd nihil indè concludi potest: quamvis enim scriptum non meminerit chrismatis ab Apostolis adhibiti in administratione hujus sacramenti: tamen non licet asserere chrisma non esse materiam confirmationis. Quia traditione constat chrisma fuisse adhibitum in confirmatione ab Apostolis manus imponentibus; ut monet D. Dionisius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 4. ubi ait de confirmatione. *Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri* (id est Apostoli) *chrismatis hostiam nominant*. Idem asserit D. Thomas. Nec valet dicere quòd chrisma est quid mixtum ex oleo benedicto, & Balsamo, & meteria sacramenti est quid simplex, & obvium: ut patet de materia baptismi, & Eucharistiæ. Non valet; Quia Sacramenta omnia non debent eamdem habere materiam, cùm ipsa sacramenta sint inæqualia, & diversa. Igitur non obstat quòd unum habeat materiam simplicem, & aliud mixtam. Deindè Balsamum non est ita rarum, ut non possit facilè haberi, asportatur siquidem ex Indïa, & America in varias regiones. Nec valet obijcere solum Balsamum Syriacum esse necessarium ad chrisma conficiendum. Quia Paulus III. & Pius IV. declaraverunt Balsamum ex India asportatum sufficere ad validam confirmationis materiam.

X. Ordinaria, & legitima forma confirmationis est ista *Signo te signô crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ita docent concilia, & Sancti Patres. Omnia verba hæc sunt essentialia, & ad valorem sacramenti requisita. Quoniam omnia assignantur pro forma, à Concilio Florentino: & omnibus illis verbis semper usa fuit Ecclesia Romana. Idem infertur ex effectibus hujus sacramenti, scilicet ex robore animi, & Spiritus, quod per sacram unctionem tribuitur ad tuendam, & profitendam fidem: quòd quidem robur per præallegata verba aptissimè declaratur, ut consideranti patebit: nam prima verba nempè *signo te signô crucis*, *confirmo te chrismate salutis.* Significant effusam plenitudinem Spititus Sancti, quô roboramur. Posteriora autem significant robur illud esse ad tuenda mysteria fidei, quorum altius, & præcipuum est mysterium Trinitatis.

XI. Ordinarium confirmationis mynistrum esse solùm Episcopum omnes concedunt ex Can. *de his verò* Can. *manus*

quoque de consecrat. dist. 5. & ex Tridentino sess. 7. can. 3. de confirmatione *si quis dixerit Sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem Anathema sit*. Idem colligitur ex Sacra Scriptura act. 8. ubi legimus missos fuisse Petrum, & Joannem in Samariam, ut confirmarent eos, quos Philippus baptizaverat, & nullam aliam possumus hujus laboriosæ peregrinationis, & longioris itineris rationem assignare, nisi quia penès Apostolos (quorum successores sunt Episcopi) & non penès discipulos erat administrandæ confirmationis potestas, ut notant D. Cyprianus Epist. 73. & D. Chrysostomus homil. 18. in acta Apostolorum: item Eusebius Papa Epist. 3. ad Episcopos Tusciæ, & campaniæ relatus in Can. *manus* de consecrat. dist. 5. ibi enim legimus *manùs quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse: nec ab alijs, quàm ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur sacramenta*. Idem Rabanus de institutione Cler. 1. cap. 30. relatus in Canone sequenti ejusdem distinctionis in quo legitur *novissimé à summo Sacerdote per impositionem manùs paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est per gratiam vitæ donatus æterna. Signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate; per Pontificem veró in fronte, ut in priore unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cùm omni plenitudine sanctitatis, & scientia, & virtutis venire in hominem declaretur.*

XII. Non modica difficultas est, an simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis possit esse hujus sacramenti minister? omissis variis sensibus aliquorum antiquorum, affirmo. Quia constat ex Can. *pervenit* dist. 95. Sanctum Pontificem Gregorium concessisse presbiteris Sardiniæ potestatem confirmandi. Eamdem potestatem concesserunt patribus ordinis nostri ad conversionem indorum destinatis Nicolaus IV. Urbanus IV. Joannes XXII. Eugenius IV. Leo X. & Adrianus VI. quod probat summum Pontificem posse hanc potestatem concedere simplici Sacerdoti in casu necessitatis. Quare Florentinum in decreto Eugenij, & Tridentinum loco citato, declarant Episcopum esse ministrum ordinarium confirmationis, quó loquendi modò significant, viâ extraordinariâ simplicem Sacerdotem posse esse ministrum; alioquin dixissent Episcopum esse ministrum, absque ulla restrictione: ut observat Palavicinus lib. 9. histor. Concil. Trident. cap. 7. ut dum loquitur de ministro Eucharistiæ, & pœnitentiæ, tunc enim non adhibet hanc particulam *ordinarius* determinantem, & indicantem alium posse ministrum in casu necessitatis, sed adhibet aliam restringentem, & excludentem omnes alios, qui non sunt nec Sacerdotes, nec Episcopi.

XIII. Hanc potestatem confirmandi non posse simplici Sacerdoti competere, qualibet Romani Pontificis dispensatione accedente, contendunt plures gravissimi Theologi, quorum præcipua ratio est hæc. Potestas confirmandi, quæ ex institutione Christi competit Episcopis, est potestas jurisdictionis, vel ordinis; cùm nulla alia sit in ministris Ecclesiæ. Si primum dixerimus, Episcopus designatus, & à summo Pontifice confirmatus, posset administrare confirmationem. Quia ex jure habet totam jurisdictionem Episcopalem; Quin valeat confirmare baptizatos, donec sit Episcopus consecratus. Insuper si hæc potestas esset jurisdictionis, Episcopus posset illam committere Vicario Generali, cui Committit jurisdictionem suam. Si secundum, solus Episcopus potest confirmare sicut potest conferre ordinem presbiteratùs. Quia nullus Sacerdos etiam accedente Pontificia dispensatione, potest habere potestatem ordinis Episcopalis; quin habeat ordinem Episcopalem. Igitur solus Episcopus potest licité, ac validè istud confirmationis sacramentum administrare. *Respondetur* potestatem conferendæ confirmationis esse actum proximum ordinis Episcopalis, aut fundari proximè in potestate ordinis Episcopatûs. Non valet tamen indè inferre nullum posse confirmare nisi Episcopum consecratum; etiamsi accedat authoritas summi Pontificis. Quia potestas confirmandi fundatur remotè in charactere Sacerdotali: & proxime, aut complete in charactere

Episcopali, ideoque Episcopus est minister ordinarius, & Sacerdos potest esse minister per delegationem, videlicet si accedat dispensatio, & commissio Summi Pontificis, per quam illa potestas remota fit proxima, eò fere modò, quò potestas absolvendi à peccatis: hæc enim fundatur in ordine Sacerdotali, quæ non fit proxima nisi per ordinem Episcopalem: nam statim ac Sacerdos est ordine Episcopali insignitus, potest subditos suos absolvere. Vel per potestatem delegatam, aut concessam ab eo qui est judex ordinarius hominis absolvendi, vel per necessitatem. In qua ex Tridentino quilibet Sacerdos potest absolvere hominem existentem in articulo mortis, nè anima pereat. Itaque potestas confirmandi competit Episcopo, & presbitero, ratione ordinis ac consecrationis, ut notat noster Frassenius; Episcopo quidē complete, proximè, & absolutè, presbitero autem tantùm incōpletè, remotè, ac conditionatè, si videlicet accedat authoritas illius, qui plenam habet potestatem in universalem Ecclesiam, neque in his alia ratio inquirenda est, nisi voluntas Christi nobis ex traditione, & Ecclesiæ praxi manifestata: etenim summi Pontifices suprà laudati hanc confirmandi potestatem concesserunt simplicibus Sacerdotibus, ut fatetur noster Alphonsus à Castro oppositæ sententiæ deffensor. Et ut liquidò constat ex canone primo dist. 95. ubi legimus *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quòd presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.*

XIV. Quatuor requiruntur in ministro confirmationis. Primò enim debet habere intentionem virtualem administrandi hoc sacramentum, ut dictum est de Sacramentis in genere. Secundò debet esse in gratia, quia Sancta Sanctè tractanda sunt. Tertiò debet uti chrismate illius anni; Cùm chrisma vetus, seu quòd pervenit ad annum completum, comburendum sit in sacrario Can. *litteris vestris* de consecrat. dist. 3. Quartò tandem Episcopus debet Sacramentum istud ministrare cum debita solemnitate. Quantum ad locum, plures existimant esse Ecclesiam, sic Emmanuel Sa: sed alij probabilius judicant confirmationem posse conferri in quocumque loco decenti. Ita Ægidius, & Bonacina. Quoad horam consuetudo passim invaluit, ut confirmatio differatur post horas pomeridianas, atque etiam post vespertinam horam.

XV. Gratia, quam hoc sacramentum causat, nedùm est gratum faciens, sed etiam perficiens, est gratia augmenti & roboris, gratia denique quâ perfecti Christiani sumus: etenim in confirmatione fideles Spiritum Sanctum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur Can. 1. de consecrat. dist. 5. quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur, inquit idem canon. Idque probatur facto Apostolorum, qui post acceptum Spiritum Sanctum, fortes, constantissimi, atque ad omne certamen, & pugnam pro fidei confessione, & propagatione expeditissimi fuerunt, & loquebantur variis linguis magnalia Dei, summâ animi fiduciâ Christum ubique prædicabant, & ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati. Sicut Christus ipsis promiserat act. 1. *accipietis Spiritum Sanctum, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Indè confirmationis effectus facilè cognosci possunt.

CAPUT IX.

De Eucharistia.

I. SAlvator noster discessurus ex hoc mundo ad patrem, aut pridiè quàm pateretur sacramentum hoc instituit, inquit Tridentinum sess. 13. cap. 2. ut divitias divini sui erga homines amoris effunderet memoriam faciens mirabilium suorum. In aliis Sacramentis veluti per rivulos quosdam, cœlestem gratiam à capite ductam participamus, ait Arcudius cap. 1. de Euch. in hoc autem veluti in proprio fonte authorem bonorum spiritualium uberrimè degustamus. Quia in ipso manducamus carnem, & bibimus Sanguinem Domini verè, & realiter existentis sub speciebus panis, & vini consecratis. Quare sacri au-

hores in illius commendationem nobilissimas appellationes congesserunt D. Athanasius vocat Eucharistiam *Panem beatificantem* Chrisologus *æternæ vitæ cibarium* Cyprianus *alimoniam immortalitatis, & vitæ portionem*, & D. Bernardus *Sanctum Sanctorum sacramentorum, amorem amorum, dulcedinem dulcedinum*.

II. Christus Dominus instituit hoc sacramentum post lotionem pedum finitâ agni cœnâ legali; ut monent plures Sancti Patres præsertim Cyprianus *eo sermone*. Ambrosius lib. *de his qui initiantur* cap. 6. & lib. 5. de Sacram. cap. 5. D. Augustinus & alij quos citat Gaudentius. Idque colligitur ex Joanne cap. 13. vers. 4. ubi de Christo legimus *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum præcinxit se; deindè mittit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes discipulorum*: factâ autem hac pedum lotione sumptioni Eucharistiæ emundationem animæ esse præmittendam significante, iterum recubuit, ut constat ex duodecimo versu ejusdem capitis. Et intra hanc cœnam accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis & ait: accipite, & comedite, hoc est Corpus meum, & sic instituit Eucharistiæ Sacramentum: quippè ex D. Chrysostomo homil. 82. in Math. Judæi solitò duas Cœnas faciebant eô die, quô pascha celebrabant. Prima erat legalis, seu præcepta à lege in memoriam transitûs Israelitarum ab Ægipto: Altera verò erat communis, ac vulgaris post legalem facienda pro corporali refectione totius familiæ, & in utraque interdictus erat usus fermentati panis; Dominò sic præcipiente exod. 12. Secunda, quæ vocabatur festivitas azimorum, erat diversa à festivitate agni Paschalis: hæc enim erat tantum unius diei, illa verò prorogabatur ad dies septem; quamvis unâ, eademque vesperâ celebrarentur, essentque diversæ ob distincta Dei ergà Israëlitas beneficia: azimorum enim solemnitas ex eo fluxit, quod populus Israël ab Ægypto egressus asportatam indè farinam absque fermento sub cineribus in deserto coxerit, & azimos panes comederit. Altera autem seu solemnitas agni paschalis ortum habuit ex conservatione primogenitorum Israël, eò tempore quò primogenita Ægiptiorum ab Angelo exterminatore interficiebantur. Igitur Christus utramque festivitatem celebravit cum discipulis suis ritu judaicô; id est comedit, agnum paschalem, & panes azimos die decimâ quartâ.

III. Cum Christus non venerit solvere legem, sed adimplere; ut testatur Math. 5. *Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*: agnum Paschalem ritu Judaïcô comederit, & Cœnam usualem fecerit, sequitur quòd verè consecravit in azimis, quoniam sacramentum istud instituit in illa Cœna, quæ fuit Christi ultima, & azimorum prima, nam constat ex illo Math. 26. vers. 17. *Prima autem die azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha, & Jesus dixit ite in civitatem adquemdam, & dicite ei magister dixit: tempus meum propè est, apud te facio pascha cum Discipulis meis, &c.* Christum præcepisse Discipulis ut pararent pascha, hocque de facto paratum fuisse, & manducatum, necnon in eadem Cœna Christum accepisse panem, & dixisse discipulis suis *accipite, & manducate hoc est Corpus meum.* Secundo sequitur Christum Sacramentum istud instituisse die decimâ quartâ primi mensis (qui vocabatur mensis *Nisan* martio nostro correspondens) quæ est ea, quâ Christus Cœnavit cum Discipulis suis: subdit enim idem Evangelista. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis:* Igitur Eucharistia conficienda est in pane azimo. Quia Christus consecravit in pane, quem manducavit in ultima Cœna, qui quidem panis, juxtà legem quam Christus adamussim servavit, erat azimus.

IV. Christus mortuus est die decimâ quintâ: etenim mortuus est illâ die, quâ præses unum ex vinctis dimittere solebat, & quâ de facto Pilatus dimisit Barrabbam, & tradidit Jesum flagellis cœsum, ut Crucifigeretur, quia demissio Barrabbæ, & Crucifixio Christi uno, eodemque die factæ fuerunt; ut refert Mathæus cap. 26. vers. 5. Et sequentibus. At dimissus fuit Barrabbas decimâ quintâ lunâ. Ratio est quia hæc dimissio facta fuit die solemni, seu festo; ut constat ex illo Lucæ 23. vers. 17. *necessè autem habebat dimittere eis per diem festum, unum* Marci 15. vers. 6. *Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent*: In paschate autem erant tantum duo dies solemnes, non erat quidem alius dies festus, quàm primus, & ultimus azimorum, ut certum est, ex illo exodi 12.

di 12. verſ. 16. *Dies prima* id eſt azimorum quia in verſu præcedenti de azimis per ſeptem dies comedendis agitur *erit Sancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis*. Ideoque Chriſtus mortuus eſt die decimâ quintâ, quâ dimiſſus fuit Barrabbas; alioquin ipſe Barrabbas, qui die feſto fuit dimiſſus fuiſſet dimiſſus die ultimô azimorum qui erat alter dies feſtus. Quòd eſt apertè contrà Evangeliſtas: ac proindè Chriſtus inſtituit Euchariſtiam die decimâ quartâ, quia inſtituit eam, die quæ mortem immediate præceſſerat.

V. Varios ſcripturæ textus adducunt græci, quibus probare nituntur contrà latinos, Chriſtum Dominum anticipaſſe ſolitum diem celebrandi Paſcha, illudque comediſſe die decimâ tertiâ, & conſequenter ipſum Chriſtum Dominum conſecraſſe in pane fermentato, ut de facto conſecrat Eccleſia græca, apud quam latini omnes vocantur azimatæ, ut teſtatur guido Carmelita, & Anathematizantur: Beato Anſelmo teſte in quadam Epiſtola de fermentato, & azimo. Primus textus eſt Joan. 3. *Ante diem feſtum Paſcha, ſciens Jeſus; quia venit hora ejus, &c.* Ex quo inferunt quod Chriſtus, qui comedit Paſcha eo die, quo lavit pedes diſcipulorum, anticipavit diem feſtum Paſchæ: alioquin Joannes non dixiſſet *ante diem* ſed potiùs *in die*, ac proindè quod inſtituit Euchariſtiam die decimâ tertiâ, quæ erat dies immediate ante diem feſtum Paſchæ, & ante diem azimorum; quarum prima erat decimâ quartâ exod. 12. verſ. 18. Secundus eſt ejuſdem Evangeliſtæ cap. 18. verſ. 28. *Adducunt ergo Jeſum à Chaïpha in Prætorium: Erat autem manè, & ipſi non introjerunt in Prætorium ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Indè concludunt quòd Judæi erant paſcha, ſeu panem azimorum comeſturi, ſubindèque Jeſum (qui jam Paſcha comederat) comediſſe, & conſecraſſe in pane fermentato. Tertius eſt Joan. 19. verſ. 15. *Erat autem paraſceve Paſcha, horâ quaſi ſexta*, quo probant Chriſtum mortuum fuiſſe ante Paſcha, id eſt die dicimâ quarta. Quia paraſceve eſt præparatio ad paſcha. Ultimus tandem eſt Math. 26. verſ. 5. *dicebant autem* (id eſt judæi) *non in die feſto*; ſic enim clamabant. Quia nolebant occidere Chriſtum die decimâ quintâ, quæ erat dies ſolemnis, & dies feſtus, ut jam dictum eſt, & conſtat ex levit. 23. verſ. 6. *Et quintâ decimâ die menſis hujus ſolemnitas azimorum Domini eſt.*

VI. His facile reſpondetur: nam ſi Chriſtus anticipaſſet Paſcha ſuum, illudque in pane fermentato comediſſet, certò Judæi, qui falſa teſtimonia quærebant adversùs eum, hanc prævaricationem proruliſſet; cùm apud Judæos eſſet lex de agno, & azimis non comedendis, niſi die decimâ quartâ ad veſperam. Undè ad primum. Dico diem feſtum Paſchæ ſolitò accipi pro die artificiali, id eſt ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejuſdem. Et pro die legali, aut Eccleſiaſtico, id eſt à primis veſperis uſque ad ſecundas. In primo ſenſu dies Paſchæ incipiebat die decimâ quintâ; & in ſecundo incipiebat à prima veſpera diei decimæ quintæ, quæ erat intra diem artificialem diei decimæ quartæ: ut patet in nova lege de die Dominica, quæ ſi artificialiter accipiatur, incipit ab ortu ſolis diei ſeptimæ, & ſi legaliter accipiatur, incipit intrà diem ſextum naturalem, ſeu à veſpere diei ſabbati, qui eſt ſextus hebdomadæ. Hoc notato advertendum eſt Evangeliſtam dicentem *ante Diem feſtum paſche* locutum fuiſſe de die artificiali, qui erat dies ſolemnitatis, & feſtinus pro Judæis, & ideo Chriſtus comedit Paſcha die legali, ſeu decimâ quartâ ad veſperas à quibus incipiebant dies legalis, & uſus azimorum: hæc enim propoſitio *ante* non denotat anterioritatem diei legalis, & artificialis, ſed artificialis tantùm.

VII. Ad ſecundum dico quod Evangeliſta loquitur de victimis Paſchalibus, quæ etiam Paſcha dicebantur, quaſque ſolùm mundi edebant diebus azimorum: ut obſervat Joſephus lib. 3. antiquitatum Judæorum cap. 3. & ut infertur ex cap. 30. lib. 2. Paralip. harum victimarum ſacrificium in tres partes divibebantur, quarum una cræmabatur in holocauſtum, ſecunda ad uſum ſacerdotum deſtinabatur, altera verò comedebatur à populo, ut monet Fraſſenius noſter. Idcirco judæi, qui immunditiam legalem contrahebant ex ſocietate cum infidelibus, noluerunt introire prætorium in quo erat Jeſus, nè contaminarentur, ut mundi manducarent paſcha, id eſt illas victimas Paſchales, non autem agnum Paſchalem, quem jam comederant. Quia reverà peccaſſent Judæi, ſi victimas Paſchales manducaſſent cum immunditia legali; ut non obſcurè colligitur ex 2. lib. Paralip. cap. 30. ad ter-

tium dico *dies parasceve* hic denotare feriam sextam, quæ dicebatur parasceve, ut habetur ex illo Marci 15. *Cum jam sero esset factum, quia erat parasceve quod est ante sabbatum.* Non verò diem præparatoriam, seu vigiliam azimorum. *Dices* illo anno dies solemnis azimorum occurrit feriâ sextâ, ut observant plures: ergo Evangelista non potest intelligi de parasceve, seu de præparatione, ad Sabbatum. *Nego* instantiam; Quia Evangelista hîc locutus est juxta morem Judæorum; & sumpsit denominationem à præparatione, quæ fieri solebat tali die, & dixit *parasceve paschæ.* Quia dies præcedens unum ex septem diebus Paschalibus, aut intrà festa Paschalia incidens parasceve vocabatur apud Judæos. Ad quartum dico quod aliqui dixerunt *non in die festo*, sed alii prævaluerunt, & Christum die festo crucifixerunt: quia putabant se obsequium præstare Deo, & dispensatos esse in lege de nullo opere servili faciendo.

VIII. Aliud argumentum contrà consecrationem in pane azimo adducunt adversarij (ex resurrectione desumptum): dicunt enim si Christus resurrexit Lunâ decimâ septimâ, aut primâ sabbati, id est die Dominica: necessè est ipsum Christum mortuum, & sepultum fuisse lunâ decimâ quartâ: Quia tribus diebus, & tribus noctibus in sepulchro remansit, ut ipse predixerat Math. 12. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Et inter lunam decimam quintam, & decimam septimam non sunt tres dies. Igitur mortuus est lunâ decimâ quartâ, & consecravit lunâ decimâ tertiâ, ac proinde in pane fermentato; respondeo argumentum nullum esse. Quia dies, & noctes quibus christus jacuit in sepulchro non sunt completæ, & integræ, sed per Synecdochem sunt intelligendæ, ut notat noster Alensis 3. p. quæst. 20. Ubi ait *feria sexta cum nocte præcedente erit una dies, & ita per synecdochem fuit ibi illa die: Item fuit ibi per totum diem sabbati cum nocte præcedente, & ita per totum illum diem naturalem absque synecdoche: item nox præcedens Dominicam resurrectionis cum ipsa die, una dies naturalis, & per illam noctem fuit ibi, & ita per diem naturalem, id est per synecdochem, ita per tres dies naturales fuit in sepulchro.* Hæc interpretatio concordat cum textu Math. 16. vers. 21. *Exindè cœpit Jesus ostendere discipulis suis: quia oporteret eum ire Jerosolimam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertiâ die resurgere*: nam tertia dies à die decima quinta, est decima septima, sicque christus fuit in sepulchro per tres dies naturales, aut resurrexit post tres dies ut prædixerat 12. vers. 40. (si per synecdochem intelligantur, ut eos intelligere necessè est) ac proindè consecravit lunâ decimâ quartâ mensis, seu die Joüis ad vesperam, mortuus est decimâ quintâ, id est die veneris, & resurrexit decimâ septimâ, id est die Dominica, quæ est dies à morte tertia pro resurrectione promissa, juxtà illud Marc. 9. vers. 3. *Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis quoniam filius hominis tradetur, in manus hominum, & occident eum, & occisus tertiâ die resurget.* Idem habetur ex cap. 10. vers. 34. Et ex varijs locis scripturæ quibus resurrectio fuit promissa tertiâ die. Undè necessè est uti Synecdoche, nè sit contradictio inter textum Math. cap. 12. vers. 14. Et eos quibus resurrectio promissa fuit post tres dies, & alios adductos, ac adducendos pro die tertia.

IX. Christus Dominus Eucharistiam instituit dum adhuc cum discipulis suis Judas Iscariotes præsens esset. Ut evidenter constat ex verbis Lucæ cap. 22. vers. 21. *verumtamen ecce manus tradentis mecum est in mensa.* Quæ Christus dixit in cœna immediate post Eucharistiæ institutionem, cujus mentio fit in vers. 19. & 20. Ejusdem capitis. Item ex illo Marc. 14. vers. 17. & 18. *Vespere autem facto venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum* Hæc enim cœna est ea, in qua Christus Eucharistiam instituit, ut constat ex eodem Evangelio. Idem sentiunt Sancti Patres. Nec nocet illud Marci 14. vers. 10. *Et Judas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.* Quia iterum ad Christum rediit, ut patet ex eodem capite vers. 20. *Unus ex duodecim, qui intingit mecum manū in catino.* Et cœnæ adfuit, Vel exivit post acceptam intinctam bucellam panis, ut monet Joannes cap. 13. vers. 30. *cum ergo accepisset ille* (id est Judas Iscariotes) *bucellam continuò exivit, erat autem nox*

quæ quidem bucella nihil aliud erat quàm bolus panis, quem præfectus mensæ juxtà Judæorum consuetudinem in embammate ex lactucis agrestibus confecto intingebat, & post cænam dabat discumbentibus. Igitur Judas exivit post institutionem Eucharistiæ, & ad Principes sacerdotum illicò properavit, ut illis traderet Christum.

X. Quamvis Christus in azimo consecraverit, nihilominus validè consecraret sacerdos, qui Eucharistiam in fermentato conficeret. Quia ut infrà dicemus; panis triticeus est materia hujus sacramenti quæ fermentatum panem continet, sicut azimum. Reverà peccaret mortaliter, pœnisque canonicis esset plectendus. Quia Ecclesiæ suæ ritum, atque præceptum violaret, neque ulla ipsum dispensare potest necessitas. etiam viatici pro infirmo consecrandi, aut missæ die festo celebrandæ. Hanc obligationem consecrandi panem azimum probat Honorius III. can. ult. de celebratione missarum in quo legimus *literas tuas recipimus continentes, quòd cum super excessibus presbyteri Eccles. S. Brigidæ Brixien. inquireres, confessus est, quod cum quadam die Hostiam, & Calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo missarum solemnia celebrare præsumpsit. Intellecto iterum, quòd prædicta Ecclesia per malitiam dicti presbiteri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans ex ejus confessionibus invenisti, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse prebetur: mandamus quatenus officio, & beneficio perpetuò ipsum prives.* Nec valet adducere necessitatẽ. Hæc quidem necessitas communicandi, aut audiendi missam non dispensat sacerdotem, ut possit in fermentato consecrare, sed dispensat infirmum in præcepto de Eucharistia sumenda, & fidelem in præcepto de missa audienda in die festo. Ratio est quia hæc duo præcepta sunt affirmativa, quæ non obligant nisi eo tempore, quo servari, aut adimpleri possunt, servatis ritibus, & modis ab Ecclesia præscriptis, cujusmodi est illud de Eucharistia conficienda in pane azimo, sicut illud quid est de jejunio præmittendo ante consecrationem, aut celebrationem missæ, quæ nequit celebrari à sacerdote non jejuno; etiam in necessitate communicandi infirmum, aut audiendi sacrum, ut dictum est in libris præcedentibus.

XI. Licet tam ex pane fermentato, quàm ex azimo consecrari possit Eucharistia: tamen ritus Romanæ Ecclesiæ azimum consecrantis convenientior est ut observat D. Anselmus in responsione ad Vvaleranum cap. 2. Idem colligitur ex illo Apostoli 1. Ad Corinth. cap. 5. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis, & veritatis.* Etenim azimus panis sinceritati fidelium magis convenit, quàm panis fermentatus. Ideoque sinceritas communicanti optanda, magis significatur per panem azimum, quàm per fermentatum, qui sæpè peccatum, & corruptionem significat, nedum in lege veteri, quæ fermentum ab oblationibus suis excludebat, sed etiam in nova apud Apostolum loco citato vers. 7. dicentem *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azimi.* Dices præcepta legalia, & cæremonialia antiquæ legis nobis minimè conveniunt: ergo nec usus azimorum, qui ad illam legem pertinent, estque actus judæorum. Non valet consequentia; quia utimur azimis tamquam re quam Christus instituit pro Eucharistia conficienda; non autem tamquam re, quam Christus retinuit ex veteri lege: dixit enim Christus *hoc facite in meam commemorationem*, non verò in commemarationem legis antiquæ.

XII, Solus panis triticeus aquâ naturali coalescens, & igne decoctus, est materia conficiendi corporis Christi, & solùm vinum viritineum est materia conficiendi Christi Domini Sanguinis. Tota substantia panis, & vini convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi, ut canit Ecclesia in prosa ubi legitur *Dogma datur christianis quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.* Hæcque conversio fit ex vi horum verborum, *Hoc est Corpus meum, hic est Calix sanguinis mei, &c.* Quibus constituitur forma hujus sacramenti. Ut apertè declarat divus Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. dicens *sicut Deus dicendo fiat lux, fecit lucem, ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, perfecit hoc sacramentum.* Quòd pariter insinuat Apostolus 1. ad Corinth. 11. ubi ait *accepit Jesus panem, & fregit, ac dixit: hoc est Corpus meum.* Hæc conversio panis, & vini in Corpus, & sanguinem Domini, quæ transsubstantiatio dicitur, quâ panis

desinit esse, & ipsius loco ponitur Christus, non est actio productiva, ita ut substantia corporis Christi producatur sub speciebus panis, ut volunt plures; cùm hac ipsâ actione conversivâ panis in Corpus Christi, ipsum corpus nihil acquirat quòd sit productum; alias enim corpus existens sub speciebus sacramentalibus, non esset idem, quod produxit, ac genuit Beata Virgo, quòd est falsissimum; sed est actio adductiva. Quia per transsubstantionem adductivam melius salvantur omnia, quæ de hoc mysterio dicuntur, ut fusè probant Theologi nostri.

XIII. Non omnia sacri canonis verba, quæ sacerdos profert pro hostia consecranda, sunt forma Eucharistiæ. Nam forma consecrationis panis sunt hæc verba *Hoc est Corpus meum.* Forma verò consecrationis vini sunt ista *Hic est Calix Sanguinis mei*: cætera quæ antecedunt, vel sequuntur, non sunt de illius essentia; quamvis sub mortali proferenda sint à sacerdote. Ita D. Bonaventura, Scotus, & alij gravissimi Doctores quorum ratio est. Quia hæc verba significant ea, quæ sunt de essentia sacramenti, atque ea, quæ continentur sub speciebus panis, & vini: nam si sacerdos panem præ manibus habens, dicat in debita forma *hoc est Corpus meum* significat Corpus Christi esse sub specie panis, & si calicem præ manibus habens dicat *hic est Calix, sanguinis mei* statim significat sanguinem Christi esse in calice, vel vinum calicis fuisse mutatum in sanguinem Christi, antequam proferat sequentia, scilicet *novi*, *& æterni*, *&c.* Alioquin non efficerent quod significant, si proferenda essent omnia quæ sequuntur, ut fieret conversio vini in sanguinem, cùm ipsa sola significent vinum non esse in calice, sed sanguinem Christi in cujus persona loquitur sacerdos consecrans: illa autem, quæ sequuntur, non proferuntur ut ipsorum virtute, sacramentum conficiatur, ut in baptismo (v.g.) proferuntur ista *in nomine Patris, &c.* Nec ad significandam materiæ consecrationem, sed solum ut exprimantur proprietatis, & effectûs sanguinis; significant enim sanguinem Christi esse Sanguinem novi testamenti, mysterium fidei, & effusum pro redemptione nostra. Igitur essentia formæ consecrationis vini consistit in his verbis *hic est Calix sanguinis mei* vel in æquivalentibus *hic est Sanguis meus*; sicut forma consecrationis panis consistit in istis, *hoc est Corpus meum*, alioquin græci non consecrarent; cùm in consecratione calicis non utantur omnibus verbis, quibus Ecclesia Romana utitur: dicunt enim tantùm hæc quatuor verba *hic est Sanguis meus*: ut refert Arcadius lib. 3. cap. 26. Ex liturgiis Græcorum.

XIV. Ratio quâ adversarij asserunt omnia verba, quæ in consecratione vini proferuntur, esse de essentia formæ, est quia Eucharistia nedùm est Sacramentum, sed etiam sacrificium, quòd nequit significari, neque exprimi per verba consecrationis sine effusione sanguinis, sicut sacrificium vetus nunquam sine sanguinis effusione per victimæ materialis occisionem peragebatur. Et indè concludunt hæc verba *qui pro vobis & pro multis effundetur*, ita esse de essentia formæ, ut si sacerdos ea prætermitteret, non consecraret. *Respondetur* rationem sacrificij sufficienter exprimi per priora verba *hic est calix Sanguinis mei*, cum propria virtute, & expressione significent sanguinem Mysticè separatum à corpore: nam corpus christi reverâ est sub speciebus vini, sed per concomitantiam, non autem vi verborum consecrationis vini, ut fatentur omnes Theologi, & ideò Eucharistia habet rationem sacrificij, & victimæ deo immolatæ, absque explicita effusionis significatione: ut patet de corpore, quod est sub speciebus panis consecrati sine expressa significatione immolationis, seu sine prolatione horum verborum *quod pro vobis tradetur.* Quia non sunt forma consecrationis essentialis, sed ejusdem explicatio, & declaratio; hacque de causa sunt necessariò proferenda, non autem ut fiat consecratio, aut conversio panis in carnem, & vini in sanguinem Christi; qui cum dederit nobis in Eucharistia carnem suam ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, evidenter significavit Eucharistiam fieri sacrificium per ea verba, per quæ panis fit Corpus, & vinum fit sanguis, quæ sunt ista *hoc est Corpus meum*: *hic est Calix Sanguinis mei.*

XV. Quamvis valida esset consecratio unius speciei dumtaxat, cùm panis non consecretur per verba, quibus consecratur vinum. Et consecrato pane per hæc verba *hoc est Corpus meum*, Corpus Christi adorandum proponat sacerdos antequam vinum consecret; nulli tamen licet [etiam interveniente summi pontificis dispensatione] unam speciem solam consecrare: Quia

Christus in utraque specie consecravit, & præcepit sacerdotibus his verbis *hoc facite in meam commemorationem*, ut in utraque specie Eucharistiam conficerent. In quo præcepto nullus homo potest validè dispensare: Quia jus, & præceptum divinum sunt super jura, & præcepta humana. Deindè hoc sacramentum institutum fuit à Christo Domino per modum convivij, ad cujus integritatem essentialem, præter panem, requiritur vinum, ideoque nullus potest citrà sacrilegium, unam speciem solam consecrare, & sumere, ut declarat Gelasius Papa in can. de consecrat dist. 2. *Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, Calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubiò (Quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius, ejusdemque Mysterij sine grandi sacrilegio, non potest provenire.* Quælibet species consectāda debet esse præsens moraliter, id est à consecrante cognosci, & ita poni, ut pro nomine demōstrativo possit designari. Undè nequit consecrare panem, & vinum à tergo, aut trans parietem posita, quia sic posita non censentur sacerdoti præsentia, secundum commune, & morale judicium; valida tamen esset consecratio panis in pixide clausa, & vini in calice cooperto. Quia talia censentur præsentia. Peccaret tamen sacerdos, qui panem & vinum cooperta consecraret, quia præceptô Ecclesiæ tenentur pixidem in qua sunt Hostiæ, & Calicem in quo est vinum, discooperire priusquam consecret. Quamvis quantitas panis, & vini non sit ex institutione Christi determinata, nullaque tam magna sit, quæ non possit consecrari, si ministri potestatem, & verborum efficaciam considetes; Debet tamen esse determinata intentione ministri; ut consecretur.

XVI. Hic quæri potest an sacerdos teneretur utramque speciem sumere, si factâ utriusque speciei consecratione, Corpus Christi in altari appareret sub specie carnis, aut sanguis sub specie sanguinis. Respondetur cum D. Hieronymo in can. *De hac* de consecrat. dist. 2. quod nulli licet edere Corpus, & Sanguinem Domini secundum se, seu secundum sui formam, vel speciem: Vel eo statu in quo apparebat cùm inter nos conversabatur visione corporali, ut exponit glossa; in tali siquidem casu, sacerdos teneretur carnem illam, aut sanguinem in sacrario includere, si talis species ab omnibus, diuque videretur, & iteratò Corpus, & Sanguinem Domini consecrare, & sumere pro sacrificio perficiendo. Dixi: *Si ab omnibus, diuque videretur*: quia si quibusdam sub specie panis, & vini appareret, sacerdos teneretur utramque speciem sumere: tunc enim immutatio non esset in sacramento respectu celebrantis, sed solum in oculis circumstantium, ad ostendendam realem præsentiam corporis Christi in sacramento altaris: quæ quidem ostentio non dispensatet sacerdotem in præcepto de communione sumenda in sacrificio missæ, Nec dispensaretur idem sacerdos, si ipsi per aliquod temporis intervallum appareret sub specie carnis, & sanguinis, & postmodum sub specie panis ante communionem. Quia non amplius subsisteret causa dispensandi, nimirum apparitio corporis Christi secundum formam sui. Si miraculum esset in una specie duntaxat, (id est) si sanguis (v.g.) appareret sub specie sanguinis, & Corpus sub specie panis celebrans teneretur iterum consecrare vinum, & utramque speciem sumere. Ita resolutum fuit olim per plures Episcopos Italiæ in simili casu, teste Guitmundo lib. 2. Ubi ait *Satis mihi placeret, ut quandò miraculum novum de tantis Mysteriis accidit, id indé fieret quod mihi magister meus vir eximius sine dubitatione credendum. D. Lanfrancus se puero in Italia factum esse narravit. Nam cùm presbiter quidam missam celebrans, inventam super altare veram carnem, & verum in calice sanguinem secundùm propriam carnis, & sanguinis speciem sumere trepidaret, rem protinùs Episcopo suo Concilium quæsiturus aperuit: Episcopus autem cum multis Coepiscopis ad hoc convocatis; Calicem illum cum eadem carne & sanguine Domini diligenter opertum, ac sigillatum in medio altaris inclusit, pro summis reliquiis perpetuò reservandum.*

XVII. Vino consecrando est necessariò permiscenda aqua naturalis, & elementaris, non necessitate sacramenti. Quia consecratio vini esset valida; etiamsi omitteretur aquæ mixtio in calice, ut patet in rubricis missalis Romani ubi legimus. *Si autem celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis, si advertat post consecrationem*

Calicis nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti, sed præcepti: etenim Christus vinum, aquâ mixtum consecravit, ut legimus in quinto canone ejusdem distinctionis; nè credas tamen cùm nonnullis Theologis aquam esse miscendam ex præcepto divino, licet Christus vinum aquæ mixtum obtulerit, cùm patres concilij tridentini dicant sess. 22. cap. 7. *Monet deindè Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, &c.* Etenim si à Christo Domino præcepta fuisset aquæ mixtio, frustrà adderetur, ab *Ecclesia sacerdotibus*. Undè sacerdos, qui aquam omitteret, Reverà peccaret graviter, tamen validè consecraret vinum, quoniam aqua non est de essentia calicis consecrandi; cùm non transeat immediatè in sanguinem, ut docent Theologi nostri, nec sit apponenda ex necessitate sacramenti, sed solùm ex necessitate præcepti, non Divini, sed Ecclesiastici: ut docet communior opinio tam sanctorum patrum, quàm Theologorum; cùm major pars eorum stet pro præcepto Ecclesiastico.

XVIII. Adversarij contendunt aquam esse permiscendam ex præcepto divino, & ex institutione Christi, eorum ratio est. Quia eo ipso, quòd Christus aquam vino permiscuit, & posteà dixit. *Hoc facite in meam commemorationem*, præceptum, & necessitatem mixtionis insinuavit, sicut eijsdem verbis præcepit consecrationem sub utraque specie esse faciendam. At hæc ratio non convincit; Quia Christus non miscuit aquam vino, neque id præcepit tanquam aliquid essentiale, & necessarium necessitate sacramenti, sed solùm tanquam congruum inquit D. Bonaventura in 4. dist. 11. part. 2. quæst. 3. Hujus Seraphici Doctoris argumentum est. Quia Christus consecravit vinum, aquâ jam in vinum conversâ, & consequenter aqua non est apponenda ut Sacramentum validè conficiatur. Quoad hanc authoritatem *hoc facitè*, &c. Dico quòd his verbis non præcipitur aquæ mixtio, sed solùm præcipiuntur ea, quæ sunt substantialia hujus sacramenti, scilicet quæ materiam, & formam respiciunt, non verò ea, quæ cæremonialia, & accidentalia sunt, & quæ Christus fecit; alioquin sacerdos antè consecrationem teneretur lavare pedes, agnum Paschalem succinctus, ac baculum per modum viatoris gerens comedere, quia Christus fecit hæc omnia; immò de necessitate, & validitate sacramenti, ac præcepto divino, consecratio non posset fieri nisi in azimo, quoniam in azimo consecravit. Quòd tamen nullus concedit; cum consecratio in pane fermentato sit valida, & solùm ex præcepto Ecclesiastico teneamur consecrare in azimo: non autem ex præcepto divino, aut ex necessitate sacramenti.

XIX. Juxtà communem canonistarum sensum, aqua infundenda vino debet esse modica, idque infertur ex Can. *Perniciosus* de celebrat. missar. ubi legitur *perniciosus in tuis partibus inolevit abusus: videlicet quòd in majori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino: cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum; ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in tua provincia fieri patiaris.* Quanta autem debeat esse non conveniunt canonistæ. Alensis docet guttam quantumcumque parvam sufficere, dummodò possit à suo toto separari. Cardinalis de Lugo vult quintam partem Calicis consecrandi esse aquæ, & alias quatuor esse vini. Alij decimam. Alij tandem existimant tertiam partem esse necessariam. Hæc ultima sententia fundatur in Concilio Triburiensi Can. 19. ubi legitur *credimus, & confirmamus né ullus sine commixtione vini & aquæ mysteria sacra conficiat, sed duas partes sint vini, tertia aquæ.* Harum opinionum prima magis mihi placet: etenim gutta sufficit, & conveniens est ad significationes mysticas, ob quas, hæc aquæ mixtio fit, & sufficit ad consecrationem, ut declarat Eugenius IV. in decreto pro armenis. Ad concilium dico quòd non fuit generale, nec à Sancta Sede approbatum: Ut notat Gavatius post Bellarminum. Hæc mixtio aquæ debet fieri tempore sacrificii: Quia admixtio aquæ cum vino est actio sacramentalis, aut sacramentum concernans; Quamvis ad ipsius essentiam non pertineat. Undè si Sacerdos, post consecrationis verba, cognoscat aquam vino mixtam non fuisse, non debet eam infundere, sed pergere; bene vero si hanc cognitionem habeat ante consecrationem vini, scilicet post consecrationem panis.

XX. Christus in Eucharistia non potest moveri per se motu locale; cùm non sit sub speciebus tanquam in loco natu-

rali circumscriptivo, seu cum dimensionibus suis ad locum, quamvis habeat in se partes corporis integras, & corpori humano debitas. Potest tamen moveri per accidens ad motum specierum sacramentalium, quas movet Sacerdos hostiam consecratam deferens, quia non possunt hujusmodi species moveri; quin moveatur Corpus Christi, quod sub ipsis continetur. A quo autem moveatur corpus illud, Plures Sacerdoti hunc motum tribuunt. Alij verò divinæ voluntati. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior: nam Sacerdos non habet virtutem motivam in Corpus Christi inextensum, quamvis habeat eam in species sacramentales. Quia motus speciebus impressus non potest communicari Corpori inextenso, cum quo nullam habet proportionem, nullamque physicam conjunctionem. Certùm quidem est (ut dixi in cursu Theologico) quòd si Angelus esset in lapide, vel in alia re per se immobili, qui moveret lapidem, aut rem illam immobilem, non moveret Angelum ad motum lapidis propter improportionem Angeli, cum motu circumscriptivo lapidis, sed Angelus tunc moveret se: ergo licet Corpus Christi moveatur ad motum specierum, non potest moveri à Sacerdote speciem movente, sed immediatè à Deo, seu à divina voluntate;ad motum specierum movente Corpus Christi.

XXI. Corpus Christi prout est in hoc sacramento, non potest propriè, & formaliter pati, nec agere actione corporeâ, & extensâ. Quia non est localiter approximatum actioni corporeæ, nec est attingibile ipsa actione, cùm non sit circumscriptivè extensum, & consequenter non potest naturaliter elicere aliquam actionem externam sensitivam, putà visionem, locutionem, auditionem. Nec circa ipsum Corpus homo viator potest aliquam actionem elicere,potest nihilominus in illo statu sacramentali habere operationes spirituales intellectûs, & voluntatis, quæ non dependent à sensibilibus, quales sunt intelligere mentaliter, aut cognoscere res spirituales, & amare, aut velle. Idem Corpus Christi sub speciebus est objectum amoris, & adorationis fidelium: quippecum credant Christum esse in hostia, & ipsum Christum esse adorandum, illum adorare debent eodem cultu in Hostia, seu ut Deum.

XXII. Occulus corporeus nullo modo potest videre Corpus Christi existens in Eucharistia, quoniam prout ibi est, non potest localiter approximari organo visûs: nam Christi Corpus in Hostia existens, est quantum, & extensum in ordine ad se dumtaxat, & occulus corporeus fertur tantum circà objectum quantum, sensibile,& extensum: hic igitur modus existendi, qui sacramentalis est, nequit attingi à visione corporali, quæ est extensa; quamvis ipse occulus corporeus possit supernaturaliter elevari ad videndum Corpus Christi, ut existens in sacramento, quatenus habet esse fundamentaliter extensum, & quantum in ordine ad se, ut diximus in cursu Theologico. Quoad visionem intellectualem omnes Theologi etiam conveniunt, intellectum hominis viatoris non posse naturaliter videre Corpus Christi existens in Hostia: quia ibi propter modum Sacramentalem, & inextensum excedit limites intellectûs sensibus alligati, & conjuncti materiæ, ac carni. Hinc est quòd Corpus Christi in Hostia existens, potest naturaliter videri ab intellectu Angeli, vel hominis beati. Ratio doctoris nostri est; Quia præsentia, seu modus incircumscriptivus, inextensus, aut sacramentalis, quò Christus existit in Hostia, est accidentalis substantiæ Corporis Christi: alioquin fuisset in Cruce, & nunc esset in Cœlo, eodem modo, quo est in Hostia. Quòd est falsum; licet sit idem Corpus in Cœlo,& in Eucharistia; undè cùm modus accidentalis objecti, per se non impediat cognitionem ipsius absolutè, seu quominus potentia proportionata substantiæ objecti,(seclusis sensibus,) attingat illud, sequitur quòd intellectus á sensibus separatus, & independenter ab ipsis agens, potest videre substantiam Christi in Hostia existentis. Nec valet dicere quòd cognitio Christi in Eucharistia petit haberi perfidem, & per consequens nequit naturaliter haberi in Angelo. Non valet,Quia non petit haberi per fidem simpliciter, & absolutè; sed solùm pro hoc statu viæ, in quo non possumus hujusmodi existentiam Corporis Christi intuitiuè cognoscere:quia intellectus noster dependet à sensibus. Non verò pro statu patriæ, in quo intellectus videt independenter à sensibus.

XXIII. Quamvis Eucharistia præter rationē sacramenti; habeat etiam rationem sacrificij, ut sancit Tridentinum sess. 22. Can. 1. de sacrificio missæ. *Si quis dixerit, in*

missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit nihilominus non constituitur sub ratione sacramenti, nisi per sacrificium; ut enim existit hoc sacramentum, necessaria est consecratio, ut est evidens, ipsa verò consecratio dicens ordinem ad sumptum, est ipsummet sacrificium, quò Christus immolatur, ut colligitur ex Tridentino sess. 22. cap. 1. & 2. & ex D. Chrisostomo hom. de proditione Judæ ubi ait *vox illa* (hoc est, Corpus meum) *usque ad eius adventum præstat sacrificio firmitatem*. An verò ad essentialem rationem sacrificij requiratur consecratio utriusque speciei? Coninch, Suarez, Lugus, & alij affirmant. Sed altera opinio, quæ tenet consecrationem unius speciei sufficere ad essentialem rationem sacrificij, & consecrationẽ utriusque requiri ad ejus integritatem, & evidentiorem significationem sacrificij cruenti, videtur mihi probabilior. Ita Gavatius, Bonacina, Frassenius, & alij. Quia consecratio unius speciei habet rationem essentialem sacramenti; cùm unius speciei consecratio non dependeat à consecratione alterius, habet etiam rationem sacrificij: nam consecratio Eucharistiæ, & oblatio ejusdem ità identificantur, ut impossibile sit aliquem verè consecrare; quin talis consecratio vim oblationis habeat. Quia si celebrans habeat intentionem consecrandi, debet proferre verba consecrationis in persona Christi, & facere quod Christus fecit; sed, Christus intendit Corpus, & Sanguinem suum offerre in sacrificium. Igitur impossibile est illi verba consecrationis proferre in persona Christi, & Corpus & Sanguinem non offerre. Hinc est quòd si Sacerdos possit validè consecrare Corpus, non consecrato Sanguine, poterit etiam validè offerre Corpus in sacrificium sub specie panis, non oblatò Sanguine, quamvis sacrificij integritas utramque speciem necessariò requirat.

XXIV. Hanc ipsam assertionem sic impugnant nonnulli. Eucharistia quamvis duas species, aut Corpus & Sanguinem Christi contineat, non est duplex Sacrificium, sed unicum, ut declarat Tridentinum sess. 22. Can. 3. *Si quis dixerit missa sacrificium &c.* Ideoque ipsius essentialis ratio utriusque speciei consecrationem exigit, sicut missa, quæ sub, aut cum una specie celebrari non potest. Quòd verum esset, patet: nam sicut in Eucharistia sunt duæ consecrationes, ita essent duo sacrificia, si in qualibet specie seorsim sumpta, vera, & essentialis ratio sacrificij salvaretur. At hoc argumentum minimè nocere sic ostendo ratione ad hominem. Qualibet species consecrata habet veram, & propriam rationem sacramenti, & tamen ambæ non duo, sed unum tantùm sacramentum efficiunt; quamvis sacramentum Eucharistiæ sub sola specie panis conferatur. Ergo non duo, sed unum sacrificium sunt. Ut Eucharistia sit duplex sacrificium, non sufficit quòd essentialis ratio sacrificij repertiatur in una specie, sed requiritur insuper quòd reperiatur ratio totalis, ac integra sacrificij; cùm ad pluralitatem sacrificiorum requiratur integritas, quam non admittimus in qualibet specie seorsim sumpta, sed solùm in ambabus, quatenus unam integram, & totalem victimam componunt.

XXV. Sacrificium missæ simpliciter, & absolutè unum sacrificium est dicendum, ut docet D. Chrisostomus in Psal. 95. dicens *magnus erat & sine modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia superveniens gratia uno complectitur sacrificio, unam veram statuens hostiam.* Hæc autem unitas non est indivisibilitatis, ita ut qualibet species unum sacrificium integrum constituat; sed integritatis, quia coalescit ex oblatione carnis, & Sanguinis Christi; ex quibus fit unum sacrificium integrum, & completum; quamvis quoad essentialem rationem, in una specie consecrata subsistere possit. Quare Ecclesia aliquandò in singulari, aliquandò in plurali loquitur de hoc sacrificio: dicit enim *benedic hoc sacrificium tuo Sancto nomini præparatum; his sacrificiis Domine placatus.*

CAPUT. X.

De usu hujus Sacramenti.

I. IN hoc adorando Eucharistiæ sacramento ad modum convivij instituto, Corpus Christi est cibus, & Sanguis ejus est potus.

potus pro fidelibus reficiendis, ut declarat ipsemet Christus Joan. 6. vers. 56. dicens *Caro mea, verè est cibus, & sanguis meus, verè est potus*. In Ecclesiæ nascentis exordiis singulis diebus fideles soliti erant hoc sacrô, & divinô cibô saginari: tunc enim qui christianam legem profitebantur, verâ & sincerâ charitate ardebant. Hac ipsâ charitate posteà refrigescente, Fabianus Papa statuit in can. *Et si* de consecrat. dist. 2. ut quilibet fidelis ter in anno, in paschate scilicet, Pentecoste, & in natali Domini, ad sacram communionem accederet. Idem præcipiebat Concilium Agathense can. 18. dicens *Sæculares, qui in natali Domini, pascha, & pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur*. Soter autem in canone sequenti ejusdem distinctionis, qui incipit *in Cœna* adjecit quartum diem, nempè feriam quintam in Cœna Domini: ibi enim ait *in Cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur: quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus exceptis is, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: Cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta reconcilientur*. Tandem decrescente in dies fidelium charitate, concilium Laterenense sub Innocentio III. cap. *Omnis utriusque* obligat semel in anno, scilicet in paschate ad sacram synaxim faciendam, ut in secundo libro dictum est.

II. Apud Canonistas triplex solitò assignatur usus hujus Sacramenti. Unus enim est merè Sacramentalis, alter est tantùm Spiritualis, ultimus tandem est Sacramentalis, & Spiritualis simul. Ratio hujus divisionis est. Quia sunt, qui ad Dominicam mensam accedunt non habentes vestem nuptialem, seu existentes in peccato mortali. Hi reverâ sumunt Eucharistiam, sed solùm sacramentaliter. Quia licet in Sacramento recipiant Corpus Christi sub speciebus existens, tamen non recipiunt illud usque ad participationem Spiritûs; id est non recipiunt fructum spiritualem, nec salutem animæ, immò judicium sibi manducant, & bibunt. Quia non dijudicant Corpus Domini, & indignè manducant. Alij sumunt Eucharistiam non in re, sed in voto, ac ardore Charitatis, & sicut Angeli Dei in cœlo, desiderant in terris prospicere in faciem Christi. Isti, qui fide vivâ (quæ per dilectionem operatur) fructum ejus, & utilitatem sentiunt, sumunt Eucharistiam spiritualiter tantùm. Sunt tandem, qui ad hanc mensam accedunt priùs probati, instructi, ut dignè Eucharistiam sumant, hujusmodi homines; qui divini Sacramenti mensam diligunt, & in ipsa manducant habentes vestem nuptialem, viventes ex fide, & charitate, communicant sacramentaliter, & spiritualiter simul. Quoniam in usu Eucharistiæ recipiunt corpus Christi in Sacramento, ut primi, Et percipiunt fructum ejus, ut secundi; undè Ecclesia in prosa hujus sanctissimi mysterij meritò canit *sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ, vel interitûs*: nam ut ait D. Augustinus tract. 26. in Joan. aliud est sacramentum, & aliud virtus Sacramenti. Hinc est quòd omnes, qui Sacramentum recipiunt, virtutem non ejus recipiunt. Ut patet de Juda proditore, qui juxtà communiorem sanctorum patrum mentem, & præsertim D. Augustini Corpus Domini, & Sanguinem cum alijs discipulis suscepit, & fuit illi venenum hæc bucella Dominica.

III. Assertionem nostram sic impugnant nonnulli. Peccatores accedebant ad Christum in terris degentem, & tamen salutem consequebantur: ut patet de Magdalena cui Christus Dixit Luc 7. vers. 42. *remittuntur tibi peccata tua*: igitur illi, qui solùm Sacramentaliter suscipiunt Eucharistiam, recipiunt gratiam, sicut alii; cùm Corpus Christi recipiant, & ipse Christus in hostia habeat virtutem, quam habebat in via; *Nego* paritatem. Quia Christus in terris degens quærebat salvum facere, quod perierat, & ideo peccatoribus veniam postulantibus, indulgebat, sed in Eucharistia est panis vivus, panis Angelorum, qui nequit nutrire mortuos, seu peccatores, nec cum ipsis conjungi. Addunt insuper quod nemo potest malè uti maximô bonô, ut tradit D. Augustinus lib. 2 De libero Arbitrio cap. 19. Et consequenter nequè malus esse potest usus Eucharistiæ, quæ est maximum bonum. Respondetur neminem posse malè uti maximô bonô, ita ut bonum illud usu fiat malum in se, conceditur. Ita ut usus boni maximi non sit malus in utente, aut suscipiente negatur; alioquin impossibile esset sanctum dare canibus, seu peccatorem sumere Eucharistiam, quòd tamen falsum est, juxtà illud Math. 7. Suprà allatum *Nolite*

dare Sanctum Canibus. Dicunt tandem Eucharistiam esse medicinam, quæ cùm prosit infirmis, Eucharistia debet æqualiter prodesse omnibus. Sed nego paritatem. Quia medicina, quæ sanitatem auget, aut à malo preservat, non prodest infirmis, sicut medicina purgativa. Undè cùm Eucharistia non sit medicina purgativa, ut Pœnitentia, aut baptismus, sed medicina sanctitatis, & preservativa, nequit æqualiter prodesse omnibus sumentibus illam, sed solum justis, & liberatis à peccato.

IV. Illi, qui nondùm rationis usum, propter ætatis imbecillitatem habent, à Sacra communione arcendi sunt: Quia nesciunt Eucharistiam à profano, & communi pane discernere, nec possunt ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre. Illis, qui prorsùs amentes sunt & à pietatis sensu alieni, minimè danda est communio, nisi in articulo mortis; si autem insaniam, piam, & religiosam animi voluntatem præse tulerint, nec timendum sit vomitionis, aut alterius indignitatis, & incommodi periculum. Tandem deneganda est sacra Eucharistia histrionibus, donec à tali commercio resipuerint, pariter usurariis, meretricibus, raptoribus, & adulteris publicis, qui in Ecclesia scandalum, à Gravioribus criminibus etiam moniti, ut resipiscant, abstinere nolunt; Quia tales peccatores publici censentur canes illi, quibus ex monito Christi, non est dandus panis filiorum, atque porci illi, ante quos non sunt mittendæ Margaritæ Math. 7. vers. 6. *Nolite dare Sanctum canibus neque mittatis Margaritas vestras ante porcos, nè fortè conculcent eas pedibus suis.* Ut autem sciatur quinam publici, & quinam occulti peccatores habendi sint: observandum est eos esse publicos, quorum peccata sunt nota notorietate facti, quales sunt præallegati; vel quorum peccata sunt nota per propriam confessionem, seu jactantiam. His omnibus deneganda est commu nio can. *Pro dilectione* de consecrat dist. 2. [illegible] *& verecundiâ mutuâ consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, & magister, & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicit, cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare, nobiscum? Quod ego puto nec majestatis divinæ; nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur*, nisi publicè constet ipsos emendatos esse can. *Scenicis, atque histrionibus, cæterisque hujusmodi personis vel Apostaticis conversis, vel reversis ad Dominum; gratia, vel reconciliatio non negetur.* Quia peccator publicus non habet jus petendi Eucharistiam; cùm sit in statu notoriè indigno, & absque debita dispositione; si autem contingat emendationem publici peccatoris soli sacerdoti esse notam, ipse sacerdos poterit illi dare privatim communionem, si eam petat, modò caveat, nè illa privata communio in aliorum notitiam deveniat.

V. Quæritur an sacra communio sit etiam deneganda peccatori occulto illam publicè petenti? Respondeo sacerdotem teneri communionem concedere huic peccatori; etiamsi ipsius occultum peccatum noverit extrà confessionem: quia peccator occultus habet jus in facie Ecclesiæ petendi communionem, quò jure privari non potest, nisi aliquâ causâ publicâ, & manifestâ. Nam quamvis quoad forum interius, & coram Deo, nullum jus habeat ad sacram Eucharistiam petendam, habet tamen illud quoad forum exterius, & in facie Ecclesiæ, quo non debet privari, nisi sit sufficienter convictus de delicto in facie ejusdem Ecclesiæ: est enim in possessione suæ famæ, quantum ad publicam æstimationem, ideoque citrà scandalum, & injuriam, non potest ei denegari sacra communio. Ita D. Thomas, & D. Bonaventura, Alensis, & alij quos citant, & sequuntur Hiquæus, & Mastrius dist. 18. num. 76. Qui hanc assertionem probant exemplo Judæ, quem ipse Dominus in Cœna communicavit, quamvis ejus peccatum (alijs occultum) ipse novisset, ut probat illud Math. cap. 26. vers. 2. *unus vestrum me traditurus est.* Quia delictum hujus discipuli sciebat, non ut judex, sed ut Deus inquit Eugenius Papa relatus in can. *si sacerdos* de officio judicis ordin. potest tamen sacerdos habens delicti aliundè quàm ex confessione notitiam, occultè illum admonere, nè ad sacram communionem accedat antèquam peccatum per veram pœnitentiam expiaverit, & Ecclesiæ, si sit excommunicatus, reconciliatus fuerit.

VI. Contrà hanc Doctrinam plures sic insurgunt. Si Eucharistia noceat peccatori etiam occulto, ut est certum; cùm sit

indiſpoſitus, debet illi denegari, ſicut medicina mortifera, denegatur ægroto etiam volenti &, petenti. Aut ſicut gladius denegatur furioſo, qui ſibi, vel alteri mortem inferre intendit, quamvis ſit Dominus gladij. Reſpondetur ad primum, paritatem eſſe nullam. Quia ægrotus non habet jus ad Medicinam ſibi nocituram, & ideo dum illi denegatur, nulla ipſi fit injuria. At peccator occultus habet in facie Eccleſiæ jus ad Euchariſtiam, ut jam dictum eſt: reputatur enim dignus communione, quâ nequit infamia privari. Undè cùm illicitum ſit injuriam inferre alteri, illicitum quoque eſt denegare peccatori occulto communionem. ad ſecundum negatur etiam paritas eadem ratione ſcilicet, quia ex ſubſtractione gladij, nullam infamiam infertur furioſo cui gladius denegatur, benè vero peccatori occulto communionem publicè petenti; ſi ei negetur à ſacerdote; qui cùm agat, ut publicus Bonorum communium diſpenſator, tenetur reddere unicuique id quod ei pertinet, non ſecundum propriam ſcientiam, ſed ſecundum allegata, & approbata.

VII. Alia eſt difficultas videlicet, an communio ſit deneganda peccatori occulto, eam occultè poſtulanti? Reſpondeo affirmativè (niſi notitia ſit ex confeſſione). nam peccator occultus Euchariſtiam petens ſecretò, nullum jus habet petendi illam; etiam occultè. Quia eſt indignus ſacrâ communione; ideoque licita, & laudabilis eſt hæc communionis denegatio; cùm nullum adſit periculum illius peccatum prodendi; denegando illi occultè communionem. Dixi *niſi notitia ſit ex confeſſione*: quia ſi ſacerdos ſciat peccatum per ſolam petentis confeſſionem ſacramentalem, tenetur eam illi concedere, quamvis occultiſſimè petat: tunc enim licet nullum eſſet infamiæ periculum, lederet tamen confeſſionis ſigillum, quod cùm ſit inviolabile, & indiſpenſabile, communio non poteſt à confeſſario denegari: ſacerdos enim negando communionem, indirectè revelaret auditum in confeſſione peccatum illius, cui Euchariſtiam denegaret; quòd eſt prorsùs prohibitum, ut dicemus in proprio loco.

VIII. Illicitum eſt ſacram communionem dare fideli ſuſpecto de crimine, ut hac ipsâ communione veritas delicti, aut innocentiæ manifeſtetur. Indè enim daretur occaſio indignæ communionis; quippecum reus delicti ſui notitiam, aut probationem exhiberet recedendo à menſa Domini, proculdubio cum alijs ad ſacram communionem accederet indignè; ideoque illicita eſt hujuſmodi communionis formula. Deindè illicitum eſt dare Corpus Chriſti, ut peccatum manifeſtetur. Quia dandum eſt, ut gratia augeatur. Nec valet adducere canonem 15. Concilij Uvormatienſis, celebrati. Anno 868. Cujus verba referuntur in can. *Sæpè* 2. quæſt. 4. ubi legitur *ſæpè contingit, ut in Monaſterijs furta perpetrentur, & qui hæc committant], Ignorentur. Idcirco ſtatuimus. Ut quandò ipſi fratres de talibus ſe expurgare debuerint, Miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe abbas præceperit, præſentibus fratribus: & ſic expleta miſſa, omnes communicent in hac verba: Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodiè* quiâ huic eſt derogatum, ut monet gloſſa verbo *ſæpè*.

IX, Juxtà veterem Eccleſiæ diſciplinam poſt ſacerdotis celebrantis communionem, Euchariſtia adminiſtrabatur populo ad communionem præparato, juxtà ordinum gradus, nimirum clericis, deindè Monachis, Diaconis, Virginibus, & ſic de cæteris, ut procerto habemus ex veteribus Liturgicis libris. Et ex D. Dioniſio lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia. Et quia laudabilis eſt talis ordo in communione diſtribuenda, ſacerdotes debent ex decentia ſaltem, hunc ordinem ſervare, non in toto, ita ut debeant communicantium gradus diſcernere, ſed in parte, id eſt, non debent ſine neceſſitate populo adminiſtrare Euchariſtiam antè Miſſam, neque poſt, ſed in miſſa ipſa, poſtquam ipſe ſumpſit hoſtiam, & calicem immediatè, ut in hac oratione (*quod ore ſumpſimus purâ mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum*) comprehendantur. illi, qui communionem acceperunt. Tandem in miſſali Romano habetur Antiphona, quæ dicitur *communio* quam ſacerdos dicit poſt communionem, quæ quidem Antiphona denotat communionem intrà miſſarum ſolemnia, non autem antè, vel poſt miſſam, olim fuiſſe adminiſtratam, & nunc eſſe ſic adminiſtrandam.

X. Solus ſacerdos novæ legis poteſt Euchariſtiam conficere, & ut miniſter ordinarius eam diſpenſare, ut canit Eccleſia in officio ſanctiſſimi Sacramenti, in quo dicitur iſtud ſacrificium ſic fuiſſe inſti-

tum, & ejus officium commissum fuisse solis presbiteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cœteris. Idem constat ex concilijs Lateranensi III. can. *Firmiter* & tridentino sess. 2. cap. 1. Hinc est quòd Diaconus ex commissione sacerdotis, & causa necessitatis potest hoc sacramētū dispensare (quāvis non possit conficere illud): ut si infirmus in articulo mortis viaticum postularet, & nullus adesset sacerdos. Quia ut referunt D. Ambrosius lib. 1. off. cap. 41. Et D. Justinus Apolog. 2. in fine ob sacerdotum penuriam, Eucharistiæ dispensatio olim commissa, & delegata fuit Diaconis: ibi enim ait *Diaconi atque ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes præferunt.* An verò eadem potestas dispensandi Eucharistiam in casu necessitatis conveniat clericis? Plures affirmant. Sed opinio opposita videtur mihi probabilior can. *Pervenit* de consecrat. dist. 2. Nam hoc Sacramentum non est necessarium ad salutem necessitate medij, nec obligat, nisi cum debitis circunstantijs ad ipsius debitam reverentiam requisitis. Ideoque ejus dispensatio non debet indiferenter convenire omnibus, etiam in casu necessitatis, sicut administratio baptismi, sed solùm sacerdotibus, ex vi officij; & Diaconis ex delegatione in casu necessitatis. Hæc tamen prohibitio facta clericis, & laïcis, est tantùm de jure Ecclesiastico: nam si esset de jure divino, nunquam concessa fuisset apud fideles administratio hujus sacramenti; Quòd est falsum: nam teste Eusebio lib. 6. Historiarum cap. 36. Quidam presbiter infirmus misit particulam consecratam ad Serapionem Senem moribundum, per puerum, è cujus manibus sumpsit illam. Et Sanctus Gregorius homil. 40. in Evangelia refert quòd Sancta Romula in extremis recepit communionem à redempta Magistra sua. Undè authoritate Ecclesiæ, & rationabili causâ interveniente, laïcus potest sibimet ministrare sacram Eucharistiam, sibi à sacerdote datam, ut legimus de Maria Stuard Regina Scociæ, cui hoc privilegium concessum fuit à Pio V. Summo, & Sancto Pontifice.

XI. Nullus sacerdos potest licitè Eucharistiam ministrare alteri, nisi sit ejus proprius pastor, cujus est proprias oves pascere, vel ex proprij Pastoris licentia expressa: vel rationabiliter præsumpta id faciat, licet enim hujus sacramenti administratio non sit actus jurisdictionis propriè dictæ, sicut absolutio sacramentalis: est tamen actus Pastoris; ideoque præter potestatem ordinis, requirit jurisdictionē: quæ cùm duplex sit, ordinaria scilicet, & delegata, nullus sacerdos potest licitè Eucharistiam administrare, quin aliquam habeat ordinariam, vel delegatam. Prima residet in summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro tota Diœcesi, & in aliis Pastoribus jurisdictionem ordinariam habentibus respectivè. Altera verò convenit alijs sacerdotibus ex commissione, vel privilegio à sede Apostolica concesso, quô regulares possunt in suis Ecclesijs per totum annum, Eucharistiam ministrare omnibus fidelibus, (excepto tempore paschatis. Quo tempore fideles tenentur Eucharistiam, aut communionem sumere in parochia cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnit. & remiss.) ut apertè constat ex concessione Nicolai V. Sixti IV. Leonis X. Pauli IV. & Innocentii X. Quam referunt Rodriguez, Peirinis, & alij.

XII. Quamvis certum sit apud omnes Theologos in sacerdote sacram Eucharistiam conficiente requiri statum gratiæ, ut eam licitè conficiat. Dubium tamen est inter ipsos, an eadem gratiæ dispositio requiratur in dispensante; ita ut sacerdos teneatur esse in gratia dùm alijs præbet sacram communionem? Plures affirmant; Alij verò negant, & volunt sacerdotem in mortali existentem peccare tantum venialiter hoc sacramentum ministrando. Hæc posterior opinio videtur mihi præferenda tanquam probabilior. Quia non requiritur tanta dispositio in administrante, quanta requiritur in suscipiente communionem, cùm effectus, & fructus Eucharistiæ non sint in illo, sicut in isto, & postulent dispositiones quas administratio minimè postulat: ergo dispensans existens in mortali, non peccat mortaliter, sicut suscipiens, sed solùm venialiter ob reverentiam tanto sacramento debitam. Præterea in hoc ministerio dispensationis, sacerdos non conficit sacramentum, ut dum baptizat, aut dum consecrat panem, aut pœnitentem absolvit, sed solùm applicat, seu dat illud, nec est per se directè instrumentum Dei ad sanctificandum hominem, sicut quandò actu conficit sacramentum. Major igitur requiritur san-

ctitas in confectione, & susceptione Eucharistiæ, quàm in administratione. Ita Silvius, Barbosa, Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Mastrius.

XIII. Sacerdos, qui Eucharistiam ministrat aliis sine superpelliceo, & stola, & sine lumine in altari peccat mortaliter. Ita colligunt ex can. *Sanè* de celebrat. Missar. & ex can. *Ecclesiastica* dist. 23. Turrecremata, Graffis, & alij; Idem Suadet ratio: nam sacerdos est minister ordinarius hujus sacramenti, ut dictum est suprà; Ideoque nequit illud citrà gravem pœnam, dispensare, quin exteriùs appareat, & agnoscatur ut sacerdos, quòd absque superpelliceo, & stola minimè agnosci potest. Peccat etiam mortaliter si ministrando idem sacramentum extrà missam, omittat alias cæremonias, luminis scilicet, confessionis generalis, absolutionis venialium, & absque rationabili causa. Ut habetur in eodem can. *Sanè*. Eadem obligatione habendi stolam astringitur sacerdos, dum extrà missam suscipit Eucharistiam can. *Ecclesiastica* dist. 23.

XIV. In his omnibus cæremonijs dispensatur sacerdos Eucharistiam ad infirmum deferens tempore pestis, si necessitatas tantam accelerintatem exigat, ut non possit servare ea, quæ in prædicto Canone *Sanè* præscribuntur ab Honorio Papa tertio: quia sacra communio in articulo mortis est summæ necessitatis, quæ facit licitum, quod anteà erat illicitum. Et ideo quamvis sacerdos nequeat Eucharistiam ad infirmum deferre sine habitu decenti, seu sine superpelliceo, stola, lumine, & alijs cæremonijs: tamen in casu præsupposito excusatur, ut infirmus beneficium communionis obtineat. Si autem necesse sit vitare contagium, sacerdos potest illi Eucharistiam ministrare in Cochleari argenteo, nè ipse sacerdos pereat, & alijs ægrotis deficiat. Ita plures canonistæ qui afferunt in tali eventu sacerdotem posse administrare Eucharistiam cum patena, ut indè infirmus proprio ore eam accipiat. nam licet parochus teneatur propriam vitam ponere pro ovibus suis, potest tamen uti omni medio nè in periculo pereat, modò eodem uti possit absque ulla indecentia, ut in nostro casu contingit, cùm sic dare communionem infirmis tempore pestis, sit dare illam decenter, ac reverenter.

XV. Major difficultas est, an sacerdos, qui celebrat in statu peccati mortalis, tripliciter peccet, videlicet, quia indignè consecrat, indignè offert, & indignè sumit corpus Domini? Canus de pœnit. part 4. Delugo disp. 8. De sacrament. in genere sect. 9. Et alij existimant hunc sacerdotem duo ad minus peccata committere, unum conficiendo, & aliud sumendo, sacramentum. Azorius, Bonacina, & alij, quos citat & sequitur Leander unum dumtaxat admittunt, quoniam offerre, consecrate, & sumere sunt actus ad rectam, & indignam sumptionem ordinati. Sed non convincit hæc ratio; cùm actus consecrationis non ordinetur ad sumptionem, ut sacramentum conficiatur, sed solùm ut perficiatur sacrificium à consecrante: certum enim est quòd si peracta consecratione impossibilis foret sumptio hostiæ, sacramentum esset verè Eucharisticum. Et si celebrans consecrasset in peccato mortali, peccasset mortaliter. Undè Sto pro prima sententia. Quia sacerdos sic celebrans facit contrà præceptum de missa Sanctè celebranda, & contrà præceptum de non indignè communicàndo, ut notant Aversa, & Havatius de Eucharist. part. 2. num. 67. Nam præceptum obligans laïcos ad dignam communionem, obligat etiam sacerdotes, estque diversum à præcepto obligans ministros Ecclesiæ ad puritatem, ut sancta sanctè tractent mysteria.

XVI. Quæritur an si hic sacerdos in peccato existens conficeret sacramentum, & non sumeret, magis peccaret, quàm si faceret utrumque? respondetur affirmativè cùm D. Bonaventura: quia celebrando hoc sacramentum indignè, sumendo illud etiam indignè, reverà peccat contrà reverentiam, sed facit quòd Ecclesia instituit, id est celebravit, & sumpsit, jussu quidem Ecclesiæ quilibet consecrans tenetur sumere hostiam, aut communicare toties, quoties consecrat; At celebrando indignè, si non sumat hostiam consecratione facta, non servat ritum, quem debet, nec facit quod Ecclesia instituit, & ideò non solùm facit contrà reverentiam debitam sacramento, sed etiam contumeliosè agit. Hac ipsa ratione plùs peccaret sacerdos, qui nè in peccato mortali celebraret: simularet se conficere, & non conficeret: ut habetur ex can. *De homine* de celebrat. Missar. *De homine: quasi vidistis quid de incauto presbytero videatur, qui cùm se sciat in mortali crimine consti-*

tutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circunstantijs, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis quibus conficitur Corpus Christi, panem, & vinum tantummodo puré prætendit populo satisfacere: ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare. Cùm ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licèt is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud: gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare: cùm ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solùm Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se astringat.

XVII. Sacerdos non debet Missam celebrare; quin adsit unus minister ipsi respondens, ut rectè colligitur ex varijs missæ circunstantijs, in quibus, sacerdoti celebranti respondere necesse est, ut (v.g.) dum dicit *Dominus vobiscum, Sursum corda, &c.* Quæ non potest licitè, nec verè proferre; quin sit qui respondeat, ut in variis Conciliis declaratum fuit, & præsertim in Moguntino sub Leone III. Can. 43. in parisiensi sub Gregorio IV. lib. 1. Cap. 48. in Toletano, & aliis. Ille minister debet esse vir, ut constat ex Can. 3. Concilii Nannetensis ubi legitur. *Hoc secundum authoritatem Canonum modis omnibus est prohibendum, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbitero ministrare; aut infrà cancellos stare, aut sedere*: olim nonnulli docuere præter ministrum; alium esse necessarium, sivè virum, sivè fœminam, ut sacerdos celebrans posset duobus Adstantibus dicere *Dominus vobis, Orate fratres* & cœtera, quæ non de uno, sed de pluribus dumtaxat possunt verificari. Sed modò unus minister sufficit, ut constat ex hac 40. Regula juris in 6. *Pluralis locutio, duorum numero est contenta.* Junctâ glosâ: nec valet objicere, decretum Soteris Papæ dist. 1. de consecrat. Quod sic incipit *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis, orate pro me, aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi.* Quia ille summus Pontifex in dicto Canone non intendit declarare id, quod est necessarium, sed solum id quod convenit. Ut observare videtur glossa dicens *Immo & inclusus solus cantare potest, hoc intellige, ubi cleri copia non suffragatur*; undè plures concludunt quòd eremitæ, aut monacho perpetuò incluso permitti potest, ut solus sine ministro respondente missam celebret. Idque aliquandò concessum fuisse à Romano Pontifice scribunt Cardinalis bona lib. 1. rerum liturgicarum cap. 13. Odo cameralensis, Stephanus educnsis, & alii.

CAPUT XI.

De dispositionibus ad dignam communionem necessarijs.

I. NULLUS viator hoc sacramentum suscipere, aut sacram communionem sumere potest, non præmissis debitis dispositionibus juxtà illud Apostoli ad Corinth. 1. Cap. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.* Nam si manna quod erat figura Eucharistiæ conservabatur in urna aurea, ut testatur Paulus ad heb. 9. vers. 4. dicens, *aureum habens turibulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Anima accedens ad Eucharistiam, debet esse purissima, ut aurum. Sed quia homo constat animâ, & corpore, duplex requiritur præparatio, ut quis dignè sumat sacram commmunionem, una ex parte animæ, & altera ex parte corporis, sed priùs examinanda est ea, quæ ad animam pertinet.

II. Juxtà illud Apostoli monitum, nemo potest esse perfectè dispositus ad sacram communionem, nisi habeat fidem, quâ credimus corpus, & sanguinem Domini esse verè, & realiter sub speciebus panis, & vini, & utrumque discernimus à pane, & vino profanis: quomodo enim poterit quis panem cælestem à profano discernere, nisi credat hunc panem, seu christum esse in hostia consecrata? quare idem

Apostulus ad hebr. cap. 10. vers. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aquâ mundâ*, id est plenâ fide credentes quod non videmus, ut communionis fructus percipere valeamus juxta illud 1. Petri cap. 1. vers. 8. & 9. *quem* (id est christum) *cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum de qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia Prophetaverunt.* Deindè fides est necessaria ad susceptionem aliorum Sacramentorum, ut docent communiter Theologi, ideoque necessaria est ad istud, quod vocatur sacramentum fidelium, mysterium fidei, pretium redemptionis nostræ, & christianæ religionis arcanum: ut insinuant sancti patres, & præsertim Auguginus de verbis Apostoli sermone 131. ubi ait *audivimus veracem magistrum, divinum redemptorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum: locutus est enim nobis de corpore, & Sanguine suo: corpus dixit escam, sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles. Audientes autem quid aliud quam audiunt?* Nulli tamen existimare licet solam fidē esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum: anathemate quidem percutit tridentinum sess. 13. can. 11. illos, qui alias præparationes excludunt.

III. Insuper præcipitur, ut communicans sit mundus ab omni macula peccati mortalis, hinc est quòd ille, qui alicujus peccati mortalis conscius est, debet antè communionem præmittere confessionem sacramentalem, ut declarat tridentinum. sess. 13. Cap. 7. etiamsi de illo peccato sit contritus: ibi enim patres concilij sic loquuntur. *Communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum; probet autem se ipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa confessione sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Ita communior opinio contrà nonnullos, quos citat, & sequitur Gavatius, asserentes eum qui in mortale aliquod incidit, si de eo contritionem verè à parte rei habeat, absque actuali confessione posse ad sacram communionem dignè accedere, quamvis confessarij copiam habeat. Hanc posteriorem opinionem reprobat concilium loco citato Can. 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum; anathema sit. Et nè tantum sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationē sumatur statuit, atqu declarat ipsa sācta synodus; illis quos cōscientia peccati mortalis gravat, quantūcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem: si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Ideoque confessio est necessariò præmittenda communioni, nedùm à laïcis, sed etiam à sacerdotibus, qui conscij sunt alicujus peccati mortalis: ut decrevit eadem sacra synodus. Eadem obligatione astringitur ille, qui dubitat an habeat peccatum mortale, quamvis sit contritus. Ratio est; Quia accedens ad communionem debet confiteri peccata dubia, hæcque sunt confitenda, ut dubia. Sic Navarrus, & alij.

IV. Sunt tamen aliqui casus, in quibus Sacerdos contritus potest licitè missam celebrare, non præmissa confessione sacramentali, si non sit copia confessarij. Primo quandò tenetur ex officio celebrare. 2. Quandò non potest citrà scandalum, aut infamiam omittere sacrum, quamvis ad hoc ex officio non teneatur: ut contingit dùm Sacerdos pluribus dixit. Mox à se missam celebrandam, præsertim in die festo, vel dum venit ei in mentem recordatio peccati mortalis postquam in publico incohavit Sacerdotalibus vestibus se induere, & copiam confessarij non habet. 3. dùm facta consecratione recordatur criminis à se admissi, non tenetur antè sumptionem peccatum illud confiteri, quamvis copiam habere possit confessarij. Quia indecens est tunc interrumpi sacrificium missæ. Dixi *facta consecratione*: quia si Sacerdos recordatur antè consecrationem, tenetur confiteri, si habet copiam confessarij, & possit sine nota confiteri; ut quandò privatim celebrat. Alioquin sufficiet si conteratur, ad notam, vel infamiam vitandam, ut tradunt Navarrus, Suarez & alij, qui quærunt an Sacerdos qui antè consecrationem recordaretur criminis à se admissi,

teneatur discedere, si non habeat copiam confessarij? Respondeo negativè etiamsi privatim celebret, & absque nota discedere possit. Ita D. Bonaventura in 4. dist. 13. quia præceptum de confessione præmittenda (non obstante contritione de peccato commisso,) non obligat in tanta necessitate, & decentia.

V. Non desunt authores, qui præter statum gratiæ per confessionem, necessario exigunt ad dignam, & fructuosam communionem, aliquem actualem, & formalem devotionis affectum ex pia aliqua consideratione procedentem. Ita D. Bonaventura, Alensis, Durandus, Cajetanus & alij: quorum ratio est. Quia hoc Sacramentum institutum fuit per modum cibi, & potus, qui viventem non nutriunt sinè proprio actu vitali ipsius viventis. Sed hæc ratio non probat necessitatem hujusmodi actualis devotionis affectùs. Quia absolutè loquendo vita spiritualis in anima sufficit, ut communicans nutriatur cibo Eucharistiæ, seu ut ipsa anima recipiat augmentum gratiæ & charitatis; alioquin sequeretur quòd communicans sinè aliquo devotionis affectu ex aliqua pia consideratione procedente, peccaret mortaliter, quia poneret obicem sacramento, aut omitteret aliquid necessarium pro gratia consequenda; nimirum actualem, & formalem devotionis affectum: at indignè atque infructuosè communicare, est peccare mortaliter juxta illud Pauli ad Corinth. 2. vers. 27. *Quicunque manducaverit panem, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*: ergo hujusmodi affectus non est necessarius, licet sit validè utilis, & maximè deceat hujus sacramenti dignitatem ob majorem gratiam recipiendam, ac auxilia actualia, quæ in perceptione hujus sacramenti conferuntur. Ita Mastrius, & alij; sed sufficit affectus virtualis, cùm non requiratur major devotio in communicante, ut dignè communicet, quàm intentio in celebrante, & validè celebret, aut conficiat Eucharistiam, sed in isto sufficit intentio virtualis: ergo actualis devotio non est absolutè necessaria, sed virtualis sufficit.

VI. Major difficultas est, an præceptum de confessione sacramentali præmittenda antè communionem ab eo, qui peccatum habet, quamvis sit contritus, de quo dictum est suprà num. 3. sit divinum? variè sentiunt Doctores. Coninch, Suarez, & alij tenent hoc præceptum esse juris divini naturalis. Quia Sanctitas hujus Sacramenti exigit omnimodam puritatem, & obligat hominem ad habendam omnem moralem certitudinem gratiæ, ac Sanctitatis, quæ securius habetur in confessione; facilius enim est habere attritionem, quæ in Sacramento pœnitentiæ fit contritio saltem æquivalenter, quàm habere contritionem. Sotus, Aversa, Lugus, & Henriquez volunt prædictum præceptum esse divinum positivum à Christo Domino institutum, & à Paulo promulgatum 1. ad Corinth. 11. dicente *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat*: Sunt tandem alij, qui asserunt hoc præceptum esse tantum Apostolicum, aut præcisè Ecclesiasticum. Ita Scotus in 4. dist. 9. quæst. unica. Navarrus, Bellarminus & alij. Huic sententiæ favet Concilium Tridentinum loco citato cap. 7. dicens *communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum, probet se ipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus .... hac Sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit. modò non desit illis copia confessoris*. Indè sequitur quòd hæc posterior opinio est alijs duabus prioribus præferenda: nam per contritionem extrà sacramentum cum voto suscipiendi illud, homo constituitur in gratia, & fit gratus Deo: igitur, licet Eucharistia naturaliter exigat puritatem, & sanctitatem, non exigit naturaliter confessionem, si communicans sit contritus, & absit copia confessarij. Nec valet major securitas adducta gratiæ in sacramento cum attritionne, quàm per contritionem extrà sacramentum. Quia homo non est certior an accesserit ad sacramentum confessionis, cum sufficienti dolore, aut attritione, quàm an accesserit ad altare post contritionem perfectam de peccato commisso: quis enim potest dicere mundum est cor meum, & purus sum à peccato? & ideo in nostro casu confessio sacramentalis; quæ necessariò debet communionem præcedere, non est præmittenda de jure divino naturali, nec ex jure divino positivo quia nullibi reperitur hoc præceptum: sed solùm de jure Ecclesiastico, & Apostolico, ut jam dixi

cum

cum Tridentino.

VII. Non valet dicere præceptum Apostoli esse divinum positivum, sicut præcepta Moysis sunt divina positiva, licet à Moyse scripta fuerint, sicut illud præceptum à Paulo; non valet (inquam) in hoc casu. Quia omnia præcepta Apostoli, non sunt divina, sicut omnia præcepta decalogi: istud enim 1, ad Timoth. 8. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*. Quò nullus Bigamus est ordinandus, non est divinum, sed merè Apostolicum; alioquin non posset circà idem dispensare Ecclesia. Quòd est falsum, ut constat ex praxi. Deindè Apostolus dicens *probet autem se ipsum homo*, solùm præcipit communicaturo, ut se probet, seu examinet, discutiat prius se ipsum, nè ad sacram communionem accedat cum peccato; aut ut peccator reduplicativè tanquam si ad mensam Domini sic accedat, seu sine peccato, accedit ut accedere tenetur, estque verè dispositus. At contritus de peccato commisso, & de ipso amarè dolens, examinat, discutit, & probat se meliori modo, quò potest, si peccatum suum confiteri nequeat, suppositâ perfectâ contritione. Igitur præceptum istud de confessione præmittenda, non est divinum; sed Apostolicum, aut Ecclesiasticum; *Dices*. Si esset purè humanum, summus Pontifex posset in eo dispensare, & ipso mandante, contritus posset ad Eucharistiam accedere omissa confessione sacramentali: *Concedo* instantiam, sed nunquam dispensavit, nec dispensabit, quia nunquam potest occurrere rationabilis causa dispensandi.

VIII. Nonnulli ex eodem Apostoli authoritate *probet autem se ipsum homo* asserunt, confessionem nullatenus esse communioni præmittendam, quia (inquiunt) Apostolus ait: *probet autem se ipsum homo* non verò *confiteatur alteri* teste Chrysostomo homil. 28. Ju. 1. ad Corinth. dicente; *non præcipit ut alter ab altero probetur, sed ipse sine traductione faciens judicium, sine teste redargutiones*. Respondetur Apostolum non excludere confessionem, immò eam potiùs admittere: præcipit enim ut unusquisque examinet se, & judicet an sit Innocens, & mundus: hæc autem probatio, aut examen præcipitur ut peccata confiteantur, si post diligens examen inveniantur; cùm finis hujus examinis sit confessio. Nec aliud sentit D. Chrysostomus, ut testatur homil. 30. in Genesi. Ubi loquendo de præparatione ad Pascha, expressè meminit pœnitentiæ, & confessionis.

IX. Quamvis peccatum veniale non impediat gratiæ augmentum, quod hoc sacramentum confert; cùm veniale, & Gratia non repugnent, & peccata venialia si sint præterita, & non remissa, virtute hujus sacramenti remitti possint: ut monet D. Augustinus Epist. 118. Dicens *si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quibusdam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina corporis Domini reparare*. Nihilominus qui accedit ad Eucharistiam cum peccato veniali actuali, in ipsomet actu communionis commisso, peccat venialiter; Quia accedit ad Eucharistiam cum irreverentia positiva, quæ quamvis non sit gravis, nec sufficiens ad peccatum mortale, est tamen sufficiens ad veniale contrahendum; certum enim est quòd si communicans cogitaret, & vellet occidere hominem, præter illam peccaminosam cogitationem, committeret aliud peccatum, quod esset, sumere Eucharistiam, cum actuali peccato mortali. Igitur communicans cum peccato veniali actuali (v.g.) qui cogitat de mendacio levi dicendo, peccat venialiter, & præter hoc peccatum veniale, committit aliud quod est sumere Eucharistiam cum peccato veniali actuali. Quia violat præceptum saltem leviter de mendacio non dicendo, & præceptum de Sanctis Sanctè tractandis. Quoad illum qui ad Eucharistiam accedit cum peccato veniali præterito, & habituali, aliter sentio: etenim sic communicans, non peccat venialiter. Quia existens in veniali, potest reverenter, ac devotè accedere ad Eucharistiam, & si accedat irreverenter, hoc est negativè, non autem positivè, ideoque non peccat actu sumendo Eucharistiam. Hæc opinio est communior.

X. Hæc ipsa opinio aliò argumentò probari potest: Sacramentum Eucharistiæ habet vim delendi venialia: ut declarat Tridentinum sess. 13. cap. 2. ubi legimus Salvatorem nostrum discessurum ex hoc mundo ad patrem hoc sacramentum instituisse tanquam antidotum, quò liberemur à culpis quotidianis, id est venialibus, & à peccatis mortalibus præservemur. Idem docet D. Bernardus serm. de Cœna Domini ubi ait. *Quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hu-*

jus facere queat? confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis sacramenti Dominici Corporis, & sanguinis pretiosi investituram habetis. Ergo qui accedit ad Eucharistiam cum veniali jam commisso, non peccat venialiter, immò ipsi remittitur illud peccatum veniale præteritum: nam si accedens ad sacramentum pœnitentiæ cum peccato mortali præterito, & habituali, non peccet de novo, immò ipsi remittatur illud peccatum: quia Sacramentum pœnitentiæ ex sua institutione est delectivum peccati mortalis; ut sancit tridentinum sess. 14. de sacramento pænitentiæ C. 1. Eadem ratione accedens ad Eucharistiam cum veniali præterito, non debet peccare de novo, immò ipsi remitti debet, cùm hoc sacramentum deleat venialia.

XI. Ut sacra communio deleat peccata venialia præterita, requiritur quòd communicans non habeat actualem effectum, seu complacentiam de peccato veniali præterito. Quia ad hujusmodi remissionem poneret obicem, & de novo peccaret venialiter. Etenim complacentia de peccato aliquo est volitio, aut velle peccatum, vel nolle absolvi à peccato veniali, seu velle habere conscientiam non puram: nam *Conscientia pura est* inquit Hugo à S. Victore *Quando non habet de præterito justam accusationem, & de futuro justam voluntatem.* Hæc remissio fit non solum mediantibus dilectionis, & charitatis actibus, quos Eucharistia excitat in eo qui illam sumit dignè, ac reverenter; sed etiam ex opere operato, mediante tamen gratiæ augmento, quod confert

XII. Peccatum, quod quis committit communicando in mortali, gravius est Omnibus alijs, quæ opponuntur virtutibus moralibus: nam peccatum indignæ communionis est peccatum sacrilegij contrà religionem commissum; ut monet Apostolus 1. Ad Corinth. 11. Dicens. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Quod peccatum est verè alijs peccatis Gravius; ut suadetur parabolà de rege, qui fecit nuptias filio suo Math. 22. *Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit, tunc dixit Rex ministris, Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Ratio est. Quia virtus religionis est altior, & perfectior alijs virtutibus moralibus, eo quod istæ virtutes Deum attingant per creaturas, & religionem immediatè. Ita plures authores, quos citat & sequitur Leander tract. De Eucharistia disp. 7. quæst. 7. Ubi idem Doctor quærit, an accedere ad Eucharistiam cum peccatis Carnalibus, sit graviùs peccare; quàm accedere cum peccatis Spiritualibus,? concludit communicantem in peccatis spiritualibus esse indigniorem: Quia immunditia animæ magis opponitur reverentiæ debitæ sacramento, quàm immunditiæ corporis.

XIII. Ultrà animæ innocentiam, & puritatem, necessaria est humilitas animi ad dignam communionem: necesse enim est, quòd communicans sit humilis, & ex animo dicat. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, ut alter centurio de quo Christus testatus est Math. 8. vers. 10. Se non invenisse tantam fidem in Israël, & D. Ambrosius serm. de dedicatione Ecclesiæ. *O fides Christiana, quæ cum humilitate totum imperrare consuevisti! ecce Religiosus centurio ad accipiendam humilitatem fit dignior, cùm se profitetur indignum: & dum ædes suas injuriosas putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magna enim & perfecta fidei vir, qui intelligeret Christum cœlorum esse Deum, verebatur nè hospitij sui eum Angustia non reciperent. Ergo contradicente centurione non pergit ad Domum Dominus: non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina: non visitat ægrum salvator, sed visitat sanitas salvatoris.* Necesse est igitur accedere ad mensam Domini cum humilitate: quoniam Christus humiliavit se inquit D. Augustinus tract. 25. in Joannem, & de humilitate sua commendavit Corpus, & Sanguinem suum: nisi enim esset humilis, non manducaretur, nec biberetur. Humiliavit se factus obediens usque ad mortem; ut jam de Cruce commendaretur nobis caro, & Sanguis Domini.

XIV. Requiritur insuper concordia cum proximo; cùm homo ad mensam Domini accedens, hujus sacramenti fructus percipere nequeat; quinimmo ab ipsa recedere teneatur, nisi pax cum alijs habeat; juxtà illud Math. 5. vers. 23. & 24. Si

ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum: nam si ultor tenetur Domino sic jubente, ab altari recedere; certò tenetur ad mensam Domini non accedere, Undè D. Augustinus tract. 26. in Joannem ait *dimittis, dimittetur tibi: Securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. mentiri Deo potest, Deum fallere non potest. Novit ille quid agat. Intùs te videt, intùs te examinat, intùs inspicit, intùs judicat, intùs aut damnat, aut coronat.*

XV. Non desunt Doctores, qui (ex illo divi Augustini sermone 244. *Erubescimus, ac timemus Eucharistiam manibus sordibus tangere.*) Inferunt venialiter peccare sacerdotes, qui non lotis manibus ad Eucharistiam accedunt, ob reverentiam tanto sacramento debitam. Ita plures quos refert & sequitur Leander. Vera est hæc illatio: nam si illicitum, & indecens fit manducare panem non lotis manibus, indecentius est manducare Corpus Domini non lotis manibus.

CAPUT XII.

Prosequutio earumdem dispositionum.

I. PRÆTER dispositiones animæ supra memoratas, altera requiritur in communicaturo dispositio: debet enim esse perfectè jejunus, hoc est nihil cibi, aut potùs à media nocte in stomachum trajecisse, ut contrà Lutheranos, & Calvinistas plura decrevere Concilia, & expresse trid: habetur in can. *Sacramenta* altaris de consecrat. dist. 1. Et in Concilio Constantiensi sess. 13. ubi legimus *Concilium sacrum generale Constantiense in spiritu Sancto legitimè Congregatum declarat ac definit, quòd licet Christus post Cœnam instituerit, & discipulis administraverit hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum authoritas, & Ecclesia approbata consuetudo servavit & servat, quòd hujusmodi Sacramentum nec post Cœnam conficiatur, nec sumatur à non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Monitum hujus præcepti est reverentia Eucharistiæ, quæ regulariter loquendo major est in jejuno, quàm in pranso. Et monet primo ad quærendum cibum spiritualem, quàm corporalem juxtà illud Math. 6. vers. 33. *Quærite primum regnum Dei.* Hoc præceptum de præmittendo jejunio sacræ communioni est Ecclesiasticum dumtaxat: ut docent Scotus, & Divus Thomas: alioquin non posset dari non jejunis in articulo mortis per modum viatici; nec Christus Dominus post Cœnam tradidisset eam Apostolis.

II. Ex dictis posset quis inferre nullum concilium posse statuere, ut Eucharistia non nisi à jejunis sumeretur; nam inquiunt si Apostolis, cœnâ factâ, communio sacra data fuerit, & ipsis dictum fuerit à Christo Domino *hoc facite in meam commemorationem*; nos etiam possumus sumere illam non jejuni, Sicut Apostoli; & sacerdotes, modò licitè possunt post Cœnam, aut prandium consecrare, sicut illis olim licebat in die Cœnæ Domini: ut constat ex Can. *Sacramenta altaris* de consecrat. dist. 1. Ubi legitur *Sacramentum altaris non nisi à jejunis hominibus celebretur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Hujus exceptionis ratio est: Quia exemplo christi, Die Cœnæ ad Vesperam, sacrum celebrari mos erat, ad quod fideles etiam cœnati communicabant. Respondetur negando illationem: Christus enim his verbis *hoc facite in meam commemorationem* essentialia sacramenti præcepit, scilicet materiam, & formam, non verò accidentalia; Ideoque nullum statuit præceptum de tempore celebrandi Sacrificium, & Ecclesia à Spiritu Sancto directa potuit illud statuere (quod est ab aurora usque ad meridiem.) & velle, ut in honorem tanti sacramenti priùs in os fidelium corpus Domicum intraret, quàm cæteri cibi, ut tradit D. Augustinus. Nec huic institutioni contradicit exemplum Christi: oportuit enim Christum offerre circà vesperam Diei, ut hora ipsa sacrificij ostenderet occasum, & Vesperam mundi, nos autem resurrectionem Domini manè celebramus (inquit D. Cyprianus.) Ad authoritatem juris seu Canonis *Sacramenta altaris* dico

quod ille canon non fuit ubique receptus, nec diù obligavit.

III. Quælibet minima quantitas cibi, antè communionem sumpta, sufficit ad peccatum mortale, seu ut communicans peccet mortaliter ex defectu hujus conditionis ex parte corporis requisitæ: cùm non esset perfecte jejunus, nec in os ejus prius intraret Corpus Dominicum, quàm cæteri cibi, aut *virgine adhuc saliva* ut ait Tertullianus. Reliquiæ tamen cibi hesterni in ore remanentes, si casu post mediam noctem diglutiantur, non violant præceptum de Eucharistia, jejunè sumenda, quia non per modum cibi, sed salivæ trajiciuntur in stomachum; idem dico de reliquiis, ex Cæna inter dentes remanentibus, quia illæ reliquiæ cibi, potiùs pertinent ad manducationem præcedentis diei, quàm præsentis, nec intenduntur tanquam nova refectio, sed fortuitò adhæserunt: & post completam quæ præcessit refectionem, trajectæ sunt *Diei* fortuitò. Quia si hæc spontè, & advertenter diglutiantur, impediunt communionem, quidquid dicant Tabiena verbo *Communio*. Ægidius, & alij. Quia hoc tunc est de novo manducare, & aliquid sumere, tanquam novam refectionem ratione advertentiæ: hæc quidem portio cibi censeretur reservata: & consequenter violat præceptum istud Concilij Toletani 1. can. 2. *Nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat.* Hanc sententiam docent Sancius disp. 42. Paludanus, & alij. Eadem ratio est de ijs, qui ut faucium raucedinem, aut pectoris Tussim, aut defluentium ex cerebro humorem acrimoniam Leniant, ori imponunt saccarum; aut aliam materiam, quam Paulatim liquefactam deglutiunt; hi enim aliquid cibi sumunt, quod non potest in stomachum trajici per modum salivæ; cùm proveniat ex substantia aliena in ore posita. Et si sit dubium, an hæc substantia fuerit in stomachum trajecta ante mediam noctem, ut illi, qui saccarum ori imponit ad somnum capessendum, sæpe contingit: à celebratione, & communione est abstinendum. Quia possessio stat pro lege, quà necesse est, ut fideles ad sacram mensam jejuni accedant.

IV. Ille qui trajiceret aliquas Guttas aquæ præter intentionem, dùm os abluitur, non esset à communione impeditus, ob materiæ parvitatem, quæ non per modum potùs, sed salivæ trajiceretur in stomachum. Nec hoc est propriè potus, aut bibere, ut constat de Christo, qui cùm Gustasset de aceto, noluit bibere. Eademque ratio est de sanguine, qui ex cerebro, vel ex dentibus, aut è naribus in stomachum defluit, nequè consultò deglutitur; si quis tamen biberet sanguinem ex propria vena, aut proprio vulnere extractum, maneret à communione impeditus. Quia tunc sanguis ille esset res extrinseca habens modum potûs.

V. Licet sumptio tabaci juxtà communiorem sententiam non frangat jejunium etiamsi sit in folio, aut fumo, nec communionem impediat ex vi hujus præcepti de Eucharistia jejunè sumenda, cùm non sumatur per actionem, quæ sit comestio, vel potatio, impedit tamen illam ex vi præcepti de reverentia debita huic Sacramento exhibenda: juxtà decretum concilij Lateranensis cap. *Omnis utriusque sexus.* Quare ex Urbano VIII. in append. constit. 49. Quæ incipit *Cum Ecclesia.* Tabacum non potest neque in pulvere, neque in fumo: vel alio modo in Ecclesiis, & atrijs Ecclesiarum Diœcesis Hispalensis, neque à clericis, neque à laïcis sumi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, absque declaratione. Sic refert Eminentissimus Cardinalis noster Laurea in Epito. Canon. littera t. Ratio hujus inhibitionis est, nè lædatur reverentia debita Ecclesiæ, aut Sanctitas loci. Utinam in omni Diœcesi prohibita esset sumptio tabaci in pulvere, ut de facto prohibita fuit in Diœcesi Massiliensi ab illustrissimo Episcopo Mæcenate nostro in Synodo celebrata anno 1698. art. 1. 6. 4.

VI. Disputant canonistæ, an deglutiens aliquid ex natura sua non comestibile, ut lignum v. g. aurum, terram, aut aliquid aliud simile, possit Eucharistiam sumere? Diana, Sancius, Delugo, & alij, quos refert & sequitur Leander affirmant, eorum ratio est. Quia tantùm cibus, aut potus impedit communionem; & ipso solo frangitur jejunium. Villalobos p. 1. tract. 7. diff. 39. num. 1. Bonacina, Reginaldus, & alij negant. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior. Nam licet hæc materia non sit ex se comestibilis, nec habeat rationem cibi, aut potùs; alterari tamen potest à calore stomachi, & consequen-

ter frangere jejunium naturale. Hæc assertio tenet; etiamsi posteà prædictam materiam evomuerit: quia hoc non obstante communicaret post sumptionem alterius rei, & sic sumptio Eucharistiæ non esset prima; Præterea dato quòd non frangeret jejunium naturale, ut volunt adversarij, debet nihilominus violare præceptum de Eucharistia jejunè sumenda. Quia finis hujus præcepti est, ut Corpus Christi priùs in stomachum trajiciatur, quàm alia substantia, ut fatentur omnes, qui hujus præcepti rationes assignant, & proferunt. Deindè sumptio illius rei non comestibilis, potest esse causa vomitûs, pro quo vitando institutum fuit præceptum istud.

VII. Nihilominus potest non jejunus communicare, si urgeat periculum mortis, ut probat praxis qua communio datur infirmis, quamvis non jejunis, nè decedant sine viatico; Sanè infirmus dum commodè potest, debet curare, ut jejunus communicet: Quia in hac lege Ecclesiastica de jejunè communicando, dispensat sola necessitas, quæ si prævideri possit, aut voluntaria sit, minimè dispensat. An verò in eadem ægritudine liceat sæpiùs non jejuno communicare? Plures affirmant, modò servetur debita distantia temporis, aut spatium unius mensis, aut trium hebdomadarum; sed altera opinio quæ negat videtur mihi probabilior. Quia communio dari potest non jejuno dùm urget periculum mortis duntaxat, nè sinè viatico decedat, ut jam dixi, vel nè sine communione moriatur, ut habetur in can. *Presbiter* de consecrat. dist. 2. desumpto ex Concilio Vuormaciensi quinto, cujus verbâ sunt hæc *Presbiter Eucharistiam semper habeat paratum, ut quandò quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, nè sine communione moriatur.* At hæc ratio cessat in eadem ægritudine æqualiter urgente mortis periculo: inquiunt Ledesma, Hurtadus, Gavatius, & alij. In ægritudine autem levi non est administranda sacra communio non jejuno, quandò adest communicandi præceptum, etiamsi ipse ægrotus nequeat absque gravi nocumento potionem omittere. Etenim præceptum communicandi in paschate v. g. non est fortius, nec strictius, quàm præceptum communicandi jejunè, neque obligat, dum Eucharistia nequit sumi cum omni debita reverentia.

VIII. Hic quæritur, an ille, manducans bucellam panis, audit primum pulsum horæ duodecimæ noctis, teneatur statim eam de ore ejicere, si die sequenti communicare velit? Plures affirmant. Quoniam existimant quòd non esset jejunus. Alij probabilius negant. Ita Leander citans D. Thomam, Ægidium & alios quibus adhereo. Quia trajectio prædictæ Bucellæ panis, potiùs pertineret ad manducationem præcedentis diei, quàm sequentis; Ideoque posset eam sumere, & horâ solitâ Eucharistiam suscipere. Quia reputaretur jejunus. Quæritur insuper, an possit ad mensam Domini accedere, si non dormierit à media nocte usque ad horam communionis, & cœna sit indigesta? affirmo quia non obstante digestione, & deficiente somno, esset jejunus, ut declarat glossa in can. *Sacramenta altaris* de consecrat. dist. 1. Ubi legimus *sed quandò dicetur quis jejunus, pone, quod comedo hodie: nec dormio per diem, & per noctem numquid incipiente alio die, sum jejunus?* deindè, ut quis sit jejunus ad communionem, sufficit quòd corpus Domini priùs intret in os christiani, quàm cæteri cibi: hoc autem verificaretur in illo, de quo est quæstio: etiam sublatis somno, & digestione. Quia somnus, & degestio non sunt cibus nec potus; ideoque non peccaret contrà istud præceptum, si horâ solitâ sacram communionem sumeret. *Dices* quidam sacerdos amotus fuit à regimine Ecclesiæ quam habebat commendatam. Quia nulla post cænam præmissa dormitione, missam celebraverat. Ut legimus in can. *Si constiterit* de accusat. Respondetur illum sacerdotem in taberna pernoctasse, ut constat ex proprio textu, aut per totam noctem permansisse in taberna, ut monet glossa dicens, *pernoctare, totam noctem significat*, nulla præmissa dormitione: idest non jejunum missam cantasse: Ita infertur ex glossa ubi legitur *item quòd quasi Ebrius in taberna pernoctaverat, & nulla dormitione facta illa nocte, in sequenti die manè missam celebravit ipse:* His enim verbis constat sacerdotem illum non jejunum consecrasse; cùm liquidò constet ipsum pernoctasse, in taberna manducantem & bibentem, & in principio diei consecrasse, quòd de eo, de quo agitur in nostro, casu dici nequit.

IX. In alijs casibus potest non jejunus hoc sacramentum sumere, ut quandò id

necessarium videtur ad perficiendum missæ sacrificium, Quòd tripliciter contingere potest. Primò si sacerdos loco vini consecraverit aquam, illamque sumpserit, certè non esset jejunus, nihilominus deberet vinum accipere, & illud consecrare incipiendo à verbis simili modo,& posteà sumere, ut sacrificium perficeretur. Secundò si post consecrationem recordetur se non esse jejunum, debet missam prosequi, Corpus, & Sanguinem Domini sumere. Quia præceptum perficiendi cæptum sacrificium, & communicandi, strictiùs obligat, quàm præceptum de Eucharistia jejunè sumenda; cùm illud sit divinum, & istud Ecclesiasticum. Sed si antè consecrationem recordetur se non esse jejunum, & possit absque gravi nota infamiæ, & adstantium scandalo, à sacrificio desistere, ad hoc tenetur, nè violet præceptum de Eucharistia jejunè accipienda. Tertiò si post consecrationem sacerdos deficiat, debet ob rationem in alijs casibus assignatam, alter sacerdos substitui, etiam non jejunus, si jejunus commodè haberi nequeat; qui sacrificium perficiat, & missam absolvat. Nam præceptum de integritate sacrificij, est præferendum alteri de Eucharistia à jejunis dumtaxat sumenda. At si deficiat antè consecrationem, alter sacerdos non debet substitui, nisi sit jejunus. An verò ille sacerdos jejunus teneretur incipere missam ab introitu? responsio affirmativa videtur mihi probabilior: Quia ille sacerdos, si esset necessario substituendus, ut de facto esset in die festo, deberet necessariò peragere omnes partes essentiales missæ, & consequenter etiam omnes accessorias, quæ ex regula juris sequuntur principalem. Præterea ille sacerdos substitutus, non esset propriè ad perficiendum sacrificium: quia esset necessariò substituendus, ut perficeretur sacrificium, seu ad celebrandam missam. Igitur teneretur eam incipere ab introitu, & sic missam celebrāre.

X. Tandem Eucharistia potest sumi à non jejuno sivè laïco, sivè clerico, quandò id exigere videtur reverentia huic sacramento debita, si præsentes jejuni non occurrant, qui sacras hostias sumant, nè incidant in manus sacrilegorum; quia jejunium quod ob reverentiam hujus sacramenti statutum fuit, non debet contrà reverentiam ejusdem obligare. Hæc assertio est communis contrà paucos, qui excludunt laïcos non jejunos. Ratio nostra est. Quia licet sacerdotis sit sacrificium perficere, tamen non est ejusdem dumtaxat recipere species consecratas, & consequenter laïcus etiam non jejunus potest in casu necessitatis hostias sumere nè margaritæ projiciantur ante porcos, sicut sacerdos non jejunus potest sacrificium perficere, ne remaneat incompletum. Quantum ad particulas consecratas, quæ sæpè in corporali linteo, aut in patena reperiuntur post ablutionem calicis: Dico Quòd si repeciantur immediatè post sumptionem sanguinis, sacerdos debet eas statim sumere, etiamsi dubitet an sint consecratæ, nè se exponat periculo communicandi, aut nè communicet non jejunus, sed si particulam advertat post ablutionem, debet eam etiam post ablutionem sumere: Quia tota illa actio reputatur unus actus, unaque communio. Ita Coninch, Bonacina, & alij. Qui idem sentiunt de particulis manentibus in pixide, postquam data est laïcis communio, si in eadem missa fuerint consecratæ, & non possint reverenter servari: in hoc quidem, & alio simili casu, præceptum de Eucharistia non sumenda nisi à jejunis, non obligat, cùm præceptum de Eucharistia reverenter servanda, sit strictius, & præferendum.

XI. Si sacerdos finita missa, & ad sacristiam reversus, inveniat aliquas particulas remanentes in patena, vel in calice, non potest eas sumere (nisi nequeant servari in ciborio, nec dari alteri sacerdoti celebraturo) quia tunc completum esset sacrificium, nec amplius esset eadem moraliter sumptio. Sic Sylvester, Paludanus, Ægidius, & alij.

XII. Nec sufficit ad integram corporis dispositionem, quòd communicans sit jejunus. Quia requiritur insuper, quòd non sit pollutus intrà illum diem. Hujus rei figuram habemus in 1. lib. regum cap. 21. vers. 4. & sequentibus, in quibus legimus quòd Achimelech sacerdos panes propositionis Davidi; & ejus comitatui dare noluit priusquam de illorum continentia certior factus esset. *Non habeo laïcos panes ad manum, sed tantùm panem Sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? & respondit David sacerdoti, & dixit ei: equidem, si de mulieribus agitur continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quandò egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum Sancta; dedit ergo eis Sacerdos san-*

tificatum panem. Idem præcipitur in Can. *testamentum* dist. 6. at cùm pollutiones sint diversæ, de omnibus discurrendum est: nocturnæ si procedant à causa mortali; ut sunt antecedentes cogitationes turpes, quibus se vigilans oblectavit, impediunt pro eo die à communione; licet interveniat confessio subsequens pollutionem, & præcedens communionem: nam licet non sint voluntariæ in se ipsis, sunt voluntariæ in causa. Sed si non procedant à causa mortali, & sint merè involuntariæ, reverà non impediunt à communione ex necessitate disponendi, aut præparandi corpus, sicut aliæ impediunt: benè verò ex decentia, nisi adsit necessitas communicandi, aut celebrandi sacrum; Hæc autem decentia postponenda est necessitati, aut obligationi communicandi.

XIII. Nedùm turpes cogitationes antecedentes, similesque actus ad libidinem provocantes, causant pollutiones, sed etiam diabolus eas ex malitia sua causat, ut arceat fideles à communione, sed propter talem infestationem, nullus debet se à communione abstinere, modò prorsùs involuntaria fuerit pollutio, & nullatenus peccaminosa, nè dæmon suum assequatur finem; & ut communicantis anima communionis fructum recipiat. Hujus rei argumentum referunt rubricæ Missalis Romani tit. de defectibus cap. 9. num. 5. ibi enim legimus *si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione, & celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extrà tamen casum necessitatis, si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali casu; aut ex diabolica illusione, potest communicare, & celebrare, nisi ex illa corporis commotione, tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.*

XIV. Quoad conjuges dico quòd si ad congressum, aut copulam accesserint intrà illum diem, etiam ob prolem generandam juxtà finem matrimonij, & modo prorsùs licito, non debent de carnibus agni comedere, seu ad Eucharistiam accedere, ut inquit D. Hieronimus relatus in Can. *Sciatis* 33. quæst. 4. ob reverentiam tanti sacramenti: ibi enim legitur *Sciatis fratres charissimi quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere debet, si panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi; quantò magis panis ille, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò antè hæsere complexibus violari, atque contingi? non quod nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quòd eo tempore; quo carnes agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Idem monitum tradunt sequentes canones. Sed quia non secundum necessitatem, nec ex præcepto intelligendi sunt, ut notat glossa in Can. *Omnis homo* de consecrat. dist. 2. dicens *non enim est præceptum quòd hic continetur* (quod autem continetur in hoc Canone, est abstinentia à propria uxore ante sacram communionem) sed secundum decentiam, congruentiam, & ex consilio: sequitur quòd non peccant, nec sunt absolutè prohibendi, quàmvis id consulendum sit; ut docent plures canonistæ, modò ex abstinentia illa nullum sequatur mortale inconveniens. Sanctum enim, ac salutare est fideles ad omnimodam præparationem, atque decentiam hortari, eosque admonere, Israëlitas Agnum paschalem manducasse accinctis renibus, Dominò sic jubente. Si verò ad copulam accesserint voluptatis causâ, removendi sunt à communione etiamsi hoc luxuriæ peccatum confessi fuerint. Quia censentur carere dispositione corporis voluntariè, ac malitiosè, seu voluntariè polluti, & immundi. Idem Consilium de removendis conjugatis à communione post copulam, juxtà finem matrimonij habitam, præbendum est mulieri fluxum sanguinis menstrui patienti, ut tenent Suarez, & alij. Modo nulla immineat communicandi necessitas. Ut Fusiùs dicemus cap. de debito conjugali.

XV. Lubens subscribo opinioni Angeli à Clavasio verbo *Eucharistia* 3. num. 44. & aliorum, qui docent esse peccatum veniale ea die, (videlicet communionis) petere debitum conjugale, licet petenti sit reddendum, nè incidat in pollutionem peccaminosam. Ratio est, quia communicans debet esse impollutus, ut ex dictis constat propter Decentiam. Conjux autem, qui debitum petit vult pollui, & consequenter peccat saltem venialiter

si ad communionem accedat; conjux enim sic agens, non adhibet omnem diligentiam, quam commodè adhibere potest, ut sit debitè ad communionem dispositus; cùm supponamus quòd nullum sit pollutionis periculum, nullaque ex parte alterius conjugis petitio debiti, & ipse velit copulam habere.

XVI. Post susceptam sacram communionem, communicans tenetur beneficentiam in pauperes effusiùs exercere, ratio hujus obligationis nedùm ex præcepto eleemosinæ desumitur; sed etiam ex justitia, & gratitudine: nam si Christus corpore suo eum Cibaverit, justum est quòd ipse communicans pane suô, alijsque cibis Terrenis, Christum in membris suis esurientem pascat. Debet se insuper à delicijs, & jocis abstinere: nam si vidua quæ in deliciis est, vivens mortua sit, ut ait Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. vers. 6. fidelis, die quâ ad sacram communionem accessit, debet à delicijs fugere, ut vivat in Christo, & toto corde, omnique intima animi pietate Deo gratias agat de tanto beneficio, quòd in ipsa communione suscepit. Hac de causa parochus tenetur admonere fideles, ut nè postquam sacram Eucharistiam susceperint, statim ab Ecclesia discedant, sed permaneant in oratione, ut à sancta communionis sumpta meditatione à sui intima custodia non alienentur, inquit Sanctus Carolus Borromæus in instructionibus, quas pro ovibus edidit. Tandem fidelis debet die communionis se abstinere à verbis otiosis, & cogitationibus inanibus, ut in sanctis meditationibus, precibus, divinorum officiorum frequentiâ, alijsque pietatis officijs, atque operibus versetur.

XVII. Nulli sacerdotum licet sacram Eucharistiam dispensare extrà Ecclesiam (si causam infirmitatis excipias): sicut enim in lege veteri, nefas erat victimas immolari extrà templum Jerosolimitanum, ità in lege nova, illicitum est corpus Domini offerre, illudque fidelibus administrare extrà locum sacrum ab Episcopo consecratum, benedictum, vel ad sacrificium destinatum, ut constat ex varijs textibus juris Canonici. Nec valet objicere factum Luciani Martyris, qui suô pectore pro altari ad sacrum faciendum in carcere usus est, aut Theodori, qui Diaconorum manibus vice altaris usus est ad sacrificium. Quia non est exemplum quod imitari, sed potiùs mirari debemus; ut ea, quæ nobis in jure Canonico præscripta sunt, observemus. Altari in quo sacerdos consecrat, debet tribus linteis, seu mappis esse coopertum; ut constat in rubricis generalibus; Ut autem sacerdos in memoriam revocet Christi Domini passionem, cujus hoc sacrificium viva imago, & repræsentatio est, collocanda est crux in altari una cum duobus cereis ardentibus. Hæc obligatio ponendi lumen est sub mortali; ut facilè colligitur ex can. *Litteras* de celebratione missarum ratio glossæ verbo *sine igne* est. Quia *ignis in altari meo semper ardebit*. Dixit Dominus.

XVIII. Cùm sacerdoti minimè liceat panem, & non vinum consecrare, nequit missam celebrare, quin habeat calicem: Christus enim accepit Calicem, & dixit: *hic est Calix Sanguinis mei*, Ideoque sacerdos debet præter panem, consecrare vinum in Calice, qui juxtà antiquum Ecclesiæ usum, debet esse argenteum can. *Ut Calix* dist. 1. de consecrat. Calix significat sepulchrum, in quo Christus sepultus fuit. Patena lapidem advolutum ad ostium monumenti. Et corporale sindonem mundam, quâ corpus ejus involvit Joseph ab Arimathæa, qui accessit ad Pilatum, & petiit Corpus Jesus Lucæ 23. vers. 52. Igitur ad missæ celebrationem tria hæc, nimirum Calix, patena, & corporale ità necessaria sunt, ut sine ipsis, missa celebrari non possit. Calicis, & patenæ consecratio pertinet ad Episcopum, licet summo Pontifice dispensante, potest simplici sacerdoti competere, ut testantur plures canonistæ, ut Henriquez, Sylvester, & alij referentes privilegium ab Innocentio VIII. Concessum Abbati Cisterciensi, & alios summos Pontifices Prælatis regularium ad Indias proficiscentibus concessisse idem privilegium.

XIX. Dùm Calicis cuppa à pede separatur, Calix suam amittit consecrationem, nisi sit tornatilis, quidquid in oppositum sentiant Sylvester, Paludanus, & alij volentes quæcumque separatione cuppæ à pede amitti Calicis consecratio. Ratio nostra est. Quia dum Calix sic separatur, non frangitur, ac proinde non violatur consecratio ejus, sicut violatur, dùm de novo iterum deauratur. Quia superficies interior (in qua fit consecratio) non remanet

manet eadem, quamvis Calix sit idem, non eget tamen nova consecratione, si industriâ aurificis interior superficies cuppæ non mutetur, & Calix remaneat integer. Pari obligatione astringitur sacerdos ad habendum missale; cùm si desit, nequeat missam celebrare; etiam in necessitate. Quia nunquam licet se exponere periculo errandi in verbis Canonis, & consecrationis, cui se exponeret ille, qui sine libro missali missam celebrare vellet.

XX. Sacerdoti celebraturo sex vestes sunt necessariæ, scilicet amictus, alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, quæ benedictione Episcopi, vel alteriûs potestatem habentis ad divinum cultum ità deputantur; ut non possint citrà sacrilegium, ad usus prophanos adhiberi; ut cõstat ex can. *Vestimenta* de consecratione dist. 1. desumpto ex Epist. 2. Cap. 3. Stephani Episcopi, cujus verba sunt hæc: *vestimenta Ecclesiastica quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta: quibus, aliis in usibus non debent frui, quàm in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis: quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri; nisi à sacratis hominibus, &c.* Idem habetur ex hac 51. Regularis in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Indè sequitur quod si amplius servire non possint, debent comburi, & cineres in piscinam, vel in locum mundum, ab hominum vestigiis remotum inferri.

CAPUT XIII.

Quosnam effectus recipiant digne communicantes.

I. DIGNA Eucharistiæ receptio operatur augmentum gratiæ sanctificantis, sicut alia sacramenta vivorum, de quibus jam locuti sumus suprà. Idem colligitur ex Florentino in decreto Eugenii: ubi legitur *Hujus sacramenti effectus quem in anima operatur digné sumentis, est adunatio hominis ad Christum*; statim hujus unionis rationem proferens, ait: *Quia per gratiam Homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur; consequens est, quòd per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando; sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo, (inquit Urbanus Papa,) gratiam salvatoris nostri recensentes memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bonum, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.*

II. Hæretici aliquos scripturæ textus adducunt (ut suadeant sacram Eucharistiam, non ad secundam, sed ad primam gratiam causandam fuisse institutam.) Sic in primis proferunt illud Math. 26. vers. 28. *Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti; qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc autem peccatorum remissio nequit fieri sine infusione gratiæ vivificantis, quæ est prima gratia. Addunt insuper illud Joan. 6. vers. 33. *panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Ideoque tollit mortem, seu peccatum mortale. *Respondetur* Mathæum loqui de sanguine in passione effundendo pro peccatis nostris, & à quo tanquam à fonte omnia novæ legis sacramenta hauserunt vim conferendi gratiam sanctificantem; & ideo dicit *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; cûm Christus laverit nos, in sanguine suo. Idem dicendum de altero textu. Quia est de Christo redemptore, qui de cœlo descendit, ut vitam habeamus abundantius & habeamus. Vel dico quòd textus adducti intelligi possunt abstrahendo à mortalibus, & venialibus, & sic non nocent; cùm Eucharistia deleat peccata venialia, & conferendo augmentum gratiæ, vitam donet. Si verò hæretici hanc partem ejiciant, & pro mortalium remissione stent. Dico quòd debent intelligi causaliter, & remotè; scilicet quià Eucharistia, conferendo gratiæ auxilia, excitando dilectionem Dei, promovet ad extinctionem vitiorum; Quibus extinctis anima liberatur à peccato mortali. Quapropter tridentinum vocat hoc sacramentum, antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.

III. Hæc operatio non fit dùm Hostia est in ore sumentis, ut docuit Becanus: etenim gratia confertur illi, qui manducat hunc panem, juxtà sacram scripturam;

Joan. 6. Nec quandiu durat manducatio; cùm sit actio successiva, & gratia producatur in instanti: sed quandò species sacramentales stomachum attingunt, id est in ultimo instanti manducationis: quoniam gratia hujus sacramenti fuit à Christo promissa manducantibus dumtaxat: ut suadent hæc verba *nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c*, Undè qui Hostiam detineret in ore; & ibi species corrumperet, certò hujus sacramenti gratiam non reciperet; Quia non manducaret. Sic docent Bonacina, Sotus, Ægidius, & alii.

IV. Sacerdos aut celebrans, qui sub duplici specie communicat, non recipit ex vi sacramenti, & ex opere operato majorem gratiam, quàm laïcus, qui sub una tantùm specie communicat. Ratio principalis est: quia Christus æquè sumitur sub una specie, ac sub duabus, & ambæ species non duo, sed unum sacramentum efficiunt, unamque communionem, quæ ex se eumdem effectum causat, huncque æqualiter, nisi subjectorum dispositiones sint diversæ, & inæquales: etenim Ecclesia canit *sumit unus, sumunt mille, tantum isti quantum ille. Sumunt boni sumunt mali; sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitûs*. Quibus verbis patet; hujus sacramenti fructus plures exigere dispositiones in subjecto, ut effectus producantur, horumque effectuum diversitatem, non ex specierum pluralitate, sed ex dispositionum diversitate provenire. Hanc assertionem negant plures Doctores gravissimi, inter quos sunt Alexander Alensis, Nicolaus Lyranus, Joannes præpositus, & alij authoritate Clementis VI. qui concessit Regi Christianissimo privilegium communicandi sub utraque specie in ejus inauguratione, cujus privilegii finis, fuit majus gratiæ augmentum, seu ut majorem gratiam reciperet. Censet igitur ille summus Pontifix plus gratiæ conferri in communione sub utraque specie, quàm sub una. At hæc authoritas assertionem nostram minimè infirmat: Quia illud augmentum gratiæ ob quod privilegium concessum fuit Regibus Galliæ, in eorum inauguratione, & alijs; scilicet Diacono, & Subdiacono Cœnobij Sancti Dionisij propè Parisios Dominicis, & diebus solemnibus; & ministris altaris apud Cluniacum: ut referunt plures, non provenit ex vi sacramenti, nec ex opere operato, sed ex opere operantis, & ex dispositionibus animæ; ille enim summus Pontifex præsumebat regem ampliorem habiturum devotionem in receptione utriusque speciei, quàm unius tantum. Ut præsumitur de sacerdote missam celebrante. Quo supposito, asserimus communicantem sub utraque specie majorem gratiam recipere posse ex opere operantis, quàm sub una. Quia Eucharistia causat augmentum gratiæ, quamdiu durat in stomacho, dummodò communicans magis, ac magis de novo per dilectionem se disponat, aut continuet actum amoris, quem initio sumptionis eliquit. Hac ipsa responsione solvuntur alia argumenta ex ratione desumpta, quibus adversarij probant contrà D. Thomam, D. Bonaventuram, & Scotum, communionem sub utraque specie majorem gratiam conferre, quàm sub una.

V. Non valet sic objicere. fidelis majorem gratiam recipit duabus communionibus quàm una; Igitur qui sub utraque specie communicat, majorem gratiam recipit ex opere operato, quia duas communiones suscipit: nam si sacerdos, sumptis speciebus panis, moreretur ante sumptionem Calicis, recepisset gratiam, sicut laïcus, & alter: qui species vini sumeret similem gratiam reciperet. Respondetur fidelem majorem gratiam recipere duabus communionibus distinctis, & diversis, & nullatenus inter se ordinatis; non autem ordinatis ad unam refectionem. Undè cùm in communione sub utraque specie, una species ordinetur ad aliam, & ex utraque fiat una refectio, unum sacramentum, unaque communio, non magis, quàm una species continens: sequitur quòd communio sub utraque specie non causat majorem gratiam ex opere operato, quàm sub una specie, nec est duplex communio, sed una sub duabus speciebus unam integram communionem, unumque sacramentum conficientibus. Quare Christus unius & ambarum specierum sumptioni eamdem gratiam promisit Joan. 6. vers. 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Hic promitit vitam æternam illi, qui hunc celestem panem manducat. Et nihil amplius promittit illi, qui manducat panem, & bibit sanguinem; nam ves. 53. Ait *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis*

vitam in vobis. Et verf. 54. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, Habet vitam æternam*: eadem itaque, gratia confertur, unicam, vel utramque speciem sumentibus. Idem significare intendit Apostolus 1. ad Corinth. Cap. 11. verf. 27. Ubi loquitur in sensu disiunctivo, scilicet de specie panis, vel de specie vini, & vult tam esse reum ille, qui manducat indigne, quàm ille, qui indigne manducat, & bibit. Ibi enim ait *itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis, & Sanguinis Domini* quibus constat illum, qui manducat indignè esse reum corporis, & sanguinis, sicut reus est ejusdem corporis, & sanguinis, ille qui manducat, & bibit indignè, constat pariter illum, qui dignè sumit corpus, & sanguinem Domini sub unica specie, recipere tantam gratiam, quantam recipit ille, qui corpus & sanguinem sumit sub utraque specie; cùm loquatur distiunctivè, & eamdem pœnam, aut culpam, quam tribuit indignè sumenti utramque speciem, tribuat sumenti unam dumtaxat.

VI. Quamvis ob majores subjecti dispositiones Eucharistia majores producat effectus, & tandiu duret hæc productio, quamdiu durant species sacramentales in stomacho, improbo tamen usum quorumdam directorum, qui plures hostias dant nonnullis communicantibus: nam sacra Congregatio Cardinalium Concilij tridentini interpretum, authoritate Innocentij Papæ XI. in decreto edito die 12. Februarij 1679. ait *Episcopi, parochi, seu confessarii insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.* Indè enim inferri potest præsertim à laïcis falsa opinio de virtute hujus sacramenti, nimirum majorem Hostiam, aut plures hostias simul majorem virtutem habere, quàm una sola, & parva. Nec debet prævalere ratio adversariorum, seu illa major gratia, quæ ex opere operantis producitur in anima justi, ob longiorem specierum durationem, quàm plures hostiæ, & una magna habent in stomacho. Minùs prævalere debet illa actuum amoris iteratio quæ per illam durationem fieri potest. Quoniam si prævaleret, & licitam rederet hostiarum pluralitatem redderet etiam licitum communicare ter, aut quater in die. Immò licitum esset laïcis communicare sub utraque specie. Præterea plures hostias dare, est contrà communem usum Ecclesiæ, & unitatem sacramenti, quòd tanquam unum conferendum est, & in unica hostiâ integrum reperitur.

VII. Dignè communicantes accipiunt virtutem perveniendi ad gloriam æternam: etenim Eucharistiæ sacramentum dicitur viaticum, sacrum convivium, in quo mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quia dat nobis vim ad æternam gloriam consequendam, ut promisit Christus Joan. 6. verf. 54. Dicens *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et verf. 57. ait *sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me & ipse vivet propter me*: quodlibet sacramentum ad certum quemlibet passionis Christi effectum consequendum, fuit institutum, ut fatentur omnes: Eucharistia autem præcipuè ad hoc, ut in memoriam passionis ejus offeratur, & sumatur, ut canit Ecclesia in oratione sanctissimi sacramenti, *Deus qui nobis sub sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti*, Igitur quemadmodum à Passione Christi genus humanum accepit virtutem, perveniendi ad vitam æternam, dignè communicans accepit vim perveniendi ad gloriam: Quia hoc sacramentum operatur in virtute passionis, & ideo viaticum dicitur.

VIII. Cùm Eucharistia præter rationem sacramenti, habeat rationem sacrificij, ut jam dictum est. Convenit hic examinare, an communio ab uno facta, possit alteri prodesse. Pro cujus solutione; dico quòd non prodest ut sacramentum, nisi illi à quo sumitur. Quia institutum fuit per modum cibi, & potùs ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus, sicut nutrimentum unitur nutrito. Ideoque non prodest aliis à sumentibus, sicut alia sacramenta non prosunt alijs, à suscipientibus. Et sicut aliorum sacramentorum effectus reperiuntur in his dumtaxat, qui suscipiunt ea, ita effectus Eucharistiæ communicantur illis dumtaxat qui eam dignè recipiunt; sed prodest in ratione sacrificii, quod pro vivis & defunctis in purgatorio existentibus offertur: ut in proprio loco dictum est. Undè communio prodest communicanti non solùm quatenus est sacramentum; sed etiam ut est sacrificium: illi verò pro quo

communio sumitur, prodest tantùm ut sacrificium, eique spiritualem utilitatem affert, ut colligitur ex verbis istis in canone missæ relatis *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum .... Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo: & vero* quibus suadetur communicantes in missa simul cum sacerdote offerre Deo vivo, & vero sacrificium laudis, & salutis.

IX. Virtute hujus sacramenti fideles uniuntur Christo; non unione Physicâ, sed morali cordium nexu, & veluti transfusione, juxta illud salvatoris *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo*, & Eugenius Papa IV. In decreto Florentiæ edito pro Armenis *hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum: Et quia per gratiam Homo Christo Incorporatur, & membris ejus unitur; sequitur quòd per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt temporalem; hoc idem quoad vitam spiritualem, & per hoc sacramentum operatur.* Ut ergo fideles, qui ad Eucharistiam accesserunt, agnoscant an hunc effectum receperint, seu an Christo in Eucharistia uniantur, videant si dilectionem habeant adinvicem, ut facilè colligitur ex D. Augustino sermone 272. ubi ait *Dominus Christus mysterium pacis, & unitatis nostræ in sua mensa consecravit, qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contrà se.* In hoc quidem dilectionis signo cognoscuntur palmites, seu discipuli Domini ipsomet Domino testante Joann. 13. vers. 35. ubi ait *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem.* Uniuntur etiam inter se ejusdem sacramenti virtute, eo præcisè. Quia uniuntur Christo: nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt etiam unum inter se, ut docent Philosophi. Quare Apostolus ait *unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Indè S. Cyrillus Alexand. lib. III. in Joann. ait. *Ut ergo ad unitatem cum Deo, & inter nos contenderemus, atque nos unà commisceremur, rationem quamdam excogitavit. Uno enim corpore suo nimirùm fideles benedicens, per mysticam communionem tum ipsos inter se, tum secum concorporales effecit. Quis enim eos, qui per illud Sanctum Corpus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, diviserit, & à naturali inter se unione removerit? nam omnes de uno pane participamus, unum omnes corpus efficimur: christus enim dividi nequit.*

X. Perseverantia finalis cui æterna fælicitas succedit, est etiam effectus Eucharistiæ, juxtà illud Joann. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Vita autem æterna hominis, fælicitas est, ad quam nullus valet pervenire, nisi perseveret; cùm ex oraculo, ille qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Certè hac fortè de causa, Christus voluit hoc sacramentum esse permanens, & subsistens post verborum prolationem; ut beatam mentis in sanctitate firmitatem impertiret pro consequenda fælicitate æterna, ad quam ordinantur omnes effectus hujus sacramenti: nam si gratiam sanctificantem auget, si animam divinis Charismatibus reficit, si Christo nos unit, si à mortalibus præservat, si venialia delet, si tentationes, & Hostium impetus repellit; certum est, quòd hæc omnia, & alia etiam saluberrima præstat: ut ad æternam felicitatem pervenire valeamus; cùm septem Ecclesiæ sacramenta sint fontes aquæ salientis in vitam æternam, & præcipuè Eucharistia; ut colligitur ex his verbis Canonis missæ *Quot quot ex hac altaris participatione sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratiâ repleamur.* Tandem in hoc adorando Eucharistiæ sacramento, testamentum habemus æternum, ut monet Christus dicens *hic Calix novum testamentum est in meo sanguine.* Quòd conditum fuit, ut ad filiorum Dei hæreditatem jus habeamus.

XI. Præter gloriam animæ, hoc sacramentum operatur gloriam Corporis, ex illo Joann. 6. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*: sicut enim Corpus bonorum usu ciborum præ cæteris pulchrescit, atquè florescit, ut experientia demonstrat, sic actus per dignam communionem virtutibus, domitisque passionibus, pulchrescet in die resurrectionis: nam si quilibet beatus fit ad vitam immortalem resurre-

ctatus, meritò suæ benedictionis, ille qui dignè communicaverit, hoc speciali titulo vitam sui corporis immortalem est adepturus. Quia resurrectio singulari modo debetur dignè communicanti, secundum allatam promissionem Christi *& ego resuscitabo eum in novissimo die.* Decet enim gloriosum corpus, quale est corpus Christi, habere etiam membra gloriosa; & corpora, quorum pravas affectiones, atque inordinatos appetitus fregit in via corpus Domini, resurgere in ultimo Dei judicio, ut gloriosa. Non quòd Eucharistia virtutem aliquam Physicam corporibus conferat, sed solùm quamdam dignitatem, & consecrationem, ratione cujus digna sunt habere in regno immortalitatis eamdem cum Christo unionem, qua m habuerunt in statu mortalitatis.

XII Alium sacræ communioni effectum tribuunt Sancti Patres, nimirum cordis castimoniam, & corporeæ puritatis propagationem: ex illo Zachariæ 9. *Quid est bonum ejus, & quòd pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Idem probat Catechismus Romanus num. 55. *Carnis etiam libidinem cohibet, & reprimit, dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguere necesse est.* Ratio tanti beneficii est. Quia hujus sacramenti perceptione, fideles Christo conjunguntur, & cum eo unum fiunt, tam secundum spiritum, ut patet, nedùm ex dictis suprà, sed etiam ex illo 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est*; quàm secundum *carnem* juxtà illud ad Ephesios. 55. vers. 30. *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus.* Hic obiter observandum est, quòd sicut dignè sumentibus Sacram Eucharistiam multa bona proveniunt, ut ex dictis constat; ita indignè sumentibus illam multa mala occurrunt: de ipsis quidem dicitur illud Psal. 68. vers. 23. & sequentibus *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum né videant: & dorsum eorum semper incurva. effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt*: indigna enim communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem ex cæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, & gratuitis spoliat.

XIII. Hic quæri potest, an qui indignè, seu in peccato Eucharistiam sumit, si posteà antequam species corrumpantur in stomacho, confiteatur, vel perfectè conteratur, recipiat prædictos effectus, scilicet gratiæ augmentum, & alios? Ratio dubitandi est. Quià Corpus tandiu est sub speciebus, quamdiù durant ipsæmet species. Responsio affirmativa videtur mihi probabilior. Ratio est. Quia Eucharistia speciebus stantibus in stomacho integris, est sacramentum, & habet adhuc vim conferendi gratiam ex opere operato, & si eam non contulit, hoc provenit ex defectu dispositionis, quæ communicanti necessaria est. Undè si communicans sit perfectè dispositus antequam corpus discedat, seu antequam species corrumpantur, probabiliùs est, quòd operabitur in illo effectus, quos operatum fuisset, si illum perfectè dispositum invenisset: hoc enim Christi benignitatem extollit. Ita plures Doctores contrà nonnullos. An verò ille, qui sic indignè communionem sumpsit, teneatur conteri, vel confiteri pro toto illo tempore, quo species incorruptæ subsistunt in stomacho? Duæ sunt opiniones, sed affirmativa videtur mihi probabilior. Quia toto tempore illo, quo Christus est in stomacho, ponit obicem sacramento, ideoque peccat: obligatione quidem, quâ tenemur confiteri, aut conteri ante communionis sumptionem, tenemur etiam durante sacramento, aut hostiâ; cùm obligatio confitendi peccata tendat ad dignam susceptionem corporis Christi, & fructuosam receptionem ejusdem effectuum, & speciebus in stomacho remanentibus integris, Corpus Christi indignè retineri possit, & effectus ejusdem recipi.

XIV. Quantum ad frequentem communionem. Dico quòd considerata hujus sacramenti virtute, utile est ipsam quotidiè sumere, ut tradit D. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 10. Post D. Augustinum serm. 8. de verbis Domini, ubi ait *iste panis quotidianus est, accipe quotidiè, ut quotidie. Tibi prosit; sic vive, ut quotidiè merearis accipere.* His enim probatur communionem ex se esse utilem, quare patres tridentini sess. 22. cap. 6. dicunt *optaret quidem Sacro-Sancta Synodus, ut singulis*

missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus sacrificij fructus uberior proveniret. Idem suadet ratio; nam si hoc sacramentum institutum fuerit per modum convivij, ut certum est, necessariò habet virtutem quotidiè reficiendi omnes, qui dignè manducant corpus Domini; sicut reficiebat fideles primitivæ Ecclesiæ, qui quotidiè Euchariſtiam sumebant juxtà illud act. 2. vers. 42. *Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: Sed consideratis dispositionibus animæ, & corporis sumentium, quæ penitùs necessariæ sunt, ut sacramentum prosit, non est utile, ipsum quotidiè sumere. Immò est periculosum; cùm judicium sibi manducet, & bibat, qui illud sumit indignè. Sed solùm quotiescumque se ad illud sacramentum homo invenerit præparatum, & dignè dispositum, aut dùm se videt, vel videtur à directore esse in statu primitivæ Ecclesiæ, ut ait D. Bonaventura in 4. dist. 12. part. 2. art. 1. quæst. 2. Tunc enim Laudandum est quotidiè communicare. Si autem se videat (inquit idem Doctor) in statu Ecclesiæ finalis, utporè frigidum, & tardum, laudandum est, quòd raró. Si autem medio modo; medio modo se debet habere, & aliquandò debet cessare, ut addiscat revereri; aliquandò accedere, ut inflammetur amore; quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor: & tunc secundùm illam partem, secundùm quam viderit se meliùs proficere, ad illam magis declinet, quod homo solùm experientia discit. Ita Doctor Seraphicus.

XV. Non debent igitur directores pœnitentibus suis ad communionem frequentem permittere accessum, nisi illis, in quibus gratia, & virtutes relucent. Alijs autem in quibus virtutum post multas communiones augmentum nullum relucet, nullusque præteritarum communionum fructus discutitur, raró permittere debent accessum ad mensam Domini: ut docet Michaël Psellus in Canticum Canticorum cap. 5. ubi ait *Christus sponsus ipsis Virginis Filijs dat Corpus suum. Sic enim illos, sed dignos tantùm, quos & propinquos suos dixit, alloquitur: comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Quicumque estis operibus fratres mei, corpus meum comedite, & sanguinem bibite. Deinde inebriamini, inquit præ lætitia, & propter ebrietatem stupore perculsi, omnino mundi sollicitudinem obliviscimini.*

XVI. Undè hujusmodi quæstionis, aut difficultatis judicium, in praxi, & quantùm ad personas in particulari, potiùs ad prudentiam, & scientiam directorum est remittendum, Quàm ad scriptorum subtilitates. Quia fidelium conscientias intuendo, eorum dispositiones, & communionum fructus percipiunt, scriptores autem in speculatione sistunt. Hinc est, quòd non possum satis mirari hanc sententiam D. Augustini de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Relati in Can. *Quotidiè* dist. 2. de consecrat. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero*: nam laudare quotidiè, aut frequenter communicantem, potest esse malum, quia ipse communicans forsan est indignus, ac indispositus, si non positivè, saltem negativè. Vituperare, potest etiam esse malum quia communicans Forsan est perfectè, ac dignè dispositus: ergo frequens communio, in communi non est Laudanda, nec vituperanda; sed in particulari est Laudanda, aut vituperanda, secundùm dispositiones communicantium, cùm frequens communio non repugnet virtuti Eucharistiæ, sed subjecti indispositioni, nedùm positivè: (ille enim qui est positivè indispositus debet absolutè privari communione) sed etiam negativè. Quia ut alicui liceat frequenter communicare, non sufficit quòd sit sinè peccato, sed requiritur insuper quòd sobriè, justè, ac piè vivat, & ardeat verâ, atque sincerâ Charitate, quâ ardebant plures sancti, quos quotidiè Eucharistiam sumpsisse constat ex historia, aut ex traditione.

CAPUT. XIV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. Certum est contrà Novatianos, & hæreticos hujus temporis, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum ad remittenda peccata post baptismum commissa, ut declarat Tridentinum sess. 14. Can. 1. & 3. *Si quis dixerit, in Catholi-*

ea Ecclesia pœnitentiam non esse verè, & propriè sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum: anathema sit. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem, contrà institutionem hujus sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit. Quibus nedùm constat pœnitentiæ sacramentum fuisse divinitùs institutum, sed etiam potestatem absolvendi, & remittendi peccata ad reconciliandos homines post baptismum lapsos, fuisse communicatam Apostolis, & eorum legitimis successoribus ab ipsomet Christo, cùm à mortuis excitatus insuflavit in discipulos dicens *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: secùs enim non satis humanæ infirmitati consuluisset, nisi renatæ in baptismo novæ creaturæ, & in confirmatione auctæ, & in Eucharistia pastæ, aliquod parasset remedium, quô, amissâ semel innocentiâ, restaurari posset. Quare Theologi confessionem sacramentalem sic definiunt *accusatio sacramentalis legitima de peccatis propriis, facta coram sacerdote ad eorum veniam impetrandam, virtute clavium.*

II. Opponunt Novatiani illud 1. Regum cap. 2. vers. 25. *Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis autem orabit pro eo.* Quibus verbis probant hominem non posse absolvere alium à peccatis contrà Deum commissis, ut patet ex interrogatione, quæ denotat impossibilitatem habendi talem potestatem absolvendi. Respondetur quòd hæc interrogatio non est exclusiva, sicut ista *nullus orabit pro eo* sed est mere interrogativa, sicut ista *quis ascendet in montem Domini?* Ita præfatum textum exponunt sancti Patres, & præsertim D. Ambrosius, & consequenter nihil probat contrà nos. Quia possumus absque ulla falsitatis umbra respondere, quòd Sacerdos orabit pro eo, & eum absolvet à peccatis, cui dictum est in persona Petri *tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis* Math. 16. quæ verba exponens D. Hieronimus ait *habent judiciariam potestatem alij Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & presbiteris, sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quòd quicumque à veritate fidei, & societate Ecclesiæ separatur, nec à peccatis solui, nec cælum potest ingredi.*

III. Alium adducunt textum, qui est Apostoli ad Hebræos cap. 10. vers. 26. & 27. *voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio:* ex quo inferunt nullum hominem posse absolvere alium á peccatis. Respondetur Apostolum non loqui de quolibet peccato; ita ut nullùm possit remitti in via, sed de peccato apostasiæ, ut monent nonnulli Sancti Patres, quò peccato fides Christi semel suscepta penitùs abijcitur. Ut suadet hæc particula *post susceptam notitiam veritatis*, ex quo vix emergit, qui in illud prolabitur. Vel respondetur Apostolum loqui de peccato in ordine ad sanctificationem, quæ exhibita fuit pro peccato in quo nascimur, quod in baptismo nobis remittitur quoad culpam, & pœnam per merita Christi in Cruce oblati, sine ulla conditione satisfactionis laboriosæ. Ait enim *jam non relinquitur pro peccatis hostia*; id est Christus passibilis, & morti obnoxius. Undè Apostolùs non excludit absolutè remissionem peccatorum, nec vult voluntariè peccantes non posse absolvi, sed vult ipsos non posse absolvi, eo modo, quo absoluti fuerunt in baptismo. Peccatum originale in baptismo remittitur absque ullo actu nostro per efficaciam, quam habet à passione Christi in Cruce oblati. Voluntarium autem remittitur in sacramento pœnitentiæ cum dolore, & in amaritudine peccatoris. In sacramento baptismi peccator nascitur, & in sacramento pœnitentiæ Sanatur ab ægritudine, & punitur à judice tanquam reus: ideoque in illo non patitur, sicut in isto, quod à Sanctis patribus dicitur baptismus laboriosus. Illud non iteratur; quia homo, qui semel nascitur, semel debet baptizari. Istud verò quod est spiritualis medicina, frequenter iterari potest, quia homo sæpè labitur.

IV. Cùm pœnitentiæ sacramentum ha-

necessarium videtur ad perficiendum missæ sacrificium, Quòd tripliciter contingere potest. Primò si sacerdos loco vini consecraverit aquam, illamque sumpserit, certè non esset jejunus, nihilominus deberet vinum accipere, & illud consecrare incipiendo à verbis simili modo, & posteà sumere, ut sacrificium perficeretur. Secundò si post consecrationem recordetur se non esse jejunum, debet missam prosequi, Corpus, & Sanguinem Domini sumere. Quia præceptum perficiendi cæptum sacrificium, & communicandi, strictiùs obligat, quàm præceptum de Eucharistia jejunè sumenda; cùm illud sit divinum, & istud Ecclesiasticum. Sed si antè consecrationem recordetur se non esse jejunum, & possit absque gravi nota infamiæ, & adstantium scandalo, à sacrificio desistere, ad hoc tenetur, nè violet præceptum de Eucharistia jejunè accipienda. Tertiò si post consecrationem sacerdos deficiat, debet ob rationem in alijs casibus assignatam, alter sacerdos substitui, etiam non jejunus, si jejunus commodè haberi nequeat; qui sacrificium perficiat, & missam absolvat. Nam præceptum de integritate sacrificij, est præferendum alteri de Eucharistia à jejunis dumtaxat sumenda. At si deficiat antè consecrationem, alter sacerdos non debet substitui, nisi sit jejunus. An verò ille sacerdos jejunus teneretur incipere missam ab introitu? responsio affirmativa videtur mihi probabilior: Quia ille sacerdos, si esset necessario substituendus, ut de facto esset in die festo, deberet necessariò peragere omnes partes essentiales missæ, & consequenter etiam omnes accessorias, quæ ex regula juris sequuntur principalem. Præthereà ille sacerdos substitutus, non esset propriè ad perficiendum sacrificium: quia esset necessariò substituendus, ut perficeretur sacrificium, seu ad celebrandam missam. Igitur teneretur eam incipere ab introitu, & sic missam celebrare.

X. Tandem Eucharistia potest sumi à non jejuno sivè laïco, sivè clerico, quandò id exigere videtur reverentia huic sacramento debita, si præsentes jejuni non occurrant, qui sacras hostias sumant, nè incidant in manus sacrilegorum; quia jejunium quod ob reverentiam hujus sacramenti statutum fuit, non debet contrà reverentiam ejusdem obligare. Hæc assertio est communis contrà paucos, qui excludunt laïcos non jejunos. Ratio nostra est. Quia licet sacerdotis sit sacrificium perficere, tamen non est ejusdem dumtaxat recipere species consecratas, & consequenter laïcus etiam non jejunus potest in casu necessitatis hostias sumere nè margaritæ projiciantur ante porcos, sicut sacerdos non jejunus potest sacrificium perficere, ne remaneat incompletum. Quantum ad particulas consecratas, quæ sæpè in corporali linteo, aut in patena repeciuntur post ablutionem calicis: Dico Quòd si repetiantur immediatè post sumptionem sanguinis, sacerdos debet eas statim sumere, etiamsi dubitet an sint consecratæ, nè se exponat periculo communicandi, aut nè communicet non jejunus, sed si particulam advertat post ablutionem, debet eam etiam post ablutionem sumere: Quia tota illa actio reputatur unus actus, unaque communio. Ita Coninch, Bonacina, & alij. Qui idem sentiunt de particulis manentibus in pixide, postquam data est laïcis communio, si in eadem missa fuerint consecratæ, & non possint reverenter servari: in hoc quidem, & alio simili casu, præceptum de Eucharistia non sumenda nisi à jejunis, non obligat, cùm præceptum de Eucharistia reverenter servanda, sit strictius, & præferendum.

XI. Si sacerdos finita missa, & ad sacristiam reversus, inveniat aliquas particulas remanentes in patena, vel in calice, non potest eas sumere (nisi nequeant servari in ciborio, nec dari alteri sacerdoti celebraturo) quia tunc completum esset sacrificium, nec amplius esset eadem moraliter sumptio. Sic Sylvester, Paludanus, Ægidius, & alij.

XII. Nec sufficit ad integram corporis dispositionem, quòd communicans sit jejunus. Quia requiritur insuper, quòd non sit pollutus intrà illum diem. Hujus rei figuram habemus in 1. lib. regum cap. 21. vers. 4. & sequentibus, in quibus legimus quòd Achimelech sacerdos panes propositionis Davidi; & ejus comitatui dare noluit priusquam de illorum continentia certior factus esset. *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem Sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? & respondit David sacerdoti, & dixit ei: equidem, si de mulieribus agitur continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quandò egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum Sancta; dedit ergo eis Sacerdos san-*

ctificatum panem. Idem præcipitur in Can. *testamentum* dist. 6. at cùm pollutiones sint diversæ, de omnibus discurrendum est: nocturnæ si procedant à causa mortali; ut sunt antecedentes cogitationes turpes, quibus se vigilans oblectavit, impediunt pro eo die à communione; licet interveniat confessio subsequens pollutionem, & præcedens communionem: nam licet non sint voluntariæ in se ipsis, sunt voluntariæ in causa. Sed si non procedant à causa mortali, & sint merè involuntariæ, reverà non impediunt à communione ex necessitate disponendi, aut præparandi corpus, sicut aliæ impediunt: benè verò ex decentia, nisi adsit necessitas communicandi, aut celebrandi sacrum; Hæc autem decentia postponenda est necessitati, aut obligationi communicandi.

XIII. Nedùm turpes cogitationes antecedentes, similesque actus ad libidinem provocantes, causant pollutiones, sed etiam diabolus eas ex malitia sua causat, ut arceat fideles à communione, sed propter talem infestationem, nullus debet se à communione abstinere, modò prorsùs involuntaria fuerit pollutio, & nullatenus peccaminosa, nè dæmon suum assequatur finem; & ut communicantis anima communionis fructum recipiat. Hujus rei argumentum referunt rubricæ Missalis Romani tit. de defectibus cap. 9. num. 5. ibi enim legimus *si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione, & celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extrà tamen casum necessitatis, si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali casu; aut ex diabolica illusione, potest communicare, & celebrare, nisi ex illa corporis commotione, tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.*

XIV. Quoad conjuges dico quòd si ad congressum, aut copulam accesserint intrà illum diem, etiam ob prolem generandam juxtà finem matrimonij, & modo prorsùs licito, non debent de carnibus agni comedere, seu ad Eucharistiam accedere, ut inquit D. Hieronimus relatus in Can *Sciatis* 33. quæst. 4. ob reverentiam tanti sacramenti: ibi enim legitur *Sciatis fratres charissimi quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere debet, si panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi; quantò magis panis ille, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus Paulò antè hæsere complexibus violari, atque contingi? non quod nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus] sed quòd eo tempore; quo carnes agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Idem monitum tradunt sequentes canones. Sed quia non secundum necessitatem, nec ex præcepto intelligendi sunt, ut notat glossa in Can. *Omnis homo* de consecrat. dist. 2. dicens *non enim est præceptum quòd hic continetur* (quod autem continetur in hoc Canone, est abstinentia à propria uxore ante sacram communionem) sed secundum decentiam, congruentiam, & ex consilio: sequitur quòd non peccant, nec sunt absolutè prohibendi, quàmvis id consulendum sit; ut docent plures canonistæ, modò ex abstinentia illa nullum sequatur mortale inconveniens. Sanctum enim, ac salutare est fideles ad omnimodam præparationem, atque decentiam hortari, eosque admonere, Israëlitas Agnum paschalem manducasse accinctis renibus, Dominô sic jubente. Si verò ad copulam accesserint voluptatis causâ, removendi sunt à communione etiamsi hoc luxuriæ peccatum confessi fuerint. Quia censentur carere dispositione corporis voluntariè, ac malitiosè, seu voluntariè polluti, & immundi. Idem Consilium de removendis conjugatis à communione post copulam, juxtà finem matrimonij habitam, præbendum est mulieri fluxum sanguinis menstrui patienti, ut tenent Suarez, & alij. Modo nulla immineat communicandi necessitas. Ut Fusiùs dicemus cap. de debito conjugali.

XV. Lubens subscribo opinioni Angeli à Clavasio verbo *Eucharistia* 3. num. 44. & aliorum, qui docent esse peccatum veniale ea die, (videlicet communionis) petere debitum conjugale, licet petenti sit reddendum, nè incidat in pollutionem peccaminosam. Ratio est, quia communicans debet esse impollutus, ut ex dictis constat propter Decentiam. Conjux autem, qui debitum petit vult pollui, & consequenter peccat saltem venialiter

si ad communionem accedat; conjux enim sic agens, non adhibet omnem diligentiam, quam commodè adhibere potest, ut sit debitè ad communionem dispositus; cùm supponamus quòd nullum sit pollutionis periculum, nullaque ex parte alterius conjugis petitio debiti, & ipse velit copulam habere.

XVI. Post susceptam sacram communionem, communicans tenetur beneficentiam in pauperes effusiùs exercere, ratio hujus obligationis nedùm ex præcepto eleemosinæ desumitur; sed etiam ex justitia, & gratitudine: nam si Christus corpore suo eum Cibaverit, justum est quòd ipse communicans pane suô, alijsque cibis Terrenis, Christum in membris suis esurientem pascat. Debet se insuper à delicijs, & jocis abstinere: nam si vidua quæ in deliciis est, vivens mortua sit, ut ait Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. vers. 6. fidelis, dic quâ ad sacram communionem accessit, debet à delicijs fugere, ut vivat in Christo, & toto corde, omnique intima animi pietate Deo gratias agat de tanto beneficio, quòd in ipsa communione suscepit. Hac de causa parochus tenetur admonere fideles, ut nè postquam sacram Eucharistiam susceperint, statim ab Ecclesia discedant, sed permaneant in oratione, ut à sancta communionis sumpta meditatione à sui intima custodia non alienentur, inquit Sanctus Carolus Borromæus in instructionibus, quas pro ovibus edidit. Tandem fidelis debet die communionis se abstinere à verbis otiosis, & cogitationibus inanibus, ut in sanctis meditationibus, precibus, divinorum officiorum frequentiâ, alijsque pietatis officijs, atque operibus versetur.

XVII. Nulli sacerdotum licet sacram Eucharistiam dispensare extrà Ecclesiam (si causam infirmitatis excipias): sicut enim in lege veteri, nefas erat victimas immolari extrà templum Jerosolimitanum, ità in lege nova, illicitum est corpus Domini offerre, illudque fidelibus administrare extrà locum sacrum ab Episcopo consecratum, benedictum, vel ad sacrificium destinatum, ut constat ex varijs textibus juris Canonici. Nec valet objicere factum Luciani Martiris, qui suô pectore pro altari ad sactum faciendum in carcere usus est, aut Theodori, qui Diaconorum manibus vice altaris usus est ad sacrificium. Quia non est exemplum quod imitari, sed potiùs mirari debemus; ut ea, quæ nobis in jure Canonico præscripta sunt, observemus. Altari in quo sacerdos consecrat, debet tribus linteis, seu mappis esse coopertum; ut constat in rubricis generalibus; Ut autem sacerdos in memoriam revocet Christi Domini passionem, cujus hoc sacrificium viva imago, & repræsentatio est, collocanda est crux in altari una cum duobus cereis ardentibus. Hæc obligatio ponendi lumen est sub mortali; ut facilè colligitur ex can. *Litteras* de celebratione missarum ratio glossæ verbo *sine igne* est. Quia *ignis in altari meo semper ardebit.* Dixit Dominus.

XVIII. Cùm sacerdoti minimè liceat panem, & non vinum consecrare, nequit missam celebrare, quin habeat calicem: Christus enim accepit Calicem, & dixit: *hic est Calix Sanguinis mei,* Ideoque sacerdos debet præter panem, consecrare vinum in Calice, qui juxtà antiquum Ecclesiæ usum, debet esse argenteum can. *Ut Calix* dist. 1. de consecrat. Calix significat sepulchrum, in quo Christus sepultus fuit. Patena lapidem advolutum ad ostium monumenti. Et corporale sindonem mundam, quâ corpus ejus involvit Joseph ab Arimathæa, qui accessit ad Pilatum, & petiit Corpus Jesus Lucæ 23. vers. 52. Igitur ad missæ celebrationem tria hæc, nimirum Calix, patena, & corporale ità necessaria sunt, ut sine ipsis, missa celebrari non possit. Calicis, & patenæ consecratio pertinet ad Episcopum, licet summo Pontifice dispensante, potest simplici sacerdoti competere, ut testantur plures canonistæ, ut Henriquez, Sylvester, & alij referentes privilegium ab Innocentio VIII. Concessum Abbati Cisterciensi, & alios summos Pontifices Prælatis regularium ad Indias proficiscentibus concessisse idem privilegium.

XIX. Dùm Calicis cuppa à pede separatur, Calix suam amittit consecrationem, nisi sit tornatilis, quidquid in oppositum sentiant Sylvester, Paludanus, & alij volentes quacumque separatione cuppæ à pede amitti Calicis consecratio. Ratio nostra est. Quia dum Calix sic separatur, non frangitur, ac proinde non violatur consecratio ejus, sicut violatur, dùm de novo iterum deauratur. Quia superficies interior (in qua fit consecratio) non remanet

manet eadem, quamvis Calix sit idem, non eget tamen nova consecratione, si industriâ aurificis interior superficies cuppæ non mutetur, & Calix remaneat integer. Pari obligatione astringitur sacerdos ad habendum missale; cùm si desit, nequeat missam celebrare; etiam in necessitate. Quia nunquam licet se exponere periculo errandi in verbis Canonis, & consecrationis, cui se exponeret ille, qui sine libro missali missam celebrare vellet.

XX. Sacerdoti celebraturo sex vestes sunt necessariæ, scilicet amictus, alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, quæ benedictione Episcopi, vel alterius potestatem habentis ad divinum cultum ità deputantur; ut non possint citrà sacrilegium, ad usus prophanos adhiberi; ut constat ex can. *Vestimenta* de consecratione dist. 1. desumpto ex Epist. 2. Cap. 3. Stephani Episcopi, cujus verba sunt hæc: *vestimenta Ecclesiastica quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta: quibus, aliis in usibus non debent frui, quàm in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis; quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri; nisi à sacratis hominibus, &c.* Idem habetur ex hac 51. Regularis in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Indè sequitur quod si amplius servire non possint, debent comburi, & cineres in piscinam, vel in locum mundum, ab hominum vestigiis remotum inferri.

CAPUT XIII.

Quosnam effectus recipiant digne communicantes.

I. DIGNA Eucharistiæ receptio operatur augmentum gratiæ sanctificantis, sicut alia sacramenta vivorum, de quibus jam locuti sumus suprà. Idem colligitur ex Florentino in decreto Eugenii: ubi legitur *Hujus sacramenti effectus quem in anima operatur digné sumentis, est adunatio hominis ad Christum*; statim hujus unionis rationem proferens, ait: *Quia per gratiam Homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur; consequens est, quòd per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando; sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo, (inquit Urbanus Papa,) gratiam salvatoris nostri recensentes memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bonum, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.*

II. Hæretici aliquos scripturæ textus adducunt (ut suadeant sacram Eucharistiam, non ad secundam, sed ad primam gratiam causandam fuisse institutam.) Sic in primis proferunt illud Math. 26. vers. 28. *Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc autem peccatorum remissio nequit fieri sine infusione gratiæ vivificantis, quæ est prima gratia. Addunt insuper illud Joan. 6. vers. 33. *panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Ideoque tollit mortem, seu peccatum mortale. *Respondetur* Mathæum loqui de sanguine in passione effundendo pro peccatis nostris, & à quo tanquam à fonte omnia novæ legis sacramenta hauserunt vim conferendi gratiam sanctificantem; & ideo dicit *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; cùm Christus laverit nos, in sanguine suo. Idem dicendum de altero textu. Quia est de Christo redemptore, qui de cœlo descendit, ut vitam habeamus abundantius & habeamus. Vel dico quòd textus adducti intelligi possunt abstrahendo à mortalibus, & venialibus, & sic non nocent; cùm Eucharistia deleat peccata venialia, & conferendo augmentum gratiæ, vitam donet. Si verò hæretici hanc partem ejiciant, & pro mortalium remissione stent. Dico quòd debent intelligi causaliter, & remotè; scilicet quià Eucharistia, conferendo gratiæ auxilia, excitando dilectionem Dei, promovet ad extinctionem vitiorum; Quibus extinctis anima liberatur à peccato mortali. Quapropter Tridentinum vocat hoc sacramentum, antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.

III. Hæc operatio non fit dùm Hostia est in ore sumentis, ut docuit Becanus; etenim gratia confertur illi, qui manducat hunc panem, juxtà sacram scripturam.

Joan. 6. Nec quandiu durat manducatio; cùm sit actio successiva, & gratia producatur in instanti: sed quandò species sacramentales stomachum attingunt, id est in ultimo instanti manducationis: quoniam gratia hujus sacramenti fuit à Christo promissa manducantibus dumtaxat: ut suadent hæc verba *nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.* Undè qui Hostiam detineret in ore; & ibi species corrumperet, certò hujus sacramenti gratiam non reciperet; Quia non manducaret. Sic docent Bonacina, Sotus, Ægidius, & alii.

IV. Sacerdos aut celebrans, qui sub duplici specie communicat, non recipit ex vi sacramenti, & ex opere operato majorem gratiam, quàm laïcus, qui sub una tantùm specie communicat. Ratio principalis est: quia Christus æquè sumitur sub una specie, ac sub duabus, & ambæ species non duo, sed unum sacramentum efficiunt, unamque communionem, quæ ex se eumdem effectum causat, huncque æqualiter, nisi subjectorum dispositiones sint diversæ, & inæquales: etenim Ecclesia canit *sumit unus, sumunt mille, tantum isti quantum ille. Sumunt boni sumunt mali; sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitûs.* Quibus verbis patet; hujus sacramenti fructus plures exigere dispositiones in subjecto, ut effectus producantur, horumque effectuum diversitatem, non ex specierum pluralitate, sed ex dispositionum diversitate provenire. Hanc assertionem negant plures Doctores gravissimi, inter quos sunt Alexander Alensis, Nicolaus Lyranus, Joannes præpositus, & alij authoritate Clementis VI. qui concessit Regi Christianissimo privilegium communicandi sub utraque specie in ejus inauguratione, cujus privilegii finis, fuit majus gratiæ augmentum, seu ut majorem gratiam reciperet. Censet igitur ille summus Pontifex plus gratiæ conferri in communione sub utraque specie, quàm sub una. At hæc authoritas assertionem nostram minimè infirmat: Quia illud augmentum gratiæ ob quod privilegium concessum fuit Regibus Galliæ, in eorum inauguratione, & alijs; scilicet Diacono, & Subdiacono Cœnobij Sancti Dionisij propè Parisios Dominicis, & diebus solemnibus; & ministris altaris apud Cluniacum: ut referunt plures, non provenit ex vi sacramenti, nec ex opere operato, sed ex opere operantis, & ex dispositionibus animæ; ille enim summus Pontifex præsumebat regem ampliorem habiturum devotionem in receptione utriusque speciei, quàm unius tantum. Ut præsumitur de sacerdote missam celebrante. Quo supposito, asserimus communicantem sub utraque specie majorem gratiam recipere posse ex opere operantis, quàm sub una. Quia Eucharistia causat augmentum gratiæ, quamdiu durat in stomacho, dummodò communicans magis, ac magis de novo per dilectionem se disponat, aut continuet actum amoris, quem initio sumptionis eliquit. Hac ipsa responsione solvuntur alia argumenta ex ratione desumpta, quibus adversarij probant contrà D. Thomam, D. Bonaventuram, & Scotum, communionem sub utraque specie majorem gratiam conferre, quàm sub una.

V. Non valet sic objicere. fidelis majorem gratiam recipit duabus communionibus quàm unà; Igitur qui sub utraque specie communicat, majorem gratiam recipit ex opere operato, quia duas communiones suscipit: nam si sacerdos, sumptis speciebus panis, moreretur ante sumptionem Calicis, recepisset gratiam, sicut laïcus, & alter: qui species vini sumeret similem gratiam reciperet. Respondetur fidelem majorem gratiam recipere duabus communionibus distinctis, & diversis, & nullatenus inter se ordinatis; non autem ordinatis ad unam refectionem. Undè cùm in communione sub utraque specie, una species ordinetur ad aliam, & ex utraque fiat una refectio, unum sacramentum, unaque communio, non magis, quàm una species continens: sequitur quòd communio sub utraque specie non causat majorem gratiam ex opere operato, quàm sub una specie, nec est duplex communio, sed una sub duabus speciebus unam integram communionem, unumque sacramentum conficientibus. Quare Christus unius & ambarum specierum sumptioni eamdem gratiam promisit Joan. 6. vers. 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hic promitit vitam æternam illi, qui hunc celestem panem manducat. Et nihil amplius promittit illi, qui manducat panem, & bibit sanguinem; nam vers. 53. Ait *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis*

vitam in vobis. Et verſ. 54. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, Habet vitam æternam* : eadem itaque, gratia confertur unicam, vel utramque ſpeciem ſumentibus. Idem ſignificare intendit Apoſtolus 1. ad Corinth. Cap. 11. verſ. 27. Ubi loquitur in ſenſu disjunctivo, ſcilicet de ſpecie panis, vel de ſpecie vini, & vult tam eſſe reum ille, qui manducat indignè, quàm ille, qui indignè manducat, & bibit. Ibi enim ait *itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis, & Sanguinis Domini* quibus conſtat illum, qui manducat indignè eſſe reum corporis, & ſanguinis, ſicut reus eſt ejuſdem corporis, & ſanguinis, ille qui manducat, & bibit indignè; conſtat pariter illum, qui dignè ſumit corpus, & ſanguinem Domini ſub unica ſpecie, recipere tantam gratiam, quantam recipit ille, qui corpus & ſanguinem ſumit ſub utraque ſpecie; cùm loquatur diſtinctive, & eamdem pœnam, aut culpam, quam tribuit indignè ſumenti utramque ſpeciem, tribuat ſumenti unam dumtaxat.

VI. Quamvis ob majores ſubjecti diſpoſitiones Euchariſtia majores producat effectus, & tandiu duret hæc productio, quamdiu durant ſpecies ſacramentales in ſtomacho; improbo tamen uſum quorumdam directorum, qui plures hoſtias dant nonnullis communicantibus: nam ſacra Congregatio Cardinalium Concilij tridentini interpretum, authoritate Innocentij Papæ XI. in decreto edito die 12. Februarij 1679. ait *Epiſcopi, parochi, ſeu confeſſarii inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas.* Indè enim inferri poteſt præſertim à laïcis falſa opinio de virtute hujus ſacramenti, nimirum majorem Hoſtiam, aut plures hoſtias ſimul majorem virtutem habere, quàm una ſola, & parva. Nec debet prævalere ratio adverſariorum, ſeu illa major gratia, quæ ex opere operantis producitur in anima juſti, ob longiorem ſpecierum durationem, quàm plures hoſtiæ, & una magna habent in ſtomacho. Minùs prævalere debet illa actuum amoris iteratio quæ per illam durationem fieri poteſt. Quoniam ſi prævaleret, & licitam redderet hoſtiarum pluralitatem redderet etiam licitum communicare ter, aut quater in die. Immò licitum eſſet laïcis communicare ſub utraque ſpecie. Præterea plures hoſtias dare, eſt contrà communem uſum Eccleſiæ, & unitatem ſacramenti, quòd tanquam unum conferendum eſt, & in unica hoſtiâ integrum reperitur.

VII. Dignè communicantes accipiunt virtutem perveniendi ad gloriam æternam: etenim Euchariſtiæ ſacramentum dicitur viaticum, ſacrum convivium, in quo mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quia dat nobis vim ad æternam gloriam conſequendam, ut promiſit Chriſtus Joan. 6. verſ. 54. Dicens *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Et verſ. 57. ait *ſicut miſit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me & ipſe vivet propter me*: quodlibet ſacramentum ad certum quemlibet paſſionis Chriſti effectum conſequendum, fuit inſtitutum, ut ſarentur omnes: Euchariſtia autem præcipuè ad hoc, ut in memoriam paſſionis ejus offeratur, & ſumatur, ut canit Eccleſia in oratione ſanctiſſimi ſacramenti, *Deus qui nobis ſub ſacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriam reliquiſti*. Igitur quemadmodum à Paſſione Chriſti genus humanum accepit virtutem, perveniendi ad vitam æternam, dignè communicans accepit vim perveniendi ad gloriam: Quia hoc ſacramentum operatur in virtute paſſionis, & ideo viaticum dicitur.

VIII. Cùm Euchariſtia Præter rationem ſacramenti, habeat rationem ſacrificij, ut jam dictum eſt. Convenit hic examinare, an communio ab uno facta poſſit alteri prodeſſe. Pro cujus ſolutione; dico quòd non prodeſt ut ſacramentum, niſi illi à quo ſumitur. Quia inſtitutum fuit per modum cibi, & potùs ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum, & ad membra ejus, ſicut nutrimentum unitur nutrito. Ideoque non prodeſt aliis à ſumentibus, ſicut alia ſacramenta non proſunt alijs, à ſuſcipientibus. Et ſicut aliorum ſacramentorum effectus reperiuntur in his dumtaxat, qui ſuſcipiunt ea, ita effectus Euchariſtiæ communicantur illis dumtaxat qui eam dignè recipiunt; ſed prodeſt in ratione ſacrificii, quod pro vivis & defunctis in purgatorio exiſtentibus offertur: ut in proprio loco dictum eſt. Undè communio prodeſt communicanti non ſolùm quatenus eſt ſacramentum; ſed etiam ut eſt ſacrificium: illi verò pro quo

communio sumitur, prodest tantùm ut sacrificium, eique spiritualem utilitatem affert, ut colligitur ex verbis istis in canone missæ relatis *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum .... Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo: & vero* quibus suadetur communicantes in missa simul cum sacerdote offerre Deo vivo, & vero sacrificium laudis, & salutis.

IX. Virtute hujus sacramenti fideles uniuntur Christo; non unione Physicâ, sed morali cordium nexu, & veluti transfusione, juxta illud salvatoris *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo*, & Eugenius Papa IV. In decreto Florentiæ edito pro Armenis *hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum: Et quia per gratiam Homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur; sequitur quòd per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt temporalem; hoc idem quoad vitam spiritualem, & per hoc sacramentum operatur.* Ut ergo fideles, qui ad Eucharistiam accesserunt, agnoscant an hunc effectum receperint, seu an Christo in Eucharistia uniantur, videant si dilectionem habeant adinvicem, ut facilè colligitur ex D. Augustino sermone 272. ubi ait: *Dominus Christus mysterium pacis, & unitatis nostræ in sua mensa consecravit, qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contrà se.* In hoc quidem dilectionis signo cognoscuntur palmites, seu discipuli Domini ipsomet Domino testante Joann. 13. vers. 35. ubi ait *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem.* Uniuntur etiam inter se ejusdem sacramenti virtute, eo præcisè. Quia uniuntur Christo: nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt etiam unum inter se, ut docent Philosophi. Quare Apostolus ait *unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Indè S. Cyrillus Alexand. lib. III. in Joann. ait. *Ut ergo ad unitatem cum Deo, & inter nos contenderemus, atque nos unà commisceremur, rationem quamdam excogitavit. Uno enim corpore suo nimirùm fideles benedicens, per mysticam communionem tum ipsos inter se, tum secum concorporales effecit. Quis enim eos, qui per illud Sanctum Corpus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, diviserit, & à naturali inter se unione removerit? nam omnes de uno pane participamus, unum omnes corpus efficimur: christus enim dividi nequit.*

X. Perseverantia finalis cui æterna fælicitas succedit, est etiam effectus Eucharistiæ, juxtà illud Joann. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Vita autem æterna hominis, fælicitas est, ad quam nullus valet pervenire, nisi perseveret; cùm ex oraculo, ille qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Certè hac forte de causa, Christus voluit hoc sacramentum esse permanens, & subsistens post verborum prolationem; ut beatam mentis in sanctitate firmitatem impertiret pro consequenda fælicitate æterna, ad quam ordinantur omnes effectus hujus sacramenti: nam si gratiam sanctificantem auget, si animam divinis Charismatibus reficit, si Christo nos unit, si à mortalibus præservat, si venialia delet, si tentationes, & Hostium impetus repellit; certum est, quòd hæc omnia, & alia etiam saluberrima præstat: ut ad æternam felicitatem pervenire valeamus; cùm septem Ecclesiæ sacramenta sint fontes aquæ salientis in vitam æternam, & præcipuè Eucharistia; ut colligitur ex his verbis Canonis missæ *Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratiâ repleamur.* Tandem in hoc adorando Eucharistiæ sacramento, testamentum habemus æternum, ut monet Christus dicens *hic Calix novum testamentum est in meo sanguine.* Quòd conditum fuit, ut ad filiorum Dei hæreditatem jus habeamus.

XI. Præter gloriam animæ, hoc sacramentum operatur gloriam Corporis, ex illo Joann. 6. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*: sicut enim Corpus bonorum usu ciborum præ cæteris pulchrescit, atquè florescit, ut experientia demonstrat, sic actus per dignam communionem virtutibus, domitisque passionibus, pulchrescet in die resurrectionis: nam si quilibet beatus sit ad vitam immortalem resurre-

ctatus, meritò suæ benedictionis, ille qui dignè communicaverit, hoc speciali titulo vitam sui corporis immortalem est adepturus. Quia resurrectio singulari modo debetur dignè communicanti, secundum allatam promissionem Christi *& ego resuscitabo eum in novissimo die*. Decet enim gloriosum corpus, quale est corpus Christi, habere etiam membra gloriosa; & corpora, quorum pravas affectiones, atque inordinatos appetitus fregit in via corpus Domini, resurgere in ultimo Dei judicio, ut gloriosa. Non quòd Eucharistia virtutem aliquam Physicam corporibus conferat, sed solùm quamdam dignitatem, & consecrationem, ratione cujus digna sunt habere in regno immortalitatis eamdem cum Christo unionem, quam habuerunt in statu mortalitatis.

XII Alium sacræ communioni effectum tribuunt Sancti Patres, nimirum cordis castimoniam, & corporeæ puritatis propagationem: ex illo Zachariæ 9. *Quid est bonum ejus, & quòd pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Idem probat Catechismus Romanus num. 55. *Carnis etiam libidinem cohibet, & reprimit, dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguere necesse est.* Ratio tanti beneficii est. Quia hujus sacramenti perceptione, fideles Christo conjunguntur, & cum eo unum fiunt, tam secundum spiritum, ut patet, nedùm ex dictis suprà, sed etiam ex illo 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est*; quàm secundum *carnem* juxtà illud ad Ephesios. 55. verf. 30. *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus.* Hic obiter observandum est, quòd sicut dignè sumentibus Sacram Eucharistiam multa bona proveniunt, ut ex dictis constat; ita indignè sumentibus illam multa mala occurrunt: de ipsis quidem dicitur illud Psal. 68. verf. 23. & sequentibus *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum né videant: & dorsum eorum semper incurva. effunde super eos iram tuam: & furor ira tua comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt*: indigna enim communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem ex cæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, & gratuitis spoliat.

XIII. Hic quæri potest, an qui indignè, seu in peccato Eucharistiam sumit, si postea antequam species corrumpantur in stomacho, confiteatur, vel perfectè conteratur, recipiat prædictos effectus, scilicet gratiæ augmentum, & alios? Ratio dubitandi est. Quia Corpus tandiu est sub speciebus, quamdiù durant ipsæmet species. Responsio affirmativa videtur mihi probabilior. Ratio est. Quia Eucharistia speciebus stantibus in stomacho integris, est sacramentum, & habet adhuc vim conferendi gratiam ex opere operato, & si eam non contulit, hoc provenit ex defectu dispositionis, quæ communicanti necessaria est. Undè si communicans sit perfectè dispositus antequam corpus discedat, seu antequam species corrumpantur, probabiliùs est, quòd operabitur in illo effectus, quos operatum fuisset, si illum perfectè dispositum invenisset: hoc enim Christi benignitatem extollit. Ita plures Doctores contrà nonnullos. An verò ille, qui sic indignè communionem sumpsit, teneatur conteri, vel confiteri pro toto illo tempore, quo species incorruptæ subsistunt in stomacho? Duæ sunt opiniones, sed affirmativa videtur mihi probabilior. Quia toto tempore illo, quo Christus est in stomacho, ponit obicem sacramento, ideoque peccat: obligatione quidem, quâ tenemur confiteri, aut conteri ante communionis sumptionem, tenemur etiam durante sacramento, aut hostiâ; cùm obligatio confitendi peccata tendat ad dignam susceptionem corporis Christi, & fructuosam receptionem ejusdem effectuum, & speciebus in stomacho remanentibus integris, Corpus Christi indignè retineri possit, & effectus ejusdem recipi.

XIV. Quantum ad frequentem communionem. Dico quòd considerata hujus sacramenti virtute, utile est ipsam quotidiè sumere, ut tradit D. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 10. Post D. Augustinum serm. 8. de verbis Domini, ubi ait *iste panis quotidianus est, accipe quotidiè, ut quotidie. Tibi prosit; sic vive, ut quotidiè quotidie merearis accipere.* His enim probatur communionem ex se esse utilem, quare patres tridentini sess. 22. cap. 6. dicunt *optaret quidem Sacro-Sancta Synodus, ut singulis*

missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus sacrificij fructus uberior proveniret. Idem suadet ratio; nam si hoc sacramentum institutum fuerit per modum convivij, ut certum est, necessariò habet virtutem quotidiè reficiendi omnes, qui dignè manducant corpus Domini; sicut reficiebat fideles primitivæ Ecclesiæ, qui quotidiè Eucharistiam sumebant juxtà illud act. 2. vers. 42. *Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus:* Sed consideratis dispositionibus animæ, & corporis sumentium, quæ penitùs necessariæ sunt, ut sacramentum prosit, non est utile, ipsum quotidiè sumere. Immò est periculosum; cùm judicium sibi manducet, & bibat, qui illud sumit indignè. Sed solùm quotiescumque se ad illud sacramentum homo invenerit præparatum, & dignè dispositum, aut dùm se videt, vel videtur à directore esse in statu primitivæ Ecclesiæ, ut ait D. Bonaventura in 4. dist. 12. part. 2. art. 1. quæst. 2. Tunc enim Laudandum est quotidiè communicare. Si autem se videat (inquit idem Doctor) in statu Ecclesiæ finalis, utporè frigidum, & tardum, laudandum est, quòd raro. Si autem medio modo; medio modo se debet habere, & aliquandò debet cessare, ut addiscat revereri; aliquandò accedere, ut inflammetur amore; quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor: & tunc secundùm illam partem, secundùm quam viderit se meliùs proficere, ad illam magis declinet, quod homo solùm experientia discit. Ita Doctor Seraphicus.

XV. Non debent igitur directores pœnitentibus suis ad communionem frequentem permittere accessum, nisi illis, in quibus gratia, & virtutes relucent. Alijs autem in quibus virtutum post multas communiones augmentum nullum relucet, nullusque præteritarum communionum fructus discutitur, raro permittere debent accessum ad mensam Domini: ut docet Michaël Psellus in Canticum Canticorum cap. 5. ubi ait *Christus sponsus ipsis Virginis Filijs dat Corpus suum. Sic enim illos, sed dignos tantùm, quos & propinquos suos dixit, alloquitur: comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Quicumque estis operibus fratres mei, corpus meum comedite, & sanguinem bibite. Deinde inebriamini, inquit præ lætitia, & propter ebrietatem stupore perculsi, omnino mundi sollicitudinem obliviscimini.*

XVI. Undè hujusmodi quæstionis, aut difficultatis judicium, in praxi, & quantùm ad personas in particulari, potiùs ad prudentiam, & scientiam directorum est remittendum, Quàm ad scriptorum subtilitates. Quia fidelium conscientias intuendo, eorum dispositiones, & communionum fructus percipiunt, scriptores autem in speculatione sistunt. Hinc est, quòd non possum satis mirari hanc sententiam D. Augustini de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Relati in Can. *Quotidiè* dist. 2. de consecrat. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero:* nam laudare quotidiè, aut frequenter communicantem, potest esse malum, quia ipse communicans forsan est indignus, ac indispositus, si non positivè, saltem negativè. Vituperare, potest etiam esse malum quia communicans Forsan est perfectè, ac dignè dispositus: ergo frequens communio, in communi non est Laudanda, nec vituperanda; sed in particulari est Laudanda, aut vituperanda, secundùm dispositiones communicantium, cùm frequens communio non repugnet virtuti Eucharistiæ, sed subjecti indispositioni, nedùm positivè: (ille enim qui est positivè indispositus debet absolutè privari communione) sed etiam negativè. Quia ut alicui liceat frequenter communicare, non sufficit quòd sit sinè peccato, sed requiritur insuper quòd sobriè, justè, ac piè vivat, & ardeat verâ, atque sincerâ Charitate, quâ ardebant plures sancti, quos quotidiè Eucharistiam sumpsisse constat ex historia, aut ex traditione.

CAPUT. XIV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. CErtum est contrà Novatianos, & hæreticos hujus temporis, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum ad remittenda peccata post baptismum commissa, ut declarat Tridentinum sess. 14. Can. 1. & 3. *Si quis dixerit, in Catholi-*

ea Ecclesia pœnitentiam non esse verè, & propriè sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum: anathema sit. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem, contrà institutionem hujus sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit. Quibus nedùm constat pœnitentiæ sacramentum fuisse divinitùs institutum, sed etiam potestatem absolvendi, & remittendi peccata ad reconciliandos homines post baptismum lapsos, fuisse communicatam Apostolis, & eorum legitimis successoribus ab ipsomet Christo, cùm à mortuis excitatus insuflavit in discipulos dicens *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: secùs enim non satis humanæ infirmitati consuluisset, nisi renatæ in baptismo novæ creaturæ, & in confirmatione auctæ, & in Eucharistia pastæ, aliquod parasset remedium, quô, amissâ semel innocentiâ, restaurari posset. Quare Theologi confessionem sacramentalem sic definiunt *accusatio sacramentalis legitima de peccatis propriis, facta coram sacerdote ad eorum veniam impetrandam, virtute clavium.*

II. Opponunt Novatiani illud 1. Regum cap. 2. vers. 25. *Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis autem orabit pro eo.* Quibus verbis probant hominem non posse absolvere alium à peccatis contrà Deum commissis, ut patet ex interrogatione, quæ denotat impossibilitatem habendi talem potestatem absolvendi. Respondetur quòd hæc interrogatio non est exclusiva, sicut ista *nullus orabit pro eo* sed est mere interrogativa, sicut ista *quis ascendet in montem Domini?* Ita præfatum textum exponunt sancti Patres, & præsertim D. Ambrosius, & consequenter nihil probat contra nos. Quia possumus absque ulla falsitatis umbra respondere, quòd Sacerdos orabit pro eo, & eum absolvet à peccatis, cui dictum est in persona Petri *tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cœlis* Math. 16. quæ verba exponens D. Hieronimus ait *habent judiciariam potestatem alii Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & presbiteris, sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quòd quicumque à veritate fidei, & societate Ecclesiæ separatur, nec à peccatis solui, nec cœlum potest ingredi.*

III. Alium adducunt textum, qui est Apostoli ad Hebræos cap. 10. vers. 26. & 27. *voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio*: ex quo inferunt nullum hominem posse absolvere alium á peccatis. Respondetur Apostolum non loqui de quolibet peccato; ita ut nullùm possit remitti in via, sed de peccato apostasiæ, ut monent nonnulli Sancti Patres, quò peccato fides Christi semel suscepta penitùs abijcitur. Ut suadet hæc perticula *post susceptam notitiam veritatis*, ex quo vix emergit, qui in illud prolabitur. Vel respondetur Apostolum loqui de peccato in ordine ad sanctificationem, quæ exhibita fuit pro peccato in quo nascimur, quod in baptismo nobis remittitur quoad culpam, & pœnam per merita Christi in Cruce oblati, sine ulla conditione satisfactionis laboriosæ. Ait enim *jam non relinquitur pro peccatis hostia*; id est Christus passibilis, & morti obnoxius. Undè Apostolùs non excludit absolutè remissionem peccatorum, nec vult voluntariè peccantes non posse absolvi, sed vult ipsos non posse absolvi, eo modo, quo absoluti fuerunt in baptismo. Peccatum originale in baptismo remittitur absque ullo actu nostro per efficaciam, quam habet à passione Christi in Cruce oblati. Voluntarium autem remittitur in sacramento pœnitentiæ cum dolore, & in amaritudine peccatoris. In sacramento baptismi peccator nascitur, & in sacramento pœnitentiæ Sanatur ab ægritudine, & punitur à judice tanquam reus: ideoque in illo non patitur, sicut in isto, quod à Sanctis patribus dicitur baptismus laboriosus. Illud non iteratur; quia homo, qui semel nascitur, semel debet baptizari. Istud verò quod est spiritualis medicina, frequenter iterari potest, quia homo sæpè labitur.

IV. Cùm pœnitentiæ sacramentum ha-

beat rationem medicinæ spiritualis, non justis, sed peccatoribus est necessarium; sicut medicina corporea non est opus sanis, sed malè habentibus: ac proinde istud sacramentum non est absolutè necessarium ad salutem sicut baptisma, sed solùm iis dumtaxat, qui post baptismum lapsi sunt, quibus relinquitur pœnitentia, quæ est secunda post naufragium tabula Can. *Secunda* de pœnit. dist. 1. quà opus habent omnes, qui justitiam in baptismo susceptam amiserunt: ut declarat Sacra Tridentina Synodus sess. 14. cap. 1. S. *ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio, & gratiâ susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese posteà in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent: sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquò peccatò inquinassent, quovìs tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria; illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ, & emendata, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde propheta ait, convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et si desit minister Sacramenti, id est Sacerdos, tenentur necessariò illum tanquam hujus sacramenti ministrum desiderare animò confitendi peccata, & obtinendi absolutionem: ut colligitur ex eadem Synodo loco citato cap. 4. Nec valet dicere idem concilium declarare can. 6. confessionem esse necessariam ad salutem, & consequenter sacramentum in voto non sufficere; cùm oris confessio sit realis, & in actu exercito: ibi enim legitur *si quis negaverit confessionem sacramentalem, ad salutem necessariam esse jure divino ... Anathema sit.* Non valet inquam quia Concilium non determinat an confessio sit necessaria in re, vel in voto. Deindè ex eodem Concilio cap. 2. in fine Sacramentum pœnitentiæ est lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus necessarius est; sed si desit minister baptizans, baptismus in voto sufficit ad salutem, ut apertè colligitur ex Can. 4. sess. 7. ejusdem Concilii, & ex aliis textibus juris Canonici, quibus constat baptismum in voto, aut flaminis sufficere ad salutem, si desit minister baptizans. Igitur confessio in voto sufficit, etiam dum desit Sacerdos absolvens.

V. Aliter discurrendum est de necessitate pœnitentiæ interioris: hæc enim est absolutè necessaria justis, & peccatoribus, saltem quoad habitum, sicut eis necessarium est nunquam habere complacentiam de peccato commisso; cùm consistat in displicentia, dolore, aut amaritudine peccatorum. Nec nocet dicere justum non habere peccatum, & præsertim si innocentiam baptismalem custodierit, ac proindè pœnitentiam interiorem non esse illi necessariam. Quia pœnitentia hæc non solum removet peccata præterita inquit D. Thomas, sed etiam præservat hominem à peccatis futuris: undè si justus ille non habet peccata removenda, habet tamen peccata vitanda; cùm peccare possit; igitur eget pœnitentiâ interiori. Idem suadet sacra Tridentina Synodus loco citato in decreto de extremunctione: ubi ait, quòd tota Christiana vita perpetua pœnitentia esse debet: ibi enim loquitur de Christianis nulla adhibita distinctione de justis, & de peccatoribus. Tandem quilibet homo justus, quantumvis justus sit, potest cadere, & post lapsum ei resurgendi necessitas est, mediante pœnitentiâ, quæ vertit hominem ad Deum cum emendationis proposito, donec misericordiam consequatur; juxtà illud Psal. 122. vers. 2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

VI. Ex verbis Lucæ 13. vers. 5. *nisi pœnitentiam habueritis* infertur præceptum de pœnitentia agenda omnes homines obligans, sicut ex istis *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* Joan. 3. vers. 5. infertur præceptum de baptismo suscipiendo, & ex illis *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* Joan. 6. vers. 54. Infertur præceptum de suscipienda Eucharistia. His suffragatur ratio: nam quicumque gratiam amisit, tenetur ex vi hujus præcepti *diliges Dominum Deum tuum*

eam

eam recuperare (idem dico de illo, qui nunquam habuit illam, qualis est non baptizatus qui tenetur pœnitentiam agere, & baptismum suscipere, ut constat ex variis textibus scripturæ Sacræ) sed ille, qui gratiam amisit non potest illam recuperare, nisi per pœnitentiam, quæ est secunda tabula post naufragium: necessè est igitur agere pœnitentiam, justis ut à peccatis præserventur, & peccatoribus ut à peccatis liberentur, ut tradit glossa in Can. *secund*: dist. 1. de pœnit. dicens *prima tabula est navis*; *secunda tabula est scapha*, *quâ in naufragio periculum vitatur*; per *navis* intelligit baptisma, & per *scapha* intelligit pœnitentiam. Dicens forsan, si esset tale præceptum, nullus posset damnari propter unum peccatum solum: homo quippe unius peccati reus, esset peccator illô peccatô à se commissô, & transgressione istius præcepti de agenda pœnitentia; cùm si pœnitentiam ageret, fieret innocens, subindeque quilibet damnatus duo ad minus haberet peccata, quorum unum esset commissionis, & aliud omissionis. Quod tamen videtur improbabile. Et ideo non tenemur sub mortali agere pœnitentiam. Respondeo cum frassenio nostro non esse absurdum, quòd peccator non damnetur propter unicum dumtaxat peccatum mortale, quamvis unicum solum ad damnationem sufficiat; cùm quilibet damnatus præter peccatum commissionis, aut omissionis, habeat peccatum omissionis pœnitentiæ, nisi statim ac in peccatum mortale decidit, deperdat usum rationis, aut moriatur: tunc enim damnatus unum solum peccatum haberet.

VII. Materia hujus sacramenti pœnitentiæ assignatur solitò duplex, remota scilicet, & proxima, sicut materia aliorum sacramentorum. Priorem subministrant omnia, & sola peccata post baptismum commissa, propter quorum remissionem institutum fuit istud pœnitentiæ, ac reconciliationis sacramentum. Posteriorem autem seu proximam subministrant actus pœnitentis, nempè contritio, confessio, & satisfactio, in quibus consistit, additis his verbis *ego te absolvo à peccatis tuis*, quæ sunt ejus forma. Utramque hujus sacramenti partem probat sacra Tridentina Synodus loco citato, cui subscribunt omnes Theologi; inter quos, dissidium solùm est, an actus pœnitentis sint partes essentiales, vel solùm integrales pœnitentiæ? At quia hæc resolutio potiùs ad scholasticos spectat, quàm ad canonistas, est hic omittenda; sufficit enim admonere nullam obtineri posse absolutionem peccatorum, nisi subsint hujusmodi actus pœnitentis. Ut declarat sacra Tridentina Synodus sess. 14. Can. 4. *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.*

VIII. Materia remota hujus sacramenti, est etiam duplex, necessaria scilicet, & sufficiens. Illa includit omnia peccata mortalia post baptismum commissa, & non remissa: ista verò omnia peccata venialia, & mortalia jam confessa, & remissa: nam licet de eadem causa bis non feratur in foro humano judicium; iterari tamen potest in foro conscientiæ Sacerdotis sententia, quæ ad sanctitatem animæ interiorem instituta est, necnon ad augendum ipsius fructum spiritualem: laudandus est igitur confessarius, qui suos hortatur pœnitentes, ut peccata mortalia alias confessa, & præsertim graviora interdum declarent in confessione sacramentali; ut augeatur eorum sanctitas interior. Si verò contingat pœnitentem non posse præsentium peccatorum malitiam explicare, nisi repetat aliqua peccata mortalia jam confessa, teneatur ea iterum confiteri, ut fatentur communiter Doctores: quamvis peccata semel per pœnitentiam dimissa, non revivificant per subsequens peccatum, ut suadet illud Nahum. cap. 1. *Non consurget duplex tribulatio*, quod septuaginta interpretes sic vertunt *non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione*. Nec necessè sit peccata aliàs ritè confessa rursùs confiteri: ut constat ex declaratione Benedicti XII. in extrav. *inter cunctas*; hujus obligationis ratio est. Quia peccatum non remissum est necessariò confitendum sub mortali; & peccatum jam confessum à quo dependet confessio alterius, potest iterum confiteri; immò salutare est iterum confiteri illud: igitur peccatum confitendum prævalet, & obligat pœnitentem ad iterum confiten-

dum peccatum jam confessum, ut non remissum validè confiteatur. Nec valet inferre hominem per subsequens peccatum fieri rèum omnium peccatorum dimissorum, ex illo Jacobi cap. 2. *qui peccat in uno factus est omnium rèus.* Ac proindè omnia peccata esse iterum confitenda, dum unum confiteri necessè est. Ratio nullitatis hujus argumenti est: Quia non fit omnium reus quantum ad gravitates singulorum peccatorum, neque quoad culpam: ut notat Doctor Subtilis, sed solùm quantùm ad adversionem ab ultimo fine, à quo remanet etiam adversus per subsequens peccatum, donec confiteatur illud, vel quoad damnationem, quæ est generalis pœna omnium peccatorum mortalium, quam in inferno patiuntur omnes damnati, unusquisque secundum mensuram proprij delicti.

IX. Hic obiter observandum est, quòd licet peccata semel remissa per pœnitentiam, non redeant simpliciter, redeunt tamen secundùm quid ratione aggravantis circunstantiæ, putà ingratitudinis: nam qui peccat post acceptam gratiam remissionis, reverà ingratus est, & tanti beneficii immemor, infidelis atque inconstans in servando promisso, seu in obligatione fundata in proposito non peccandi de cætero, sine quo proposito, pœnitentia non est digna. Indè infero peccatum subsequens esse in confessione aperiendum quoad hanc circunstantiam, id est ut subsequens ad dictum propositum non peccandi de cæterò. Quia ex Scoto in 4. dist. 22. Ille, qui sic peccat transgreditur duplicem legem obligantem ad non transgrediendum, scilicet illam generalem, quâ omnes obligamur ad non peccandum, & istam specialem de promisso servando, quæ maximè obligat, si sit de promisso facto Deo, & de aliquo pertinente ad honorem Dei. Ita idemDoctor quem exponens Frassenius noster, sic concludit tract. de pœnit. quæst. 5. Cùm ergo non fiat remissio peccati sine illo proposito de cæterò non peccandi, & ratio dictet nusquam ab hoc proposito esse receddendum; consequens est, quòd recidivens post pænitentiam, peccet contrà illam virtutem constantiæ per peccatum inconstantiæ, quô non peccavit, quandô primùm ab Innocentia per baptismum reparata, lapsus est. Unde de illo peccatore dici potest illud Luc. 11. vers. 26. *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*; cum circunstantiâ relapsûs, peccatum fiat gravius. Hanc sententiam tenet etiam D. Thomas in 4. sententiarum dist. 22. quæst. 1. art. 3. Ubi refellit opinionem eorum, qui hanc circunstantiam non esse necessariò in confessione aperiendam contendebant. Unde Scotus ut veritas magis elucescat loco citato, sibi sic objicit, & simul objectionem solvit. Si peccatum subsequens sit gravius ratione ingratitudinis, & inconstantiæ, sequitur, quòd qui pluries peccavit, putà decies, & toties pœnituit, si rursus labatur in peccatum illud undecimum: peccatum decies gravius erit primô: quia *inquit* ratione cujuslibet peccati dimissi tenetur non cadere; & in quolibet peccato est specialis ingratitudo in cadendo; ac proindè ultimum peccatum longè gravius est cæteris: sed hoc est absurdum: ergo, &c. *Respondet Doctor* distinguendo majorem; est gravius in ratione ingratitudinis, quasi hæc esset distinctum peccatum, propter augmentum illius malitiæ, negat: in ratione circunstantiæ; concedit: nulla autem circunstantia, *inquit* tantæ potest esse malitiæ, quòd æquivaleat materiæ alicujus specialis peccati mortalis; potest tamen illa fieri major in ratione circunstantiæ ingratitudinis; quia videlicet versatur circa majus beneficium: majus est autem beneficium decies veniam peccatori concedere, quàm quinquies, aut sexies; quia quò sæpiùs peccator Deum offendit, eò se minùs dignum veniâ exhibet, ac proinde majori opus est misericordiâ, ut ei venia concedatur. Ita Scotus.

X. Licet peccata aliàs confessa, & remissa non redeant simpliciter per peccatum subsequens, ut clarè colligitur ex illo psal. 31. vers. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata*: attamen per pœnitentiam reviviscunt opera bona per peccatum mortificata, ut procerto habere debemus ex can. *pium est* de pœnit. dist. 3. Ubi D. Augustinus ait *pium est credere, & nostra fides expostulat, ut cùm gratia Christi destruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona: &, cùm destruxerit, quod suum non invenit, amet, & diligat bonum quod etiam in peccante plantavit.* Et ex illa promissione Joël cap. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & Bruchus, & Rubigo.* quæ verba exponens Ambrosius ait *pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus*

revocat ad perfectum. Eamdem expositionem adhibet D. Hieronimus: ait enim *ne timeas terra, immò confide, atque lætare; quæ priùs sementem Dominicam tua ariditate perdideras; quia magnificavit Dominus, ut faceret tecum misericordiam ... & lignum Crucis afferret fructum suum, & Spiritus Sancti dona dulcissima suam cunctis tribuerent largitatem. Vos quoque, quos justè post pœnitentiam voco filios Sion, & Ecclesiæ, lætamini atque gaudete: quia dedit vobis Deus Pater Doctorem justitiæ, sivè tribuit vobis alimenta justitiæ, & descendere fecit ad vos pluvias temporaneas atque serotinas. Pluvia tempestiva est, quando primùm Doctrinam suscipimus: Pluvia Serotina, quandò laboris nostri fructus recipimus ... Et non solùm, inquit, hoc dedit, sed fecit vos novis virtutum frugibus abundare ... Et annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quandò opera vestra Locusta, Bruchus, Rubigo, erucaque consumpserant, Deus vobis perire non passus est. Tunc comedetis fructus justitiæ, & Saturabimini, & Laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia. Si autem post pœnitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ?* Idem Sanctus Doctor in cap. 3. Epist. ad Galatas vers. 4. *Tanta passi estis sine causa ait quicumque ob Christi fidem laboraverit, & posteà lapsus fuerit in peccatum, sivè priora sine causa dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursùm non perdet ea, si ad pristinam fidem, & antiquum studium revertatur.* Idque suadet ratio: nam bona opera non extinguuntur per subsequens peccatum; cùm maneant in divina acceptatione, & si non fuerint præmiata, hoc ex indispositione hominis præmiandi proveniat; alioquin non essent mortificata, sed mortua, seu facta in peccato, quò mortificantur, aut adveniente pœnitentiâ, quâ tollitur indispositio ad præmij susceptionem, mediante gratia habituali, quæ in vera pœnitentia infunditur, hoc quidem exaltat misericordiam Dei, ut advertit tridentinum sess. 6. cap. 16.

XI. Per pœnitentiam, quâ reviviscunt opera mortificata, non recuperatur tota gratia, quæ deperdita fuit per peccatum illud mortificans opera, quæ à gratia, & charitate fuerunt elicita: gratia enim quæ infunditur in justificatione hujus pœnitentis, commensuratur præsenti dispositioni per quam consurgit. Quia ex tridentino sess. 6. cap. 7. Justificatio sequitur dispositionem, & præparationem pœnitentis, qui gratiam recipit, non verò dispositionem quam habebat, dûm recepit gratiam, quam per subsequens peccatum perdidit. Nec valet objicere illud Ezechielis 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque Die conversus fuerit ab impietate sua:* quô impugnatur nostra assertio, & probatur quòd peccatum subsequens maximè noceret, si per pœnitentiam cum restituto jure ad gloriam debitam bonis operibus, non restitueretur omnis gratia sanctificans deperdita, cui titulo hæreditatis ipsa gloria erat repromissa; cùm pœnitens minorem haberet gratiam. Non valet inquam; Quia ut impietas non noceat impio verè contrito, non est necessè quòd recuperet eamdem gratiam, quam habebat antè peccatum; erat enim donum quòd gratis acceperat; & quod gratis amisit: Sed sufficit, quòd recuperet opera bona, atquè merita, quæ per liberum arbitrium elicuit, concurrente gratiâ sanctificante. Quia nocere alicui est ab eo auferre aliquò modò quod suum est, aut ei denegare quod debetur illi aliquô titulô. Non autem non dare illi iterum quod retinere noluit. Deindè verba Prophetæ non sunt intelligenda in ordine ad gratiam habitualem, quæ nullum meritum supponit: ita ut intendat pœnitentem recuperare totam gratiam amissam per peccatum, sed ad gloriam æternam, quæ est corona, quam repromisit Deus diligentibus se, & quam, aut *reddet unicuique secundum opera ejus* ex Apostolo ad Rom. 2. vers. 6.

XII. Peccata mortalia post peccatum commissa, quæ sunt materia hujus sacramenti necessaria, per solam pœnitentiam remitti possunt; cùm peccator nequeat Deo reconciliari, nisi de peccatis suis doleat, eaque confiteatur sacerdoti, si non in re ob inopiam confessarii, saltem in voto: nam perfecta virtus pœnitentiæ, seu contritio, non sufficit ad remissionem peccati, nisi includat votum, ac propositum faciendæ confessionis, absolutionis suscipiendæ, & tempore legis Evangelicæ, quâ præcipitur peccatorum confessio. His suffragatur authoritas scripturæ sacræ proverb. 28. vers. 13. *Qui abscondit scelera*

sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Venialia autem remitti possunt, nedum per pœnitentiam, sed etiam per sacramentalia; videlicet per aquam benedictam, per confessionem generalem, per panem benedictum: per benedictionem Episcopi, & per largitionem eleemosinæ. Sic enim infertur ex Toletano 4. can. 9. Ubi habetur *de quotidianis brevioribus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit: eorum enim est dicere: Pater noster qui es in cœlis, &c. Delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata delet*; modò habens peccata venialia hæc omnia sibi applicet cum prævio motu animi, & mediante fide: quia sunt cæremoniæ sacræ, quarum usus debet esse religiosus, & fieri humano modo. Attamen quamvis sacramentalia habeant vim remittendi peccata venialia; hæc virtus est efficacior in sacramento pœnitentiæ, cui Deus alligavit virtutem delendi peccata intuitu meritorum Christi; ut suadet illud Joann. Epist. 1. cap. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ideò bonum atque laudabile est confiteri peccata venialia, licet sint tantum materia sufficiens hujus sacramenti.

XIII. Quoad peccata dubia, seu ea de quibus, quis dubitat an ea cōmiserit, sunt etiā materia necessaria hujus sacramenti, & necessariò cōfitenda, non ut certa, sed ut dubia adjunctis alijs, quæ certam materiam præbeant: quia hujusmodi peccata dubia huic sacramento minimè subjicere, aut ea in confessione omittere periculosum est; cùm fortè sint vera, ac certa in se, non obstante dubio, à quo non tollitur certitudo rei, prout est in se; Ideòque tutiùs est, ea confiteri, ut si certa sint remittantur. Periculosum est etiam illa exponere sola quamvis ut dubia, nullo aliô certô sivè veniali, sivè mortali adjunctô. Quia hoc est exponere sacramentum nullitati propter oppositionem materiæ falsæ, vel ex defectu materiæ: nisi sacerdos elargiatur absolutionem sub conditione, ut mox dicemus: Tunc quippe valeret absolutio, sicut baptisma sub eadem conditione collatum: Igitur peccata dubia sunt necessariò confitenda, hæque simul cum alio peccato certo, quod sit materia necessaria, vel sufficiens. Si verò contingat quod homo nullam habeat materiam certam, seu nullum peccatum mortale, nec veniale, nec peccatum aliquod aliàs remissum. Et præceptum confessionis; aut necessitas aliqua confitendi urgeat, astringitur eadem obligatione confitendi illud peccatum dubium, nè se damnationis æternæ periculo exponat. Et sacerdos debet illum absolvere à peccato dubio sub conditione, dicendo *si sis capax, &c.* Nè sacramentalem absolutionem exponat nullitati.

XIV. Nullum est peccatum mortale post baptismum factum, cujus culpa per veram pœnitentiam non deleatur can. 1. sess. 14. Concilij Tridentini. Virtus enim hujus Sacramenti est remissiva omnium peccatorum; alioquin sinè causa Christus illud instituendo dixisset Apostolis *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* si esset aliquod peccatum quod hominibus remitti non posset. Nec sincera esset hæc protestatio: *vivo ego dicit Dominus nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.* Id est nullius peccatoris volò mortem, quocumque peccato fuerit reus, sed conversionem omnium. Accedat igitur peccator ad hoc tribunal cum fiducia, & in amaritudine animæ suæ, & remittetur ipsi peccatum. Quia Deus non despicit cor contritum, & humiliatum, nec ejicit foras euntem ad illum; ut testatur ipsemet Deus Ezechiel. 18. vers. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet & non morietur.* Hanc ipsam virtutis, & sacramenti pænitentiæ efficacitatem plurimùm extollit Divus Chrysostomus serm. de pœnitentia: Ubi inter cætera sic exclamat *O pœnitentia, quæ peccata Deò miserante remittis, & paradisum reseras; contritum Sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorem refundis. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu judicas, omnia desperata tu animas. Per te ô pœnitentia, David afflictus, vel contritus, factus est Sanctus: per te Filius prodigus paternum amplexum meruit: per te Petrus postquàm ter Dominum negavit indulgentiam recepit: Per te ô pœnitentia,*

latronem subitò Christus ad regnum æternum rapuit, &c.

XV. Quamvis per veram pœnitentiam deleatur reatus culpæ peccati, tàm mortalis, quàm venialis, remanet tamen in pœnitente sæpènumero reatus pœnæ temporalis, in quam mutatur pœna æterna debita peccato mortali, quæ quidem pœna temporalis exolvenda est in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio: ut sancit sacra tridentina Synodus seſſ. 6. can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pænitenti ita culpam remitti, reatum æternæ pœnæ deleri dixerit: ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit: anathema ſit*, & seſſ. 14. can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe: anathema ſit.* Idem constat ex exod. 32. In quo legitur Deum ad preces Moysis peccatum dimisiſſe Israëlitis in adorationem aurei vituli lapſis: ibi enim legitur *Placatus eſt Dominus, né faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum*: Nihilominus ibidem legitur Deus reservaſſe pœnam infligendam eidem populo ob illud peccatũ; cùm addat *In die ultionis viſitabo, & hoc ob peccatum eorum: percuſſit ergo populum Dominus pro reatu vituli quem fecerat Aaron*, quibus liquet remiſſionem peccati in baptiſmo, eſſe diverſam à remiſſione peccati in sacramento pœnitentiæ; in illo enim, homo participat totaliter virtutem paſſionis Christi, & ideò recipit remiſſionem reatûs, & totius pœnæ: ut docet Sanctus Thomas. At in isto sacramento, paſſio Christi non applicatur, niſi medijs pœnitentis actibus. Et ideò homo non consequitur semper totius pœnæ temporalis remiſſionem; sed solùm pro ratione pœnitentiæ, & modo applicationis virtutis paſſionis Christi. Quæ quidem applicatio, aut peccati contritio, in Magdalena utrumque effectum sortita est, scilicet remiſſionem culpæ, & remiſſionem totius pœnæ: ut docent plures Theologi citantes D. Thomam, nec in Magdalena exhausta fuit ea pœnitentiæ, aut contritionis virtus; quia per eamdem, modò etiam toleretur pœnæ omnis temporalis reatus, ſi peccatores perfectè pœniterent, & Deum diligerent ſicut oportet, & de uno quoque dici poſſet, quòd Christus dixit de Magdalena *dilexit multum* Luc. 7. verſ. 47 Hæc verba suadent nullum peccatum tam in sacramento, quàm extra sacramentum remitti poſſe abſque aliqua dilectione Dei; Idem suadent ista quæ statim sequuntur, *Cui autem minùs dimittitur, minus diligit.*

XVI. Sic impugnari poteſt hæc aſſertio. Reatus culpæ est causa reatûs pœnæ; ideò enim quis meretur pœnam æternam, quia peccavit; cum constet quòd Christus in ultimo judicio dicet reprobis *ite in ignem æternum*, & causam aliam non aſſignabit niſi culpam *eſurivi & non dediſti mihi manducare*: Igitur ſi per pœnitentiæ sacramentum tollatur culpa, ut sacra decernunt Concilia, neceſſariò tollit & pœnam. Respondetur conclusionem eſſe nullam. Quoniam ut unum removeatur ex remotione alterius, non sufficit quòd ab ipſo dependeat solùm, ut fiat, sed neceſſe eſt, inſuper quòd dependeat, ut conservetur: ut patet de vulnere quod fit à gladio, & ſine gladio subſiſtit, & sanatur. Undè cùm reatus pœnæ non pendeat à culpa, seu peccato, ut subſiſtat, sed solum ut fiat; sequitur quòd pœnitentia tollit omninò culpam, & relinquit pœnam luendam in hac vita, vel in purgatorio.

CAPUT XV.

De Contritione.

I. CUM inter pœnitentis actus, contritio primum locum habeat, ut ait tridentinum seſſ. 14. cap. 4. de pœnit. Priùs de ipſa, quàm de alijs agendum est: sic definitur à patribus ejusdem Concilij *animi dolor de peccato commiſſo, ex amore Dei ſuper omnia conceptus, & Charitate perfectus, cum propoſito non peccandi de cæterò, & voto suſcipiendi sacramentum pœnitentiæ.* Præter hunc actum, qui solito dicitur contritio, datur alter pœnitentis actus, qui dicitur attritio, aut contritio imperfecta, quæ sic deffinitur *dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu conceptus, peccandiquè voluntatem excludens, cum ſpe*

venia. Inter illos Duos actus mediat essentialis differentia, quam necessario arguit essentialis motivorum diversitas: nam attritio est detestatio imperfecta ex motivo turpitudinis peccati, vel ex timore pœnarum; contritio verò est detestatio perfecta ab alio motivo nobiliori, & specie diverso, scilicet de peccato prout est offensa Dei summè diligibilis, aut super omnia diligibilis. Verè contritus, non ideò dolet, quia creaturam deservit, sed potiùs quia Deum fontem aquæ vivæ peccatis suis dereliquit. Et ex effectu charitatis detestatur peccatum sub ratione formali injuriæ Deo illatæ, ut animum revocet ad Deum ultimum finem, & objectum charitatis, à quo per peccatum recesserat. Attritus autem dolet de peccatis ex timore Gehennæ, & metu pœnarum peccatori infligendarum, non dolet amore Dei, sed amore sui (inquit noster Sanctus Bernardinus Senensis) ut si cessaret damnatio ex propria culpa, cessaret & dolor ille. Hinc est quòd attritio nequit fieri formaliter, nec effectivè contritio; sed solùm æquivalenter, quia in sacramento potest habere effectum contritionis, nempe gratiæ infusionem, ac remissionem peccatorum. Indè ortum habuit istud tritum Axioma *homo virtute sacramenti, ex attrito fit contritus.*

II. Ex hac contritionis definitione suadetur ipsam perfectam contritionem tria continere, primò cessationem à peccato: nemo enim perfectè dolet de peccatis, nisi prius ab illis recesserit. Secundò eorumdem peccatorum odium, & detestationem. Tertiò propositum atque inchoactionem novæ vitæ: Quia contritio non est perfectè sincera, si pœnitens non abjiciat opera tenebrarum, si stratum suum lacrimis non riget, & si habeat voluntatem iterùm peccandi: Irrisor enim est, non penitens, qui adhuc agit, quod pœnitet. Can. *Irrisor* de pœnit. dist. 3. Id confirmant duo canones præcedentes in quibus legimus *ille pœnitentiam dignè agit, qui quæ commisit, sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum: quia quantò magis laverit, tantò magis lutum facit* alter canon est *pœnitentes (si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes) mutate vitam, reconciliamini Deo: & vos cum catena pascetis. Quæ inquis catena? quæ ligaveris in terra, erunt ligata, & in cœlo. Audis ligaturam, & Deo putas facere imposturam? pœnitentiam agis, genua figis, & rides, subsannas patientiam Dei? si pœnitens es, pœnitet te: si non pœnitet, pœnitens non es. Si ergo pœnitet, cur facis quod malè fecisti? si fecisse pœnitet, noli facere: si adhuc facis, certè non es pœnitens*

III. Contritio debet esse dolor summus, & maximus de peccatis: nam Sancti Patres ad veram contritionem, & pœnitentiam summum animi dolorem exigunt. Quia peccatum est summum malum, alioquin, pœnitentia crimine minor esset. Prætereà displicentia, aut detestatio peccati debet esse tanta, quanta fuit peccati complacentia; nè pœnitentia, aut dolor de peccato sit minor ipsô peccato: & ideò cùm peccati complacentia fuerit summa, & maxima (quippe peccator creaturam diligit super omnia, & in ipsa ultimum finem suum constituit) necesse est quòd dolor de peccatis sit summus, & maximus; ut contritus consequatur gratiam, quam Deus non confert nisi facienti quod in se est. Hinc est quòd Deus in sacra scriptura sic loquitur Math. 10. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus* & 22. *Dilige, Dominum Deum tuum ex toto corde.* Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, &c. Similiter Deut.* 4. *Si quæsieris Dominum Deum tuum, invenies illum, si tamen quæsieris ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ tuæ. Et Deut.* 30. *Si ductus pœnitudine cordis reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & tota anima tua, miserebitur tui.* 3. *Reg.* 8. *Si peccaverint tibi, & reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua, propitiaberis populo tuo.* 2. *Paralipp.* 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum.* Hieremiæ 29. *quæretis, & invenietis me, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.*

IV. Contritio perfecta sufficit ad remissionem peccati citrà Sacramentum, dummodò adsit votum suscipiendi illud, ut declarat tridentinum sess. 14. cap. 4. *Docet prætereà & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includi-*

tur, non esse adscribendam. Talis dolor de peccatis commissis sufficiebat in lege antiqua, ad obtinendam peccati remissioné, statim ac erat conceptus : ut probat exemplum Davidis qui justificatus fuit, statim ac formavit contritionis actum, seu dixit peccavi *Domino* cum ex 2. Reg. cap. 12. constat Nathan Prophetam dixisse ipsi statim *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ideoque ad id sufficit eadem contritio in lege Evangelica, in qua gratia longè abundantior est, modò adsit voluntas confitendi peccata sacerdoti, cui dumtaxat legislator Evangelicus dedit potestatem dimittendi peccata. Hæc assertio est communior apud omnes Theologos. Inter quos difficultas solum est, an hæc contritio sit sufficiens ex natura rei. Thomistæ affirmant contritionem esse actum ex se justificativum. Scotistæ verò docent contritionem esse ultimam dispositionem ad gratiam justificantem, solum ex divina ordinatione exigente eam ad peccatorum remissionem, ut fusè probavimus in Theologia Scholastica.

V. Attamen ut hæc contritio sit perfecta, & vere peccatorum remissionem obtineat extrà sacramentum, debet detestari peccatum ex effectu charitatis, & habere formaliter charitatis actum, aut saltem virtualiter; nec sufficit quòd fiat ex motivo charitatis, & ex amore Dei, seu quòd contritus peccatum suum detestetur, tanquam offensam Deo irrogatam præcisè; quia est contrà ipsum Deum amabilem. Nam veræ pœnitentiæ character est quòd sit dolor de peccato commisso, quatenus est contrà Deum super omnia dilectum, ut docet Sanctus Thomas. Tum quia hoc colligitur ex illo Luc 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ubi peccatorum remissio dilectioni Dei tribuitur. Tum quia ut contritio sit justificativa extrà Sacramentum, debet esse charitate perfecta, (hoc est) fieri propter motivum charitatis, vel ab ipsa charitate elici : ut suadet Sacra tridentina Synodus sess. 6. cap. 6. dicens *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitia,* seu justificationis *fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationé.* Quibus verbis patres concilij docent veram contritioné procedere ex motivo dilectionis, ex qua nascitur odium, aut horror peccati, quod perfectè contritus detestatur ac odit, quia est oppositum, atque injuriosum Deo, quem amat; quapropter hic dolor est partus divini amoris, & tantus, quantus est ipse amor : quemadmodum enim nullus finis, nullusque modus amori præscribitur, ut docet D. Bernardus dicens *modus amandi Deum, est ipsum amare sine modo.* Ita peccati odio, aut detestationi nullus modus definitur. Ideoque ut contritio sit perfecta, & justificet extrà sacramentum, debet detestari peccatum super omnia mala, si non intensivè, saltem appretiativè, id est rebus omnibus peccati odium anteponere, ut nè quidem vitæ conservandæ causa velit peccatum, quia ipsum peccatum est offensa Dei, quem ex toto corde diligere tenemur, & ad ipsum converti.

VI. Cùm, (ut ex dictis constat), contritio debeat detestari peccata super omnia detestabilia, & contritus debeat potiùs velle omnia mala tolerare, quàm Deum offendere. Hic obiter quæri potest, an contritio debeat dolere de peccatis suprà pœnam æternam, seu potiùs velle pœnam inferni sustinere, quàm Deum offendere? nonnulli affirmant : Quia inquiunt malum pœnæ æternæ nunquam est eligibile, etiam ad vitandam culpam. Eorum ratio est. Quoniam pœna æterna nequit intelligi sine culpa. Altera opinio videtur mihi probabilior, & verior, modò hæc pœna æterna ita intelligatur, ut nullam culpam includat; & quæstio sit de dolore pœnarum infernalium, seu an mallet sustinere pœnas quas patiuntur damnati, quàm peccare. Hæc est mens D. Anselmi libro de similitud. cap. 190. Ubi ait *si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & uni eorum necessariò haberem immergi, potius me in Gehennam immergerem, quàm peccatum in me mitterem : mallem enim à peccato purus, inferna intrare, quam peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.*

VII. Verè, ac sinceré contritus duo indicat conversionis suæ signa. Primum est observatio mandatorum Dei, ut asserit Christus Joan. 14. vers. 23. *Si quis diligit me sermonem meum servabit.* Idem suadet ratio hæc, Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ sunt Dei, teste Apostolo : Igitur perfectè contritus, & ad Deum sincerè conversus, ardenter quærit quæ sunt

Dei, nimirum mandata, ut observando ea, perducatur ad vitam æternam, quam nullus adultus obtinerè poterit, nisi mandata Dei observaverit, juxtà illud *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Math. 19. vers. 17. Alterum est frequens de Deo cogitatio, testem adhibeo D. Bonaventuram in sermone 2. de Maria Magdalena. Ubi ait. *Vis scire si Deum perfectè diligas, vel, aliud plùs Deo amas; attende si de eo plùs quàm de alijs rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quòd plus amas. Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est. Veritas hoc docet, quæ mentiri non potest; ergo si plùs cogitas de mundo, plùs de lucro, plùs de carnali amico, vel socio, quàm de Christo, amas ista, plus quàm Christum*; sunt alia veræ conversionis signa, sed ea omitto: quia in his duobus continentur, ut consideranti patebit.

VIII. Quæritur an pœnitens, sivè extrà sacramentum pœnitentiæ, sivè in illius susceptione, teneatur necessariò sigillatim, & per distinctos actus singula peccata in mentem revocata, detestari, & circà unumquodque, actum contritionis elicere? Corduba, Adrianus, Silvius, Sotus, Sylvester, & alii affirmant, sed altera opinio, quæ asserit unicum perfectæ contritionis actum de omnibus peccatis sufficere, videtur mihi probabilior. Ita Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. Navarrus, Villalobos, & alij citantes D. Thomam 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 3. Ratio principalis est, quia actus perfectæ contritionis est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, estque id compatibilis cum peccato in eadem anima, subindequè per ipsum actum, homo convertitur ad Deum, cùm contritio sit aversio [illegible] creatura, & conversio ad Deum: juxta [illegible] Zachariæ. 1. *Convertimini ad me, [illegible] ego convertar ad vos*. Igitur ad unicam contritionem, aut ad unum contritionis actum ad omnia, & singula peccata per diligentem discutionem, & collectionem in memoriam revocata; sequitur justificatio, seu omnium peccatorum remissio; cùm per ipsam contritionem, peccatum deleatur, & unum nequeat sinè alio deleri, saltem de via ordinaria; ac per consequens, ut pœnitens justificetur, non est necessè, quòd tot actus contritionis eliciat, quot peccata commisit, & confitetur, nec quòd de quolibet in particulari doleat; sed sufficit quòd perfectè doleat de peccatis suis, eaquè detestetur super omnia: quamvis dolor, aut detestatio sit formaliter in se unicus actus voluntatis peccata respiciens, eaque detestans tanquam summum malum à fine ultimo avertens: etenim uno, eodemque actu de multis specie, numeroque peccatis conteri valemus: ut constat exemplo Davidis, cujus peccatum fuit remissum statim, ac dixit *peccavi*, & latronis in cruce conversi; cujus dolor de peccatis fuit quasi instantaneus. Tandem nulla authoritas sacræ scripturæ, aut conciliorum suadet necessarium esse ad perfectam contritionem, quòd peccator de singulis peccatis in particulari, ac seorsim, aut disiunctim doleat.

IX. Obsistet aliquis. Ezechias apud Isaïam 38. contritionem necessariam sic describit *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: hoc est dolebo de omnibus peccatis meis; Quia recogitare omnes annos, est sigillatim peccata discutere, ut ea ex animo doleamus: necessè est enim ut peccator se examinet, interroget, ac judicet; ut de quolibet peccato doleat, quare Ezech. 18. legimus *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vità vivet*: ergo tot debent esse actus contritionis, quot sunt peccata. *Respondetur*, hæc & similia scripturæ, aut patrum oracula, suadere salubberrimum esse tot habere actus contritionis, quot habemus peccata: ut colligitur ex Tridentino sess. 14. can. 5. ubi patres Concilij Anathemate feriunt eos, qui dicunt contritionem quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, & non esse verum & utilem dolorem, sed facere hominem hypocritum. Non verò necessarium esse tot habere actus contritionis distinctos, quot habemus peccata: nam Concilium in dicto Canone non impugnat eos, qui dicunt non requiri tot actus contritionis, quot sunt anni, seu peccata, aut dicunt unicum actum contritionis sufficere ad omnes annos, aut ad peccata omnia; sed impugnat solùm eos, qui dicunt inutile est tot habere actus contritionis, quot sunt peccata: ut patebit attentè consideranti hæc verba Concilij: *Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fæditatem, amissionem æternæ beatitudini*

tudinis; & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præpare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium. Anathema sit.

X. Cùm ex actu magis inordinato, Deus gravius offendatur, & inæqualia sint hominum delicta, seu unum alterò gravius, sequitur quod perfecta contritio respiciens peccata disiunctim, & uniuscujusque gravitatem ponderans, ea inæqualiter detestari debet, seu magis gravia, quàm levia: quia motivum, aut ratio doloris, vel detestationis, utpotè offensa Dei, est major in gravioribus, quàm in levioribus; ut est manifestum; ideoque illa magis detestanda sunt, quàm ista: etenim sicut majus bonum est magis amandum secundum dilectionem ordinatam; ita majus malum est magis detestandum; cùm ex amore ortum habeat dolor, & tantus sit dolor in amittendo, quantus fuit amor in possidendo. Hanc assertionem confirmat D. Augustinus lib. de mendacio cap. 6. ubi ait *si quæritur quid horum potiùs debuit evitare, qui utrumque non potuit: respondebo suum peccatum, potiùs quàm alienum, & levius potius quod suum, quam gravius quod alienum.* His enim verbis liquidò constat peccatum proprium, etiam minimum magis esse detestandum, quàm maximum alienum.

XI. Quantùm verò ad aliena etiamsi graviora sint, quàm propria, non sunt magis detestanda, quàm propria: ut tenent communiter Theologi. Quia peccatori magis nocet peccatum proprium, quàm alienum, cùm non per alienum, sed per proprium avertatur à Deo. Nec valet obijcere peccatum gravius, quamvis alienum magis offendere Deum, quàm proprium leve, & consequenter esse magis detestandum. Non valet inquam: Quia respectu peccatoris, Deus est magis offensus per proprium, quàm per alienum; quamvis sit in se gravius proprio. Igitur teneor magis detestari, & dolere de peccatis meis, quàm de aliis quorum non sum reus. Nec ad hoc me obligat charitas; cùm Deus velit me magis diligere propriam sanctitatem, quàm alienam. Et liceat mihi potiùs loqui, aut audire hanc vocem Domini *convertimini ad me*, quàm provocare alios peccatores, ut audiant illam. Deindè si peccatum grave alienum, esset magis detestandum, quàm proprium minus grave; sequeretur quod posset quis eligere peccatum leve proprium, ad vitandum alienum grave. Quia teneretur illud magis detestari, quàm leve proprium, & eligendo leve, vitare alienum gravè; sed hoc est falsum, ut facilè colligitur ex regulis juris cap. *qui scandalizaverit*: ubi legitur *utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Idem ex Can. *cum ex injuncto* de novi oper. enunciat. quo nulli licet peccare ad vitandum scandalum, seu nè detur alteri occasio peccandi. Et ex Apostolo ad Rom. 3. vers. 8. non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Nec sat est bonum intendere finem, nisi mediis pariter honestis, quis ad illum utatur: dicente Domino Deut. 16. vers. 20. *justè quòd justum est persequeris ut vivas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.*

XII. Obsistet aliquis. Loth Filias suas ad Sodomitas educere promisit, ad vitandum aliud malum, ut constat ex illo genes. 19. vers. 8. *habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum; educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei*: licet igitur exemplò Loth eligere peccatum leve, ad vitandum gravius. At non nocet hæc objectio. Quia Loth non eligebat peccatum ad evitandum gravius, seu peccatum fornicationis, ad vitandum peccatum Sodomiticum aliorum, sed ex malis, quæ patraturi erant alij, consentiebat minori, & eligebat minùs, ad impediendum majus, non valens aliundè impedire illud; ut suadet hæc particula *dummodo viris istis nihil mali faciatis*, quæ idem significat, ac ista *si alterutrum malum velitis facere, potiùs facite quod minus est, quàm quod majus est*, ut notat Frassenius noster ex D. Augustino.

XIII. Quamvis contritio sit actus supernaturalis ex divino amore nascens, charitate perfectus, non producitur tamen à gratia habituali (quâ formaliter justificatur impius, sivè in sacramento, sivè extra sacramentum) tanquam à causa efficiente: etenim ad productionem hujus actus voluntas potest sufficienter elevari per gratiam actualem: Quia contritio, sivè motus liberi arbitrij divino auxilio adjuti detestantis peccatum commissum, est dispo-

sitio ultimatè præparans ad suscipiendam formam, seu gratiam habitualem 1. Scriptura hortatur nos ad contritionem, ut per eam consequamur remissionem peccatorum, seu justificationem gratiæ habitualis, juxtà illud act. 3. *pœnitemini ut deleantur peccata vestra* & trident. *hanc dispositionem* idest contritionem *justificatio ipsa consequitur*: ideoque nequit esse effectus liberi arbitrii, & gratiæ habitualis (quam præcedit; cùm impossibile sit quòd dispositio nascatur ex forma ad quam disponit) sed liberi arbitrij, & gratiæ actualis; ut monet idem Concilium sess. 6. Can. 3. ubi legitur *si quis dixerit sinè præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. Anathema sit.* Quæ verba non possunt intelligi de auxilio gratiæ habitualis, quæ juxtà communem Theologorum sententiam non confertur per modum actûs, sed per modum habitûs, & principij constitutivi; sed solum de actuali gratia, quæ per modum auxilij, & adjutorij datur, non verò per modum formæ, ut gratia habitualis: Ut docent communiter omnes Scholastici cum D. Thoma, & Doctore Subtili.

XIV. Nedum ex præcepto divino tenemur dolere, & conteri de peccatis juxtà illud Lucæ 13. *nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*; sed etiam ex præcepto naturali: lex enim naturæ omnibus implantata, docet nos reconciliationem cum eo, quem offendimus, non esse differendam; ubi datur opportunitas, & præcipit, ac intimat Deum esse diligendum super omnia, saltem tanquam authorem naturæ, & consequenter præcipit etiam dolorem de peccatis, & injuriis Deo illatis; cùm præceptum de Deo summè diligendo, includat illud, quô tenemur potiùs quæcumque mala subire, quàm in peccatum consentire, aut Deum offendere; quoniam qui benè amat, non offendit eum quem amat, & si offenderit, statim amore cogitur ad dolorem: igitur natura præcipit reconciliationem cum Deo offenso, ac proindè pœnitentiam, seu dolorem, ac detestationem de peccato commisso.

XV. Disputant Theologi, an istud præceptum de contritione elicienda obliget statim post commissum peccatum? plures gravissimi authores affirmant cum Doctore nostro Seraphico D. Bonaventura, Alexandro Alensi, & aliis: nihilominus altera opinio videtur mihi probabilior, quamvis non sit tutior. Ratio majoris probabilitatis est: Quia si teneretur homo elicere actum contritionis statim ac peccavit, sequeretur primò quòd præceptum istud strictius obligaret, quàm præceptum de fide habenda, aut de baptismo suscipiendo, quod non ita obligat, ut protinùs in actus fidei exire teneamur, aut baptismum sinè mora suscipere; sed hoc est improbabile: quia non minùs ad salutem desiderantur fides, spes, baptismus, & dilectio Dei, quàm pœnitentia; ut constat ex variis scripturæ locis; quibus suadetur baptisma esse necessarium necessitate medij ad salutem: ergo &c. Secundò quòd homo in singulis momentis, quibus posset dolere de peccatis, peccaret mortaliter, si non doleret, cùm esset transgressor præscripti præcepti: sed hoc est falsum: nam confitentes sua peccata nusquam accusant contritionis dilationem, nisi fortè talis dilatio protracta fuerit ultrà tempus determinatum ab Ecclesia de facienda peccatorum accusatione, & elicienda contritione, nec de ipsa à confessariis interrogantur: ergo non obligat statim, sed solùm in determinato tempore; sicut alia præcepta affirmativa, quæ licet obligent semper, seu semper obligent ad negationem actus contrarij, non obligat pro semper: ita ut teneamur continuò elicere actum, quem præcipiunt. Ita D. Thomas, & Scotus, quos sequuntur ferè omnes Theologi, licet fateantur alteram opinionem esse tutiorem, & meliùs esse in praxi statim post peccatum, à Deo veniam petere in amaritudine animæ, quàm pœnitentiam, & conversionem differre: nam scriptura ait *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem* Ecclesiastici cap. 5. vers. 8.

XVI. Non desunt Canonistæ inferentes ex Can. *omnis* de pœnit. & remiss. Religiosos ligari hoc præceptô de contritione elicienda statim post peccatum; sed ab eorum sententia recedo. Quia nulla potest deduci major ratio ex scriptura, nec ex decretis summorum Pontificum, de Religiosis, quàm de omnibus aliis; cùm Deus sit æqualiter Dominus omnium hominum, & suis præceptis æqualiter obliget omnes homines. Nec possit aliqua inveniri ratio in sacris paginis, quæ probet Deum, apud quem non est acceptatio personarum, ardentius velle salutem Religiosorum, quàm

aliorum hominum: nam si sit aliqua ratio non potest oriri, nisi ex statu Religioso, qui cùm majorem exigat perfectionem, strictiùs ligat ad pœnitentiam, ex quo, non sequitur hoc præceptum divinum obligare potiùs Religiosos, quàm sæculares, sed solùm professionem Religiosam eos ad hoc astringere.

XVII. Hoc præceptum divinum de contritione elicienda, per se obligat sub pèccato mortali, nedùm in articulo mortis; cùm nullum aliud restet tempus, sed etiam quoties imminet mortis periculum: nam in judicio prudentis, periculum mortis æquivalet articulo mortis, eamdemque exigit præparationem animæ; per accidens verò obligat in plurimis aliis occasionibus; ut dum quis indispensabiliter recepturus est, vel administraturus Sacramenta, quæ, quia Sancta, Sanctè sunt tractanda, & consequenter præmissâ contritione de peccatis non remissis, si non adsit confessarius, cui peccata confiteri possit. Dum urget vehemens tentatio, & imminet grave peccandi periculum: tunc enim homo tenetur se munire omni auxilio, & præsertim utiliori, & efficaciori, quale est contritio de peccatis commissis: quippecùm unum peccatum in aliud trahat; ut inquit D. Gregorius, & abissus abissum invocet, ut monet propheta; & contritio deleat peccatum, & ab abisso revocet; tunc eliciendus est contritionis actus, nè anima succumbat, seu nè triumphet dœmon. Plures addunt præceptum obligare etiam in periculo oblivionis peccatorum, nè oblivio fiat voluntaria, & peccaminosa. Non desunt alij volentes idem præceptum urgere in diebus dominicis, & festis saltem solemnibus. Quia inquiunt cessatio ab operibus servilibus, tunc præcipitur ut Deo vacare possimus, aut Deum diligere, & peccata, quæ in operibus servilibus commisimus, detestari.

XVIII. Tandem existimo contrà plures præceptum de contritione elicienda obligare peccatorem, quoties de peccatis deliberatè, & attentè cogitans, sibi repræsentat peccata aliàs commissa, quia tunc necessario, vel sibi complacet, vel detestatur illa. Estqué de utroque actu incertus, & potest prudenter existimare se potiùs in periculo complacentiæ, & delectationis, quàm in motu doloris, & odij peccatorum: ut monet D. Chrisostomus hom. 5. ad Hebræ dicens *Si quis recognoscat se peccasse, & non ad singulas species descendat nunquam cessabit.* Igitur cùm ex scriptura homo sit pronior ad malum, quàm ad bonum, debet conteri, ut contritione, aut dolore de peccato commisso munitus, voluntatem inclinet ad odium peccati, quod vitare semper tenetur: juxtà illud Ecclesiastici cap. 5. vers. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu* & cap. 21. *quasi à facie colubri fuge peccatum.* Undè ille, qui in his casibus memoratis conteri, & pœnitere omisit, tenetur in confessione sequenti hujusmodi omissionem explicare. Quia est vera præcepti transgressio. Idem docet D. Thomas à Villanova sermone in dominica Passionis ubi ait: *quarta conditio doloris, quòd sit perpetuus: nam pœnitentia cum vita finienda est. Vide, peccator, quod onus imponis super te propter momentum delectationis. Non tamen sic est intelligendum, quòd dolor ille continuatus duret per totam vitam: hoc enim quis posset? sed quòd quoties peccatum tibi occurrit in memoriam, teneris odio habere, & detestari, ut te pœniteat fecisse illud. Quidam dicunt, quod sufficit ut non placeat; sed tutiùs est ut etiam displiceat. Unde psalmus: peccatum meum contra me est semper, & iterum: tota die, id est, tota vita contristatus ingrediebar.*

CAPUT XVI.

De attritione.

I. AD validitatem sacramenti Pœnitentiæ non sufficit sola voluntas accipiendi absolutionem; ita ut sufficiat peccata declarare, & absolutionem obtinere à Sacerdote. Quia peccator per culpam mortalem aversus à Deo, non potest ad eum reverti; quin vetus factum detestetur: juxtà illud Ezechi. 18. *proiicite à vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum.* Et doleat de peccato suo, ut declarat Tridentinum sess. 14. Can. 4. *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, & sa-*

tisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit. Nec ad validitatem & beneficium hujus Sacramenti requiritur absolutè perfecta contritio, ita ut in hoc sacramento, nullus possit validè absolvi à peccatis; quin sit verè, ac effectivè contritus ex motivo charitatis, & divini amoris, ut aliqui præsupponunt. Indè enim sequeretur pœnitentiam non esse ad modum judicij, in quo Sacerdos est judex, & pœnitens se accusat quòd est contrà Tridentinum loco citato Can. 9. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicalem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantum credat se esse absolutum: aut Sacerdos non seriò, sed iocò absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos ipsum absolvere possit: anathema sit.* Sequeretur insuper pœnitentiam non esse sacramentum mortuorum, nec unquam producere justificationem, sed eam priùs acquisitam præsupponere; ut testatur Cabassutius. Quia illa perfecta contritio, quam excitat, & ille super omnia perfectus amor dei, hominem Deo reconciliat si adsit votum, ut in capite præcedenti dictum est ex Tridentino sess. 14. cap. 4.

II. Quamvis attritio, seu dolor de peccatis elicitus ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, sit bonus, & utilis ad salutem procurandam: ut colligitur ex variis Sacræ Scripturæ textibus, Sanctorum Patrum oraculis, & decretis Conciliorum, præsertim Tridentini sess. 6. Can. 8. ubi legitur *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere. anathema sit.* Nihilominus hæc attritio non est sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento consequendam, nisi fuerit concepta ex affectu spei excludente voluntatem peccandi de cætero, sitque dolor supernaturalis de peccato cum aliquo respectu ad Deum offensum. Ita definitum fuit in Tridentino sess. 14. de pœnit. cap. 4. ibi enim legimus *illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: Declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit hoc enim timore &c.* Igitur quælibet attritio non sufficit ad remissionem peccatorum in sacramento obtinendam, alioquin dolor, quam peccator habet de delicto suo propter infamiam meré humanam, aut propter pœnam ab homine infligendam, posset justificare in sacramento, quôd est falsum; sed solùm ea, quæ includit aliquem pium ergà Deum affectum, quem includit voluntas non peccandi de cætero attritioni requisita; nam nolle peccare, aut nolle peccatum quatenus nihil aliud est, quàm injuria in Deum facta, est aliquo modo Deum diligere; cùm sit habere dolorem de peccato cum aliquo respectu ad Deum, cujus est peccatores mittere in gehennam. Igitur attritio sineDei amore saltem inchoacto, non sufficit in Sacramento ad justificationem peccatoris: nam qui non diligit manet in morte, inquit Christus Joan. 3.

III. Aliam addo rationem ex eodem Concilio deductam. Concilium loco citato, loquitur de attritione, seu dolore ex turpitudinis peccati consideratione, & ex gehennæ pœnarum metu, proveniente. Sed declarat, hoc non sufficere, ut attritio sit dispositio in Sacramento pœnitentiæ, ad impetrandam gratiam: addit enim *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ.* Igitur loquitur de attritione, quæ includit amorem Dei, saltem inchoactum, & imperfectum. Quia postulat eum dolorem, qui peccandi voluntatem excludit, & spem veniæ includat. Peccandi porro voluntas non excluditur nisi voluntate contrariâ, scilicet amore justitiæ, sivè amore justitiæ, sivè amore Dei, qui peccato offenditur: nonnè voluntas non peccandi, est voluntas præferendi Deum creaturis? & constituendi ultimum finem in Deo, non autem in creatura? nonnè *(spe veniæ)* Concilium intendit obligare ac habendam

fidem Deo, & ad ipsum Deum accedendi voluntatem? Itaque Concilium exigit attritionem includentem amorem Dei saltem inchoactum; cùm voluntas non peccandi, voluntas præferendi Deum creaturis, & spes veniæ, non possint haberi sine aliquo amore Dei: nam peccator imperfectè contritus, sivè attritus, dumque omnis justitiæ fontem diligere incipiens, incipit vivere vitâ Dei, declinavit à malo, & incipit facere bonum, & sic se disponit ad vitam perfectam procedentem à Sacramento conferente charitatem perfectam. Et hæc est mens Concilij Tridentini voluntatem non peccandi, & spem veniæ in attritione admittentis; cùm metus gehennæ, his seclusis, non disponat, nec peccatum execretur: ut monet D. Augustinus de verbis Apostoli sermone 169. cap. 8. ubi ait *Quid est magnum, timere malum? magnum est; non facere malum: magnum est amare bonum: Nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit: & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere; quærit jugulare, quærit devorare: vigilant pastores, latrant canes: nihil potest, non aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit & ovis reddit? lupus venit fremens, lupus reddit tremens: lupus est tamen & fremens, & tremens. Interroga ergo te quisquis vis judicare; & vide si tunc non facis malè, quando potest facere, & ab homine non puniri: tunc timeas Deum. Nemo est ibi, nisi tu, & ille cui facis malum, & Deus qui ambos videt. Vide, ibi time. Parum est quod dico, vide, ibi time malum: ibi ama bonum. Nam etiamsi timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid est quod dixi? quia si timore gehennæ non facis malum, non amore justitiæ facis bonum.*

IV. Assertionem nostram de attritione supernaturali impugnant nonnulli ex efficacitate Sacramenti pœnitentiæ: nam (inquiunt) ut sacramentum pœnitentiæ non sit inane, nec otiosum, attritio naturalis, secluso quocumque respectu ad Deum, debet sufficere ad justificationem in sacramento: quia amor Dei justificat antè sacramentum, & extrà sacramentum, ut jam dictum est: igitur in sacramento non requiritur amor Dei, nec affectio includens amorem, sed solum naturalis timor pœnæ. Respondetur sequellam esse falsam. Tum quia contritio perfecta non justificat extrà sacramentum, nisi includat votum suscipiendi illud, ut declarat Tridentinum sess. 14. cap. 4. ideoque pœnitentiæ sacramentum non est inane, nec otiosum. Tum quia attritio, quæ est imperfectus amor Dei, & dolor de peccatis, non propter Deum dilectum super omnia, sed propter Deum bonum, justum, diligibilem &c. non disponit ad justificationem extrà sacramentum, benèvero in ipso sacramento pœnitentiæ; ut declarat Tridentinum; ideoque sacramentum non est otiosum; etiamsi attritio naturalis, seu dolor de peccatis absque ullo amore Dei, non sufficiat ad remissionem peccatorum in sacramento.

V. Instabis charitas præcisè ut talis sivè inchoata, sive perfecta, est incompatibilis cum peccato, quia qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo; hinc est quòd si attritio (ut cum sacramento sufficiat) debeat includere amorem Dei, aut charitatem, sequitur quòd homo sic attritus, est justificatus antequam absolutionem suscipiat: ergo si aliqua attritio Disponat ad justificationem, ut vult Tridentinum: hæc attritio debet esse naturalis; alioquin sacramentum pœnitentiæ est otiosum. Respondetur instantiam esse falsam, quia debet intelligi de charitate habituali, quæ habet rationem principij operativi, nos autem loquimur de charitate actuali, cum qua peccatum compatibile est. Quia deletur per gratiam habitualem, quam Scotus à charitate habituali minimè distinguit; undè cùm attritus incipiat diligere Deum, & excludere voluntatem peccandi (si ad sacramentum accedat) dilectio ejus perficitur, & peccatum illi remittitur, & ex attrito fit contrictus: ut monet D. Bonaventura p. 2. dist. 17. quæst. 4. ubi ait *attritio frequenter ob confessionem super adjunctam, & absolutionem Sacerdotis, formatur per gratiam, ut fiat contritio, sivè ut ad ipsam contritio subsequatur &c.*

VI. Ut attritio sufficiat, sitque ea, quam exigit Tridentinum, necessè est quòd per ipsam homo convertatur ad Deum, ut justificetur virtute sacramenti. Quia in omni

vera conversione debet dari aversio à peccato, & conversio ad Deum, sicut in peccato fuit aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Undè quemadmodum hæc conversio ad creaturam facta fuit ob aliquam perfectionem in ipsa cognitam, aut aprehensam; aliàs non fuisset voluntaria, nec peccâminosa; cùm peccatum sit voluntarium, & voluntas nihil appetat nisi bonum. Ita conversio ad Deum debet esse propter aliquam perfectionem ipsius Dei, ut propter majestatem quam veneramur, vel propter misericordiam, aut bonitatem, quam amamus, vel propter justitiam quam timemus &c. Sed attritio de peccato ex metu gehennæ nascens, si non excludat voluntatem peccandi, nec habeat spem veniæ, nullumque dicat respectum ad Deum, non potest esse aversio à peccato, quia ille vertitur à peccato, qui jam vult dimittere peccatum, inquit Augustinus; Nec ad divinas perfectiones; cùm nullo modo ad ipsum Deum tendat, nullumque respectum dicat ad divinas perfectiones: ergo non potest esse dispositio sufficiens ad impetrandam in sacramento gratiam; nisi detestetur peccatum, quatenus est vel inobedientia, vel irreverentia, vel ingratitudo in Deum. Ratio est: Quia, qui sub hac ratione detestatur peccatum, si non moveatur ex amore Dei; movetur tamen ab aliqua excellentia Dei, & per ipsius intuitum ad ipsum Deum convertitur, & ipsum præfert creaturæ (quam prius dilexerat plus quam Deum, & in qua ultimum finem suum constituerat) ut significat voluntas non peccandi, ac proinde amat Deum indirectè saltem, & imperfectè: nam nolle amplius peccare, licet non oriatur ex amore Dei, includit tamen aliquem pium ergà Deum affectum, & amorem, qui quidem amor imperfectus, reverà non potest per se peccatorem Deo reconciliare sed accedente sacramento, elevatur; ad habitum charitatis.

VII. Dolor de peccatis ex gehennæ metu, & pœnarum inferni consideratione, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, includit aliquod odium peccati, & habet annexum divinæ justitiæ timorem; cùm pœnæ inferni à divina justitia institutæ fuerint ad punienda peccata hominum, qui non possunt dolere de peccatis propter pœnas inferni infligendas, nisi virtualiter saltem, timeant illum, qui hujusmodi pœnas statuit, nec sperare veniam, quin Dei misericordiam inspiciant, & Deum diligere incipiant. Quoniam spes veniæ est indicium correctionis, aut emendationis, & conversionis ad personam offensam: quæ quidem emendatio importat odium rei, quæ deseritur, & conversio amorem rei quæ quæritur; idque constat ex Tridentino sess. 6. dicente de modo præparationis ad justificationem. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberé moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt; atque illud in primis à Deo justificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo, & dum peccatores se esse intelligentes à divina justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem erigitur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Igitur dolor ille, qui attritio dicitur, est sufficiens dispositio ad obtinendam gratiam in sacramento: juxtà mentem Concilij; cùm sic dolere sit donum Dei, & effectus liberi arbitrij divina gratia adjuti: ut docet idem Concilium sess. 14. cap. 4. sit etiam timere Dei justitiam, & in ipsum sperare: nam si talis dolor, seu attritio sic considerata, non esset ultima, ac sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum in sacramento, necessariò sequeretur perfectam contritionem esse omninò necessariam in sacramento, quòd est falsum, & directè contrà Concilium Tridentinum declarans contritionem imperfectam, seu attritionem disponere in sacramento ad justificationem: vel sequeretur quòd dolor naturalis absque ullo proposito emendandi vitam, esset sufficiens dispositio in sacramento, quòd est etiam falsum; cùm hæc attritio naturalis non sit donum Spiritus Sancti, sinè cujus gratia nihil salutare ex nobis habere possumus, ut declarat idem concilium sess. 6. can. 3.

VIII. Disputatur an ille, qui justificatus est in sacramento per attritionem supernaturalem (de qua locuti sumus), teneatur adhuc ex præcepto divino ad eliciendum actum contritionis, seu ad dolorem perfectum ex amore Dei super omnia dilectum, provenientem, circà peccata cum attritione confessa? Noster vega lib. 13. in Trident. cap. 20. Valentia & alij affirmant.

Sed opposita sententia videtur mihi probabilior. Quia in sacramento attritio fit æquivalenter contritio; cùm peccator remissionem peccatorum consequatur virtute sacramenti, si sit attritus in sensu explicito, & absolutio cadat in materiam debitam, tam remotam; quàm proximam. Igitur non apparet undè teneatur conteri de peccatis à quibus fuit absolutus. Ita Hurtadus, Beccanus, Delugo, & alij.

IX. Quamvis non sit absolutè necessarium quòd attritio (quæ est sufficiens dispositio ad obtinendam gratiam in sacramento tantùm) præcedat confessionem peccatorum, ut fatentur ferè omnes Theologi; sed solùm saluberrimum: quia, qui de peccatis suis atteritur, longe distinctiùs, & accuratiùs peccata sua declarat, & auget animi devotionem, ac præparationem ad gratiam; necessarium tamen est quòd ipse attritionis dolor sacramentalem absolutionem præcedat: sicut necesse est quod dispositio præcedat formam cujus est dispossitio. Quantùm ad attritionis, aut hujus doloris extensionem circà peccata, discurrendum est, sicut de contritione in capite præcedenti, scilicet unum attritionis actum circà omnia peccata conjunctim sumpta sufficere; hoc asserendum est ratione ibi pro contritione adductâ; cùm attritio, & contritio ad eumdem finem tendant, videlicet ad remissionem peccatorum consequendam, & in hoc invicem ambæ conveniant, quòd utraque sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: sic enim contritionem in genere definit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. antequam dividat contritionem in perfectam, & in imperfectam.

X. Utrum attritio debeat etiam tendere in omnia venialia generatim sumpta, sicut in mortalia, si declarentur in confessione sacramentali? duplex est sententia. Plures negant, affirmant verò cæteri, quibus subscribo; nam licet ad obtinendam veniam in sacramento pœnitentiæ non sit necesse confiteri peccata venialia simul cum mortalibus: quia non sunt materia necessaria, tamen confiteri venialia absque ullo dolore, est peccatum mortale: tùm quia subijciens judicio confessarij peccata venialia, tenetur servare ea, quæ in confessione servanda sunt, seu habere dolorem de delictis quæ confitetur. Etiamsi potuerit ea non confiteri: tum quia confiteri venialia sine dolore aliquo, est applicare materiam indebitam sacramento, cùm illud dumtaxat sit materia sacramenti pœnitentiæ, quod per sacerdotalem absolutionem solvi debet, & id solùm solvi debeatur, quod pœnitens confitetur cum dolore, ut est manifestum. Ideoque attritio tendere debet in omnia venialia, quæ in confessione declarantur, sicut tendit in omnia mortalia, & debet ea detestari saltem generatim, eorumdemque omnem affectum abijcere, ut sacramentum exigit: huic enim sacramento duplex est adhibenda materia, remota scilicet, & proxima, secùs est inefficax, nullum, ac infructuosum; remota sunt peccata, quæ in confessione declarantur; proxima autem sunt actus pœnitentis, inter quos est dolor: ergo necessè est dolere de omnibus peccatis confessis, etiamsi sint venialia.

XI. Nihilominus si quinque peccatorum mortalium reus, quatuor declaret in confessione, & de eis debitam attritionem haberet, sed ex motivo particularis deformitatis eorum; aliud autem ex inadvertentia, & oblivione inculpabili non declaret, nec de illo doleret, eo quòd non putaret se commisse illud, ejus confessio esset valida, & formata. Ratio est, quia confessio est valida, atque formaliter integra; etiamsi in ipsa inculpabiliter, & priùs adhibita omni possibili diligentia, omittatur aliquod peccatum: ut docent communiter omnes; eadem ratione erit etiam valida, si attritio inculpabiliter non se extendat ad peccatum involuntariè omissum. Deindè peccator, qui omnem humanam diligentiam adhibuit pro omnibus, & singulis peccatis declarandis in confessione, estque verè attritus de illis, quæ declarat; quamvis attritio ejus sit ex motivo specialis deformitatis peccatorum confessorum, videlicet furti, mendacij, inimicitiæ, aut blasphemiæ: censetur etiam promptus ad eliciendum actum doloris circà peccati adulterij (v. g.) inculpabiliter omissi si menti occurreret, & consequenter dolor formalis quatuor peccatorum, quæ confitetur, virtualiter extenditur ad aliud, videlicet adulterij, cujus est immemor, cùm in ratione illa specialis turpitudinis includatur turpitudo generica: ut notat Mastrius: etenim interpretandum est quòd diligens præmisit examen, ut doleret de omnibus peccatis, & de facto dolet de illis, quorum est memor, prout ea nos-

cit, seu specialiter sub ratione specialis turpitudinis. Datur igitur in ipso ultima dispositio, virtualisque intentio dolendi de inculpabiliter oblito, inclusa in illo dolore formali, ac speciali, sicut genus est inclusum in specie.

CAPUT XVII.

De confessione Sacramentali.

I. Statuendum est, tanquam certum, Sacramentalem confessionem omnium peccatorum non esse faciendam de jure naturæ. Quia potestas absolvendi peccatum confessum, non est de jure naturæ, nec communis singulis hominibus, sed ex jure divino præceptam, ut constat ex Tridentino sess. 14. Can. 7. *Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circunstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pænitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.* Nec valet dicere quòd in lege naturæ erat præceptum de confessione peccatorum. Quia confessiones, quæ fiebant in lege naturæ, & in lege scripta non erant sacramentales, sed solùm privatæ peccatorum declarationes coram Deo ad impetrandam veniam. Statuendum est 2. Dari præceptum divinum confessionis vocalis, de quo excusat sola impotentia: ut colligitur ex Can. *quem pœnitet.* de pœnit. dist. 1. ubi legimus *quem pœnitet, omninò pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat: repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem. Præcepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata non per nuntium, non per scriptum manifestanda. Dicit enim, ora monstrate, & omnes, non unus pro omnibus: non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum: sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quòd per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis. Fit enim per confessionem veniale, quòd criminale erat in operatione; etsi non statim purgatur, fit tamen vitale, quod commiseras mortale.*

II. Insurgunt adversarij factum Nectarij Episcopi Constantinopolitani, qui abrogavit in Ecclesia sua confessionem auricularem occasione nobilis cujusdam mulieris; Quæ diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse confessa erat, ut testatur Sozamenus lib. 7. cap. 16. Igitur confessio sacramentalis non est de jure divino, quod à nullo pastore Ecclesiæ, neque à tota Ecclesia congregata abrogari potest. Idque confirmat D. Chrisostomus in eadem sede Nectarij successor homil. 8. in Epist. ad Hebræos ubi ait *non tibi dico, ut peccata tanquam pompam in publicum efferas, neque ut apud alios oculos accuses; sed suadeo ut pareas prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam; Apud Deum ea confitere; apud judicem confitere peccata tua, orans, si non linguâ, saltem memoria: & sic misericordiam impetra.* Respondeo historiam Sozomeni esse reijciendam, ac proinde factum Nectarij esse suppositivum, ut fatentur ferè omnes rerum Ecclesiasticarum scriptores, quorum ratio est. Quia Sozomenus Novatianorum partem tuebatur; ideoque huic historico nulla est adhibenda fides. Deindè non refert hanc historiam ut rem suô tempore certam, sed ut rem controversam, de qua varij variè sentiunt; ait enim *quid autem hoc sit, aut undè sumpserit originem, aut quam ob causam id sublatum fuerit, alij forsitan aliter referunt: ego autem quid mihi videatur, explicabo.* Quibus verbis significat, se narrare rem, non quam viderit, aut à textibus fide dignis acceperit; sed ut illam probabiliorem judicabat: verùm quoniam Nicephorus lib. 12. hist. cap. 20. & Socrates. lib. 5. suæ historiæ cap. 19. hujus facti à Nectario historiam referunt; Respondeo abrogasse tantum publicam peccatorum

confessionem

confessionem. Ad D. Chrisostomum respondeo verba relata non esse intelligenda in ordine ad confessionem sacramentalem, & auricularem, sed in ordine ad contritionem quæ cum perfecta est, delet peccata; quin actu revelentur sacerdoti: nam ille Sanctus Doctor non intendebat ad confessionem auricularem peccatorum invitare, sed eorumdem peccatorum dolorem incitare.

III. Plures confessionis sacramentalis conditiones numerant Theologi, & Canonistæ. Quidam numerant quatuor, alij quinque, sed major pars Doctorum numerat sexdecim, his versibus expressas.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Confessio debet esse simplex, & nuda; nè verbum artificiosum includat; verbis siquidem artificiosis peccata occultantur, aut minuitur eorum malitia; quandò autem pœnitens narrat quædam, quæ ad peccata: & eorum circunstantias minimè spectant, animo detegendi propria peccata, ut fit ab hominibus rudioribus, & mulieribus imperitis, non vitiatur proptereà confessio. Sed confessarius debet hujusmodi superfluas narrationes ad materiam confessionis minimè pertinentes, prudenter reprimere, ut confessio sit simplex, & nuda. Altera conditio confessionis requiritur, ut sit humilis, nè pœnitens peccata sua excuset, aut ea in alium rejiciat: quia pœnitens tenetur se accusare, & animam suam præsbitero humiliare. Idem docet D. Augustinus sermo: 20. ubi ait: *Neminem quæras accusare, nè accusatorem invenias, à quo te non possis deffendere. Nam & ipse innimicus noster diabolus quandò accusatur, gaudet: & vult omnino ut accuses illum, vult ipse ut à te ferat qualem volueris criminationem, cùm tu perdas confessionem.*

IV. Sacramentalis confessio debet esse secreta; ut sancit trident. sess. 14. cap. 5. ubi legimus *Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda, undè cùm à sanctissimis, & antiquissimis patribus magno, unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modò etiam utitur: fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à patribus, in Concilio Lateranensi Congregatis, initium habuisse docere non verentur.* Debet insuper confessio esse frequens, & accelerata, ut qui frequenter cadit, frequenter per confessionem resurgat: licet pœnitens in rigore juris non teneatur ad sacramentum recurrere statim post peccatum commissum; Undè juxta communem Doctorum sensum, hæ duæ conditiones non sunt omninò necessariæ, sed optandæ, & peccatoribus suadendæ, ut à peccatis resurgant, & ad Deum sinè morâ accedant. Alterâ conditione, quæ est *parere parata* pœnitens debet esse paratus ad parendum sententiæ sacerdotis in sacro tribunali prolatæ, ad satisfaciendum divinæ justitiæ: undè Concilium Latera. 4. Canon. 25. Ait de pœnitente *injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Id confirmatur ex canone, *consideret* dist. 5. *de pœnitentia*, qui ex lib. *de vera & falsa pœnitentia*, inter S. Augustini opera edito, sumptus est: *Ponat se*, (inquit) *omninò peccator in potestate judicis, in judicio sacerdotis, nihil sibi reservans sui: ut omnia eo jubente paratus sit facere pro reparanda animæ vitâ, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte; & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam, ut Deus. Cùm gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.*

V. Confessio debet esse lacrymabilis, id est fieri cum contritione, & dolere de peccato commisso, ut in cap. præcedenti dictum est, & ut monet Hugo à Sancto Victore lib. 2. De Sacramentis part. 14. cap. 1. Dicens *quidam sine aliquo timoris, vel amoris Dei attractu, pro sola consuetudine explenda, ad dicenda peccata sua se in-*

gerunt, existimantes se propter solam verborum prolationem à debito peccatorum absolui: quibus rectè dicitur, priùs flendum est, post confitendum. Idem colligitur ex illo Isayæ *si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris.* Indè enim ostenditur ex conversionis, & lacrymarum conditione, promissionem salutis omninò pendere, informis quidem est confessio absquè contritione, vel attritione sufficienti facta. Quia, qui verè contritus, aut sufficienter attritus non est, ad sacramentum fictus accedit, & sacramenti beneficiò privatus existit.

VI. Confessiones debent audiri in Ecclesia, in loco patenti; confessionalia enim constituenda sunt in loco aperto, & patenti, ut docent communiter Sancti Patres, & Concilia præsertim Bajocense cap. 8. Ubi ait *ad audiendam confessionem, eminentem locum sibi eligant sacerdotes, ut communiter possint videri. Et in locis abditis extrà Ecclesiam nullus recipiat confessiones nisi necessitate.* Peccant igitur confessarij, qui absque ulla causâ in locum privarum ducunt pœnitentes, ut ibi eas audiant: nam Concilium Coloniense sub sifrido Episcopo celebratum Anno 1280. Excommunicationis gladio ferit sacerdotes, qui extrà Ecclesiam audiunt confessiones. cap. 8. ait *ad confessionem audiendam communem, & aptum locum in Ecclesia, ut ab omnibus videri possint, sibi eligant sacerdotes. In locis autem obscuris, & tenebrosis confessiones non audiant: nec extrà Ecclesiam, nisi in magna necessitate, vel infirmitate: Contrarium facientes sententiam excommunicationis se noverint incursuros. Item præcipimus, ut sacerdotes ante solis ortum, & post solis occasum, nullatenus ad confessionem audiendam sedeant, nisi in magnâ necessitate, & in loco illuminato, & aliquibus præsentibus. Item sacerdos mulierem, quæ sola sit in Ecclesia, nullatenus audiat confitentem, sed in conspectu honestæ societatis: Contrarium facientes ipso facto sententiam excommunicationis se noverint incursuros, & insuper tribus diebus in pane, & aqua jejunent.*

VII. Cùm sacramentalis confessio, non ut peccata ingerat, sed ut ea tollat ordinata sit à Christo Domino, qui suam ligandi, atque absolvendi potestatem contulit sacerdotibus, à mora diuturniori in fœminarum confessionibus audiendis, & à prolixioribus cum ipsis colloquijs cavere debent confessarij, nè ex hac occasione scandalum oriatur, quòd ex illis congressibus, & Sermocinationibus ordinatiò sequitur in populis. Unde D. Antoninus 2. part. tit. 17. cap. 19. ait *audiendo mulieres caveant, nè nisi in publico audiant, & nisi ab aliquo vel aliquibus videatur, nec multùm immoretur, nisi quantùm necessitas confessionis requirit. Et eis quæ nimis frequenter confiteri volunt, assignet certũ tempus extrà quod ipsas non audiat, nec alijs colloquijs se eis exponat. Et semper verbis duris, & rigidis circa illas utatur potius, quàm mollibus.*

VIII. Nullus confessarius potest tutâ conscientiâ pœnitentem votò, vel juramento obligare, ut alium confessarium non eligat, hæc enim obligatio multis sacrilegijs viam aperit, & viam salutis arctat. Videtur etiam contradicere Sacræ Synodo tridentinæ sess. 25. de regularibus cap. 10. ubi patres præcipiunt Episcopis, & cæteris superioribus monialium ut monialibus bis, aut ter in anno præter ordinarium confessorem, offerant alium extraordinarium; sic enim loquuntur patres. *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant: & Sacro-Sanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs superioribus bis, aut ter in anno offeratur: qui omnium confessiones audire debeat.* Proculdubio, propter rationes, quæ reperiri possunt in obligato de quo agimus; cùm de illo, & de monialibus ordinarium confessorem habentibus possit esse idem motivum, idemque periculum. Undè Concilium Mechliniense à Paulo V. confirmatum ait *Nemo aliquem ad sibi Soli perpetuò confitendum obliget, & ejusmodi promissionem, etiam juratam; tanquam irrationabilem, & indiscretam, hæc synodus irritam esse declarat, & quatenus opus est, irritat.* Ad confessionem nullus debet admitti nisi sit paratus, rectè dispositus, & prævium examen diligenter, & exactè præmiserit: pro confessione integra, lacrymabili, & parere parata, discreta, & humili: ut statuit Sanctus Carolus Borromæus in instructionibus confessorum ubi ait *monemus nè*

ad confessiones admittant, quos sine debita interiori, aut exteriori præparatione accedentes viderint: eos ideo verbis quidem lenioribus pro cujusque capacitate, præparandos dimittant. Nullus confessor mulieres excipiat, quæ ad eum accedunt cum pigmentis, fuco, inauribus, varijs ornamentis, & ex auro Phrygio vestibus, alioque vano simili apparatu, sed quæ non nisi habitu modesto, & simplici induantur: & velato capite, ita ut velum non sit subtilius, sed pannum sit ex lino, aut lana, aut sericum colore obscuro tinctum: cum ea denique quæ ad tantum sacramentum, & ad cognitionem, seu contritionem, cum qua ad Dei tremendi tribunal & judicium, misericordiam & veniam imploratura peccatrix sisti debet, reverentiâ requiretur. Idem cum viris observetur; nec ad confessionem ij admittantur, qui varijs ornamentis, auro, aut argento, aut pileorum ornatibus exculti, aut cum armis, & hujusmodi rebus, ad sacramentum audent accedere. Sed Imprimis attendant ad animi præparationem ad hoc sacramentum accedentibus necessariam; quæ In peccatorum discussione consistit, in dolore de peccatis, & pro ijs satisfaciendi & imposterum emendandi proposito. Qui ergo sine tali præparatione inventi fuerint, eos confessor moneat, & instruat, ut alia vice cum præparatione debitâ revertantur. Argumenta autem unde cognosci possit num imparati pœnitentes accedant, sunt: Si ab aliquo temporali exercitio ad confessionem transeant, non interposito debito pro oratione temporis spatio: aut si peccatorum commissorum non recordari dignoscantur: aut si cõfessor aliunde noverit eos adhuc in illicitis exercitijs, aut in peccato, aut in occasione ad illud inducente, quam vitare non sincerè polliceantur, versari: aut si, cùm potuerint, bona aliena non restituerint.

IX. Confessio facta sacerdoti animo irridendi, dicipiẽdi corrũpẽdi confessariũ, aut pertrahendi illũ in criminis sui patrocinium, non inducit obligationem servandi sigillum: ut docent Plures Doctores, quos citant, & sequuntur Pesantius, Sylvester, Navarrus, & alij; & ideo confessarius potest illam ad peccati inductionem revelare, si juridicè interrogetur. Quia malitia, & dolus nulli debent patrocinari, monet Alexander. III. in can. *ex litteris* de dolo, & contum. Sola enim confessio sacramentalis hujusmodi sigilli obligationem inducit: confessio autem simulata quæ fit animô irridendi, & intentione habendi complicem in delicto, non est sacramentalis: Igitur non ligat, nec obligat ad secretum sacramenti, ut probat casus singularis relatus à Cæsario ordinis Cisterciensis lib. 3. Historiarum memorabilium cap. 31. & 32. Ubi legimus *In Domo quadam Cisterciensis ordinis Monachus quidam sine ordine celebravit, hoc cùm die quadam abbati suo retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet à tantâ præsumptione, abbas dolens & lachrymans, ut à blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, præcepit, sed non profecit. Ille verò timens notari, si cessaret, celebravit ut priùs. In sequenti capitulo generali abbas idem proposuit casum eumdem: interrogans quid faciendum foret confessori, si fortè tale quid in aliqua Domo emergeret. Cùmque Dominus Cisterciensis, & cæteri abbates super hoc nihil auderent definire, casum scripserunt Innocentio Papæ III. qui convocans Cardinales, virosque litteratos, casum eis proposuit, & quid de hoc sentirent á singulis requisivit. Omnibus penè in hoc sentientibus, quòd confessio non esset prodenda: Respondit, ego dico in tali articulo esse prodendam, quia talis confessio non est confessio, sed blasphemia: nec debet confessor blasphemiam talem, ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit omni Ecclesiæ. Et placuit sententia omnibus, scripsitque sequenti Anno capitulo quod a se fuerat determinatum, & à Cardinalibus approbatum.* Alium casum adducit Sotus in 4. sentent. dist. 18. quæst. 4. art. 5. his. Verbis *Cardinalis quidam qui conspirationem in Pontificem Moliebatur; confessus est alteri ejusdem ordinis Domino; & quidem sacramentaliter, sed tamen ea intentione, ut eum in suam conjurationem traheret. Posteà verò per aliam viam re comperta, Cardinalis qui confessionem audierat, de hoc accusatus fuit, quòd rem non protinus detexisset: immò ob id fuit pecuniâ multatus, & nisi ignorantiam sibi obtendisset, acriùs fuisset punitus.*

X. Alterum casum suponit Pensatius quo probatur confessionem simulatam, & dæmonis intentione sacrilegam sigilli religionem non inducere: ait enim quòd si latro furetur in confessione crumenam confessarij, & de hoc peccato se accuset, & factum suum eidem sacerdoti confiteatur a-

nimo fugiendi punitionem, & occultandi peccatum suum: cærtum est (inquit idem Doctor) quod licitum erit sacerdoti eum accusare in judicio pro crumena recuperanda, & ut ipse pœnitens de tali furto puniatur: ratio est quia talis confessio potius videtur facta causa illudendi, aut nè sacerdoti sit liberum, pœnitentem accusare, quam velle confiteri peccata, & eorumdem peccatorum absolutionem obtinere. Ita communior opinio.

XI. Confessioni bona fide, & animô se accusandi factæ debetur secretum quamvis sit informis, & invalida, quia est pars sacramenti, in forma sacramentali exposita, ideoque debet esse secreta, etiamsi peccata non fuerint absoluta. Undè Alexander III. in can. *Qui quidem* de pœnit. & remissione. Ait *qui quidem ad confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse: consultationi tuæ taliter respondemus, quòd eorum confessionem recipere debes, & eis de criminibus Consilium exhibere: quia licet non sit vera hujusmodi pænitentia, admittenda est tamen eorum confessio, & crebris, & salubribus monitis pænitentia indicenda.* Indè sequitur quòd pœnitens bona fide, & animô se accusandi ad sacramentalem confessionem accedens, debet sacramentali secretô potiri; etiamsi ob causam justam ei denegetur absolutio: aliàs fidelibus fiducia omnis tolleretur, & confessio odiosa redderetur. Quoniam illi, qui confessarium de auditis in tali confessione loquentem, audirent, existimarent confessionis sigillum non esse inviolabile, & ideo fiduciam amitterent, & confessionem ut odiosam inspicerent. Graviter igitur contrà religionem confessionis debitam, peccant confessarij, qui de rebus in sacramento pænitentiæ auditis, vel à se factis, ita impudenter loquuntur, ut audientes agnoscant ipsos confessarios uti scientiâ confessiónis, & habere memoriam peccatorum auditorum sub secreto: periculum enim est, nè personam pœnitentis declarent, vel ne audientes ad illius suspicionem deveniant. Undè sigillum confessionis violat confessarius, dum dicit (v. g.) utinam Maria esset æquè casta sicut anna, cujus confessionem audio: & verba similia.

XII. Quamvis confessio debeat esse omninò libera, ut pro certo habemus ex conditione *libens*, & ex ratione ex scriptura deductâ; nam si pœnitens ut validè confiteatur, tenetur diligere Deum, necessè est quòd libere confiteatur. Quia dilectio est actus voluntarius; nihilominus, qui importunis præcibus, aut nimio timore traheretur invitus ad tribunal pænitentiæ, fructum, atque beneficium sacramenti obtineret, si alias confiteretur peccata cum debita attritione, & alijs conditionibus. Quia tunc coactio non esset causa declarationis peccatorum, & sic posset esse simul cum amore Dei, sed esset solùm causa accessûs ad confessionem. Plures enim ad judicem accedere compelluntur, qui tamen delictum commissum voluntariè aperiunt, & pœnam à judice injunctam sustinent. Non desunt Doctores existimantes per hanc conditionem *libens* (quæ requiritur, ut sponte quisque confiteatur) voluntatem debere esse determinatam huic confessario, ut si quis decipiat se fingens alium, confessio sit nulla, & talis non possit absolvere. Ita Durandus, Richardus, & alij. Ab hac opinione recedo. Quia sufficit quòd pœnitens velit absolvi, sitque dispositus. Et sacerdos habeat jurisdictionem. Quippè concilia nihil aliud requirunt, nisi dispositiones ex parte pœnitentis, & potestatem ex parte absolventis, quæ quidem authoritas à pœnitente minimè procedit, ideoque non requiritur voluntas determinata huic confessario, ut absolutio sit valida.

XIII. Sacramentalis confessionis effectus plures assignantur à Theologis. Primò liberat à culpa: gratia enim quam confert, & pro qua conferenda, instituta fuit, tollit reatum peccati, ideoque culpam, quæ in hoc reatu consistit, estque incompatibilis cum peccato. Unde D. Bernardus Epist. ad Sophiam Virginem Ait. *Si peccata sunt, in confessione lavantur, si bona opera, confessione commendantur. Cùm mala tua confiteris, sacrificium est Deo Spiritus contribulatus: cùm Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum redit purgatiorem. Absque confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur.* Secundò liberat à pœna æterna debita peccato: nam commutare pœnam æternam in temporalem, est liberare à pœna æterna; quamvis non sit liberare absolutè ab omni pœna, cùm post absolutionem remaneat aliqua pœna temporalis in hac vita, vel in

purgatorio luenda. Quia dat animæ decorem suum, ut suadet idem Sanctus Doctor loco citato, dicens *ama confessionem, ob quam amaris; ama confessionem si affectas decorem, confessioni jungitur decor, jungitur pulchritudo. Habes utrumque.*

CAPUT. XVIII.

De integritate confessionis.

I. Confessio sacramentalis debet esse integra, id est de omnibus, quæ quis habet in conscientia can. *Sunt plures* de pœnit. dist. 3. Hæc integritas est ex divina institutione, ut declarat tridentinum sess. 14. cap. 5. Ubi legimus *ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure divino necessariam existere.* Idem declarat Concilium Cabilonense 2. cap. 32. Dicens *sed & hac emendatione indigere perspeximus: quòd quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, animâ videlicet, & corpore, & interdùm animi motu, interdùm carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio: scilicet ut ea confiteantur quæ per Corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitijs, sine quibus in hac vitâ difficilè vivitur, confessionem faciat: Quia aut cogitatione, aut quod est, gravius, opere, eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel cætera hujusmodi pestes, tanto periculosiùs lædunt, quantò subtiliùs serpunt.*

II. Cùm peccata sint necessariò confitenda secundum numerum, qualitatem, & circonstantiam juxtà conditionis integritatis exigentiam. Hic quæri potest, an liceat pœnitenti expressè, & voluntariè confiteri peccata nova, ut antiqua, sicut diceret commisi istud peccatum mense præterito, quod tamen commisit hodie, aut heri? Plures affirmant, quia inquiunt hæc circonstantia temporis est prorsùs extrinseca, & perconsequens peccatum sufficienter declaratur. Alij negant. Hæc opinio videtur mihi probabilior. Quia pœnitens, qui dicit se peccasse anno præterito, mentitur, cùm de facto tunc non peccaverit, neque illud peccatum commiserit, sed hodiè peccaverit. Dices confessarius potest indè inferre pœnitentem diu permansisse in hac culpa, subindeque majorem pœnam esse illi injungendam pro ipsius salute. Undè cum hoc confessarij judicium sit utile pœnitenti, ipse pœnitens potest licitè confiteri peccata nova, ut antiqua; Respondetur negando consequentiam. Tum quia non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona, ut monet Apostolus. Tum quia confessarius potest etiam indè inferre pœnitentem per annum à tali peccato se abstinuisse animo non peccandi de cæterò, & amore Dei, & per consequens esse perfectè dispositum, & contritum, ideoque modicam pœnitentiam esse illi injungendam: ergo non est undè liceat confiteri peccata nova, ut antiqua; an verò illud mendacium impediat absolutionis beneficium? Responsio negativa videtur mihi probabilior. Quia mendacium illud non est mortale, nec obex ad gratiæ infusionem: nam licet sit in re gravi non mutat naturam, nec speciem peccati, nec occultat illud, & ideo non irritat confessionem.

III. Integritas confessionis potest esse duplex, una materialis, altera formalis. Est integra materialiter quandò fit de omnibus omninò peccatis mortalibus in specie, numero, & circunstantiis speciem mutantibus, & peccata intrà eamdem speciem aggravantibus. Est formaliter integra quandò pœnitens confitetur omnia peccata, quæ confiteri potest, aut tenetur hic, & nunc confiteri, licet aliqua peccata taceat propter rationabilem causam, vel ob ignorantiam, aut oblivionem inculpabilem. Quare ad hanc vitandam oblivionem, Concilium tridentinum sess. 14. cap. 5. Prærequirit idem examen propriæ conscientiæ, quod posset aliquis apponere circà aliquod negotium multùm arduum, quod sibi multum esset cordi. Nam si aliquod omitteretur neglectu hujus examinis, certò Sacramentum esset informe, seu carens effectu, quia talis omissio, aut oblivio peccati esset voluntaria, & culpabilis propter negligentiam examinis, aut

conscientiæ discussionem, nisi pœnitentis rusticitas, & animi simplicitas excuset: in quo casu, confessarius rusticitatem pœnitentis agnoscens, debet interrogando, & admonendo, supplere in charitate Dei, & patientia Christi, pro quo legatione fungitur.

IV. Licet pœnitens possit validè peccata sua confiteri per interpretem qui valet pro absolutione obtinenda sufficere; sicut confessio publica; cùm per ipsam confessionem factam per interpretem, sacerdos possit sufficienter noscere pœnitentis dispositionem; ut advertit Deluga dist. 15. num. 6. tamen ad id non tenetur ex vi præcepti confessionis. Quia obligat tantùm ad confessionem secretam soli sacerdoti faciendam, ea autem quæ fit per interpretem, non est secreta, nec fit soli sacerdoti, ut colligi potest ex tridentino loco citato ubi legitur *Cæterum quoad modum (inquit) confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen divino præcepto mandatum; nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.* Et S. Thomas in 4. sententiarum, dist. 17. In expositione textûs, ait: *non licet publicè confiteri, nisi fortè sit peccatum manifestum; quia talis humilitas proximò noceret, qui ex peccato manifestato posset scandalizari.*

V. Aliter existimandum est de muto, si non possit confiteri peccata sua nisi scripto, Quia nullum indè sequitur damnum; & ideo ligatur præceptô confessionis, suaque debet scriptò confiteri peccata. Deindè ex vi hujus præcepti unusquisque tenetur absolutè peccata sua manifestare sacerdoti: Igitur si mutus nequeat ea manifestare signis, nec voce, aut ore, tenetur ea manifestare scripto, quod legendo ipse sacerdos, ipso muto præsente, poterit judicare peccata, & absolvere. Nam Christus istud sacramentum instituendo, voluit quòd homo peccata sua manifestaret vocaliter; at deficiente ore, præceptum non cessat obligare, si homo possit ea manifestare alio modo sensibili: an verò ille cujus memoria fluxa est, ac vacillans, teneatur peccata sua scribere antecedenter ad confessionem ut nullum omittat? affirmo. Quia tenemur debitam adhibere curam ad vitandam oblivionem, ut cōfessio sit integra; alioquin oblivio illa, quæ in declaratione peccatorum coram sacerdote, contingeret, esset aliquo modo voluntaria, & prorsùs culpabilis, quæ non excusat.

VI. Pœnitens accusans se voluntariè de aliquo veniali, quod non commisit, peccat mortaliter, si hoc peccatum sit totalis materia confessionis, quia nullam materiam subjicit formæ absolutionis, & sacramentum exponit nullitati, ita communior opinio contrà Fabrum nostrum asserentem illud mendacium esse tantum peccatum veniale, sicut peccatum quod falsò supponit. Quod videtur mihi improbabile, cum hoc sit directè contrà fidem, aut justitiam, quam exigit sacramentum: peccat etiam mortaliter si in confessione sibi imponat aliquod veniale, quod non commisit, illudque declaret simul cum alijs. Sic Caïetanus, Ledesma, & alij: hoc enim nedum est contrà veritatem rei, sed etiam contrà justitiam, fidem, & religionem, quibus præcipitur in confessione, nullum esse exponendum peccatum non commissum; quod nequit esse materia sufficiens absolutionis sacramentalis; nec valet dicere quòd sufficit expositionem illam esse venialem, sicut peccatum expositum. Non valet inquam, quia expositio illa ficta, & falsa est, ac injuriosa sacramento, ideoque gravis, atque mortalis; plura siquidem sunt levia, quæ ex circonstantia, aut modo grauia fiunt: nam licet id, quod exponitur sit leve, tamen expositio est gravis, quia confessio debet esse fidelis, pura, & simplex, ut patet ex conditionibus ex præcepto admittendis. Idem suadet D. Augustinus de verbis Apostoli cap. 4. ubi ait *Cum humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas: veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* Idem docet D. Thomas in 4. sentent. dist. 21. quæst. 2. art. 3. ubi ait *per confessionem debet pœnitens se confessori suo manifestare. Qui autem aliud sacerdoti de se loquitur, quàm in suâ conscientiâ habeat, sive bonum, sive malum, non se sacerdoti manifestat, sed magis occultat: & ideo non est Idonea confessio, nisi os cordi concordet, ut solùm hoc os accuset, quod conscientia te-*

net.

VII. Quamvis confiteri peccata mortalia uni sacerdoti, & venialia alteri, seu confessario ordinario, non sit per se loquendo peccatum mortale, si fiat ob aliquem finem honestum, ut volunt plures. Quia confessio mortalium, omissis venialibus est integra. Et venialia omissa, in una confessione, sunt materia sufficiens alterius; nihilominus est peccatum mortale, si pœnitens ob prædictum modum confitendi remaneat in aliqua occasione peccandi mortaliter, aut se exponat periculo in illud sæpiùs labendi: velle enim uni sacerdoti peccata mortalia confiteri ob hunc finem, est velle peccatum, cùm sit nolle fugere à peccato; immò illud quærere, & potiùs propriæ famæ & existimationi, quàm animæ saluti, & gloriæ Dei consulere. Peccat pariter si hoc modo utatur, nè audiat confessarij correctiones. Hoc enim est nolle emendari; cùm confessarij correctio ad pœnitentis emendationem tendat, & animum ipsius ad dolorem excitet ad detestanda peccata. Hanc doctrinam confirmat can. *consideret* dist. 5. de pœnitentia §. *Cautus sit* juncta glossa. Verbo *Confessionem* ubi legitur *Cautus sit ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni velant quæ alij manifestanda reservant, quod est, se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper veniâ carere, ad quam per frustra putat totum pervenire.* An verò sit mortale prædicto modo uti ob bonã apud confessarium conservandam famã? affirmo: Quia hoc est nolle esse reum apud confessarium suum, & aliquo modo ipsum decipere ob vanam gloriam, necnon quærere gloriam in Tribunali humilitatis, & erubescentiæ: nam confessio debet esse humilis, pura, fidelis, nuda, verecunda, & accusans; ideoque ad proprium confessarium atque ordinarium debet accedere ob mortalia, sicut ob venialia, & se accusare tanquam reum, humilem, & contritum pro justificatione consequenda. Unde D. Augustinus enarratione 2. in Psal. 31. Ait *Deus tegat vulnera; noli tu nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Tandem ex adversa sententia sequitur, quòd moniales, & religiosi confessarium ordinarium habentes, possent ob bonam opinionem conservandam apud illum, peccata mortalia omittere in confessione, & sola venialia declarare eidem confessario ordinario, usque ad confessionem confessario ignoto faciendam. Sed hoc est prorsùs improbabile, & rejiciendum: ergo & illud undè sequitur.

VIII. Cùm sacramentalis confessio debeat esse pura, simplex, & fidelis, pœnitens tenetur confessario interroganti respondere, eique veritatem aperire, modò ipsius interrogatio sit de peccatis ad præsentem confessionem aliquo modo pertinentibus, & nulli nocere possit responsio: nam si sacerdos interroget de peccato jam confesso, & absoluto, cum peccatis ipsi confitendis nullam connexionem habente, pœnitens potest dicere se non habere tale peccatum, seu non esse reum talis peccati. Tum quia pœnitens præsumere debet, confessarium interrogare de peccatis in ordine ad absolutionem conferendam, vel in ordine ad peccata aperienda in confessione. Et ideo si dicat se non habere tale peccatum directè, atque rectè respondet; cùm non habeat illud: Et non teneatur bis confiteri. Tum quia sacerdos non est judex in hac causa; cum peccatum jam confessum, & remissum non sit materia hujus tribunalis, & censeatur non factum; & pœnitens sit verè innocens, & mundus à tali peccato propter gratiam remissionis obtentam. Igitur non peccat pœnitens à quo sacerdos quærit, an hoc peccatum commiserit, si neget se habere illud, nec mentitur quia non negat simpliciter se fecisse illud, sed solùm ita fecisse, ut teneatur in tali forma illud revelare. Hæc ipsa methodus est servanda, si responsio ad interrogationem confessarij noceat alteri, ut (v. g.) Si confessarius interrogaret ad cognoscendam personam complicis in peccato furti, adulterij, &c. Ex cujus declaratione ipsa persona complicis detrimentum pati posset. Quia confessarius non habet jus eam agnoscendi, nec compellendi pœnitentem ad eam denunciandam (nisi in casu expresso in bulla de sollicitantibus in confessione data Romæ die 30. Augusti 1622. Anno secundo Pontificatus Gregorij XV. quæ incipit *universi Dominici gregis*, & in casibus in jure memoratis). Assertionem nostram confirmat Doctor Seraphicus D. Bonaventura in 4. sententiarum dist. 21. quæst. 3. part. 2. art. 2. Ubi ait aliena peccata aut sunt

impertinentia ad peccati nostri accusationem, sed ex quadam associatione refert ea, & ad quamdam excusationem, ille qui confitetur, quia solatium est miseris socios habere pœnarum: & sic dicendum quòd malè facit, qui sic confitetur, sicut multi simplices aliquandò accusant omnes vicinos suos, ut ipsi minùs confundantur, ut si dicant; sumus latrones, usurarij, periuri, & consimilia: & tales à confessoribus corripiendi sunt, qui rectam formam confessionis non servant. Aut peccata aliena sunt nostris conjuncta, & admixta, ita quòd sine illis non potest benè culpa propria explicari: tunc licitum est confiteri eatenus, quatenus non potest sine alieno peccato culpa propria explicari. Undè sufficit aliquando in generali, ut si mulier cognita est ab Episcopo (quod absit) sufficit dicere quòd aliquis magnus prælatus eam cognovit. Si à persona Religiosa, sufficit quòd in generalitate sua stet, quia satis apparet genus culpæ. Si verò descendat ad personam singularem, increpanda est persona confitens. Similiter nec debet confessor curiosè inquirere de persona. Sed si suspicatur quòd sit persona cui possit prodesse; & competens, & utile sit illam scire, potest extrà forum confessionis illam inquirere. Nam talia frequenter sunt occasio frangendi sigillum confessionis, ubi est maximum periculum. Si verò peccatum non potest explicari sine explicatione personæ determinatæ, utpotè si mulier inordinatè à viro cognita est, tunc si dicat de marito, non peccat, pro eo quod non potest aliter confiteri propriam culpam: & tunc non debet attendi accusatio aliena, sed accusatio propria: & sic generaliter verum est quòd peccata aliena non sunt dicenda in confessione, nisi eatenus, quatenus sunt propria; nec confessores debent inquirere. Undè illi confessores, qui rumusculos in confessionibus inquirunt, & audiunt de alijs malum, & sustinent, vix aut nunquam à peccato detractionis excusari possunt, & nesciunt mederi animabus, dum patiuntur eos, qui veniunt ad medicinam, alios accusando, sibi infigere vulnus grave. Ita ille Sanctus Doctor.

IX. Idem confirmari potest ex D. Thoma asserente confessarium interrogatum de crimine in confessione auditum teneri respondere se nescire: teste Alexandro lib. 2. de pœnitentia cap. 5. regula. 61. Cujus verba hic refero. ¶ *Si quis confessarius in jus vocetur ad dicendum testimonium: & interrogetur à judice de crimine quod ex solâ confessione novit, illud revelare non tenetur, nec potest, sed tutâ conscientiâ respondebit, se nescire. Nam (ut ait S. Thomas in responsione ad tertium) homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo: & ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantùm ut Deus. Si autem interrogetur utrum confessionem Titij audiverit, respondere debet se audivisse. At si judex urgeat, quæratque num tale peccatum confessus fuerit, respondere debet, hanc impiam esse quæstionem, se ad respondendum huic interrogationi non teneri, se penitus nescire. Si rursus quærat, an ipsum absolverit: respondere debet, se partes suas implevisse. Cum enim ex absolutionis negatione colligi possit hominem gravis alicujus peccati reum esse, quod dimittere nolit; sacrum sigillum violat, qui absolutionis beneficium se negasse ait tali homini, cujus confessionem excepit.* Inde igitur inferri potest pœnitentem indebitè interrogatum à confessario curiositatis causà, peccata ad præsentem confessionem minimè pertinentia inquirenti, respondere posse se nescire, aut non habere tale peccatum.

X. Ad perfectam confessionem non requiritur absolutè integritas materialis ab ea namque excusat impotentia Physica, vel moralis, ut fatentur omnes Canonistæ post tridentinum sess. 14. cap. 5. *constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ simul omnes latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitando non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Idem suadet ratio: nam Christus pro medio ad salutem necessariò non instituit id, quod interdùm est impossibile, quod tamen instituisset, si ad integritatem materialem confessionis nos obligasset. Quoniam plures annumerantur casus, in quibus absolutio danda est, licet pœnitens aliquod peccatum retineat, ut contingit in oblivione peccati mortalis, aut quandò periculum est, nè confitens subitò moriatur antequam detur absolutio, in quo casu potest absolvi: quamvis restent

adhuc

adhuc alia peccata quæ confiteri non potest, ideoque excusatur impotentiâ Physicâ; cùm ad impossibile nemo teneatur, excusatur pariter impotentiâ morali, ut quandò ex justa metuendi causa, nè confessarius ipse ex insita malitia, aut innata levitate, linguæque incontinentia, notabiliter in peccatum, aut odium adversus pœnitentem, vel vindictam concipiat, aut etiam ad turpia sollicitet. Aliàs quòd pro charitate institutum est, contra charitatem militaret. Quod non est asserendum: ut monet Sanctus Bernardus.

XI. In his casibus enumeratis, & in aliis similibus in quibus integritas formalis sufficit, pœnitens non ita excusatur; ut non teneatur ampliùs confiteri ea peccata, quæ tacuit, aut quæ confiteri non potuit, vel non debuit: Tenetur enim in sequenti confessione ea declarare: ut præcepit Alexander Papa VII. qui inter plurimas propositiones, quas damnavit die 14. Septembris 1665. posuit istam. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Ratio ad confessionem peccatorum omissorum obligans est: Quia cessante causa, cessat effectus, seu causa tacendi peccatum aliquod in confessione. Sotus, & Ledesma volunt hanc obligationem urgere cùm primum sublata fuerit impotentia. Sed alij probabiliùs judicant non obligare statim; ita ut pœnitens non possit confessionem differre; sed sufficere si illa confiteatur, quandò obligabit præceptum confessionis. Sic Reginaldus, Bonacina & alij. An verò tunc pœnitens teneatur eidem confessario illa peccata omissa aperire? Respondeo negativè: potest enim ea alteri confiteri numericè, & distinctè; alia verò generatim, dicendo, quod cùm alia peccata confiteretur, hæc propter oblivionem inculpabilem, aut aliam causam justam ab integritate materiali confessionis excusantem, omisit.

XII. hic obiter observandum, est hanc dimidiationem confessionis licere, aut pœnitentem ab integritate materiali excusari in prædictis casibus, tantum eo tempore, quô urget præceptum confitendi, sivè sit Ecclesiasticum, sive divinum: ille enim qui devotionis causâ confitetur, nequit licitè confessionem dimidiare; quamvis similes rationes habeat: hæc quippè dimidiatio (quæ ex jure est illicita) in sola necessitate (quæ facit licitum, quod antea erat illicitum) potest fieri licita. Præter obligationem adimplendi præceptum, requiritur insuper quod nullus adsit confessarius, cui possit pœnitens omnia peccata manifestare: nam licet præceptum confessionis urgeat, si sit alter confessarius, cui confessio possit fieri integra, aut respectu cujus essent rationes, ab integritate materiali excusantes, necessè est ad illum recurrere; ut præceptum de confessionis integritate adimpleatur. Necessè est tandem ut quis ab integritate confessionis excusetur, quòd incommoda, quæ ex revelatione peccati provenirent, sint gravia, & extraordinaria confessioni; ita ut tendant ad ruinam salutis, aut vitæ naturalis pœnitentis, vel civilis alterius, nec possint ex confessione alteri Sacerdoti facta provenire. Quia inquit Coninch, ut in confessione aliquod peccatum omittam, non sufficit quod confessarius, qui credebat me esse pium, & castum, auditis peccatis meis, me habiturus sit pro gravissimo peccatore, aut quòd graviter sit reprehensurus, & pudore affecturus: hæc enim non sunt extraordinaria confessioni, sed ordinaria; ut omnibus constat, cùm homo accedat ad tribunal pœnitentiæ, tanquam reus, & humiliter petat absolutionem à peccatis, & delictis, quæ commisit; sed requiritur quòd ex confessione peccati sequatur maximum damnum, & gravissimum incommodum in vita propria, vel in vita, & fama proximi: ut (v. g.) dum mulier proclivis ad peccatum carnis, rationabiliter timet confessarium eam ad hujusmodi peccatum sollicitaturum, si peccatum istud, & peccandi proclivitatem aperiat; tunc enim hæc mulier potest peccatum illud tacere, si confiteri teneatur, & non possit recurrere ad alium: cui poterit absque metu peccatum carnis confiteri.

XIII. Disputatur an pœnitens possit in confessione explicare peccatum, aut peccati circunstantiam, ex cujus declaratione confessario dabit notitiam certam personæ complicis, quandò non adest alius confessarius, cui complex sit ignotus? duæ sunt oppositæ sententiæ: Una affirmat, ita Alensis, Major, Emmanuel Sa, & alij qui citant D. Thomam, & D. Antoninum. Ratio hujus sententiæ, quæ affirmat, est. Quia indè complex non diffamatur ob inviolabile confessionis secretum, nullaque ipsi fit injuria. Quoniam huic legi per suum

crimen se subjecit. Et pœnitens utitur jure suo. At hæc ratio non convincit : nam Adrianus, Suarez, Gonetus, Frassenius, & alij hujus sententiæ assertores, tenent quòd ubi est alterius confessarij copia, qui complicem non cognoscat; pœnitens astringitur obligatione recurrendi ad illum; sed non potest astringi ad hoc; nisi ad conservandam famam complicis : adquid enim pœnitens tenetur tunc relinquere proprium confessarium, complicem cognoscentem, & adire alium non cognoscentem ipsum : nisi ut servetur fama complicis. Ergo diffamaretur complex, ipsique fieret injuria. Reverâ complex per suum crimen se subjecit huic legi de peccato in confessione declarando; sed se subjecit per se; cùm unusquisque teneatur peccata sua confiteri, non autem per alium; nullus enim valet peccata alterius revelare; ideoque pœnitens non utitur jure suo : Quia non habet jus revelandi peccatum alterius, neque ut sua peccata confiteatur, dispensatur in lege de fama proximi conservanda. Quia Christus instituendo hoc sacramentum non abrogavit illam. Nec obstat ratio sigilli : quia etiam laicus ex vi præcepti naturæ tenetur ad sigillum, nihilominus revelatio complicis extrâ confessionem est infamatio.

XIV. Itaque tueor alteram sententiam, quæ obligat pœnitentem in isto casu ad particularis istius circunstantiæ silentium, si non possit ad alium confessarium recurrere. Ita Marsilius, Armilla, Nauarrus, & alij gravissimi Doctores, quorum præcipua ratio est: Quia quandò occurrunt simul duo præcepta directe opposita, màgis principale debet prævalere minùs principali; ideoque præceptum de fama proximi servanda, seu de peccato proximi operiendo (quod est juris naturalis & divini) debet prævalere alteri de confessione materialiter integra, quod est positivum, & minus principale. His addi potest hæc regula ab omnibus recepta. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Sed nemo vult sua peccata ab alio revelari; etiamsi ex illa revelatione, bonum revelanti adveniat; nec vult cognosci ut reus declaratione alterius: ergo nullus potest declarare complicem; quin offendat præceptum diuinum, & naturale. insuper omnes adversarij fatentur quòd Sacerdos, qui non potest aliquod peccatum confiteri, nisi manifestando peccatum, & peccati authorem cujus ipse confessionem audivit, tenetur illud tacere : fateri etiam debent pœnitentem non posse manifestare complicem; nam vel Sacerdos ille ad hoc obligatur, nè infametur peccati author, vel nè violetur sigillum. Si primum valet etiam in pœnitente, ut jam dixi; Si Secundum etiam valet : Quia pœnitens ligatur sigillô jure naturali, ut suprà monui, & consequenter non debet facere complici, quod sibi fieri non vult : juxtà illud Lucæ cap. 6. vers. 31. *prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*: idcircò iste casus excusat ab integritate materiali, sicut alij casus, quos deducunt omnes casuistæ. Nec nocet dicere pœnitentem posse uti jure, quod habet ad se integrè accusandum. Tùm quia tunc non habet hoc jus, ut jam monui suprâ : cùm infamatio proximi sit prohibita. Tum quia idem jus haberet in alijs casibus in quibus sequi potest confessarij, aut pœnitentis detrimentum. Quòd tamen nullus concedit: Immò oppositum tuentur: nam Alexander de pœnit. art. 7. regula 23. ait si ex complicis revelatione in confessione sacramentali facta, grave damnum animæ, vel corporis, vel famæ probabiliter immineat sive pœnitenti, sive confessario, sive ipsi complici, aut aliis, pœnitens facultatem petere debet alteri confitendi : quam si obtinere nequeat, reliqua peccata confiteri debet: circunstantiam verô si reticeat, ex qua persona complicis innotescere posset, cum proposito illam confitendi opportunitate datâ, nulla propterea confessio censeri non debet. Hæc regula nititur authoritate S. Thomæ in 4. sententiarum dist. 17. quæst. 3. arti. 3. quæstiuncula 4. ad quintum. In casibus illis (inquit) in quibus probabiliter timet pœnitens periculum sibi, vel Sacerdoti ex confessione ei facta, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quòd si licentiam habere non possit, idem est judicium, quòd de illo, qui non habet copiam Sacerdotis; Nec in hoc transgreditur præceptum Ecclesiæ; quia præcepta juris positivi non se extendunt ultrà intentionem præcipientis, quæ est finis præcepti : hæc autem est charitas, secundum Apostolum. Nec iterum fit aliquà injuria Sacerdoti, quia privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate. *Hucusque D. Thomas.* His verbis constat quòd pœnitens non potest in sua cōfessione revelare perso-

nam complicis, nec peccatum ex quo ipse complex infallibiliter cognoscetur: Quia nescit an ipsi complici aliquod grave damnum immineat ex illa confessione, idcirco nè ipsum tanto periculo exponat, debet tacere circunstantiam: Christus enim non instituit hoc sacramentum cum dispendio, & damno famæ proximi.

XV. Obsistet aliquis: Nullus casus occurrit obligans reum ad confitendum proprium crimen alicui judici, qui non eumdem obliget ad declarandum complicem; si nequeat proprium crimen aliter manifestare sufficienter, præsertim si de illo interrogetur juridicè. Igitur quandò pœnitens obligatur ad confessionem peccati proprij: obligatur etiam ad confessionem, & declarationem alterius, à quo dependet explicatio, & perfecta notitia peccati proprij. Respondetur quòd non valet paritas: nam in foro externo revelatio delicti complicis tendit ad bonum justitiæ communis, & ad correctionem, ac emendationem, aut punitionem complicis delinquentis, qui debet judicari, & puniri etiam invitus, & quin se accuset: sufficit enim quòd per testes fide dignos accusetur: Ideoque prodendus est complex; At in foro interno, ex revelatione complicis nullum bonum sequitur: etenim complex declaratione ab alio facta confessario, non punitur, non emendatur, non justificatur, non potest judicari invitus, nec accusari ab alio, tenetur accusare se ipsum, ut judicetur: igitur non est declarandus; Nec ipsa declaratio necessaria est, ut pœnitens absolvatur. Quia confessio non debet esse necessariò integra materialiter: ut docent omnes; cùm plures sint casus in quibus ab illa integritate excusatur. Et iste ubi agitur de fama proximi, sit aliis casibus urgentior.

XVI. Quæritur an pœnitens ab integritate materiali confessionis excusatus tam in isto, quàm in aliis càsibus, teneatur habere contritionem de illo peccato, quod ob legitimam causam tacet? Plures volunt attritionem à patribus Concilij Tridentini præscriptam sufficere, sicut de facto sufficit pro remissione peccatorum, quæ in eadem confessione declarantur. Sed displicet mihi hæc opinio: Quia attritio, quæ in virtute sacramenti delet peccata confessa, respectu illius quod tacetur, non est cum sacramento, non subijcitur huic judicio, nec sacramento, nec est respectu ejusdem copia confessarij; cùm non confiteatur peccatum illud. Undè ut deleatur simul cum aliis de quibus pœnitens est attritus in sacramento, necesse est quòd sit de tali peccato perfectè contritus, habeatque votum confitendi illud: quippe cum peccatum istud censeatur esse extra confessionem, debet remitti per id, per quod peccata remittuntur extrà confessionem; scilicet per contritionem cum voto suscipiendi sacramentum: porrò si possit in eadem confessione peccatum illud confiteri in genere, omissâ circunstantiâ ex cujus declaratione nosceretur complex, aut adveniret damnum; tenetur confiteri peccatum in genere, aut in specie incompleta, videlicet omissâ circunstantiâ. ut (v. g.) si filius cognovisset matrem suam carnaliter, & nullum haberet confessarium præter parochum cognoscentem matrem, teneretur confiteri peccatum omissâ circunstantiâ incestûs in primo gradu, & accusare se de peccato adulterij: in quo sensu non violatur præceptum de fama proximi servanda; sicut violaretur declaratione incestûs in primo gradu; cùm parochus delicti matris notitiam haberet, ipsa matre inconsultâ & fortè ob justam causam invita: Contingere enim potest matrem, aut complicem habere justam causam, ob quam peccatum suum occultare posset huic Sacerdoti, cui confessus est filius, si ipsa in necessitate adiret eumdem confessarium, seu parochum, quia posset ex illius peccati confessione detrimentum timere rationabiliter, aut habere casum in quo sufficit formalis integritas. Illicitum est igitur manifestare peccatum complicis: attamen pœnitens qui tenetur aliquod peccatum, aut circunstantiam tacere, tenetur elicere actum contritionis cum voto confitendi idem peccatum omissum.

XVII. Non licet confessionem dimidiare propter peccata reservata; ita ut pœnitens reservatorum casuum reus absolvi possit à non reservatis ab inferiore sacerdote, & deindè remitti ad superiorem pro reservatorum absolutione directa; ut si jam esset ab ijsdem indirectè absolutus ab inferiore, qui directè absolvendo à non reservatis, indirectè à reservatis absolveret. Ita Richardus, hurtadus, Ægidius, Cabassutius, & alij contra antiquiores. Ratio est: quia confessio ex jure divino, est judicium à Christo institutum, quô peccator tenetur de peccatis suis se accusare coram judice legitimo, seu habente jurisdictionem; sed

Sacerdos inferior non habet hanc jurisdictionem circà reservata. Quare Tridentinum sess. 14. cap. 7. ait *Extrà articulum mortis Sacerdotes, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.* Quibus verbis constat inferiorem Sacerdotem non posse hunc pœnitentem audire; nisi in articulo mortis: ut in casibus necessitatis in quibus valeret etiam dimidiata confessio: ut notat Suarez disp. 31. sect. 3. num. 2. ideoque Sacerdos inferior nequit pœnitentem casus reservatos habentem audire, nec judicare; quia unum peccatum non judicatur sine alio, & est unum (putà reservatum) quod nequit ab ipso judicari. An verò liceat Superiori reservatorum confessionem audire, & posteà pœnitentem ad inferiorem remittere pro confessione non reservatorum? Doctores impugnantes præcedentem assertionem, affirmant; sed meliùs est negare: nam integritas confessionis est indispensabiliter observanda (nisi adsit urgens necessitas) nedùm à Sacerdotibus inferioribus; sed etiam ab omnibus ministris Christi: Quia est de jure divino. Constat insuper ex ejusdem verbis concilij pœnitentem confessum, & absolutum à casibus reservatis in articulo mortis, non teneri posteà peccata reservata confiteri Sacerdoti jurisdictionem habenti circà reservata, si mortis periculum evadat: Quia in mortis articulo quilibet Sacerdos habet ex Tridentino necessariam, & omnimodam jurisdictionem absolvendi peccata; ideoque tunc cessat reservatio peccatorum, & Sacerdos absolvit à culpa sinè onere præsentandi se Superiori; nisi peccatum habuerit censuram annexam ut in 2. libro dictum est, ob censuræ reservationem: hæc enim dum à confessario absolvitur in articulo mortis, remanet adhuc onus se præsentandi illi cui est reservata. Quia est pœna: ut declarat Bonifacius VIII. Can. *eos qui* de sentent. excom. in 6. ubi ait *eos qui a sententia Canonis, vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerunt absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante posteà periculo, vel impedimento hujusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolvi debebant, quam citò commodè poterunt contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi prout justitia suadebit: decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eamdem sententiam recidere ipso jure.* Ita major, Paludanus, Cordub, & alij.

XVIII. Celebris agitatur inter Doctores difficultas, utrum Sacerdos inferior possit absolvere à reservatis, à superiore invalidè absolutis ex defectu attritionis, aut contritionis pœnitentis, aut culpabilis oblivionis? affirmant Sylvester verbo *Confessio* 1. quæst. 19. Cajetanus verbo *casus*, Navarrus, & alij. Sed ex adverso negant Sanchez cui adhærent plures recentiores quibus lubens subscribo. Ratio est: Quia casuum reservatio non est, ut peccata Superiori manifestentur dumtaxat: nam superior non sibi reservat quædam peccata solùm, ut ea cognoscat; sed etiam ut ab ipso absolvantur, aut ut nè inferior ea absolvat. Non alterius; sed illius nimirum Superioris sunt tribunalis: ergo si peccata reservata pœnitentis culpâ non absolvantur, sunt adhuc ejusdem fori, eorumque absolutio ad eumdem judicem spectat: nullatenus enim præsumi debet, Superiores velle favoribus, & beneficiis prosequi eos, qui animo sacrilego ad sacramenta accedunt, & ipsis cum aperta malignitate abutuntur: Nam ex regulis juris: nullus ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest; ac proindè pœnitens, qui peccata reservata invalidè declaravit, non liberatur ab onere præsentandi se prælato reservanti. Nec valet objicere pœnitentem per solam declarationem satisfecisse intentioni reservantis, & reservationis fini. Quia ut ex dictis constat, reservantis intentio, est absolvere per se, vel per alium ad hunc effectum expressè delegatum, peccata, quæ sibi reservavit. An verò eadem obligatione recurrendi ad Superiorem Sacerdotem astringatur ille, qui aliquod peccatum reservatum inculpabiliter oblivione omisit? negat Cabassutius lib. 3. cap. 12. num. 3. sed opinio, quæ affirmat videtur mihi probabilior: Quia per illam absolutionem, peccatum fuit remissum indirectè tantùm, quæ quidem indirecta remissio non sufficit, ut tollatur reservatio: quemadmodum enim peccatum oblitum in confessione Sacerdoti inferiori facta, est denuò eidem, vel alteri Sacerdoti approbato declarandum, adveniente recordatione. Ita similiter pec-

catum reservatum in confessione Superiori facta inculpabiliter oblitum, est iterum declarandum Sacerdoti à reservatis absolvendi potestatem habenti. Ratio paritatis, aut convenientiæ est: Quia peccatum inculpabiliter oblitum, debet denuò confiteri adveniente recordatione, ut expresè declaretur, & directè subjiciatur clavibus Ecclesiæ; undè cùm non fuerit, (stante oblivione expresè declaratum, nec directè subjectum clavibus Ecclesiæ, necesse est quòd recedente oblivione, iterum confiteatur. Atqui peccatum reservatum debet expresè declarari Sacerdoti habenti potestatem absolvendi à reservatis; debet insuper directè subiici clavibus Ecclesiæ: igitur necesè est illud confiteri adveniente recordatione, cum stante oblivione, non fuerit expresè declaratum.

XIX. Quantum ad integritatem confessionis moribundi, qui nullum peccatum in particulari confiteri potuit; sed solum generalia doloris signa ostendere confessario, vel paulò antè confessarij adventum, illis qui adstabant: agitandum est, an ille possit sacramentaliter absolvi, qui confessarium accersire mandavit urgente mortis periculo; & antequam Sacerdos advenerit loquelam amisit, aut mente, vel sensibus repente destitutus fuerit. Dico contrà Sotum, & alios, hunc moribundum esse absolvendum, & ipsius confessionem esse sufficienter integram. Ita Sylvester, Filiucius, Montesinos, & alij. Ratio communis est: Tum quia sicut valet confessio per interpretem, ita & ista, quæ fit per præsentes testes doloris & signis, nam moribundus sufficienter ostendit se dolere de peccatis comissis, & ab ipsis velle absolvi, cùm confessarium accersire mandaverit, antequam loquelam amitteret, & peccata sua confessus fuerit, aut peccatorem se declaraverit in quantum potuit in tali eventu: quæ quidem peccata signis declarata, sunt materia hujus sacramenti, sicut in muto. Tum quia impotentia excusat ab integritate materiali confessionis, & consequenter dispensat moribundum (de quo agitur) qui confessus est ut potuit, & de eis dolorem se habere ostendit, dum confessorem petiit, & signa doloris exhibuit. Undè Paulus V. in rituali Romano, non solùm permittit; sed etiam præcipit omnibus parochis: ut in tali casu moribundo sacramentalem impendant absolutionem; sic enim ait *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela Ægrum deficiant, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Idem priùs decreverat S. Leo Papa Epistolà 91. ad Theodorum Episcopum Forojuliensem ubi ait. *oportet unumquemque Christianū conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat: quia periculos hâc se conditione fragilitas, & ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum: & cùm possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, qui vix inveniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Verùm etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio, per indicia etiam integri sensus postulant, non negetur. At si aliquâ ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt; ut simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Nec valet reponere cum nonnullis adversarijs hos summos Pontifices loqui de absolutione à censuris, quæ potest etiam mortuis impendi. Quia loquuntur de reconciliatione, quæ fieri debeat antè sacram communionem, ut constat ex propriis eorumdem summorum Pontificum verbis, quæ expresè sunt de confessione, & communione.

XX. Hanc ipsam veritatem confirmant concilia Arausicanum primum Can. 12. & Cartaginense 4. Can. 76. verba prioris Concilij sunt hæc *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu, quò scilicet dolorem de peccatis significet* verba autem posterioris sunt ista *is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, &*

accipiat pœnitentiam: Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manùs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus suæ petitioni satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit. Indè liquidò constat Patres Conciliorum, Arausicani scilicet, & Carthaginensis declarasse moribundum in prædictis circunstantiis constitutum, esse à peccatis absolvendum. Idem decreverant Concilia Toletana 12. Canone 2. & 13. Canone 9. item Cartaginense 3. Can. 34. nec valet objicere per illa signa quæ moribundus adstantibus ostendit ante adventum confessarij, ipsum confessarium nihil cognoscere, quod anteà nesciebat, ac proindè eumdem confessarium non posse judicare: nec absolvere. Non valet inquam, Quia confessarius per ea signa à pœnitente moribundo exhibita, & per testes certiora facta, cognoscit tanquam judex moribundum Deum offendisse, & de peccatis commissis verum habere dolorem, quorum utrumque saltem postremum priùs non noverat, ut judex sedens pro tribunali: igitur debet absolvere.

XXI. Adversariorum (inter quos sunt Alvarez, & Turrianus) argumentum est: non licere per litteram, & internuntium confessario absenti peccata confiteri: ut declaratum fuit à Clemente VIII. & Paulo V. & indè inferunt moribundum (de quo est quæstio), non posse absolvi: sed longè diversus est casus hominis moribundi, ab homine qui per litteras, & internuntium confessario absenti peccata sua declararet. Tum quia ut jam monui, ille moribundus confitetur quasi per interpretem. Tum quia ut advertit Frassenius, in eo casu confessarius non censetur absens; cum absolvendum præsentem habeat, & præsentes testes, qui quasi interpretes declarant, moribundum habere voluntatem efficacem confitendi peccata sua, & intentionem obtinendi absolutionem. Quòd de illo homine prorsus absente verificari non potest. Signa à moribundo desideranda, ut relatione testium absolvi possit, sunt, petere confessionem, misericordiam Dei implorare, oculos, vel manus sursum levare, pectus percutere, oblatam Crucem osculari & cætera, quæ indicant dolorem de peccatis commissis, & animum habendi absolutionem.

XXII. Valida quoque esset absolutio moribundo data à Sacerdote. Quando testes qui affirmant, & attestantur de petitione confessionis, vel de signis memoratis quæ non audierunt ab ipso infirmo; sed ab alijs, qui ab ipso moribundo audierunt: quia ad absolvendum sufficit notitia mediata, quæ ex testibus mediatis haberi potest: hæc enim notitia sufficienter indicat pœnitentis dispositiones, exhibetque materiam; cùm respectu confessarij non sit moraliter minùs certa, quàm notitia mediata testium, & testes immediati per alios attestari videantur. Hanc sententiam tenent delugo & alij.

XXIII. Quæri tandem potest, an confessarius possit dictum moribundum absolvere sub conditione, etiamsi confessionem non petierit, nec signa doloris dederit, modo ipsi confessario propria experientia, vel testimonio aliena fide digno constet moribundum esse virum rectum, devotum, pium, & in usu sacramentorum versatissimum? Henriquez, Fuliensis, Naldus, & alij quos refert Gaudentius de sacram. pœnit. disp. 2. quæst 15. negant: ex adverso affirmant plures quos præter eumdem Doctorem citat, & sequitur noster Petrus Marchantius in Tribunal. sacram. Tom. 1. tract. 6. tit. 2. quæst. 7. hæc posterior pars videtur mihi præferenda tanquam probabilior: Quia præsumendum est hunc hominem esse animo contritum, aut attritum, nec non velle absolvi, & confiteri peccata sua si posset: quemadmodum enim, semel malus, semper censetur malus, In eodem genere mali: ut habetur ex II. Regula juris in 6. ita semel bonus, semper censetur bonus in eodem genere boni: & consequenter censendus est statim dispositus ad susceptionem hujus sacramenti, multoties suscepti: nam ejus vitæ probitas æquivalere debet adstantium testimonio; Et ideo est absolvendus sub conditione, nec injuria fit sacramento; licet ibi non sit accusatio expressa, nec implicita, quæ fit per signa. Tum quia absolutio datur sub conditione. Tum quia materia est præsumpta, in tali quidem casu licet præsumere hominem illum suam velle salutem, & media ad eam ordinata, atque necessaria, quæ frequenter sumebat, dum Erat sanus, & extra periculum mortis. Parvum hic refert adducere authoritates conciliorum supra memoratorum. Quibus signa aliqua sunt necessariò præmittenda, ut

moribundo detur absolutio. Quia loquuntur de absolutione absolutè danda, ac de moribundo omni signo prævio carente, non autem de absolutione danda sub conditione; nec de homine de quo probabiliter præsumi possunt dispositiones ad sacramentum pœnitentiæ.

CAPUT XIX.

Quænam sint circumstantiæ in confessione Sacramentali aperiendæ.

I. DOCTORES communiter circumstantiam sic definiunt. Accidens actioni, sive actui adjacens; quòd ejus quantitatem in genere moris variat augendo, vel minuendo; illamque dividunt in circunstantiam mutuantem speciem peccati: seu actus. In notabiliter aggravantem, actum intra eamdem speciem; in minuentem malitiam actus, Et in circunstantiam, quæ non mutat speciem actus, nec illum notabiliter aggravat, nec illum minuit, quæ à nonnullis dicitur circunstantia Physica. Hujus divisionis veritas patet: nam illicita copula cùm Virgine libera, & consentiente est simplex fornicatio, cùm conjugata est adulterium, cùm proxima est incestus circunstantiâ proximitatis. Furtum unius aurei est minùs grave, quàm furtum centum aureorum. Et occisio facta cùm gladio non est gravior, ea quæ fit cùm ligno. Quia hæc circunstantia non mutat speciem, nec aggravat. Igitur in triplici statu sunt circunstantiæ peccatorum. Illæ quæ mutant speciem sunt necessariò confitendæ; ut sancit tridentinum sess. 14. can. 7. Ultimæ autem quæ speciem non mutant, nec aggravant, nullatenùs sunt confitendæ. Tota igitur controversia inter Doctores est de circunstantiis notabiliter aggravantibus intrà eamdem speciem. D. Thomas, D. Bonaventura, Paludanus, Navarrus, Toletus, & alij gravissimi quos referunt, & sequuntur Cabassutius. lib. 3. cap. 10. num. 14. Et gaudentius de sacram. pœnit. disp. 2. quæst. 5. affirmant hujusmodi circunstantias non esse necessariò aperiendas in confessione,

II. Altera tamen opinio, quæ affirmat easdem circunstantias notabiliter aggravantes esse necessario confitendas, videtur mihi probabilior, atque tutior. Ut monet Scotus in 4. dist. 17. ubi ait *multa circunstantiæ ex quibus peccatum est aliquo modo gravius, & hoc vel ex parte objecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quod oporteat eas confiteri, tamen tutum & utile est hoc fieri.* Idem colligitur ex can. *Consideret* de pœnit. dist. 5. Hanc sententiam tuentur Alensis 4. p. quæst. 18. menb. 4. Villalobos, Sotus, Sylvester, Caietanus Coninch, Suarez, Sylvius, Victoria, Ledesma, & alij etiam gravissimi. Ratio hujus assertionis est. Primò quia circunstantia notabiliter aggravans, est materia necessaria hujus sacramenti: cùm propter ipsam, peccatum possit ab Episcopo reservari: certum enim est, quod Episcopus circa materiam furti potest reservare furtum centum nummorum, & non reservare furtum quinquaginta: ideoque est materia necessaria; cùm materia libera, & sufficiens minimè reservari possit, nec propter illam possit quis ad confessionem cogi. Secundò pœnitens tenetur declarare in confessione omne id ex cujus declaratione gravitas criminis agnosci potest à cófessario, & ab ipso injungi pœna, quam oportet injungere, ut constat ex tridentino sess. 14. cap. 5. Circa medium; sed gravitas peccati nedum ex circunstantia speciem mutante agnoscitur; sed etiam ex notabiliter aggravante, nonnè minus est hominem occidisse, quàm homines? Nonnè levius est semel deliquisse, quàm centies? Nonnè celeriorem consequitur veniam qui ex necessitate cecidit, quàm qui ex voluntate? ut legitur in cap. 5. lib. de visitatione infirmorum, quem plurens adscribunt D. Augustino. Manifestanda est igitur hæc circunstantia notabiliter aggravans, ut gravitas, peccati agnoscatur: Et ut sacerdos valeat æquitatem servare in injungendis pœnis juxta præceptum Tridentini. Quia variat judicium confessarij: certum enim est quòd diversè judicatur de illo, qui brevem copulam illicitam habuit & de illo qui dormivit cùm meretrice, licet cùm ipsa unam copulam tantum habuerit; cùm iste gravius peccaverit, eique major præscribenda sit pœna. Deindè dum pœnitens interrogatur de quantitate actuum, aut duratione unius actus pec-

caminosi, tenetur respondere: ergo circumstantia notabiliter aggravans variat judicium confessarii, ac proinde est confitenda, ut sacerdos rectum de crimine possit ferre judicium. Tertio omnes gradus incestus sunt intrà eamdem speciem ratione consanguinitatis, aut affinitatis: At dum peccatum incestùs est in primo gradu circumstantia est explicanda in confessione, quamvis non mutet speciem actus peccaminosi, sed solùm ipsum notabiliter aggravet. Quarto tandem, qui peccato se offert, aut non expectat tentationem; sed prævenit voluptatem, tenetur hanc circumstantiam delarare; ut constat ex can. *Consider*: de pœnit. dist. 5. ubi legitur. *Omnis ista varietas est confitenda*. Ratio glossæ verbo *oportet* est. Quia hujusmodi circumstantiæ præsumuntur augere peccatum, vel minuere. Quòd de circumstantijs notabiliter aggravantibus dumtaxat intelligi potest: ergo sunt declarandæ.

III. Eminentissimus Cardinalis noster laurea sic objicit. Diversitas quantitatis non variat speciem malitiæ: eadem enim prohibitione prohibentur furtum decem nummorum, ac furtum centum nummorum, & sic de alijs vitijs, quæ intra totam latitudinem unico præcepto vetantur. Ideoque circumstantiæ aggravantes intra ejusdem speciei latitudinem non sunt materia confessionis, nec in ipsa aperiendæ. Sed non convincit hæc ratio, Quia ut circumstantiam confiteri teneamur, sufficit quod aliquo modo notabili distinguat unum peccatum ejusdem speciei ab alio; seu quòd reddat illud gravius, & majori pœna dignum? cùm accusatio talis esse debeat, ut ex ea confessarius possit cognoscere peccati gravitatem, & juxtà illam præscribere debitam, & non excedentem satisfactionem. Alij addunt nullum extare præceptum de his circumstantijs confitendis. Quòd tamen negant Doctores sententiam nostram asserentes. Quia confessio debet ex præcepto divino esse integra, & consequenter ex eodem præcepto circumstantiæ notabiliter aggravantes debent declarari; cùm ad confessionis integritatem pertineant, & ad æquitatem in hoc judicio à Christo instituto servandam, multum conferant.

IV. Obsistunt communiter Adversarij. Species notabiliter minuentes non sunt explicandæ: ut fatentur omnes Theologi: Ergo nec notabiliter aggravantes. Respondetur primò negando consequentiam, quia ex omissione circumstantiarum minuentium non sequitur malum, quòd sequitur ex omissione aggravantium, scilicet pœnam non esse talem, qualem peccatum exigit: nam si culpa excedat pœnam in sacramento pœnitentiæ iniungendam; Hoc est malum, ut declarat Tridentinum sess. 14. cap. 8. Quòd sacerdos tenetur injungere pœnitentiam pro qualitate criminis; sed si pœna excedat culpam; Hoc non est malum. Respondetur secundò negando antecedens, nec se excusat qui circumstantiam minuentem explicat, si non explicat eam, ut videatur innocens, nec cum animo se excusandi. Sed tantum ut confessarius perfectè cognoscat delictum: qui enim peccat ex metu mortis, ex indigentia, aut ex ignorantia potest dicere circumstantiam, immò eam explicare debet, ut confessarius rectum de peccato possit ferre judicium. Nec hoc est se excusare; sed se accusare debitè, seu verum statum conscientiæ declarare, & dicere peccatum tale, quale commissum fuit, aut declarare illud secundum omnem malitiam ex parte motivi, objecti, finis, & personæ peccantis. Quòd non est improbandum, immò suadendum; ut confessio sit fidelis, & ut peccata declarentur talia, qualia sunt ex parte voluntarii, exploso animo se excusandi.

V. Tandem sic objicit Cabassutius lib. 3. cap. 10. num. 24. omnes ferè confessiones de validitate nutarent, & pœnitentes etiam peritiores, & prudentiores inter innumeros scrupulos anxij fluctuarent, cùm nesciatur quis sit ponendus limes inter illius modi circumstantiarum differentias notabiliter, & non notabiliter Aggravantium, neque possint certæ tales regulæ assignari, ubi nulla est specifica differentia. Et si quis proprio ingenio sibi limites præfigat, alius aut restrictiones, aut remotiores sibi præscribet, & à pœnitentibus exiget. Cùmque nulla certa nitatur regula, cras terminos pro humana ingenij inconstantia alio transferret, quos heri alio loco posuerat, nihilque incertius, aut Vacillantius erit, quàm ipsæ necessariæ, & ad sacramenti validitatem, & effectum requisitæ conditiones. Hæc verba sunt ejusdem Doctoris. Respondetur quòd ex nostra sententia sequitur oppositum: nam dum pœnitens confessus est peccata sua sine circumstantia notabiliter Aggravantes,

est

est anxius, habetque fundamentum dubitandi de sua confessione, quia non aperuit peccatum tale, quale erat, sed tantum peccatum: dixit enim furatus sum; sed non dicit id, nec tantum furatus sum, de quo tamen conscientia eum accusat. Igitur ut tollat omnem anxietatem tenetur confiteri illam circunstantiam: Quia confessio sacramentalis ita fieri debet; ut nullus remaneat dubitandi locus. Nec obstat humani ingenij inconstantiam allegare: Facile enim apparet circunstantia aggravans ex parte magnitudinis, vel multitudinis, ex intentione, & duratione actus peccaminosi; præsertim si præmittatur examen conscientiæ, ut præmitti debet. Minus nocet dicere nullam posse certam assignari regulam: quilibet enim pœnitens per exactam suæ conscientiæ disquisitioné rescire potest quamdiù perseveraverit in actu odij proximi, & quamdiu in ipso odio exarserit. Ideoque non valet argumentum contrà assertionem nostram adductum; cùm non sit difficile circunstantias aggravantes in memoriam revocare, easque in confessione declarare.

VI. Quamvis circunstantias notabiliter aggravantes confiteri necesse sit; Et omnia peccata mortalia in specie, & sigillatim sint declaranda; ut præcipit tridentinum sess. 14. can. 7. Nihilominus plures actus sunt ex se, ac seorsim materia hujusce sacramenti necessaria qui tamen continuati, & ordinati ad alium tanquam ad ultimum complementum, peccata distincta non constituunt in confessione necessario declaranda: ut sunt oscula, tactus, verba turpia, alijque similes actus, qui copulam præcedunt ad ipsam excitandam, & ad complendum peccatum: quia peccator ab initio intendit copulam, & illos omnes actus, ad eam direxit, ac conjunxit; ideoque unum peccatum commisit, quòd licet per actus præcedentes fiat gravius, tamen non multiplicatur. Ita ut tot sint peccata mortalia, quot copulam præcesserunt actus; sed tantum Unum cùm suis circunstantijs notabiliter aggravantibus declarandum; nisi inter actus coïtum præcedentes, fuerit aliqua pollutio; quippecùm speciem distinctam, ac majorem in se ipsa nequitiam, præ aliis libidinibus comprehendat, nec possit ad copulam ordinari, si contigerit antè coïtum, est explicanda in confessione tamquam peccatum à copula distinctum: cùm de facto sit peccatum mortale, sicut sunt peccata mortalia, tactus, amplexus, verba, oscula quæ fiunt ob Carnalem delectationem; quamvis peccator non intendat copulam, neque pollutionem, neque sit harum periculum ullum. Illi autem actus impudici, qui post copulam fiunt, sunt in confessione aperiendi: quoniam à copula peccatum distinctum constituunt, propriamque malitiam habent.

VII. Hic obiter observandum est, amplexus, tactus, & oscula, non esse peccata secundum speciem propriam; possunt enim absque libidine, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, vel propter aliquam rationabilem causam fieri: nam Jacob Patriarcha osculatus est Rachelem Genes. 29. vers. 11. Videmus etiam quòd in aliquibus regnis, viri mulieres in variis occasionibus amplectuntur, & osculantur præcipuè consanguineas suas; quin peccent mortaliter, nec venialiter. ideo hæc omnia sunt mala in quantum procedunt ex luxuria: quoniam sic sunt libidinosa; Vel in quantum alteri scandalum prebent. Hinc est, illum qui permittit hæc sibi fieri ab eo, quem existimat moveri amore libidinoso (etiam si sit consanguineus, aut hæc fieri permittat juxta usum patriæ) peccare mortaliter, pariter & illum, qui idem permittit cùm scandalo: quia faciens, & consentiens pari astringuntur pœna can. *notum* 11. quæst. 1. Nec in hoc dispensantur consanguinitate, nec usu patriæ, cùm sit lege divina prohibitum; dixi *existimat moveri amore libidinoso*: quia si permittens existimat hæc sibi fieri ex aliquo motivo honesto ex supra dictis, non peccat; licet faciens hoc, ex libidine moveatur. Quia ultrà omnem ipsius intentionem hoc factum fuit libidinosè.

VIII. Moralis actuum interruptio multiplicat peccatorum numerum: etenim propter illam interruptionem, quilibet actus malus seorsim spectatus, unum peccatum constituit: cùm ex se sit una adæquata legis, ac mandati transgressio, & totam suam oppositionem habeat ad aliquam virtutis speciem. Ideoque is qui sæpius repetiit aliquem actum moraliter malum, tenetur numerum istorum actuum cùm suis circunstantiis exponere; vel certum, si potest, vel verisimilem; alioquin con-

Nnn

fessio non esset integra formaliter. Undè ut integritati satisfaciat, & actus alicujus peccati sæpius ex mala consuetudine, aut perniciosa occasione commissi, fideliter ac, integré declaret: tenetur maturè explicare quoties in die, vel in hebdomada peccatum fuerit iteratum, & quanto tempore illa perversa peccandi consuetudo duraverit, & indè peccatorum numerum fideliter deducet; Et si ipsi impossibile sit ob longitudinem temporis, aut actuum multitudinem, certum deducere numerum non obstante omni disquisitione, debet in confessione peccatorum addere hanc vocem *circiter plus, minùs*; ut monent communiter Doctores: hac enim voce peccatorum numerus virtualiter, & implicitè exprimitur. An verò hac ipsa voce fiat, ut actus, qui posteà in recordationem venit, comprehendatur? affirmat Cabassutius loco citato num. 8. Addens quòd si sint multi, actus quorum fuerat oblivio, non poterit eorum numerus per vocem *plus, minus* verificari; ideoque separatim confitendi erunt in prima confessione. Quamvis non sit confitendus, si sit tantum unus. Ego autem nego: Quia peccatum illud oblitum quòd postea in memoriam venit, non est minoris deterioritatis, quam alia distinctè considerata, nec fuit magis absolutum, quàm alia quatuor quæ simul in memoriam veniunt. Igitur illud peccatum quòd in recordationem venit, est confitendum, quamvis fuerit solùm in oblivione. Quia fuit absolutum indirectè tantum, sicut subjectum clavibus Ecclesiæ: ergo est separatim subjiciendum clavibus post recordationem; ne directè absolvatur, & clavibus Ecclesiæ subiiciatur. Instabis: Ergo superfluum est addere hanc vocem *plus*. Nego: Quia denotat voluntatem confitendi omnia peccata si possibile esset; sed non excludit obligationem confitendi illud si posteà sit possibile.

IX. Non desunt Doctores asserentes meretricem expressioni numeri satisfacere, si dicat se tanto tempore fuisse cuilibet venienti prostitutam. Concubinarium pariter satisfacere dicendo se tanto tempore usum fuisse concubinâ, non explicato numero peccatorum. Ita Navarrus, Caïetanus, Victoria, & alij, quos citat Leander. tract. 5. de pœnit. disp. 5. quæst. 11. & 12. Quibus addo Cabassutium loco citato. num. 9. & 10. Ab hac sententia tamen recedo; Et dico quod pœnitens sivè sit concubinarius, sivè usurarius tenetur declarare numerum peccatorum, in quantum poterit post diligens conscientiæ examen, & confiteri peccata quorum meminit; Addendo hanc vocem *plus, minusvè*, si post examen nequeat habere notitiam numeri peccatorum suorum determinatam. Ratio est quia quilibet pœnitens cujuscumque conditionis sit, antequam ad confessionem accedat, tenetur conscientiam suam examinare. Hujus autem examinis scopus est, omnium peccatorum expositio: Igitur non sufficit meretrici, nec concubinario explicare statum in quo fuerunt, dicendo tempus, & frequentiam delictorum, non explicato peccatorum numero, in quantum fieri potest post diligentem disquisitionem; alioquin hujusmodi peccatores, Deo, & hominibus odibiles, non ligaret præceptum de examine præmittendo: quia ut concubinarius dicat, tanto tempore usus sum concubinâ, non est necessarium examen. Ita Sotus, Vega, Reginaldus, & alij. Peccata sunt necessariò explicanda à quocumque pœnitente, quoad numerum, sicut circumstantiæ speciem mutantes sunt confitendæ; sed istæ sunt confitendæ à meretricibus in quantum fieri potest, etiam quoad numerum; ut fatentur adversarij, & confessarius tenetur curare ut explicentur: Igitur meretrices tenentur etiam confiteri peccata quoad numerum: nam si quodlibet meretricis peccatum præter malitiam fornicationis, haberet etiam circunstantiam mutantem speciem, nonnè teneretur specierum illarum explicare numurum; cur non tenebitur explicare peccatorum numerum.

X. Quando peccata pœnitentis sunt nota confessario, non sufficit ipsi pœnitenti dicere. *Accuso me de omnibus peccatis; quæ tu scis me commisisse*: Hæc enim accusatio non detegit peccata, nec ea disjunctim, & distinctè declarat; juxta decretum tridentini sess. 14. cap. 5. & can. 7. Quia detegere, & declare sunt actus pœnitentis, in quibus nequit sine rationabili causa, per confessarij notitiam dispensari. Hanc sententiam tenet Vega 1. part. cap. 63. casu 4. Contrà Jerolam, Navarrum, Medinam, & Emmanuelem Sâ verbo *confessio* num. 37. quia (inquiunt) prædicto modo confitendi, pœnitens sufficienter aperit peccata sua; at hoc est falsum: Cùm pœnitens peccata sua non aperiat, nullaque sit necessitas accusandi se in genere, nec tacendi numerum peccatorum.

XI. Nullus pœnitens potest validè absolvi, nisi ipse omnia peccata sua manifestet ea, & meliori forma, qua potest, modo non interveniat aliqua necessitas ipsum à declaratione integra peccatorum excusans: ut (v. g.) Dum imminet mortis periculum, quale est incendium, naufragium, Ruina: tunc enim potest sacerdos etiam non approbatus, audito uno peccato à singulis pœnitentibus, omnes simul absolvere unâ absolutione, dicendo *Ego vos absolvo* omissis alijs verbis, nimirùm *ab omnibus peccatis*, &c. Nam forma essentialis hujus sacramenti juxtà communiorem Theologorum sententiam, consistit in his verbis. *Absolvo te*.

XII. Actuum humanorum circunstantiæ secundùm communem Doctorum sensum, sunt septem, ut potè *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quandò*. Prima qualitatem, aut dignitatem pœnitentis denotat; non quidem quam habet quando confitetur, sed quando peccat: quoniam peccatum specificationem, aut naturam suam non accipit in confessione, sed in actione, qua producitur: nam si vidua, seu soluta à viro se accuset de peccato fornicationis, quòd commisit vivente marito; tenetur accusare se de adulterio. Idem dico de Religioso professo, qui post peccatum commissum, per legitimam dispensationem, aut reclamationem intrà quinquenium, transiret ad statum sæcularem: ipse enim teneretur accusare se de peccato sacrilegij, hancque circunstantiam declarare in confessione; quamvis tempore confessionis ipsius vota, in quibus fundatur hæc circunstantia, non obligarent. Hæc quidem peccata commissa fuere in ista circunstantia *quis*, quæ semper mutat speciem, vel notabiliter aggravat peccatum intra eamdem speciem. Eadem ratione si clericus in sacris constitutus accusaret se de peccato fornicationis, ante susceptionem ordinis sacri commisso, deberet circunstantiam tacere: quia per tale peccatum non commisit sacrilegium. Ex necessitate exprimendi hanc circunstantiã *quis*, sequitur quòd Doctores asserentes circunstantias notabiliter aggravantes esse necessariò confitendas, ut probatum manet suprà num. 2. Tenentur asserere Episcopum, aliumque prælatum ex cujus dignitate, aut charactere peccatum earum sit gravius, astringi obligatione confitendi circunstantiam prælaturæ. Nam licet ipsi peccatum non transferatur in aliam speciem sacrilegij, sit tamen gravius peccato simplicis sacerdotis, ut consentiunt adversarij post D. Bonaventuram in confessionali cap. 2. p. 20. Ratio hujus Seraphici Doctoris est: Quia Episcopatus est altior, atque dignior sacerdotio, à quo in doctrina Scotistarum in proprio loco referenda, est realiter distinctus; Ideoque hæc circunstantia est in confessione aperienda: ut confessarius peccati enormitatem videat, & ut rectum possit ferre judicium de ipsius peccato, quòd est majus ex dignitate personæ can. *Homo* dist. 40.

XIII. Manifesta, aut certa generandi impotentia, est etiam confitenda: Quare frigidus, aut Eunuchus, qui ad mulierem accessit animo cùm ipsa peccandi, tenetur hanc circunstantiam declarare in confessione. Ita Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 5. num. 14. Lessius, Lugo, & alij. Ratio est: Quia hæc circunstantia transfert peccatum in aliam speciem; utpotè ad speciem peccati contrà naturam: hæc enim destinavit copulam ad generationem prolis, cujus impotens est omninò incapax, pariterque matrimonij ad procreationem à Christo instituti. Si verò contingat impotentem esse religiosum professum, vel clericum sæcularum voto castitatis ligatum, peccatum, præter malitiam speciei contrà naturam, habet speciem sacrilegij: Quia una circunstantia alteram minimè confundit.

CAPUT XX.

Aliæ circunstantiæ recensentur.

I. EX septem circunstantiis humanorum actuum secunda *est quid*, quantitatem, & qualitatem peccati denotans, & consequenter obligans pœnitentes ad sui expositionem; cùm ex quantitate, & qualitate rei prohibitæ, notabiliter aggravantur peccata, & unum alio fit majus. Ille enim, qui centum nummos furatur, gravius peccat, quàm ille, qui unum tantùm furatus est: ut ex capite præcedenti constat. Ita Valentia quæst. 11. punct. 1. Suarez, & alij, qui addunt quantitatem in omni materia confessionis esse declarandam. Quia peccatum est individualiter manifestandum, hocque per ordinem ad objectum individuatur: nam dicere confessa-

rio furatus sum, fornicatus sum, innimicos odio persecutus sum, &c. Non est illi manifestare peccatum individualiter, cùm sic nulla exprimatur differentia numerica, quæ tamen exprimitur, dum furti, aliorumque malorum actuum quantitas explicatur.

II. Copula personæ fidelis cùm infideli, est circunstantia in confessione explicanda; ut asserit major Doctorum pars contrà Azorium, & Filiucium existimantes hanc copulam non esse specie diversam, à simplici fornicatione. Quòd tamen falsum est: nam circunstantia baptismi mutat speciem peccati, in speciem sacrilegij: quatenus per illam peccatum fit directè contrà reverentiam fidei christianæ debitam. Sicque aliquid addit suprà simplicem fornicationem: nam specialiter ab Ecclesia prohibetur conjunctio fidelis cùm infideli: An verò copula cùm sponsa alterius de futuro, sit adulterium? Nego: Quia jus in corpus spôsæ, consequitur solùm in matrimonio saltem rato; Ideo copula antè matrimonium non est adulterium, sed simplex fornicatio. Ita Laurea, Mastrius, & alij.

III. Nulli licet dare alteri consilium de malo opere, sicut nemini licet facere malum; cùm ex regulis juris, qui per alium facit, per se facere videatur. Nec sufficit illi, qui tale consilium dedit, dicere in confessione consilium dedi de peccato mortali faciendo; sed tenetur explicare speciem peccati quòd consuluit. Quia consilium verè specificatur à peccato, quòd ipso movente committitur: consilium enim de furto committendo, & consilium de homine occidendo, sunt duo specificè diversa: Igitur ut consilium rectè explicetur in confessione, & agnoscatur ipsius natura, necesse est aperire peccatum de quo datum fuit; cùm sit semper contrà virtutem specialem, cui opponitur peccatum quòd consulitur, (hac de causa ex jure faciens, & consulens eadem astringuntur pœnâ) & contrà charitatem proximi, quem consulens ad peccatum inducit suo consilio, Parum refert dispositio ad malum illius personæ cui datum fuit consilium: quia pœnitens tenetur explicare circunstantiam consilij, aut inductionis ad peccatum; etiam quandò persona quam induxit, erat parata ad illud: ut docent Bonacina de sacram. disp. 5. punct. 2. num. 19. Sanchez lib. 1. summæ cap. 6. num. 14. hurtadus de charit. disp. 10. diff. 4. Et alij: hæc enim inducti ad malum dispositio, non minuit perversam consulentis intentionem.

IV. Apperienda est etiam in confessione circunstantia *Ubi* locum denotans, hinc est quòd omne peccatum contrà sanctitatem loci, & reverentiam ipsi debitam commissum, debet declarari in hac circunstantia. Quia mutat speciem delicti, ut fatentur omnes Theologi, inter quos difficultas est solùm: An omnia peccata quæ in loco sacro committuntur, hanc speciem induant? nonnulli affirmant cùm Medina de pœnit. tract. 2. quæst. 9. de circunstantijs confitendis. Alij volunt peccata prohibita intuitu loci sacri esse tantum quatuor, nempè peccatum homicidij; aut gravis effusio sanguinis, effusio voluntaria seminis, furtum, & violatio immunitatis Ecclesiæ. Prior opinio videtur mihi tutior, & probabilior: nam præcepto, quo tenemur honorare, & venerari loca sacra, omne peccatum prohibetur in loco sacro, & declaratur esse contrà reverentiam, & sanctitatem ejus; cûm nihil magis opponatur sanctitati, quàm peccatum; alioquin sequeretur quòd confabulationes inhonestæ, tactus impudici in Ecclesia nullam haberent malitiam novam, ratione loci sacri in confessione declarandam, quòd est falsum: ut docent Sylvester verbo *confessio*. Armilla verbo *chorea*. Azorius, & alij gravissimi. Etenim hujusmodi actus opponuntur sanctitati loci, cùm nihil tam contrarium sit sanctitati, quàm peccatum; ut jam dixi. Tandem dato, & non concesso, quòd circunstantia loci sacri non mutet horum actuum, aliorumque peccatorum speciem; ut volunt adversarii, nec sint directè contrà reverentiam illi debitam: negare tamen nequeunt peccata non esse graviora ratione loci sacri: quoniam cultus ad quem destinantur loca sacra, prohibet specialiter peccatum, & divinæ legis transgressionem. Ergo circunstantia *ubi* est declaranda in confessione. Nedum Ecclesia, aut *ubi* sacrum mutat speciem peccati; sed etiam locus publicus mutat speciem peccati externi, si fiat cùm intentione scandali. Ita Montezinos: nam peccatum ruinæ occasionem alteri præbens, est diversum à peccato occulto; ideoque peccatum in loco publico commissum, est cùm circunstantia loci confi-

xendum: quia præbet, vel præbere potest alteri occasionem peccandi.

V. Disputatur an copula conjugum habita in Ecclesia habeat specialem malitiam sacrilegij? Vasquez, Emmanuel Sà verbo *Ecclesia* num. 14. Hurtadus, & alij negant; modò copula sit occulta; etiamsi conjuges non sint in Ecclesia inclusi, nec detenti. Ratio est, quia unus conjux habet authoritate divina, & Ecclesiastica jus in corpus alterius conjugis. Paludanus in 4. dist. 18. Caïetanus, Valentia, Armilla, & alij affirmant. Hæc posterior opinio mihi videtur probabilior. Quia Ecclesia est Domus orationis, in qua omnis actus venereus est semper prohibitus; quamvis alibi esset licitus. Ad rationem adversariorum dico quòd in Ecclesia jus conjugum non est licitum: hæc enim potestas non est ubique exercenda, & maximè in loco sacro in quo non sunt exercendi usus prophani; alias eadem copula esset licita in loco publico, aut liceret manducare, bibere, &c. (In quæ habemus jus) facere in Ecclesia. Quod est falsum: Igitur illicita est in loco sacro conjugum copula. Idem privilegium mutandi fornicationem in speciem sacrilegij habet oratorium Domus, in quo de licentia Episcopi missa celebratur; quamvis ad nutum fundatoris possit postea ad prophanos usus redire, ut advertit Trullench lib. 6. de cal. cap. 1. dub. 7. num. 5. Quia donec redeat ad usus prophanos, est locus ad sacrificium ab Episcopo destinatus.

VI. Is qui ad peccandum alium induxit, aut usus est instrumento prohibito; ut si medijs sacramentis aliquod malum fecerit, aut rebus sacris occiderit, malum proximo procuraverit, aut aliquod peccatum perpetraverit, tenetur hanc circunstantiam declarare in confessione. Quia addit specialem malitiam contrà religionem, vel malitiam scandali; cùm hæc circunstantia *quibus auxiliis* denotet instrumenta, aut media quibus peccatum factum fuit, quæ si illicita, & prohibita sint, propriam speciem mali constituunt, præter speciem peccati, ad quòd concurrunt; alias sequeretur quod illi, qui ad peccandum maleficio atque pacto demonis utuntur, possent in confessione tacere hanc circunstantiam, & peccatum dumtaxat declarare, quod est falsum; cùm hujusmodi peccata Episcopi reservare solcant.

VII. Circunstantia *cur*, quæ significat causam finalem, seu motivum operantis, addit peccato aliquam malitiam; Et si malitiam contineat, est explicanda in confessione, si etiam medium quòd eligitur, sit malum est declarandum. Hinc est quòd si quis furaretur gladium ad occidendum innimicum, non satisfaceret dicendo se commisisse furtum, nec tantùm dicendo se occidisse ipsum innimicum: teneretur de utroque peccato, scilicet de occisione, & de furto se accusare, Aut dicere furatus sum gladium ad occidendum innimicum. Quando autem finis est ex se indifferens, aut non est ex se malus, ut (v. g.) omittere missam in die festo propter studium, sufficit exponere peccatum omissionis suppresso fine. Nec indè sequitur actum ex se malum fieri bonum, quando finis est ex se bonus; certum quidem est quòd furtum factum ad dandam eleemosynam, est malum, in confessione declarandum; quamvis circunstantia *Cur* non sit mala, nec apperienda in confessione. Ratio Theologorum est: Quia bonum ex integra causa est, malum autem ex quocumque defectu, & bonitas actus moralis est ex aggregatione omnium convenientium actui: ut docet Scotus in 2. dist. 40. *Instabis*, Oscula, & Tactus impudici; similesque actus copulam illicitam præcedentes, non explicantur in confessione, cùm ex dictis in cap. præcedenti num. 6. non sint peccata à fornicatione distincta. Ergo, &c. Respondetur copulam tunc non esse finem tactuum; nec circunstantiam *cur*; sed unum cùm ipsis efficere peccatum completum, ut loco citato probatum manet, quo exposito, intelliguntur actus continuò præcedentes, aut concomitantes ad copulam ordinati tanquam ad complementum, & peccati consummationem. Aut ut dicunt aliqui; intelliguntur tanquam partes in copula inclusæ.

VIII. Disputatur an quando quis ita peccat ex confidentia misericordiæ Dei, aut spe obtinendi remissionem peccatorum virtute Jubilei proximè futuri, ut non peccaret in alio tempore; teneantur hanc circunstantiam confidentiæ declarare in confessione, vel an sufficiat ipsi declarare peccatum? Diana, Caïetanus, Fagundez, & alij dicunt circunstantiam non esse declarandam. Ex adverso Abbas, Corduba, & omnes illi; qui tenent circunstantias notabiliter aggravantes esse confitendas

affirmant, cùm hæc circunſtantia notabiliter aggraver peccatum: ut fatentur omnes Theologi. His addo hanc circunſtantiam mutare ſpeciem peccati, in ſpeciem contemptus, ac ſacrilegij contrà Religionem, & miſericordiam Dei: homo enim qui ſic agit, fit malus, quia Deus eſt bonus, & violat, aut abutitur re ſacra, utpotè indulgentia, & miſericordia Dei.

IX. Penultima circunſtantia quæ eſt *quomodo*, quæque ſignificat modum actionis tardè, vel velociter, intensè vel, remiſsè eſt declaranda in confeſſione: quia licet non mutet ſemper ſpeciem, ſemper tamen aggravat peccatum intrà eamdem ſpeciem, redditque illud gravius (ut fatentur omnes quamvis omnes aſſertionem noſtram non admittant; & velint hanc circunſtantiam non eſſe apponendam) ideoque peccat qui illam omittit, cùm ex ipſius manifeſtatione cognoſcatur enormitas peccati pro recto ferendo judicio: major equidem pœna injungenda eſt ei, qui per unum annum retinuit rem, quam furatus eſt, quàm illi, qui ſtatim poſt furtum eam reſtituit, ut notant Tannerus 22. diſp. 4. quæſt. 6. dub. 14. num. 427. & Navarrus in Manual. cap. 17. num. 55. Eoquod, quoties utitur quis re aliena, vel renovat voluntatem reſtituendi, peccat. Ac proindè magis atque gravius peccat, quàm ille qui ſtatim poſt furtum reſtituit; idem dico de fure, qui unico conatu decem aureos ſubripuit, ſic enim minus peccat, quàm ſi eos decem vicibus furatus eſſet. Quia in iſto ultimo modo malitia eſt intenſior, & perconſequens peccatum eſt gravius indè inferendum eſt cùm D. Antonino conſuetudinem peccandi eſſe circunſtantiam neceſſariò aperiendam in confeſſione, cùm exprimat gravitatem malitiæ, ſitque graviori pœna punienda. Quòd ſuaderi poteſt hoc argumento; eo peccatum eſt gravius, quo deliberatio eſt major: ſed in his deliberatio eſt major, ut eſt evidens, ergo circunſtantia *quomodo* auget gravitatem, & malitiam peccati.

X. Quæritur tandem an circunſtantia *quando* quæ denotat qualitatem temporis, ſit explicanda; ita ut pœnitens teneatur confiteri circunſtantiam (v. g.) diei feſti? plures negant. Sed altera opinio quæ affirmat, videtur mihi probabilior atque tutior. Ita Alenſis, Liranus, Angelus, Adrianus, Delugo, diſp. 16. num. 515. Fagundes, & alii citantes D. Bonaventuram. Ratio eſt: quia furari, fornicari, occidere, ſimileſque actus prohibiti præter malitiam peccati, quam habent ex oppoſitione ad legem, ſunt contrà reverentiam debitam ſanctificationi feſtorum, & contrà finem præcepti de feſtis obſervandis; cùm peccatum ſit opus ſervile, ſaltem ſpirituale, ut notat Leander tract. De Sacramen. pœnit. Diſp. 8. S. 8. & à Divino cultu animum pœnitens abſtrahat, ideoque confitenda eſt hæc circunſtantia quando, quæ ſi non mutet ſpeciem peccati, illud notabiliter aggravat, & reum majori pœna dignum reddit.

XI. An verò peccet conjux quando abſente altero conjuge delectatur de actu conjugij præterito, vel futuro? Reſpondeo negativè cùm communi ſententia. Ratio Doctorum eſt: Quia motivum præbet delectationi bonitatem, vel malitiam, juxtà moralitatem ſuam. Undè cum copula in iſto caſu ſit licita ratione matrimonij, delectatio quæ indè ſequitur tanquam ex motivo, nequit eſſe moraliter mala, nec illicita. Deindè unicuique licet delectari de eo quòd poſſidet (modò à ſenſualitate, & exceſſu recedat: Nam uſus rei non condemnatur, ſed libido utentis in culpa eſt Can. *quiſquis* diſt. 41.) Et de quo uti poteſt tutâ conſcientiâ; cùm delectatio ſequatur de poſſeſſione boni, quòd ſi ſit bonum, & licitum, bona eſt utique, atque licita ipſius delectatio. Ut monet Ariſtoteles 10. Ethi. cap. 4. dicens quòd talis eſt delectatio, quale eſt objectum. Sed conjux poſſidet corpus alterius conjugis, nec valet unus debitum conjugale alteri denegare: Igitur poteſt delectari de actu conjugij præterito, vel futuro, hæcque delectatio erit licita ſicut actus fuit, vel erit licitus. *Dices* uſus conjugalis ob ſolam delectationem eſt malus ex can. *Origo* 32. quæ. 4. à fortiori mala eſt delectatio actus conjugalis. Reſpondetur negando paritatem: nam licet illicitum ſit accedere ad copulam, aut uſum matrimonij propter delectationem dumtaxat; cùm ex dicto Canone adulter ſit in ſuam uxorem amator ardentior, non ſequitur delectationem habere in actu conjugii ad prolem procreandam facto, aut delectari de ipſo actu præterito, vel futuro, eſſe malum, quia indè non pervertitur finis matrimonij, ſicut pervertitur

dum actus fit, ob solam delectationem veneream.

XII. Quantum ad viduam, an possit delectari de actu conjugij præterito, secùs est discurrendum: quia motivum istius delectationis non potest esse nisi actus venereus conjugalis sub ratione delectabili apprehensus, qui non est licitus respectu viduæ: quippe cùm corpus, aut matrimonium, seu objectum non sit, ut ex eo haberi possit delectatio, illicita etiam erit delectatio de eodem actu: Quia vetito objecto, vetantur delectationes ejusdem, seu quæ de illo objecto capiuntur. Peccat etiam sponsa de futuro si delectetur de copula futura, seu de actu conjugij. Nam quando consensus in actum prohibetur, prohibetur etiam consensus in delectationem ejusdem. Igitur sicut peccaret sponsa de futuro, si actum conjugij committeret cùm sponso futuro, ita peccat si de eodem actu delectatur, quia antè matrimonium ipsi prohibetur delectatio, sicut prohibetur actus conjugij.

CAPUT XXI.

De casibus Reservatis.

I. Supponendum est tanquam de fide in Ecclesia Dei esse potestatem reservandi casus: ut definitum manet in Tridentino sess. 14. cap. 7. & Can. 11. hæc potestas residet in summo Pontifice pro universa Ecclesia Dei, cujus est caput visibile ut in. 1. lib. dictum est; in Episcopo pro tota sua Diœcesi, cujus est Pastor; generalis in tota sua Religione, & Provincialis in sua Provincia. Ratio est: quia reservatio est quædam limitatio jurisdictionis, aut potestatis absolvendi à peccatis, quæ quidem jurisdictio ab eo dumtaxat limitari potest, à quo potest conferri; sed ab illis Prælatis nominatis solùm conferri valet: Igitur ad ipsos spectat casuum reservatio, seu limitare jurisdictionem absolvendi, ut non se extendat ad certos casus, quorum Papa in universa Ecclesia, Episcopus in suo Episcopatu, Generalis in suo ordine, & Provincialis in sua Provincia, possunt sibi reservare judicium, & salutaris pœnitentiæ injunctionem.

II. Hic obiter observandam est in unaquaque Religione undecim peccata reservari posse, non plura; nec omnia, sed ex illis undecim, vel omnia, vel aliqua pro beneplacito Superiorum, & Religionis utilitate; ut decrevit Clemens VIII. in sua constitutione quæ incipit *Sanctissimus Dominus noster*: data die 26. Maij, anno 1594 quam referunt Mastrius, Villalobos, Gaudentius, & alij quos citat Chassaing. Undè si prælati regulares velint aliud peccatum reservare, præter illa undecim infra numeranda, necesse est, quòd interveniat consensus capituli Generalis, vel Provincialis respectivè: ut notant expositores illius constitutionis Clementinæ, & præsertim Portel in dub. Regular. verbo *casus reservati* num. 12. & statuta nostra Barchinonensia cap. 6. de correctione delinquentium §. 23. ubi legitur *Præterea censemus, ac declaramus juxta constitutionis Apostolicæ Domini Clementis VIII. præscriptum, ministrum generalem in toto ordine, commissarios generales in tota familia ac ministros provinciales quemque in sua Provincia posse extrà capitulum Generale, & Provinciale reservare sibi casus illos omnes, qui in eadem constitutione continentur*. Quibus verbis constat Superiorem Regulariũ potestatem non esse ita absolutam; ut ipsi possint sibi reservare quodcumque peccatum mortale, sicut Episcopi possunt illud reservare inconsulto capitulo Cathedralis Ecclesiæ; sed esse restrictam ad undecim, quæ in constitutione continentur: nam si ad alia posset se extendere independenter] à consensu capituli, statuta non determinarent illam ad peccata à Clemente assignata; sed absolutè loquerentur, nec adderent hanc particulam *extra capitulũ*; quæ indicat illa peccata non posse reservari, nisi authoritas capituli interveniat. Ex eadem constitutione Clementis constat etiam Prælatos locales (v. g.) Guardianos nulla reservandi casus potestate pollere: Quia loquitur de capitulo generali, & de capitulo Provinciali; non autem de locali, cujus caput, aut præses est Guardianus. Deinde Guardianus nequit inferioribus suis conferre jurisdictionem, aut potestatem absolvendi à peccatis, ideoque nequit sibi reservare aliquod peccatum; cùm reservatio sit limitatio jurisdictionis concessæ.

III. Peccata quæ juxtà prædictam constitutionem reservari possunt à Superiori-

bus generalibus, vel provincialibus independenter à capitulo, seu extrà capitulum sunt sequentia 1. Est Veneficia, incantationes, sacrilegia. 2. Apostasia à Religione habitu dimisso, vel retento. 3. nocturna, ac furtiva ex monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. proprietas contrà votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale, 5. juramentum falsum in judicio legitimo. 6. procuratio auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, etiam effectu non consecuto. 7. falsificatio manus, seu sigilli officialium monasterij seu conventus. 8. furtum de rebus monasterij, seu conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. lapsus carnis voluntariùs opere consummatus. 10. occisio aut voluntaria, seu gravis percussio cujuscumque personæ. 11. malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, quæ à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores mittuntur. Si autem necesse sit aliud præter hæc reservare peccatum, desiderandũ est capituli, seu vocalium consensus. Ait enim ille summus Pontifex *Si quòd aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis capituli in toto ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione & consensu.*

IV. Maxima difficultas est inter Doctores regulares. An Generales, & Provinciales possint absque consensu capituli alia peccata non quidem reservare; sed solùm prohibere sub pœna excommunicationis, reservando sibi absolutionem prædictæ censuræ? Chassaing de privileg. Regul. Villalobos tom. 1. tract. 9. dist. 58. Suarez, & alij affirmant. eorũ ratio est: Quia clementina non astringit, nec limitat ad undecim casus potestatem regularem, quantum ad censuræ reservationem: sed solùm quoad reservationem culparum. Et indè concludunt Superiores regulares posse absque ullo consensu capituli aliquod peccatum (præter ea quæ in constitutione Clementis VIII. continentur) prohibere sub pœna excommunicationis reservando sibi absolutionem prædictæ censuræ: Bullæ enim tantum valent in quantum sonant. Ex adverso Sigismundus, Peirinus, Sanchez, Faber, Brancatus disp. 19. art. 11. §. 4. negant. hæc posterior opinio videtur mihi probabilior, & tutior. Quia Sacra Congregatio declaravit 7. Julij 1617. Postulantibus quibusdam regularibus hujus dubij resolutionem, ut referunt caspensis, & Mastrius, in constitutione Clementis VIII. comprehendi nedum peccata; sed etiam censuras. Huic declarationi suffragatur ratio: Quia in prædicta constitutione omnis reservatio est interdicta prælatis regularibus, quantum ad forum conscientiæ in favorem subditorum; ob indiscretionem quorumdam superiorum, qui etiam minutissima peccata quædam reservabant sibi: at si possent absque capituli consensu reservare censuras, aut aliquod peccatum, vel aliquid prohibere sub excommunicatione, reservando sibi absolutionem prædictæ censuræ; reservarent utique peccatum illud, cum peccatum remaneret etiam reservatum, saltem per accidens, & indirectè: igitur tenore constitutionis nequeunt aliquid prohibere sub mortali: & excommunicationis pœnà reservando sibi absolutionem prædictæ censuræ, indepenter à consensu capituli; alias licitum esset constitutionem pontificiam annullare: saltem per accidens, & indirectè, quòd est improbabile.

V. Quamvis reservatio peccatorum solitò fiat de peccato externo, & consummato, hocque mortali; potest tamen fieri de peccato mortali interno. Quia superior qui jurisdictionem limitat ad peccatum externum, & vult quòd inferior ab ipso approbatus non absolvat (v. g.) ab adulterio reservando sibi absolutionem hujus peccati, potest eamdem jurisdictionem limitare ad adulterium mentale, seu ad determinatam voluntatem adulterandi, & velle quòd Sacerdos inferior ab ipso approbatus, non possit ab illo peccato absolvere, reservando sibi absolutionem hujus voluntarij desiderij, quòd est mortale, cùm Sacerdos inferior, ut ab isto absolvat, ea jurisdictione egeat, Qua indiget ut absolvat ab externo, & consummato. Ita Reginaldus, Beccanus, Filiucius, Eilliucius, Leander, & alij contrà nonnullos oppositum probabilius existimantes, eo quòd Ecclesia non judicet de internis: neque possit super illa ferre censuras; Sed hæc ratio non debet prævalere: Quia hoc est verum quoad forum exterius; Id est Ecclesia non potest judicare peccatum, nequi illi infligere pœnam, neque illud absolvere, nisi sit allegatum, & approbatum in foro sacramentali, quòd est externum; quia sacramentum

mentum est signum sensibile, & ideo in materiam sensibilem dumtaxat cadere potest absolutio; Sed non est verum absolutè, ita ut nequeat Ecclesia judicare, ac declarare hunc, aut illum actum, quamvis internum, esse peccatum; nec illud huic Sacerdoti, & non alteri declarandum, & allegandum esse pro absolutione obtinenda; ut est evidens: nam peccatum internum est confitendum Sacerdoti approbato sicut externum: ergo illud potest remitti ad unum Sacerdotem, & non ad alium ut absolvatur, sicut potest remitti istud.

VI. Cùm potestas absolvendi à peccatis proprium, ac determinatum habeat tribunal; alias Sacerdos approbatus in una Diœcesi posset in altera absolvere: sequitur contrà Sotum in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Medinam lib. 1. Cap. 10. & alios, confessarium in una Diœcesi (v.g.) Massiliensi approbatum pro casibus ordinariis, seu non reservatis absolvendis, posse in eadem Diœcesi absolvere alterius Diœcesis (v. g.) Arelatensis pœnitentem habentem casum reservatum in Diœcesi Arelatensi; modo idem casus non sit reservatus in Diœcesi Massiliensi. Ita communior opinio. Ratio Evidentissima est: Quia Confessarius non tenetur servare legem alterius Diœcesis, nec scire omnes, & singulos casus reservatos in Diœcesibus eorum, qui ad se confessionis causa accedunt. Aliundè si hic pœnitens Arelatensis haberet casum non reservatum in Diœcesi Arelatensi; sed reservatum in Diœcesi Massiliensi: certum est quòd confessarius iste non posset eum absolvere; cùm non absolvat authoritate Archiepiscopi Arelatensis, sed Massiliensis, ad hunc casum non extensa. Ergo potest eumdem pœnitentem ab omnibus peccatis non reservatis in Episcopatu Massiliensi absolvere; quamvis sint reservata in Diœcesi Arelatensi; ibique fuerint commissa.

VII. Hic tamen obiter observandum est cùm Mastrio, & aliis quos ipse citat in Theologia morali disp. 21. num. 229. in fine; difficultatem moveri de iliis, qui bona fide veniunt ad alium Episcopatum: Quia si discederet quis ex industria in fraudem legis, ex sua Diœcesi; ut in alia confiteatur peccatum reservatum, & ab ipso absque difficultate, & erubescentia absolvatur, teneretur posteà in sua Diœcesi iterum confiteri: si confessus, & absolutus fuerit in ea ad quam accessit: nemo enim ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. Immò ipse confessarius debet eum dimittere si malam fidem cognoscat: Nam malitia, & dolus nulli patrocinari debent Can. *Ex litteris* de dol. & contum. nec permittendus est legum, & præsertim Ecclesiasticarum contemptus Can. *Quis autem* dist. 10. Quinimmo teneo quòd si confessarius eum absolveret prævia ipsius fraudis cognitione, absolutio esset nulla, irrita, atque illicita. Quia præsumendum est nullum Episcopum velle hujusmodi pœnitentes esse absolvendos; sed ad propriam Diœcesim remittendos.

VIII. Quoad confessionem facultatis petitæ à confessario, vel à pœnitente; ut peccatum reservatum absolvatur: Variæ sunt sententiæ. Suarez, Victoria, Navarrus, & alii affirmant superiorem nullo modo teneri prædictam facultatem subdito concedere. Sotus, Ledesma, Sylvester, Angelus, Armilla oppositam tenent sententiam, & volunt Prælatum non posse prædictam facultatem denegare. Fundamentum primæ sententiæ est. Quia reservatio foret inutilis, si Episcopus non habet jus denegandi confessario qui peccata audivit, potestatem absolvendi à reservatis. Fundamentum secundæ est: quia reservatio concessa fuit ab Ecclesia in favorem, & utilitatem pœnitentis: ut graviora peccata fugiat; At quia hæc duo fundamenta non satis probant prælatum posse prædictam facultatem denegare, nec eumdem teneri illam concedere. Hujus difficultatis resolutio ad prudentiam Prælati est remittenda: ad ipsum enim spectat subditorum saluti consulere, atque discernere, an conveniat prædictam facultatem concedere confessario, vel eam illi denegare: quia subditi eorum, aliqui sæpè spe licentiæ faciliter obtinendæ à Prælato, sæpius in gravia peccata labuntur. Alii verò spe licentiæ obtinendæ firmum formant propositum non peccandi de cætero, & faciliùs resipiscunt concessâ facultate, quàm eâ denegata; ideoque Prælati superioris est examinare, an debeat prædictam facultatem concedere, vel denegare; cavere tamen debet juxtà monitum D. Thomæ nè difficilem se ostendat omnibus: Quia indè graviora mala subsequi possunt.

IX. Non desunt Doctores existimantes, prædicta facultate petita, & non obtenta,

subditum posse ab alio confessario directè absolvi à peccatis reservatis, præsertim si urgeat necessitas communicandi. Ita Leander plures alios citans. Ab hac sententia recedo: Quia ex illa denegatione potestas alterius confessarii non extenditur ad peccata reservata, nec tribuitur pœnitenti jus eligendi alium confessarium non habentem jurisdictionem absolvendi à reservatis: ut est manifestum; alias inutilis foret casuum reservatio. Si verò urgeat necessitas communicandi indispensabiliter, quæ non possit superiori manifestari, qualis est necessitas vitandi infamiam alicujus gravis criminis, de quo pœnitens est suspectus; cujus probatio pendet à privatione communionis: tunc potest ita se habere, ac si abesset copia confessarij. Id est conteri, & communionem suscipere, adjuncta voluntate recurrendi posteà ad superiorem pro absolutione obtinenda: ut expresse docet D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. Ubi ait *Si licentiam habere non potest: quia illam superior negavit. Idem est judicium, quòd de illo, qui non habet copiam sacerdotis.* Idem docet Alensis part. 4. quæst. 78. memb. 1. Art. 2.

X. Episcopus, aliusque Prælatus reservandi casus potestatem habens, absolvendi facultatem concedere potest cùm onere; ut pœnitens posteà coram ipso compareat pro peccato reservato manifestando; etiam si annexam non habuerit censuram. Ratio nostra est: Quia hæc facultas in tantum valet in sacerdote inferiori, in quantum fuit concessa, & potest concedi cùm aliqua conditione, puta cùm obligatione comparendi, & manifestandi peccata reservata superiori, injungenda pœnitenti: qui si hanc conditionem non acceptet, confessarius non poterit eum absolvere: Quoniam sublata conditione sub qua concessa fuit jurisdictio, cessat ipsa jurisdictio. Et si eam acceptet, ligat ipsum pœnitentem ad manifestandum peccatum supperiori pœnitentiam condignam acceptandi causa; Nec hoc implicat: Quia peccata semel confessa, ac remissa sunt materia sufficiens hujus Sacramenti, ad quorum confessionem potest quis se obligare. Ita delugo disp. 15. num. 100. Coninch disp. 8. dub. 15. num. 119. Hurtadus, & alij. Hæc assertio valet etiam si subditus, seu pœnitens ignoraverit antè absolutionem prædictam obligationem comparendi postea coram superiore, eamque noverit post Sacramenti susceptionem: quoniam per eam confessionem, & petitionem absolutionis, subditus talem obligationem contraxit saltem implicitè; ut observat delugo.

XI. Quamvis peccatum dubium, sit in confessione declarandum ut dubium, sicut alibi dictum fuit; tamen si sit inter reservata, & pœnitens dubitet, an commiserit tale peccatum, quòd est reservatum, tunc peccatum illud est censendum non reservatum: Nam si reservatio sit odiosa, & strictè interpretanda, confessarius audiens pœnitentem dubitantem, an commiserit aliquod peccatum, quòd est reservatum Episcopo, præsumere valet Episcopum noluisse sibi reservare peccata dubia, nisi ipse Episcopus mentem suam declaraverit, & voluerit peccata, quæ sibi reservat, esse reservata, sivè certa, sivè dubia fuerint; Hoc enim ab ipso pendet: Quia potest sibi reservare peccata mortalia dubia, sicut certa, cùm tam illa, quàm ista sint necessario confitenda sacerdoti jurisdictionem habenti. Ita communior opinio. Advertè tamen quòd si dubium sit ex parte sacerdotis, id est si confessarius dubitet an peccatum, quòd audit in confessione, sit reservatum, vel non, ipse confessarius non habens jurisdictionem absolvendi à casibus reservatis, nequit tunc pœnitentem absolvere durante dubio: nam possessio stat pro reservante, non autem pro sacerdote, qui non est in potestate absolvendi à reservatis.

XII. Quæri potest, an si absolutus ab hujusmodi peccato dubio, postea recordetur se certò commisisse illud peccatum reservatum, teneatur recurrere ad sacerdotem à casibus reseruatis absolvendi jurisdictione pollentem? plures negant: quia inquiunt peccatum censetur legitimè absolutum, & confessarium habuisse potestatem absolvendi, quam non tollit recordatio. Nihilominus ab hac opinione (quamvis communior sit) recedo. Nedum ratione allata suprà Cap. 17. num. 13. Circà finem, in quo agitur de peccato reservato inculpabiliter oblito, & resolvitur idem peccatum esse postea manifestandum adveniente recordatione; Sed etiam ea ratione qua juxtà communem sententiam peccatum dubium confessum, ac absolutum ut dubium, est postea confitendum tanquam certum, si ut certum memoriæ occurrat. Deindè præsumendum est Episcopos, aliosque superiores reservandi

casus potestatem habentes, velle hujusmodi peccata esse posteà ipsis declaranda, nè pœnitentes pretextu dubij, reservatione abutantur: Nec valet ratio adversantis sententiæ: Quia illud peccatum fuit absolutum indirectè, & quasi conditionaliter; cùm absolutum fuerit suppositione facta, quòd esset dubium; ideoque dum tollitur conditio hæc, ut de facto tollitur adveniente certitudine, & dùm peccatum potest directè subjici absolutioni; ut de facto subjici potest, est subjiciendum tanquam certò reservatum.

XIII. Sacerdos, qui obtinuit facultatem audiendi confessiones, in aliqua Diœcesi, non censetur approbatus pro peccatis reservatis. Nec pœnitens qui obtinuit ab Episcopo facultatem eligendi confessarium, censetur habere illam pro peccatis reservatis; ita ut confessarius quem elegit queat ipsum absolvere: ad hoc enim requiritur concessio specialis Can. *Si Episcopus* de pœnit. remiss. in 6. Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare: quia consuetudo postponenda est veritati, & rationi Can. *Veritate* dist. 8. & debet cedere legibus Can. *Consequens est*. Dist. 11. hine est quòd Sacerdos cui conceditur simpliciter facultas absolvendi à casibus reservatis, non potest absolvere ab his quibus est annexa censura aliqua: Quia censura non est peccatum; sed pœna ad quam remittendam non sufficit potestas remittendi peccata; neque concessa pro istis absolvendis facultate, censetur concessa altera. Quare summus Pontifex solet in indultis utramque potestatem distinctè, ac specificè exprimere.

XIV. Quamvis Guardiani, & superiores locales in nostra religione nequeant reservare casus, ut dictum est supra, possunt nihilomnibus absolvere ab illis, quæ ministro provinciali reservantur, modò in occulto fuerint admissa à subditis suis. Hanc ipsam authoritatem habent ex vi electionis, nedum activè, ac passivè, sed etiam commissivè: Id est non solùm possunt absolvere subditos suos, & ipsi à confessario absolvi à peccatis quæ contraxerunt, sed etiam committere confessarium, ut absolvat subditum peccati reservati reum. Ut liquido constat in statuto Barchinonensi loco citato suprà num. 2. Ubi legitur *Declaramus omnes, & singulos tam custodes, quàm Guardianos, eo ipso, quòd electi fuerint commissam habere facultatem activam, passivam, ac etiam commissivam absolvendi suos subditos, atque fratres hospites ad suos cōventus adventantes ab omnibus, & singulis casibus suprà memoratis in occulto dumtaxat admissis.* Moneo tamen Guardianum non posse ad hunc effectum committere sacerdotem non approbatum à ministro provinciali pro confessionibus audiendis: quia statuta supponunt sacerdotem delegandum, jam esse approbatum, seu confessarium, cùm ex eisdem Guardianus nullam habeat potestatem approbandi, licet habeat jurisdictionem ordinariam, sitque verè Pastor, & Prælatus suorum inferiorum, habeatque curam animarum, ut Parochus.

CAPUT XXII.

De Satisfactione.

I. INTER actus pœnitentis numeratur satisfactio, à sacerdote imponenda, quæ virtute clavium, est pars Sacramenti non quidem essentialis, sed integrans, & substantialis, quemadmodum manus est pars integrans hominis, tam etsi non essentiatialis, cùm qui manum amisit, non desinat esse homo, nec corpus, sed partem tamen propriæ substantiæ, aut corporis amisit. Hujus rei argumentum est. Quia satisfactio non ordinatur ad primarium, hujus Sacramenti effectum puta ad infusionem gratiæ, aut remissionem culpæ, quæ fit prius quam adimpleatur satisfactio; Sed solùm ordinatur ad effectum secundarium, seu ad remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccato jam quoad culpam, & pœnam æternam remisso: Censetur tamen pars essentialis pœnitentiæ Sacramenti, si radicaliter sumatur, seu quoad propositum, aut votum satisfaciendi ad primarium effectum essentialiter necessarium: ideoque confessarius tenetur regulariter loquendo aliquam satisfactionem pœnitenti injungere, ut sacramentum sit integrum. Et pœnitens tenetur etiam sub mortali eam acceptare, & habere vo-

luntatem satisfaciendi, modò sit accommodata gravitati peccatorum, & fragilitati pœnitentis, ut colligitur ex tridentino sess. 14. cap. 8. Ut legimus *debent ergo sacerdotes Domini quantum Spiritus, & prudentia suggererit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Assertionis ratio est: quia hoc Sacramentum nequit administrari sinè materia necessaria, nedum remota: sed etiam proxima, quæ cùm includat tres actus pœnitentis, sequitur satisfactionem esse necessariò injungendam, atque acceptandam sub mortali. Alias sequeretur quòd sacramentum pœnitentiæ posset fieri imperfectum voluntariè, & sinè culpa, quòd est falsum.

II. An verò actus interni imponi possint pro satisfactione Sacramentali? duæ sunt opiniones, sed ea quæ affirmat est communior, & probabilior, licet convenientius sit, ut opera exteriora potius quàm interiora imponantur: quia magis pœnalia sunt, & humanæ conditioni magis accommodata: at hoc non obstat quamvis absolutè loquendo actus merè interni, quales sunt meditatio, charitas dilectio, patientia in laboribus, & miseriis temporalibus, aut infirmitatibus corporis pro pœnitentia imponi possint, si à confessario judicetur conveniens, & salutare pœnitenti: nam ex tridentino loco citato, satisfactio quam sacerdos imponit non est tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam, & castigationem, quòd fieri potest per actus internos: durius quidem est, ac difficilius diviti (v. g.) renovare actum contritionis, propositum melioris vitæ, & Passionem Christi meditari, innimicos diligere, &c. Quàm eleemosinam dare pauperibus. Ita Brancatus, Mastrius, Bonacina, & alij. Nec obstat ratio in oppositum adducta à Sancio, Alensi, & alijs, nimirùm actus internos non esse sensibiles: quia fiunt sufficienter sensibiles, quandò exterius imponuntur à confessario, & à pœnitente acceptantur; cùm sint sub potestate ligandi, sicut peccata interna sunt sub potestate solvendi, & exterius notificentur per impositionem, & acceptationem, sicut peccata muti notificantur per signa. Hinc omne opus meritorum tàm internum, quàm externum potest pro Sacramentali pœnitentia injungi; omnis enim actus virtutis habet semper adjunctam aliquam difficultatem, & molestiam, & consequenter est sufficienter pœnalis ad vindicandum peccatum præteritum. Hic obiter observandum est ex Concilio Eboracensi Cap. 1. Confessarium non debere missas imponere in pœnitentiam satisfactoriam.

III. Opera satisfactoria communiter rediguntur ad jejunium, orationem, & eleemosinam. Ratio Doctoris subtilis est: Quia omnia peccata genericè sumpta ad tria reducuntur scilicet ad peccatum carnis, ad peccatum concupiscentiæ occulorum, & ad superbiam vitæ teste scriptura Joan. 20. Quibus correspondent hæc tria opera satisfactoria: nam peccato carnis correspondet jejunium quòd vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia. Peccato concupiscentiæ occulorum correspondet eleemosina, superbiæ tandem correspondet oratio, quæ humiliat Spiritum Deo. Undè Confessarius tenetur examinare peccata pœnitentis, & convenientem adhibere satisfactionem, aut opus meritorium correspondens peccato: ut per quæ peccat quis, per hæc torqueatur. Et nè ipse confessarius levissima opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum particeps efficiatur, ut monet tridentinum loco citato. In jejunio juxtà monitum D. Bonaventuræ in 4. dist. 15. p. 2. art. 1. q. 4. Comprehenduntur vigiliæ, Peregrinationes, Asperitates vestium, & generaliter quicumque labor fatigans, & affligens carnem. In oratione omnis actus ad Deum relatus. Et in eleemosina comprehenditur omne opus pietatis proximo impensum, sivè spirituale, sivè corporale; ut indicat tridentinum loco laudato Can. 13. An verò hæc opera satisfactoria à confessario injuncta pro pœnitentia Sacramentali, sint necessariò adimplenda in statu gratiæ, ut satisfactio valeat pro temporali pœna Luenda? Hanc difficultatem resoluimus in 2. libro. Cap. 4. Ubi agitur an fideles in peccato mortali existentes; possint Ecclesiæ præcepta adimplere.

IV. Disputatur an pœnitens possit per alium, pœnitentiam à confessario injunctam adimplere? Caïetanus, Sylvester, Armilla, Leander, & alij affirmant, saltem de pœnitentia satisfactoria pro peccatis præteritis; non verò de medicinali pro peccatis vitandis. Ex adverso Coninch, Bonacina, Mastrius, Aversa, alijque plures

probabilius negant de qualibet satisfactione Sacramentali. Quia pœnitentia injungitur pro qualitate criminis: ut declarat tridentina Synodus, id est, reo injungenda est pœna conveniens ad peccatorum præteritorum vindictam, & castigationem. Hæc siquidem verba sunt Concilij, ideoque reus, aut pœnitens nequit pœnitentiam pro peccatis præteritis, seu satisfactionem adimplere per alium: Quia ipsius peccata non vindicarentur, nec ipse pœnitens castigaretur; cùm effectus formæ sit solùm in subjecto, in quo est ipsa forma, nonnè ille per quem adimpleretur pœnitentia satisfactoria esset castigatus, afflictus? non autem ille, cui pœnitentia fuit injuncta? necesse est igitur ut satisfactio ex opere operato prosit, quòd unusquisque eam adimpleat, sicut necesse est quòd peccata sua confiteatur in amaritudine animæ suæ: cùm satisfactio sit actus pœnitentis sicut confessio, & contritio: Et facta suppositione satisfactio non esset actus pœnitentis, sed alterius. Hac ipsa necessitate adimplendi satisfactionem per se ipsum, sequitur confessarium non posse hanc prætensam mutationem permittere: Quia hoc non esset pœnitentiam de una mutare in aliam, sed pœnitentem à satisfactione eximere, quòd non est in sua potestate: nam claves confessarii ad solum pœnitentem se extendunt, cùm istius dumtaxat sit judex, nec sunt ita in potestate ipsius confessarii, ut possit ligare, aut solvere ultrà intentionem Christi. At Christus intendit unumquemque suam adimplere pœnitentiam pro peccatis satisfactoriam: ut inferri potest ex illo math. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & Tollat crucem suam, & sequatur me.* Ita Doctores pro nostra sententia citati, contrà Dianam, & alios, suprà nominatos pro opinione opposita..

V. In necessitate adimplendi per se pœnitentiam satisfactoriam à confessario injunctam, nihil dispensat nisi impotentia, quæ excusat. Quare suspendenda est absolutio pœnitenti, qui cùm commodè injunctam in præcedenti confessione satisfactionem adimplere potuisset, per socordiam neglexit: Remittendus enim est, ut quàm primum satisfaciat, priusquam nova ejus confessio excipiatur, aut absolutio impendatur, ne sacramento apponatur obex. Hac de causa Confessarius debet ab initio petere à pœnitente, an injunctæ satisfactioni in ultima confessione paruerit, nè post editam à se confessionem inabsolutus remittatur. Si postea adimpleta satisfactione redeat, est audiendus pro nova confessione. Si verò contingeret pœnitentem esse immemororem pœnitentiæ in præcedenti confessione injunctæ: Cogendus est ad novam confessionem peccatorum præcedentis confessionis; ut iste confessarius ad quem accedit, valeat ipsi debitam injungere pœnitentiam in forma juridica, scilicet in tribunali, nè confessio præcedens maneat imperfecta, aut ne sacramentum maneat incompletum defectu satisfactionis; Modò iste confessarius ad quem de novo accedit, non sit idem cui confessus fuerat antea, immemor etiam pœnitentiæ injunctæ. Quia si esset idem, pœnitentiæ in præterita confessione injunctæ memor, posset eamdem satisfactionem in memoriam pœnitentis revocare, eumque ad illam adimplendam obligare, absque ulla reïteratione præcedentis. Quod facere non posset si esset pœnitentiæ immemor. Tunc enim teneretur eum iterum audire; ut satisfactio esset juxtà gravitatem peccatorum; ut exigit tridentinum.

VI. Secùs discurrendum, atque judicandum est de illo, qui pœnitentiæ injunctæ est culpabiliter oblitus, aut qui ex contemptu eam adimplere omisit: iste enim non est in confessione audiendus, nisi eadem peccata quibus injuncta fuerat pœnitentia, confiteatur. Sic docent noster Angelus de Clavasio verbo *Confessio* 1. num. 13. Sylvester, Richardus, Paludanus, & alij quibus lubens subscribo. Existimo enim talem pœnitentem fuisse indispositum in prima confessione, seu non habuisse propositum non peccandi de cætero, nec voluntatem vindicandi peccata sua; Idcirco eadem confessio est iteranda, ut ab eisdem peccatis absolvatur. Nec sufficit ei peccatum negligentiæ, aut contemptus, fateri, ut putant Caïetanus, Sotus, & Victoria; cùm in declaratione istius peccati contemptus, non declarentur alia invalidè absoluta, ob indispositionem pœnitentis.

VII. Confessarium posse ad instantiam pœnitentis à se injunctam pœnitentiam commutare, absque nova conditione, affirmat communior opinio, modò memor sit peccatorum: hæc quidem commutatio est actus judicis, qui nè sententia contineat errorem, debet habere notitiam causæ cui

satisfactio est imponenda, sicuti eam habere debuit in impositione primæ satisfactionis; nec sufficit, quòd pœnitens ei peccata in memoriam revocet absque accusatione, & absolutione, si sacerdos non recordetur, non sufficit inquam: quia tunc ageretur de novo judicio prorsus independenter à primo, cùm jam præterita confessio nequeat moraliter censeri compars istius, propter oblivionem peccatorum. Et actus mutandi pœnitentiam jam impositam, sit actus novus Sacramentalis. Indè infero pœnitentem non posse facta commutatione, eligere pœnitentiam quam voluerit, primam aut secundam; quamvis in ipsius favorem facta fuerit: Quia tenetur stare judicio confessarij, ejusque sententiam exequi.

VIII. Major difficultas est, an pœnitens valeat propria authoritate pœnitentiam à confessario injunctam commutare in opus melius? Villalobos tom. 1. tract. 9. diffi. 79. num. 1. Diana, Portel, Leander, & alij affirmant. Hanc sententiam (salva reverentia tantis Doctoribus debita) improbabilem existimo: nullo etenim jure pœnitens potest jugum confessarii excutere, ac ejusdem sententiam in aliam commutare, cùm talis commutatio, quamvis fiat in melius, sit revocatio judicij à confessario prolati. Insuper nullus pœnitens potest in Sacramento sibi imponere pœnitentiam independenter à confessario; istius enim est eam injungere, & pœnitentis est eam acceptare; ut declarat Tridentinum: igitur nec potest pœnitentiam acceptatam commutare in aliam: Quia non requiritur major potestas, ut quis sibi pœnam aliquam imponat, quàm ut eam quam imposuit superior, commutet in aliam, priore pœnitus relicta. Deindè inferior non potest quidquam in præcepta superioris, Nec reus in sententiam judicis sivè dispensando, sivè permutando: ut constat in beneficijs Ecclesiasticis, quæ nequeunt de uno in aliud permutari à beneficiariis in consulto superiore (puta Episcopo.) Can. *Cùm olim* de rerum permut. Idque constat pariter in pœnis impositis in Bullis Pontificis ad lucrandam remissionem pœnæ per indulgentiam, in quibus nulli licet substituere loco jejunij à summo Pontifice præscripti, aliud opus melius: Ergo neque pœnitens loco pœnitentiæ injunctæ à confessario, aliud opus satisfactorium; sed tenetur exhibere, atque perficere illud quòd illi impositum fuit à confessario, in quo residet virtus clavium, seu potestas ligandi, atque solvendi pœnitentem Can. *Quorumdam* de verbor. signif. extravag. 22. qua virtute, ipsa significatio est pars sacramenti pœnitentiæ. Undè cùm hæc virtus clavium non sit in pœnitente, quia non est minister Sacramenti, neque potest in ipso esse jus eligendi pœnitentiam: commutando eam quam imposuit sacerdos, in aliam quamvis ampliorem.

IX. Fundamentum oppositæ sententiæ est: primò quia unicuique licet exhibere solutionem ampliorem ea, quæ à lege imponitur; & consequenter licet pœnitenti omittere pœnitentiam à confessario impositam; ut agat rudiorem: valet enim præsumere hanc pœnitentiam fore gratam confessario, si ad ipsius notitiam pervenitet. Secundò habens votum potest illud propria authoritate commutare in melius: ergo pœnitens potest etiam commutare satisfactionem in meliorem. Respondeo, primam rationem valere, dum id, quòd ultrà debitum solvitur, est suprà id quòd debetur, & auget illud: ut (v.g.) Si debens decem nummos, solveret quindecim: non autem dum id, quòd solvitur, non est id quòd determinatè debetur, nec est intrà illud; sed solùm ad nutum debitoris omittentis id quòd debetur; ut exhiberet id quòd sibi exhibere placet: ut contingit in nostro casu: quia hoc est suprà superiorem se extollere, & pretextu melioris satisfactionis, mandatum superioris despicere. Ad secundam Respondeo paritatem esse falsam: Quia obligatio voti processit à voluntate voventis: ideoque potest obligationem, vel votum suum mutare in meliùs; quin alterius juri afferat injuriam. At obligatio adimplendi pœnitentiam injunctam processit à voluntate superioris, nempè confessarij qui cum ad hanc pœnam determinatè voluit obligare; ergo nequit eam commutare; quin lœdat jus confessarij: quòd nulli licet.

X. Quoad jurisdictionem unius confessarij pro commutanda pœnitentia, ab alio injuncta; existimo cùm probabiliori opinione, sententiam affirmativam esse præferendam: nam secundus confessarius ad quem recurrit pœnitens, pro commutanda pœnitentia, est in hac causa successor primi in eodem Tribunali: cui pœnitens potest sua peccata subjicere, cùm habeat jus eadem peccata jam confessa iterum

confitendi, hæcque valeant iterùm subjici cùm sint materia sufficiens; Ideo iste posterior confessarius valet in hac posteriori confessione facere, quòd fecit prior; nimirum novam pœnitentiam injungere, vel primam commutare in aliam: sicut prior confessarius eam commutare posset. Ita Angelus, Amicus, Delugo, Brancatus, & alij. Hanc assertionem varijs rationibus impugnant Sotus, Victoria, Vasquez, Ledesma. 1. Quia in foro externo unus judex nequit alterius sententiam mutare, nisi sit superior, & hoc per viam recursûs: quia par in parem non habet imperium Can. *Exjit* de verb. signif. in 6. Respondetur hanc rationem non valere: quia imperium quòd in isto casu habet cõfessarius posterior, non est in confessarium priorem cui est par; sed in subditum, qui potest hujus posterioris confessarij imperio se subjicere, & judicem in sua causa constituere, non obstante prioris sententia; quin ipsi priori confessario fiat injuria: Cùm hoc non sit per modum recursûs, sed per modum repetitionis, & successionis in officio judicis: nec iste posterior, aut successor mutet sententiam prioris tanquam injustam; sed novam proferat ad instantiam rei; in cujus bonum iterari potest sententia in eadem causa, quæ (non obstante sententia præcedenti) est adhuc materia sufficiens pro alio judicio. 2. Ex illa mutatione sequitur (inquiunt) sacramentum remanere imperfectum; cùm ab ipso removeatur satisfactio à priori confessario injuncta, hæcque sit pars integralis sacramenti. Respondeo negando sequelam: tum quia hoc non sequitur quando primus confessarius postea commutat satisfactionem, quam imposuit in confessione; ut fatentur adversarij: tùm quia sacramentum jam suum obtinuit effectum antè commutationem pœnitentiæ, ob pœnitentis propositum satisfaciendi.

IX. Hanc potestatem commutandi satisfactionem habet quilibet confessarius; modò eamdem jurisdictionem habeat in eadem peccata, quibus injuncta fuit pœnitentia; etiamsi confessarius, qui prædictam pœnitentiam imposuit, fuerit superior; cùm ad satisfactionem commutandam sufficiat potestas absolvendi à peccatis ad quæ vindicanda, fuit injuncta pœnitentia: ut conveniunt omnes Doctores, inter quos solùm controversia est; an confessarius inferior (v. g.) Parochus possit commutare satisfactionem injunctam ab Episcopo pro peccatis ipsi Episcopo, aut superiori reservatis, à quibus inferior nequit absolvere? Vasquez, Bonacina, Navarrus, & alij affirmant: eorum fundamentum est: quia per absolutionem tollitur reservatiò; ideoque eadem peccata subjici possunt alij confessario; licet sit inferior; sed non nocet hæc ratio: quia sacerdos inferior nequit judicare de peccatis superiori reservatis; & quamvis id posset si fuerint absoluta; ut suadere videtur argumentum in oppositum: nequit tamen judicare de pœnitentia injuncta; ita ut possit eam commutare in aliam, cùm pertineat ad superiorem, qui reservando sibi peccata, sibi utique reservat pœnitentiæ impositionem. Undè opinio negativa est præferenda: nam inferior non se habet ut successor prioris confessarij, seu superioris in eodem tribunali; ac proindè non potest reformare, nec moderari sententiam per potestatem superioris prolatam.

XII. Pœnitens qui satisfactionem non adimplet in tempore à confessario præfixo, sed eam differt peccat mortaliter. Ita Coninch, Sanchez, Mastrius, Hurtadus, & alii contrà aliquos, qui omissionem tantum declarant mortaliter culpabilem, & dilationem verò inculpabilem esse dicunt. Ratio nostra est: quia præceptum confessarii, quo satisfactio injungitur est servandum, nedum quoad substantiam rei præceptæ; sed etiam quoad circunstantiam; præsertim si præcepta fuerit ejusmodi circunstantiâ temporis; idcirco quando tempus ex præfixum; illicitum, atque mortale est pœnitentiam differre; nisi Rationabilis causa excuset.




CAPUT. XXIII.

Quanam sint conditiones ministri hujus Sacramenti.

I. SOlus Sacerdos legis Evangelicæ est ille legitimus sacramenti pœnitentiæ minister; cui fieri debet confessio sacramentalis in Tridentino sess. 14. Can. 10. & ex illo Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Quòd solis Apostolis dixit Christus omnium sacramentorum institutor; ut eisdem, eorumque successoribus potestatem absolvendi à peccatis conferret. His verbis eamdem Episcopus potestatem confert Sacerdotibus in ordinatione; saltem secundum habitum: ordinatio enim non attribuit, nec designat subditos, erga quos ordinatus possit collatam sibi potestatem exercere, neque tribunal in quo possit rectum proferre judicium: sed Ecclesia postmodum per suos prælatos quibus commisit curam animarum, tribuit illis subditos pro jurisdictione exercenda. Undè nullus Sacerdos potest nedum licitè; sed etiam validè confessiones audire (extra periculum, & articulum mortis) sinè approbatione Episcopi: ut in primo libro dictum est. Nec valet dicere olim licitum fuisse confiteri peccata Diaconis ex Can. *fures* de furtis. Quia ibi non conceditur Diaconis potestas absolvendi furem sacramentaliter; sed solùm audiendi ejus confessionem, & judicandi an sit verè contritus, & dignus recipiendi Eucharistiam, quam olim Diaconus, absente Sacerdote ministrabat. Minùs valet afferre illud Jacob. cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: quibus suaderi videtur unum fidelem posse alteri peccata sua confiteri: quia hæc verba dicta fuere de Sacerdotibus Ecclesiæ; ut apud ipsos fideles peccata deponerent: nam sanctus Jacobus loquitur de illis quos jam dixerat esse advocandos, ut orarent super infirmum, & eum ungerent; ut ex proprio textu constat; sed illi erant Sacerdotes: ait enim in eodem capite vers. 14. *infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum*: & statim addit *confitemini ergo alterutrum peccata vestra*: igitur Sacerdotis est audire peccata, & absolvere Can. *qui vult* de pœnit. dist. 6. sicuti Sacerdotis est, infirmum ungere.

II. Istud Sacramentum est in loco patenti ab omni suspicione aliena administrandum: nam qui facit veritatem venit ad lucem Joann. 3. Minister non debet faciem pœnitentis, & præsertim mulieris respicere; quia facies ejus est quasi ventus urens, sæpè confessario aperiens occasionem ruinæ: quare Concilium Mediolanense 1. part. 2. tit. *quæ pertinent ad sacrament. pœnitent.* Declarat mulieres non esse in confessione audiendas antè ortum solis, nec post occasum; nisi ex necessitate. Confessarius non debet pœnitentem sivè ob ejus imperitiam, sivè ob malam ejus indolem, sive ob peccatorum ejus gravitatem abhorrere; sed recordari illius Joan. 8. *Qui sinè peccato est, primum mittat lapidem in eam.* Et charitate, ac patientia, quasi obstetricante manu (ut utar verbis patientissimi Job.) educere colubrum Tortuosum, hoc est sinceram peccatorum confessionem, & pœnitentis emendationem: pœnitentes enim, non cùm virga, sed cùm Spiritu lenitatis recipiendi sunt: ut dixit olim D. Hieronimus Damaso Papæ relatus in Can. *importuna* de pœnit. dist. 1.

III. Doctores omnes communiter conveniunt ministro requiri statum gratiæ; ut licitè sacramentum pœnitentiæ administret: cum certum sit Sancta Sanctè esse tractanda; sed quia in sacramento varij discernuntur actus, nempè auditio peccatorum, satisfactionis impositio, interrogatio, & absolutio; non conveniunt, an confessarius teneatur esse in statu gratiæ antequam audiat peccata pœnitentis, vel sufficiat quòd sit in gratia per actum contritionis quando absolvit? Diana, Lugus, Henriquez, Leander, & alij dicunt sufficere quòd sit in gratia dum absolvit: quia sufficit quod sit in gratia, quando gratiam operatur, (id est) dum absolvit; cùm absolutio gratiam producat. At hæc ratio non convincit: necesse enim est quòd Sanctè Sancta tractet, seu quòd sit in gratia dum ministerium exercet & personam Christi repræsentat; sed quando audit peccata sedens in tribunali Christi Domini, exercet ministerium, & personam Christi repræsentat, sicut quando absolvit: quia audire peccata in confessione est actus sacramentalis ad absolutionem ordinatus, est etiam actus

actus clavium: igitur necesse est quòd confessarius sit in Gratia quando sacramentaliter audit peccata; quorum confessio exigit auditionem, estque materia sine qua nequit conferri absolutio. His addo quòd si liceret Sacerdoti in peccato existenti audire confessionem; ipsi liceret etiam aliquo modo se exponere periculo peccandi; utpotè absolvendi antequam de peccato suo doleret; cùm facilius, atque commodius sit conteri antè auditionem peccatorum, quàm postea. Hanc sententiam tenent Mastrius, & alij quos citat disp. 21. num. 210.

IV. Cùm interrogare ad integram confessionem perficiendam adjuvet præsertim rusticos, & ignaros; confessarius tenetur eos prudenter interrogare, nè oblivione, aut ignorantiâ, aut pudore, vel alia quavis de causa aliquod peccatum culpabiliter omittant: dixi *prudenter*: quia nequit perquirere ea, quæ sunt ipsis fortasse ignota; sic enim illos indirectè doceret talia peccata, quæ commiti possunt. Quapropter Concilium Moguntinum 4. Can. 29. ait, quòd confessarius non debet interrogare pœnitentes de peccatis non consuetis, nè ea discant. Hæc prudentia observari debet præsertim circa peccata carnalia, nè pœnitentis concupiscentia excitetur, aut nè (dum confessarius à sordibus purgat alios) ipse caput aspidum sugat noxiâ delectatione: quando autem confessarius certâ notitiâ scit pœnitentem commisisse aliquod peccatum, quòd non est confessus, quodque non aperit interrogationi; debet ipsum inabsolutum dimittere; ut docent plures, nisi ipse confessarius agnoscat, aut probabiliter judicet pœnitentem habere aliquam causam gravem tacendi peccatum illud, de quo interrogatur.

V. Scientia necessariò requiritur in confessario: Can. *quem pœnitet* de pœnit. dist. 1. quoniam si cæcus cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt; ut ait Christus Math. 15. cap. vers. 14. ex quo deducitur graviter peccare Sacerdotes, quorum labia non custodiunt scientiam, seu ignaros ad confessiones audiendas se exponentes: nam ut sacramentum sit validum, necesse est quòd confessarius sciat formam absolutionis, atque discernere peccatum mortale à veniali; ut notat Mastrius, cui adhæreo: quia ignorantia huic scientiæ opposita, formam, & materiam concernit: & ut ritè administretur, confessarius tenetur scire nedum ea, quæ sunt de substantia hujus sacramenti; sed etiam ea, quæ sunt de præcepto (v. g.) dispositiones quas pœnitens habere debet pro absolutione obtinenda: quarum præcipuæ sunt confessionis integritas, contritio, aut attritio, propositum non peccandi de cætero, & proximarum occasionum fuga: quia pœnitens solitam, ac proximam mortaliter peccandi occasionem deserere nolens, est indispositus; ideoque est dimittendus. Tenetur insuper scire ea, quæ sunt peccata, vel non, circumstantias speciem mutantes, & notabiliter aggravantes. Idem debet scire obligationem restituendi, impedimenta matrimonij, & numerum casuum reservatorum Papæ, & Episcopo; ut statuit Concilium Mediolanense 1. part. 1. Revera non est necesse quòd promptè sciat omnia discutere, & memoria retinere; satis enim est, si in casibus difficilioribus sciat dubitare; ut possit ad Doctores recurrere, vel majori studio adhibito de illis judicium ferre: quia non tenentur exactè scire omnia, quæ ad Theologiam moralem spectant. Ita Navarrus, Delugo, Bonacina, & alij, qui citant duos eruditissimos, sapientissimos, & publicâ totius Ecclesiæ veneratione celeberrimos Doctores, sanctum Thomam, & sanctum Bonaventuram: peccant igitur mortaliter confessarij, qui eâ scientiâ carent; peccant Episcopi, & prælati, qui talibus Sacerdotibus suas subijciunt oves; nam per se ipsum facere videtur, quòd quis per alium voluntariè facit; & qui facit per alium, est perindè, ac si faciat per se ex 72. regula juris in 6.

VI. Hæc scientia confessarij nedum requiritur, ut ipse confessarius sacramentum ritè administret; sed etiam, ut pœnitentem instruat de rebus fidei, atque de omnibus, quæ ad salutem necessaria sunt. Undè si avertat pœnitentem ignorare aliqua ad hoc sacramentum necessaria; tenetur eum instruere, ut beneficium absolutionis dignè recipiat: quia non solùm est judex ad puniendum reum; sed etiam medicus ad sanandum ægrotum, eumque ab omni malo liberandum.

VII. Confessio scienter facta Sacerdoti ignaro, est iteranda: sic docet major casuistarum pars: quia in tali casu pœnitens non censetur dispositus ad suscipiendam absolutionem; ita enim se habet, ac si peccata sua manifestare nollet, insuper

confessio, quæ fit Sacerdoti non audienti, neque percipienti peccata, vel ob surditatem pœnitenti notam, vel propter somnum, aut distractionem, est nulla, & iteranda: ut fatentur omnes, etiam ipsimet pœnitentes: sed Sacerdos Ignarus, est quasi non audiens, saltem sacramentaliter; cùm non percipiat peccata, & pœnitens quem non percipit, sit ei Barbarus, ut insinuare videtur Paulus I. ad Corinth. cap. 14. vers. 11. dicens *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor Barbarus, & qui loquitur, mihi Barbarus*. Ergo confessio scienter facta confessario ignaro debet iterari, ut fiat vera accusatio, quæ includit propositum, aut voluntatem vindicandi peccata, per debitam pœnitentiam à Sacerdote imponendam; quæ quidem pœnitentia nequit esse debita, nec convenienter injuncta; si ipse Sacerdos gravitatem, ac qualitatem peccatorum ignoret.

VIII. Major difficultas est, an hæc confessio sit iteranda? si facta fuerit Sacerdoti ignaro bona fide, scilicet reo nesciente? Coriolanus 1. part. sect. 3. Adrianus, Richardus, & alij absolutè affirmant. Hæc opinio est nimis dura: nam ille, qui bonâ fide rem alienam detinet, excusatur à restitutione, donec bona fides cesset: ut fatentur omnes Canonistæ, & Deus magis respicit intentionem hominis operantis, quàm verba; ut inquit D. Gregorius relatus in Can. *humanæ* 22. quæst. 5. Undè malo asserere hanc confessionem esse validam: quia pœnitens omnia peccata sua manifestavit in amaritudine animæ suæ, valori sacramenti nullum obicem posuit, & absolutionem obtinuit à confessario jurisdictionem habente, nec non proferente verba absolutionis. Igitur non obstante ignorantia confessarij, est veré absolutus, & absolutus manet: alias pœnitens teneretur inquirere an confessarius sit doctus, an non; hacque inquisitione non obstante, esset anxius an Sacerdoti docto confessus fuerit, vel non: quòd non est dicendùm: intollerabile quidem est hoc onus discernendi conditionem confessarij. Hæc obligatio non incumbit pœnitentibus, sed prælatis, quibus ex jure competit jus concedendi Sacerdotibus jurisdictionem audiendi confessiones. Ita Filiucius, Villalobos, præpositus, Hurtadus, Suarez, & alij. Nec obstat dicere Sacerdotem ignarum, nonobstante bona fide pœnitentis defecisse in impositione satisfactionis debitæ peccatis. Talis siquidem error non est defectus substantialis; cùm satisfactio sit tantùm pars integralis sacramenti ex Tridentino sess. 14. cap. 3. præterea pœnitens bonæ fidei causa non consensit huic errori: igitur non est culpabilis; sicut confessarius, nec remanet inabsolutus; ita ut confessionem suam iterare teneatur, nisi postea ei constet ignorantiam confessarij fuisse circa substantialia, & necessaria ad sacramenti validitatem: ut (v. g.) circá verba in absolutione proferenda, vel circà pœnitentis instructionem, aut interrogationem; ex cujus defectu ipse pœnitens non declaravit omnia peccata quoad numerum, nec quoad circunstantias speciem mutantes, vel peccata notabiliter aggravantes, vel circà monitionem restituendi: tunc enim non sufficeret pœnitenti ignorantiam confessarij postea agnoscenti, virum doctum consulere; ut vult Aversa: quæst. 10. sect. 9. sed teneretur confessionem repetere: quia hæc omnia sunt essentialiter necessaria; ut confessio sit valida, ideoque prima confessio est nulla.

IX. Quando autem confessarius certò scit se in essentialibus defecisse; ut (v. g.) si absque intentione, aut jurisdictione absoluerit, vel pœnitentem indispositum noverit: tenetur eum admonere de absolutione invalidè collata; ut iterum confiteatur, si id absque scandalo, & magno detrimento facere possit. Ratio Fabri disp. 33. cap. 3. & aliorum est: quia pœnitens durante bona fide satisfecit præcepto, & conscientiæ suæ; ideoque non est necessitas admonendi cùm tanto detrimento, & scandalo: tunc enim sufficit eum pœnitere, & culpam suam in confessione declarare. *Dicet quis*: minister qui qui sic defecit in baptismo, aut in ordine tenetur absolutè admonere baptizatum, aut ordinatum: ergo &c. Nego paritatem ob rationem adductam: nam propter istorum sacramentorum invaliditatem sequuntur gravissima incommoda, quæ non sequuntur ex invaliditate sacramenti pœnitentiæ bona fide suscepti. Quia invalidè Baptizatus nequit alia sacramenta dignè recipere, & invalidè ordinatus nequit ea administrare: quæ quidem incommoda sunt graviora illis, quæ ex omissione admonitionis confessarij sequerentur.

X. Secùs discurrendum est de illa obligatione supplendi defectus in confessione commissos; quando damnum aliquod in-

ferunt pœnitenti, vel alteri: ut (v. g.) quando confessarius non obligavit pœnitentem ad evitandam occasionem proximam peccandi: tunc enim tenetur eum secreto admonere; nè sit in periculo relabendi: eadem obligatione astringitur etiam quando non admonuit eum de restitutione facienda, nè domino rationabiliter invito teneat rem alienam: quando non admonuit eum ad denunciandum hæreticum, & alios, qui ex constitutionibus Pontificiis revelandi sunt, nè respublica magnum patiatur detrimentum: in his siquidem casibus, confessarius tenetur post confessionem, prudenter facere, quòd non fecit in tribunali: nec potest in hac obligatione dispensari per diffamationem apud pœnitentem; apud quem reputabitur ignarus. Tum quia hæc diffamatio est incerta. Tum quia præsumere licet, quòd pœnitens charitate sua fragilitatem excusabit. Tum quia ex 68. regula juris in 6. damnum quòd quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non alteri imputare. An verò ad id teneatur quando certò scit pœnitentem non esse ipsum auditurum? Respondeo sicut de obligatione corripiendi proximum; de qua in primo libro dictum est.

XI. Sacerdotes possunt jure sibi à Deo tradito, peccatoribus in eadem peccata frequenter relabentibus absolutionem negare; ut patet ex verbis Salvatoris, qui non solùm solvendi, sed & ligandi ipsis contulit potestatem: quinimmo nè hac ipsa authoritate abutantur, peccatoribus in mortalia continuò relabentibus, absolutionis beneficium impertiri non debet: donec dignis pœnitentiæ fructibus conversionis sinceritatem probaverint, necnon perfectè dispositos se ostenderint: peccator autem noscitur perfectè dispositus, quando dolet, & detestatur peccata commissa cùm firmo proposito non peccandi de cætero; quando reliquit peccatum, occasiones proximas à se elongavit, & fugit in solitudinem interiorem; quando restituit, inimicos dilexit &c. *tunc namque* inquit Gregorius magnus lib. 6. in cap. 15. lib. 1. Reg. *verè conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Non debet igitur peccatori in tali dispositione existenti absolutio denegari, aut differri; cùm cor contritum, & humiliatum Deus non despiciat: teste Propheta regio, nec velit mortem peccatoris; sed magis ut convertatur, & vivat; ut docet sacra scriptura; sed debet absolvi, & ad sacram sinaxim admitti: habet enim id, quòd Apostolus desiderat dicens *probet autem se ipsum homo*: alioquin absolutio non esset sacramentum mortuorum, nec pro peccatoribus instituta fuisset; quòd est hæreticum: quia est secunda Tabula post naufragium.

XII. Plures gravissimi authores volunt quòd si confessarius agnoscat pœnitentem ex mera fragilitate in eadem peccata sæpè relabi, potest illi toties absolutionem concedere, quoties in illa peccata relabitur; dummodo de illis verè contritus, vel attritus ad pœnitentiam accedat, & cùm firmo proposito non peccandi de cætero peccata sua confiteatur: hanc resolutionem confirmant authoritate Concilij Tridentini sess. 14. cap. 2. ubi habetur *secùs est de domesticis fidei, quos Christus Dominus, lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat; sed antè hoc Tribunal, tanquam reos sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis, ad ipsum pœnitentes confugerint: possent liberari*: & ratione (quia inquiunt, ut confessarius possit absolvere pœnitentem, non requiritur quòd non peccet amplius in futurum, nec licet ex recidiva judicare pœnitentem non esse verè contritum; sed solùm requiritur quòd nolit amplius peccare: non est necesse quòd se reddat absolutè impotentem ad peccandum; sed sufficit quòd sit in firmo proposito, aut voluntate sincera non peccandi de cætero, & indè includunt pœnitentem ex mera fragilitate in eadem peccata relabentem, esse absolvendum. His nonobstantibus duco observandum hujus pœnitentis propositum, non posse à confessario judicari firmum, nec detestationem peccatorum, aut volitionem non peccandi de cætero, esse talem, qualem exigunt Concilia, & patres; cùm iteratus lapsus in eadem peccata sufficienter probet præsentem promissionem, non fore præteritis firmiorem; ideoque confessarius tenetur absolutionem differre ad certum tempus; ut ex factis, conversionis, firmique propositi non peccandi de cætero, probationem habeat: quia voluntas sincera, non

ita certò verbis se prodit: tot enim sunt in animis nostris recessus, tot latebræ, tot nebulæ; & præsertim post iterata flagitia; ut peccator seipsum dignoscere non possit: in præcedentibus confessionibus emendationem promittebat, & vero se proposito affici putabat; & tamen iterum peccavit; quid valeat fragilitate sua, ita excusari; ut debeat absolvi: ergo si confessarius velit existere sibi traditæ potestatis dispensator fidelis, ac prudens, debet absolutionem differre. Ita docet major pars Doctorum.

XIII. Præcedentis dubij resolutio confirmatur authoritate Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 12. quòd incipit *Omnis utriusque sexus*: ut refertur in declaratione Tridentina sess. 14. cap. 5. Ibi enim patres statuunt, ac decernunt sacramentalem confessionem esse ab omnibus fidelibus semel in anno faciendam; ut sint dispositi ad Eucharistiam reverenter sumendam, ad minus in paschate: tamen hac exceptione, *nisi forte de Consilio proprio Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abstinendum*: decretum temperant, ut confessarij prudenter attendant: non solùm quid possint absolutè loquendo, seu absolvere pœnitentem, vel ligare; sed potius quid hic, & nunc ipsi pœnitenti sit magis expediens. Atqui magis expedit pœnitenti continuò relabenti; ut absolutio differatur: plures enim cernimus peccatores quos absolutionis habendæ spes, aut facilitas in peccati cæno fixos detinuerat; absolutionis dilatione fuisse sanatos: ergo peccatoribus in eadem peccata continuò relabentibus; quamvis ex mera infirmitate proveniat, hujusmodi iteratus lapsus, absolutionis beneficium dari non debet in primo ad sacramentum accessu: etiamsi se contritos dicant, & firmum propositum non peccandi de cætero se habere protestentur: nam Lateranense non ad pœnitentis protestationes remittit differendæ, aut concedendæ absolutionis judicium; sed ad Consilium Sacerdotis, qui nequit in hac causa rectum ferre judicium, nisi prius viderit in pœnitente emendationem vitæ: nam ex 5. regula juris in 6. peccati venia non datur, nisi correcto.

XIV. Denique patres hujus Concilij optimè sciebant quemlibet pœnitentem in sacramento se dicere contritum, aut attritum, necnon habere propositum non peccandi de cætero; alioquin inutilis fuisset prædicta decreti exceptio *nisi forte &c.* cùm nullus Sacerdos ignoret, pœnitentem indispositum esse dimittendum, nullumque esse dispositum; nisi de peccatis suis doleat, habeatque propositum non peccandi de cætero; ob quam ergo causam rationabilem Lateranenses patres jubent differre absolutionem peccatorum, atque sacram communionem, nisi ob iteratos ad peccata lapsus, ob quos de consilio Sacerdotis differenda est ad tempus absolutio: nam hæc causa differendi absolutionem nequit esse peccatum imposterum committendum, seu futurum per quòd pœnitens nequit fieri actu indispositus: nec peccatum simpliciter præteritum: nec peccatum præsens quatenus tale: Quia utrumque est materia in præsenti confessione delenda: occasio proxima voluntarie retenta non potest esse causa differendi absolutionem, de qua agitur in Concilio Lateranensi: hæc enim semper fuit impedimentum ad absolutionem conferendam: ergo debet esse peccatum quatenus sæpe iteratum; de quo etiam antè Concilium Lateranense erat inter Doctores controversia, an esset absque ulla dilatione absolvendum, vel non; ut patet ex scriptis eorum, qui hoc concilium præcessere. Igitur differenda est absolutio ad certum tempus.

CAPUT XXIV.

An præceptum de sigillo servando sit negativum.

I. Juxtà communem Doctorum sententiam, minister confessionis tenetur ad sigillum, seu secretum; jure naturali, quo alienæ famæ consulere tenemur; Jure divino, quia Deus oblivioni tradit peccata confessa; ut testatur ipsemet Deus, dicens *si impius egerit pœnitentiam; omnium peccatorum ejus non recordabor*: Necnon jure Ecclesiastico; ut habetur in. Can. *Sacerdos* de pœnit. dist. 6. ex Can. *omnis utriusque sexus*: de pœnitentiis & remissione; Sed non conveniunt Doctores, an hoc præceptum sit negativum, seu obligans ad semper, & pro semper: omissis tamen Doctorum adversantium nomini-

bus, affirmo cum Scoto in 4. disp. 5. quæst. 20. quem præter Scotistas sequuntur Abellius, Contensonus in hoc loco ubi ait: *istud præceptum est negativum semper, & pro semper obligans, in quo nulla dispensatio quovis imaginabili prætextu locum habere potest.* Ratio est, quia nullum bonum commune est anteponendum, nec comparandum cum obligatione sigilli, quæ est naturalis, divina, & humana: nullum etiam potest bono communi majus evenire detrimentum, quàm si confessio odiosa, & intollerabilis reddatur; sicut de facto talis redderetur, si aliquando liceret violare confessionis sigillum: igitur numquam licet directè, vel indirectè peccata in confessione audita revelare.

II. Undè confessarius, qui confessionis sigillum violat, peccat peccatò detractionis: quia peccat contrà charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Sic Clavasius verbo *confessio* 7. num. 2. peccatò infidelitatis: quia unusquisque tenetur esse fidelis in servando deposito, nec potest quis sinè injustitia alterum privare bonâ famâ: peccat tandem peccatò sacrilegij; cùm peccet contrà religionem reddendo sacramentum pœnitentiæ odiosum; ac proindè tenetur ad restitutionem damni, quòd ex violatione sigilli sequitur: quare de confessario peccata in confessione audita declarante, licet eumdem habere sensum, quem habuit D. Ambrosius de Herode Joannis Baptistæ mortem jubente, & cum ipso dicere de violatione sigilli sacramentalis *quanta sunt in uno facinore crimina* lib. 3. de virgin. plura namque atque gravia peccata in ea committuntur; etiamsi peccata, quæ revelat sint tantum venialia: quia semper fit sacramento gravis injuria, quæ ex se est mortalis; ut notant Reginaldus, Mastrius, Bonacina, & alij; nisi ea venialia revelaverit in genere dicendo *Paulus confessus est mihi peccata venialia*, vel *ille non habet nisi materiam venialem*: Ut observant Bassæus, Henriquez, & alij gravissimi; quibus subscribo; quia, qui ad confessionem sacramentalem accedit, revelat se habere peccata saltem venialia: peccaret tamen mortaliter si eadem peccata revelando, multitudinem indicaret (v. g.) dicendo *ille confessus est mihi plura venialia*: quoniam per hunc loquendi modum confessarius revelaret peccata venialia, cum aliqua injuria, & irreverentia erga pœnitentem, & sacramentum: Sic Hurtadus, Suares, Delugo, & alij. Nec in hoc excusaretur pœnitentis morte, postquam, non minus obligat religiosa sigilli custodia: Ratio est, quia oritur ex præcepto negativo; & pœnitens moriendo non amittit jus ad bonam famam conservandam.

III. Peccat etiam contrà istud præceptum confessarius, qui revelat peccatum committendum à pœnitente quem audivit in confessione accusantem se (v. g.) de proposito occidendi inimicum: ita D. Thomas, D. Bonaventura, Ricardus, Caïetanus, aliique plures: etenim revelando peccatum futurum; revelat utique præsentem voluntatem culpabilem occidendi; quæ est materia præsentis confessionis. Ex quo sequitur inquit Mastrius disp. 21. num. 261. confessarium, qui ex confessione novit proditionem imminere civitati, vel periculum hæresis ob nonnullos latentes hæreticos, non posse hoc periculum futurum manifestare, si indè probabiliter timeri posset rei, seu proditoris, aut hæretici notitia. Tunc confessario sufficeret obligare pœnitentem ad futuri mali authores, aut complices denunciandos apud judicem competentem: non sequitur tamen confessarium non posse licitè se à sacro faciendo abstinere, si ex confessione noverit pericula sibi imminentia, & insidias sibi in altari paratas, aut in vino: tunc enim potest; quin sigillum frangat, hominem colloquiis, vel aliis honestis artibus secum retinere, nè vinum quòd ex confessione toxico imbutum novit exsorbeat: quia religiosa sigilli custodia, non vetat actiones de se indifferentes, & ex aliis motivis fieri solitas, ob grave periculum præcavendum, prætermittere. Nec talis modus ex se determinatus est ad manifestandum peccatum in confessione auditum: Nam revelatio confessionis est illa manifestatio, quâ, quis venit in notitiam personæ determinatæ sivè dicto, sivè facto, quæ per signa indifferentia haberi nequit, nec ipsis signis potest quis ad pœnitentis notitiam venire, nec inferre (saltem rationabiliter) directam secreti confessionis violationem, nec indirectam; cùm semper restet pœnitenti dubium, an Sacerdos fuerit aliqua ratione speciali impeditus, aut in domo detentus, & ipse pœnitens possit resolvere, potiùs casui, quàm conconfessionis notitiæ, hunc eventum tri-

buendum esse.

IV. Hinc etiam inferunt plures Doctores: primo Sacerdotem, qui ex confessione novit confessarium suum non esse Sacerdotem, posse se imposterum abstinere à confessione illi facienda, atque à missa ab ipso audienda; quin peccet contrà præceptum de sigillo servando: tunc enim pœnitens, seu ille Sacerdos utitur jure suo, nec indè sequitur illa confessionis revelatio directa, vel indirecta, nec confusio pœnitenti, quæ possint confessionem reddere odiosam; cùm quilibet pœnitens possit peccata sua confiteri alteri Sacerdoti approbato; quin priori confessario fiat injuria: quia ipse confessarius non Sacerdos, inferre posset pœnitentem uti jure suo, non autem cognitione habita in confessione. Secundò posse vocalem in electionibus suffragium denegare illi, quem ex confessione novit prælatione indignum. Ita D. Thomas quæst. 11. art. 1. ad 4. dist. 21. quæst. 2. in solutione principalium, & alij gravissimi authores contrà nonnullos, quos impugno. Quia ex multis causis redditur quis indignus officiô prælationis, quæ non fuerunt expressæ in confessione, quas eligendus perfectè noscit se non habere. Quales sunt scientia, ætas, & similes qualitates ex quorum defectu est indignus prælatione, aut beneficiô; ob quem defectum, non autem ob peccatum ex confessione notum, vocalis potest suum denegare suffragium, & superiorem subditum suum amovere ab officio; aliàs sequeretur quòd religiosa secreti custodia, quæ in edificationem instituta fuit, esset in destructionem: nam indignus posset nequitias suas confiteri superiori, ad illum impediendum, nè puniat, & ut eum eligat; quòd est contrà justitiam, quæ præcipit iniquorum punitionem; & indigni electionem prohibet. Nec valet dicere indè sequi revelationem saltem indirectam peccati: quia inquit Scotus quotiescumque signum natura sua non est expressivum per se peccati confessi, sed de se indifferens ad significandum peccatum confessum, vel non confessum; etiamsi aliquibus ex aliquo supposito sit magis determinatum, ad significandum peccatum confessum, non est per se revelatiuum confessionis, nec explicitè, nec implicitè; sed denegatio suffragij, & amotio subditi ab officio voluntate superioris amovibili, non significant per se peccatum confessum; ideoque qui suffragium denegat, aut inferiorem amovet ab officio, nequit secreti violator reputari; nec pœnitens potest infallibiliter judicare confessarium usum fuisse confessionis notitiâ; cùm habeat alias rationes, quibus ipse confessarius ad hoc faciendum moveri potuit; quæ per confessionem non fiunt illicitæ confessario, nec clausæ sub sigillo confessionis sacramentalis: certum enim est tunc confessarium habere undè pœnitens de illo, potiùs dicere possit, agit perindè, ac si nihil in confessione accepisset, aut usus est jure suo; quàm usus est notitiâ confessionis contrà sigillum.

V. Maxima difficultas est an confessarius possit de licentia, aut jussu expresso pœnitentis ejus confessionem, & personam revelare? communior opinio affirmat: ita recentiores, quorum præcipua, & unica ratio est: quia sigillum est in favorem pœnitentis, cui renunciare licet unicuique. Ab hac sententia tamen recedo: quia sigillum non est tantum in favorem pœnitentis; sed etiam in gratiam totius Ecclesiæ, & in venerationem sacramenti pœnitentiæ; nè redderetur odiosum fidelibus: nam si sigillum violaretur, seu peccatum revelaretur sine licentia pœnitentis; hæc violatio nedum esset contrà jus ipsius pœnitentis, cujus peccata manifestarentur; sed etiam contrà jus omnium fidelium, & contrà reverentiam sacramento debitam; ut fateri coguntur adversarij: fateri utique debent idem inconveniens sequi nonobstante pœnitentis licentia; cùm nullus pœnitens habeat jus privandi Ecclesiam suo jure, nec sacramentum reverentiâ: igitur si illius dumtaxat sit solvere, cujus est ligare cap. *omnis* de Regulis juris cap. 1. pœnitens nequit confessarium eximere ab obligatione servandi confessionis secretum; ad quod eum obligant jus naturale, jus divinum, & jus Ecclesiasticum; etiamsi pœnitens esset Papa qui confessario concederet licentiam revelandi peccata sua alicui; cùm jus naturale, & divinum sint suprà Papam. Ita Alensis, D. Bonaventura, Scotus, Aureolus, Major, Ricardus, & alij qui volunt confessarium non posse hujusmodi potentiâ uti, nisi pœnitens ei iterùm peccata sua declaret extrà confessionem; tunc enim non essent sacramentaliter sigillata, neque ut peccata in confessione audita revelarentur.

VI. Undè confessarius juridicè interro-

gatus de peccato audito in confessione, potest negare etiam cum juramento se nescire, seque officiô suô prout Dominus dedit perfunctum fuisse; nec in hoc mendax est, aut perjurus: quia quæ scit ex confessione, scit ea ut Deus, & non ut homo; nec scit ea viâ humanâ, in qua via judex interrogat; ideoque non mentitur; cùm extra confessionis Tribunal non sit ut Deus, & debeat esse immemor eorum, quæ audivit in confessione: ita communior opinio contrà Paludanum, & sotum dicentes, confessarium sic interrogatum debere alio modo respondere, seu dicere, quôd non tenetur de rebus ad forum conscientiæ pertinentibus respondere, & quòd non respondebit, etiamsi mori oporteret. Hæc Paludani, & soti opinio non est consulenda in praxi. Quia per talem loquendi modum sigillum videtur violari: nam interrogans potest confessarij silentio, & obstinatione sufficienter convinci de peccato de quo interrogat; Quoniam qui tacet consentire videtur: de regul. juris in 6. regula 43.

VII. Secus dicendum est de confessario, qui interrogatus, an reputet paulam (v.g.) honestam esse, tacet: tunc enim confessarius paulæ tacendo, ejus peccata, seu confessionem revelat indirectè; nam ex illa responsionis omissione, interrogans præsumere potest paulam esse inhonestam; nec valet dicere cum doctissimo Gabriele hanc omissionem esse indifferentem: quia per interrogationem determinatur. His addi potest, confessario non licere Eucharistiam denegare pœnitenti cujus confessionem audivit, & quem non absolvit, si eam petat; nec Episcopo clericum in confessione auditum ab ordinibus suscipiendis repellere: quia indè sequeretur pudor, aut confusio pœnitenti, & indirectè ejus peccata revelarentur: eademque ratione asserunt canonistæ parochum non posse à matrimonio repellere pœnitentem in confessione auditum, nec ejus impedimentum declarare, si illud in confessione noverit: alioquin peccaret contrà sigillum: quia hæc omnia sub eodem sigillo fuere revelata: igitur contrà idem sigillum peccat pariter confessarius qui tacet, dùm interrogatur de honestate paulæ, quam in confessione audivit.

VIII. Obligatio servandi sigillum sacramentale non ligat pœnitentem respectu eorum, quæ audivit, aut confessarius dixit ipsi, aut injunxit in administrationem sacramenti. Quia jus non loquitur de pœnitente. Insuper ex declaratione eorum quæ à confessario dicta sunt, confessio nequit odiosa fieri, nec confessarius infamari: ità communiter doctores, qui volunt pœnitentem ligari tantum lege naturali ad secretum. Caveant igitur pœnitentes ne dicta à confessario propalent; quandò id sacramenti Reverentia, confessarij honor, aut alia id genus vetant quæ secreto naturali celare tenentur. Hîc tamen obiter observandum est, quòd si ex dictis in confessione, Sacerdos vellet pœnitentem ad peccatum inducere, & præsertim ad turpe, aut hæresim, pœnitens deberet eum denunciare Superioti; ut præcipiunt Bullæ Pij IV. Pauli V. & Gregorij XV. Editæ contrà sollicitantes, nè ex remedio pro salute omnium instituto, sequatur ruina aliquorum, quos confessarius (diabolo suadente) sollicitans ad turpia, posset imposterum ad malum provocare, quosque de facto provocaret, si hujusmodi confessarij malitia superiori maneret incognita: cùm solâ superioris authoritate impediri possit,

IX. nedum confessarius tenetur ad sigillum confessionis; sed etiam omnes, qui ab illo mediatè, vel immediatè accipiunt peccatum confessum à pœnitente; pariter, & illi quibus peccatum notum fuit aliquo modo in ordine ad confessionem. Ita Scotus quem sequuntur omnes Scotistæ, & ex extraneis Navarrus, Bonacina, Filiucius, & alij. Ratio est: quia confessio dum transit ad alios, suo onere secreti onusta transit. Hinc est quòd ad sigillum tenetur. *Primo* interpres quo mediante pœnitens aliquando se accusat ob necessitatem. *Secundo* superior cui peccatum reservatum ob facultatem illud absolvendi obtinendam, confessarius manifestavit: quia audivit peccatum in ordine ad confessionem sacramentalem. Deindè ipse superior est aliquo modo confessarius, cùm sinè illo confessio fieri nequeat, nec dari absolutio; aliàs peccatum non esset reservatum, quòd est contrà suppositum. *Tertio* qui vel malignè peccata confitentis audivit, vel casu, & sinè culpa. Dixi *sinè culpa*: quia ille, qui malignè audivit, præter obligationem sigilli, tenetur peccatum suum in confessione aperire; juxtà hanc 19. Regulam juris in 6. *Non est sinè culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* *Quarto* ille qui

confessarius pœnitentis confessionem revelavit sivè justè, seu consulendi causa, sivè injustè manifestando sinè causa delictum, & personam delinquentis. Tenetur tandem ad sigillum qui indicem faciendæ confessionis scriptis exaratum invenit. Quia chartam illam legere, est confessionem audire, & peccata pœnitentis scire in ordine ad confessionem; cùm illius chartæ tenor, sit aliquid confessionis, seu confessio scripta.

X. Confessarius qui alta voce pœnitentiam injungit; violat confessionis sigillum, saltem indirectè si audiatur, & pœnitentia sit gravis; quia ex gravitate pœnitentiæ injunctæ, gravitatem peccati confessi deducet auditor; cùm omnibus fidelibus notum sit, pœnitentiam gravem, peccatis gravioribus esse injungendam. Secùs si pœnitentia sit levis: quia ex ea auditor solùm deducet pœnitentem habere peccata venialia; quod etiam deducet ex accessu ad Tribunal pœnitentiæ. Deindè ad silentium pœnitentiæ gravis impositæ tenetur confessarius, peccat enim dum eam alta voce profert in Tribunali, aut eam extrà illud revelat. Debent insuper confessarij diligenter observare, nè in dubijs suis proponendis aliquid dicant undè personæ aliquæ per discursum dignosci possent, nec debent manifestare peccata, quæ in hac, vel alia parochia vigent. Si omnibus attentis ad notitiam, vel rationabilem suspicionem alicujus personæ viri ingeniosi devenire possint.

XI. Sub sigillo confessionis continentur *Primo* omnia peccata in confessione audita sivè mortalia, sivè venialia sint; etiamsi non fuerint declarata à pœnitente in ordine ad absolutionem: sufficit quòd fuerint nota ex confessione: quia peccati etiam non remissi revelatio, reddit Sacramentum injuriosum; si peccatum ex confessione notum fuerit. *Secundo* peccatorum circunstantiæ, quæ necessario sunt confitendæ. Tum quia sunt materia confessionis: Tum quia speciem peccati indicant, vel ejus gravitatem ostendunt; idcoque nullus potest eas citrà culpam revelare. *Tertio* peccatum complicis continetur etiam sub sigillo, si in confessione declaretur, eadem ratione, quâ continentur peccata pœnitentis; ut inquit Scotus.

CAPUT XXV.

De Extrema-unctionis Sacramento.

I. EXtrema-Unctio quæ infirmis periclitantibus in Ecclesia solet adhiberi, est verum novæ legis Sacramentum, à Christo Domino institutum; ut sanciunt innumera concilia, præsertim Florentinum, & Tridentinum contrà Vualdenses, Albigenses, aliosque hæreticos Contendentes hujusmodi Cæremoniam non fuisse à Christo, nec ab Apostolis institutam; sed purum Romanæ Ecclesiæ figmentum. At hos, & alios sacramentorum hostes damnat authoritas Jacobi Alphei Fratris, Domini, & Jerosolimorum Episcopi, qui in Cap. 5. Suæ Epistolæ Canonicæ sic ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Quibus verbis apparet Extremam-unctionem esse signum sensibile; tum ratione materiæ, tum ratione formæ, tum ratione ministri; ut priora verba suadent. Apparet etiam ipsam Extremam-Unctionem esse collativam gratiæ, aut signum ad gratiam conferendam institutum: ut indicant ultima Apostoli verba. *Et si in peccatis sit remittentur ei.* Cùm peccata non deleantur absque infusione gratiæ sanctificantis: Can. *gratia* de consecrat. dist. 4.

II. Christus Dominus Sacramentum istud instituit post resurrectionem suam: supponit enim 1. in ministris potestatem remittendi peccata, qua Apostoli à quibus administrata fuit (ut declarat Concilium Moguntinum 4. can. 34.) non habuerunt nisi post resurrectionem; cùm nempè Christus dixit eis *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2. Supponit authoritatem Episcopalem; ut per eam benedicatur Oleum, ut sit materia apta, & debita hujus Sacramenti, quam potestatem plenariam non exercuerunt Apostoli antè Passionem Christi; qui eos in ultima cœna ordinavit, eisque contulit potestatem suprà Corpus suum, verum, & reale

con-

consecrandum pridiè quàm pateretur; ex quo sequitur Apostolos nullum Episcopale, aut sacerdotale munus executioni, aut exercitio demandasse antè mortem Christi; ac proindè istud sacramentum post resurrectionem fuisse institutum, & post institutionem sacramenti pœnitentiæ, cujus est completivum ex Tridentino.

III. Hujus sacramenti materia duplex est, remota scilicet, & proxima. Prior est illa, qua fit unctio, sicut materia remota Baptismi est ea, qua fit ablutio. posterior autem est ipsamet unctio, sicut materia proxima baptismi, est ipsamet ablutio. Id quo fit unctio, seu materia remota, est oleum proprium, seu oleum ex oliuis expressum, ab Episcopo benedictum; quamvis hæc Episcopalis benedictio non sit ita necessaria: quin ex dispensatione summi Pontificis, à simplici sacerdote possit benedici: ut docent communiter authores; qui dicunt illam benedictionem Episcopalem non esse de necessitate sacramenti, nec de jure divino; sed de præcepto Apostolico. Ita victoria, Emmanuel Sâ, Ledesma, & alii; vel quia illa benedictio Episcopalis, licet sit de jure divino; ut volunt aliqui: hoc debet intelligi, quantum attinet ad ordinariam potestatem tantum, non autem quantum ad extraordinariam, qua presbiter ex commissione à Sancta sede Emanata, potest oleum benedicere, confirmare, &c. Ita Arcudius, & alij. Qui addunt post ritualia summorum Pontificum jussu edita, quòd si sit metuendi causa, ne oleum benedictum aliquando deficiat, posse aliud simplex oleum à Parocho commisceri cùm oleo benedicto.

IV. Extremæ-unctionis forma est ea, qua utitur Ecclesia latina *per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam misericordiam, &c.* Hæcque unctio est septuplex: ut apparet in instructione Eugenij ad Armenos, & ex usu Ecclesiæ latinæ; quibus septem recensentur unctiones, scilicet oculorum, aurium, Narium, Oris, manuum, propter quinque sensus externos, deindè sexto pedum, propter gressus, septimo renum propter delectationem carnis. Hæc forma est deprecativa triplici ratione, inquit Doctor Seraphicus D. Bonaventura. Prima est ex parte suscipientis, qui propter infirmitatem est detentus, ac proindè oratione relevandus. Secunda ex parte modi curandi, qui est per devotionem, & elevationem animæ ad spiritualia. Tertia est ex parte morbi: Igitur forma extremæ-unctionis debet esse deprecatoria, quæ est conformior nedum verbis Sancti Jacobi; (qui tribuit efficatiam hujus sacramenti orationi. *Oratio fidei* inquit *salvabit infirmum.*) Sed etiam naturæ hujus sacramenti, cujus particulæ essentiales sunt. *Per unctionem indulgeat tibi Deus*, quæ deprecatoriæ sunt; nihilominus non desunt Doctores existimantes formam indicativam sufficere, idque probant ritu Ecclesiæ Mediolanensis, & venetianæ, quæ in hoc sacramento conferendo utuntur formâ verbis indicationis expressâ, quarum Ecclesiarum ritum non improbat Ecclesia Romana. Sed hoc non obstat. Quia licet in prædictis Ecclesiis presbiteri dicant *Ungente oleo Sancto* & loquantur in propria persona, loquuntur tamen modo deprecativo, ut fusè probatum manet in cursu Theologico. Alij volunt esse de necessitate hujus sacramenti, quòd unctio fiat in figuram crucis, ut in confirmatione; sed hoc est falsum; cùm id ex institutione sacramenti non colligatur, nec infirmus ungatur ad confitendum nomen Domini coram tirannis, ut confirmatus.

V. Major difficultas est, An septem prædictæ unctiones sint essentialiter necessariæ, ut sacramentum sit validum? plures affirmant cùm fabro nostro in 4. dist. 23. Sed displicet hæc opinio. Quia septima ex præscripto Ecclesiæ ad Honestatem, in fœminas non exercetur, & tamen sacramentum ipsis validè confertur. Alij volunt ad validitatem hujus Sacramenti, necessariò, & essentialiter requiri quinque unctiones in quinque corporis sensibus. Ita Scotus, Bonacina, Layman, Aversa, & alij gravissimi, quos sequitur Gonetus. Ab hac sententia tamen recedo: nam in necessitate hæc unctio *Per istam Sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum*: Facta in quocumque corporis sensu sufficeret, sicut ad baptismi essentiam sufficit una ablutio cujuscumque partis; cùm homo per illam unctionem dicatur unctus, sicut per unam ablutionem dicitur ablutus, & ex illis verbis Apostoli Jacobi, *ungentes eum oleo* unica unctio colligi possit; sicut ex illis Math. ult. cap. *Baptisantes eos*: unica ablutio colligitur; igitur asserendum est unctiones dis-

tinctas quinque sensuum non esse de necessitate sacramenti; sed præcepti, in quo dispensat necessitas; quæ dum est extrema excludit omnem legem can. *Exjit* de verbor. signif. in 6. Et facit licitum quòd prius erat illicitum Cap. *Quòd non est licitum* de regulis juris. Ita Coninch, Sylvius, Abellius, majorem Doctorum partem citantes. Eorum ratio est: quia si sub una forma quinque sensus ungantur nominatim, ipsa unctio in sensu, & significatione æquivalet quinque formis sigillatim prolatis, eumdemque effectum causat. Hanc ipsam unicam unctionem in necessitate multa Ritualia approbant; præsertim Codex, Remigij Rhemensis, Pastorale Mechliniense à facultate Louaniensi approbatum. Pastorale Bartholomæi ab Aula: sunt alia testimonia quæ videri possunt apud Estium, Sylvium, & alios authores hanc materiam fusius tractantes.

VI. Alterius sententiæ fundamentum est: quia Ecclesia Romana, quæ in rebus ad fidem, & ad sacramenta pertinentibus, est sequenda. Can. *Rogamus* 24. quæst. 1. servat unctiones quinque sensuum, etiam in necessitate: Et indè inferunt quinque unctiones esse necessariò adhibendas in quinque sensibus corporis, ut sacramentum sit validum, & Tollat peccatorum reliquias, quæ vigent in quinque corporis sensibus; Sed neganda est illatio. Quia aliud est Ecclesiam Romanam quinque sensus semper ungere, quòd non diffitemur; & aliud credere distinctas unctiones quinque sensuum esse de essentia sacramenti, & ad ejus validitatem necessarias, quòd negamus. Tum quia ex verbis Apostoli Jacobi, non infertur unctionum pluralitas. Tum qui forma venecta, quæ unius unctionis meminit, teste Contensone, approbata fuit à Leone X. Et Octavius Tricariensis nuntius Apostolicus per Germaniam, & Belgarum Provincias, in directorio Ecclesiasticæ disciplinæ approbat unicam unctionem factam tempore pestis: Nec per illam minus tolluntur reliquiæ peccatorum: quia non sunt in sensibus corporis, sed in anima, cui Sacramentum effectum suum confert; & ideo tolli possunt per unicam unctionem omnes sensus exprimétem; cùm æquivalcat in necessitate singulis unctionibus, quæ solitò fiunt.

VII. Solus sacerdos est minister hujus sacramenti Can. *Quæsivit* de verb, signif. Idem colligitur ex illo Jacobi, *infirmatur quis in vobis, inducat presbiteros Ecclesiæ.* Et unus sufficit; quamvis Apostolus Jacobus loquatur in plurali, & dicat *inducat presbiteros*: quia idem est ac si diceret, inducat aliquem ex presbiteris Ecclesiæ, ut vertunt Concilium Aquis gravense can. 5. Et hincmarus Rhemensis: Nam Apostolus ad Hebræos scribens ait de Prophetis *Obturaverunt ora Leonum, lapidati sunt, secti sunt* Cap. 11. tamen qui obturavit ora Leonum fuit unus Daniël, & qui lapidatus, est unus Jeremias, & qui sectus, est unus Isaïas: dicimus etiam peccata esse confitenda sacerdotibus, uni tamen confitemur, undè si duo adessent sacerdotes, quorum unusquisque unctionem faceret, unus in oculis, & alter in manibus cùm prolatione verborum, sacramentum esset validè administratum, quamvis illicitè: Eo quòd istud sacramentum, nequeat licitè conferri, nisi à Parocho, vel ab alio cui parochus licentiam dedit; ut constat ex Clementina *de privilegiis*, & ex Clementina *dudum* de sepult. Absente tamen parocho, vel eo per evidentem malitiam recusante, posset quilibet sacerdos etiam regularis in casu necessitatis requisitus, extremam-unctionem conferre: quia intentio Ecclesiæ in prædicta Clementina non est privare tales moribundos hujus sacramenti beneficio: ut in primo libro dictum est de Eucharistia moribundo ministranda in simili casu; sed solùm coërcere regulares, nè inuadant officium parochorum, quibus de officio incumbit animarum cura: Sic Doctores communiter sentiunt. An vero alius sacerdos debeat necessariò istud sacramentum perficere, si primus morte præventus, aut ob aliam causam non perficiat? affirmant Filiucius, Suarez, Reginaldus, Villalobos, omissis unctionibus ab alio, seu à priore sacerdote factis: volunt enim Sacramentum non producere effectum, nisi post quintam, seu ultimam unctionem. At probabilius est id non esse necessarium pro validitate Sacramenti, licet fieri possit: Nam ratio, & essentia hujus sacramenti in causa necessitatis, in unica unius sensus unctione salvatur. Ideoque sacramentum esset validum.

VIII. Fateor tamen quòd iste infirmus non reciperet omnes gradus gratiæ sanctificantis, quos recepisset, si sacerdos alter omnes unctiones perfecisset, vel primus sacerdos morte præventus, unxisset

cum unica unctione omnes sensus exprimente, scilicet, dicendo *indulgeat tibi Deus quidquid per sensus deliquisti.* Ratio nostra est: Quia gratia non confertur per hoc sacramentum statim, ac omnes illæ quinque unctiones cùm suis formis corrrespondentibus, complentur, & perficiuntur; ut docuit Suarez. Nec confertur tota in primâ unctione; ut docuere Becanus, Sylvius, Leander, & alij: Nam per singulas unctiones conferuntur singuli gradus gratiæ sanctificantis; ita quòd sicut sunt quinque unctiones partiales, quælibet cùm sua forma, ita sunt quinque distincti gradus gratiæ, qui adæquatum hujus Sacramenti effectum constituunt; ut docuit Scotus dist. 23. Quem sequuntur Frasſenius, Paludanus, Adrianus, canus. Argumentum hujus assertionis est: Quia in qualibet unctione reperitur propria materia, & propria forma, & intentio ministri, sicut in quolibet ordine, quorum quilibet ex septem proprium gradum gratiæ confert, ex quibus completur, & perficitur hujus sacramenti ordinis gratia: Quia singuli habent partialem materiam, & formam distinctam. Nec obstat dicere gratiam non dari per partes, nec peccata divisim remitti: Quia non est inconveniens gratiam gradatim, aut partialiter conferri per illa Sacramenta, quæ sunt unum tantum unitate integritatis; non autem indivisibilitatis. Nec est inconveniens unum peccatum veniale remitti post aliud; cum gratiam non expellat, sicut mortale; Quòd nequit remitti, quin simul remittantur omnia quæ sunt in anima.

IX. Quamvis hoc sacramentum sit ex natura sua iterabile, non debet tamen iterari, dum idem durat mortis periculum, & morbi status: Quia semel in eadem infirmitate receptum, est sufficiens medicina ad conferendos effectus, quibus infirmus indiget durante eadem infirmitate; ut ergo idem homo possit illud in eadem infirmitate pluries recipere, necesse est quòd infirmus pluries exponatur periculo mortis; & quòd inter utrumque periculum, notabilis mora interveniat, ut illa duo pericula, verè ac certò disiuncta dici possint. Etenim istud sacramentum datur ad Corroborandum infirmum contra diabolicas tentationes, & ad Tollendas peccatorum reliquias, quæ per id tempus iterùm contrahi possunt.

X. Hujus sacramenti subjectum est solus Christianus Viator, Adultus, & infirmus, de cujus salute multum timetur; ut colligitur ex verbis Jacobi Apostoli suprâ relatis, & ex Tridentino: Nam solus Christianus est capax confirmationis; Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum. Solus adultus potest habere peccata venialia; cùm pueri antè usum rationis venialiter peccare nequeant. Tandem solus infirmus ex divo Jacobo ad presbiteros est remittendus pro unctione suscipienda: Igitur solus Christianus viator, adultus, & infirmus, est subjectum capax extremæ unctionis. Ideoque hoc Sacramentum non est ministrandum damnatis ad mortem adhuc corpore sanis, nec in periculo naufragij, aut belli constitutis: Quia homo Sanus est incapax hujus sacramenti: ut liquidò constat ex verbis divi Jacobi, & ex tridentino sess. 14. Can. 2. Sed potest ministrari illis, quos extremæ senectutis Languor in periculum imminentis mortis adduxit: potest etiam conferri lethaliter vulneratis, aut peste percussis, morsu viperarum læsis, mulieri parturienti cujus vita periclitatur; ut communiter asserunt Doctores: Quia hujusmodi personæ reverà sunt infirmæ præ doloris magnitudine: cùm habeant intrà se proximam causam mortis. An verò teneantur in his casibus fideles sub mortali hoc sacramentum suscipere? Nego: Quia non est ita necessarium ad salutem, ut sinè illo salvari quis non possit; ut fatentur omnes Doctores, nullus tamen fidelium potest illud sinè peccato negligere, nec contemnere ut habetur in Bulla Martini V. & in Tridentino loco citato Can. 3. Indè infero fidelem infirmum, cui à parocho defertur, vel à parentibus offertur hoc sacramentum, non posse illud recusare, sine peccato Mortali: Quia hoc est negligère, ac contemnere illud.

XI. Sacramentum istud suscipiens, debet ab omni peccato mortali esse purgatus: est enim sacramentum vivorum, quod post absolutionem solet conferri; potest nihilominus ministrari illi, qui morte repentina præventus, absque confessione, omnibus sensibus reperitur privatus; Ut constat consuetudine Ecclesiæ, quæ hujusmodi homines unctos Oleo Sancto, sepulturæ Ecclesiasticæ tradit, licet absque ulla confessione, aut contritionis signo decesserint. Ita Ægidius disp. 19.

num. 23. debet insuper sacramentum istud suscipiens habere fidem, & spem consequendi sanctitatem animæ, & corporis salutem, si hæc sanctitati expediat; Et intentionem suam, ac preces unire intentioni, & precibus Ecclesiæ. Ut colligitur ex Catechismo Romano. Illi autem qui infirmo adstant dum extremæ unctionis sacramentum ministratur, debent orare pro eo; ut decernit Concilium Mediolanense 1. p. 2. tit. Quæ pertinent ad extremam unctionem.

XII. Primarius, ac principalis extremæ unctionis effectus, est infusio gratiæ habitualis quatenus habet annexam remissionem finalem peccati venialis, non autem mortalis, licet hoc etiam remittat per accidens. Ita Doctor subtilis in 4. dist. 23. Quem sequuntur Brancatus, Faber, Mastrius, Frassenius, & alij communiter. his suffragatur tridentinum Can. 2. de extrem. loco citato dicens *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec dimittere peccata, nec alleviare infirmum; sed jam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.* Quibus verbis significat primum & præcipuum hujus sacramenti effectum esse remissionem peccatorum; non mortalium; istorum enim remissio per se spectat ad baptismum, & pœnitentiam: ergo venialum per se, & mortalium per accidens; sicut juxtà aliquorum Theologorum sententiam, eadem mortalia remittuntur à sacramentis vivorum. Undè infirmo administratur primo pœnitentia, secundò Eucharistia, Tertio autem extrema unctio; ut suscipiat gratiam quatenus habet annexam remissionem finalem peccatorum venialium. Nec potest assignari alter effectus in ordine ad salutem animarum, distinguens extremam unctionem ab alijs sacramentis; cùm omnia causent ex opere operato gratiam, aut gratiæ augmentum. Quod autem per accidens causet remissionem mortalium patet: si infirmus habeat ejusmodi peccata, quæ bona fide, & invincibiliter ignorat, sitque attritus: id enim colligitur ex ultimis verbis divi Jacobi cap. 5. *Et si in peccatis sit remittentur ei.* Quæ cùm conditionalia sint, non intelliguntur de mortalibus primario remittendis; ita ut primarius hujus sacramenti effectus sit remittere mortalia: quia primò intentionaliter institutum est, pro delendis peccatis venialibus; sed de secundariò, & per accidens. Idem suadent verba hæc. Quibus forma constat, nimirùm *Indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti.* Quæ cùm indefinita, & generalia sint, de peccatis, etiam de mortalibus intelligi possunt, modò jam explicato, puta de secundario, & per accidens. Et de venialibus per se, & primario. Nec obstat dicere illam loquendi formam *si in peccatis sit* non est judicium rei dubiæ, & incertæ, ac proindè non posse intelligi de mortalibus; ita ut sint materia in hoc sacramento remissibilis; alioquin peccata mortalia non essent materia pœnitentiæ; cùm remitterentur per extremam unctionem si essent in infirmo: non obstat inquam qui non dicimus extremam unctionem remittere per se mortalia, ut pœnitentia; sed per accidens modo explicato. Idest si sit in peccatis mortalibus inculpabiliter, per susceptionem pœnitentiæ remittentur ei. Igitur juxtà divum Jacobum extremæ unctionis effectus, sunt corpus, & animam salvare, mentem elevare, à nimia ægritudine, qua à divinis abstrahitur, & peccata dimittere. Idem docet tridentinum loco citato, cui subscribunt omnes Theologi.

XIII. Maxima difficultas est, an hoc sacramentum ad productionem horum effectuum postulet, ut subjectum, seu infirmus aliquando peccaverit actualiter? Filiucius, Villalobos tom. 1. tract. 10. diff. 4. Paludanus, Bonacina, aliique gravissimi citantes. D. Antoninum negant: tuentur enim varijs rationibus extremam unctionem conferri posse homini, qui nunquam peccavit actualiter, & de facto ministratam fuisse Virgini Mariæ, quæ nunquam peccavit, nullumque peccatum habuit; ut ait Suarez. Sed altera opinio videtur mihi probabilior, atque conformior institutioni extremæ unctionis: instituta enim fuit pro infusione gratiæ habitualis, quatenus habet annexam remissionem finalem peccati venialis; ut in præcedenti numero dictum est. Eoque argumento infans ante usum rationis, est incapax hujus sacramenti: igitur incapax est etiam ejusdem Sacramenti, ille, qui nunquam peccavit actualiter, cùm sit Innocens sicut parvulus ille. Idem colligitur ex verbis Jacobi *infirmatur quis in vobis, &c.* His namque constat illud Sacramentum non posse conferri sanis; Sed ex sequentibus, *& si in peccatis*

sit remmittentur ei. Sequitur idem sacramentum non esse Innocentibus conferendum: Quia faciunt hunc sensum *si adhuc sit in peccatis remittentur ei.* Ut subtiliter advertit Mastrius, & consequenter loquebatur de infirmis in quibus supponebat prius fuisse aliquod peccatum actuale, ac personale, non autem de infirmis absolute; alias Ecclesia tanto sacramento privaret sinè causa pueros infirmos. Quare Tridentinum cap. 2. de effectu hujus sacramenti ait *cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expienda*: ut ostendat Apostolum locutum fuisse de infirmo peccatore habituali. Undè quemadmodum Sanus, est incapax hujus sacramenti; quamvis sit peccator; incapax est etiam innocens, qui nunquam peccavit, quamvis sit infirmus. Nec potest assignari major ratio de uno, quàm de alio. Idem colligitur ex verbis istis *indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti*, sinè quibus, hoc Sacramentum nequit conferri: supponunt enim subjectum aliquando peccasse: Quia verificari non possunt de homine, qui nunquam peccavit; cùm impossibile sit quòd Deus indulgeat infirmo quidquid per visum, aut alium sensum deliquit; si ipse infirmus nullum peccatum commiserit per visum, nec per alium sensum: ergo certum est juxta intentionem Ecclesiæ, innocentem, qui nunquam peccavit esse hujus sacramenti incapacem, sicut Sanum corpore. Tandem ex Tridentino hoc Sacramentum est consummativum pœnitentiæ, & ideo homini cui non potest conferri pœnitentiæ Sacramentum, nequit etiam conferri extrema unctio. Sicut homini, qui non est sacerdos, non potest conferri Episcopatus ex D. Thoma, & ex adversarijs: Quia Episcopatus est complementum sacerdotij: ubi enim non potest esse res, nec etiam ejus consummatio esse potest: atqui pœnitentiæ sacramentum nequit esse in illo, qui nunquam peccavit, licet peccare potuerit: ergo neque extrema-unctio potest esse in illo. Ita divus Bonaventura in 4. dist. 23. art. 2. quæst. 3. Scotus, Sancius, Vasquez, Mastrius, & alij.

XIV. Ratio adversariorum est: Quia peccatum actuale non est materia hujus Sacramenti. Id inferunt ex illis verbis, *Et si in peccatis fuerit remittentur ei.* Igitur si peccata non fuerint, Sacramentum potest confici; cùm sacramenta tribus tantum conficiantur, scilicet materiâ, formâ, & intentione ministri, ut constat ex Florentino. Respondetur primo negando suppositum: Quia peccata venialia finalia, & eorumdem reliquiæ sunt materia, circà quam hujus sacramenti, sicut finalis remissio eorumdem, est ejus effectus primarius, & principalis; ut jam diximus. Secundò dato, & non concesso quòd peccata finalia non sint materia, sunt tamen conditio sinè qua non, & absolutè necessaria, ut forma hujus sacramenti producat id, quòd significat, & verificetur de eo, qui Sacramentum suscipit; cui dici non potest *indulgeat tibi*, &c. Si nunquam peccaverit.

CAPUT XXVI.

De Sacramento Ordinis.

I. INTER septem novæ legis Sacramenta, ordinem numerant Concilia, & præsertim Tridentinum sess. 23. cap. 3. ubi legitur. *Cùm scriptura testimonio, Apostolica traditione, & patrum unanimi consensu prespicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse verè, & propriè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.* Et Can. 3. ait. *Si quis dixerit ordinem sivè sacram ordinationem non esse verè, ac propriè sacramentum à Christo Domino institutum, anathema sit.* Illumque divident in septem species: nam ex eodem Concilio septem admittuntur in Ecclesia Ecclesiastici ordines propriè dicti, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus Diaconatus, & Presbiteratus, quos etiam recenset Clemens Papa Epist. 1. Ad Jacobum Fratrem Domini. Ex prædictis septem ordinibus, tres posteriores dicuntur majores, seu sacri, & quatuor priores dicuntur minores, seu non sacri, omnes tamen comprehenduntur sub definitione sacramenti ordinis generatim sumpti; quæ est hæc, *Signaculum quoddam sacrum, quo Spiritualis potestas traditur ordinato*

ad aliquod ministerium circà Eucharistiam exhibendum; factum à ministro idoneo certa verba proferente cùm intentione debita, ex institutione divina efficaciter significans gratiam praeminentem. Quatuor priores non impediunt matrimonium: Bellè quidem tres posteriores, seu sacri can. *omnium* dist. 32.

II. Episcopatum esse verum ordinem, verumque Sacramentum, nullus Catholicorum inficiatur: disputatur tantum inter Canonistas, an sit ordo à sacerdotio adæquate distinctus? D. Bonaventura, Alensis, Albertus magnus, & ferè omnes Thomistæ negant cùm D. Thoma in 4. Sententiarum. Ex adverso Scotus, Barbosa, Altisiodorensis, Paludanus, Bassolius, Bellarminus, Covarruvias, Cabassutius, & ferè omnes Canonistæ in Can. *Cleros* dist. 21. Et novissimè Contensonus lib. 11. part. 4. dissert. 2. cap. 1. citans D. Thomam: ibi enim ait de illo Sancto Doctore, *quamvis in 4. sentent. docuerit Episcopatum non esse ordinem, senior tamen factus sententiam mutavit*: nam in opusculo de perfectione vitæ cap. 24. habet. *Quòd quartò proponitur, quòd Episcopatus non est ordo, hoc manifestè continet falsitatem, si absolutè intelligatur.* His suffragatur Tridentinum sess. 23. cap. 4. Ubi legitur, *docet insuper Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, & cæterorum ordinum, &c.* Quibus verbis Concilium, inter sacras ordinationes numerat Episcoporum ordinationem, tanquam distinctam ab ordinatione sacerdotum. Et Canon. *omnium*. dist. 32. Quo ordines majores, seu sacri sunt quatuor incipiendo à subdiaconatu, usque ad Episcopatum: igitur probabilius est Episcopatum esse verum ordinem: verumque sacramentum distinctum à sacerdotio. Ita docent Eckjus, Major, & Mastrius disp. 19. num. 7. in fine. Ubi inquit: sanè omnino absurdum videtur, quòd ordines minores, aut etiam Diaconatus, & Subdiaconatus sint ordines propriè dicti, & non Episcopatus; cùm hæc potestas sit longè excellentior illis. Rationabilis quidem est hæc admiratio: Quia ex Tridentino loco citato can. 7. Episcopus est major presbitero, & diversus minister. Et ex can. *Si servus sciente* dist. 54. Episcopatus dicitur ordo liberans à pœnis, à quibus non liberant cæteri ordines.

III. Plura Episcopatui conveniunt, quæ sacerdotio secundum se considerato, minimè competunt: Sacerdos non potest vasa altaris consecrare, nec chrisma conficere can. *litteris vestris* de consecrat. dist. 3. Nec ordines conferre: tamen hæc omnia, & alia quæ sacerdotis potestatem excedunt, fieri possunt ab Episcopo. Ex quo sequitur Episcopatum non esse realiter sacerdotium completum, aut consummatum; ut volunt adversarij; sed ordinem distinctum; alias sequeretur quòd ea, quæ conveniunt Episcopo, convenirent sacerdoti; cùm de uno, & eodem charactere non possit verificari, & non verificari idem prædicatum. Nec valet adversariorum responsio: nimirùm hujus diversitatis. Robur fundari in extensione sacerdotij, quæ est Episcopatus; quia illa potestas, qua Episcopus facit ea, quæ facit, quæque non potest facere sacerdos, vel est potestas jurisdictionis, quam sacerdos non habet, sicut potestas absolvendi est postea, seu jurisdictio confessarij, quâ sacerdos non approbatus, caret: vel est potestas ordinis: non primum; quia potestas jurisdictionis auferri potest per superiorem: ut patet de potestate absolvendi à peccatis sacerdoti concessa: ergo est potestas ordinis: tum quia Episcopus est major presbitero, & diversus minister Cap. *Quamquam* 2. quæst. 7. Idem ex Tridentino sess. 23. de ord. can. 7. rum ordo propriè dictus (v. g.) Diaconatus, est ritus, seu Cæremonia Sacra, qua confertur potestas, per quam aliquis est alio superior, vel inferior in ordine ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut dispensandum: etenim hac ipsa ratione quatuor minores ordines, Subdiaconatus, & Diaconatus sunt verè ordines: sed Episcopatus talis est; licet enim ex se non ordinetur ad conficiendum per se Corpus Christi in Eucharistia, Ad quòd per se ordinatur presbiteratus; ad illud tamen ordinatur, sicut Subdiaconatus, scilicet in quantum per potestatem Episcopalem, Episcopus potest alijs conferre potestatem conficiendi, & dispensandi Eucharistiam. Igitur Episcopus est verus ordo Ecclesiasticus, Eucharistiam remotè & mediatè respiciens.

IV. Solitò sic impugnatur propositio nostra. Primò In Ecclesia sunt tantum septem ordines, quos numerant Concilia, in quibus Episcopatus non reperitur. Secundò Si Episcopatus esset ordo distinctus à

sacerdotio, & sacerdoti distinctum adderet characterem; posset validè suscipi antè sacerdotium, sicut sacerdotium valet validè suscipi antè Diaconatum; sed hoc est falsum: quia ordinatio Episcopi, non præmisso sacerdotio, nedum esse illicita, sicut ordinatio sacerdotis, non præmisso Diaconatu esset etiam invalida: ergo non est ordo sicut Diaconatus. Respondetur ad primum nullibi definitum esse dari tantum septem ordines; licet in Concilijs septem tantum numerentur: insuper respondetur nequando in numero septenario Episcopatum non reperiri: quia sacerdotium, quòd à Concilijs inter ordines numeratur, est unum unitate genericea in Duas species Divisum; quarum una est Episcopatus, & altera presbiteratus; ut docet Anacletus Papa in Epist. decretali. Dicens Bipartitum esse ordinem sacerdotum: vnum Episcoporum, alium presbiterorum. Ad secundum respondetur paritatem esse nullam: quia Diaconatus debet sacerdotium præcedere, solùm ex præcepto Ecclesiæ; non autem ex necessitate sacramenti, ex qua necessitate sacerdotium debet Episcopatum præcedere; sicut baptismus cætera sacramenta: quia Episcopatus institutus fuit pro ordinandis sacerdotibus; ideoque necesse est ut sacerdotium includat; cùm nemo det quòd prius in se non habet: undè ordinatio Episcopi non præmisso sacerdotio, debet esse invalida; sicut absolutio sacramentalis est invalida, non præmisso baptismo; quamvis ordinatio sacerdotij sit valida, omisso Diaconatu.

V. Materia remota sacramenti ordinis in generali est res illa, quæ ab Episcopo traditur suscipienti ordinem, proxima verò est illius rei traditio: forma autem consistit in verbis, quæ Episcopus profert tradendo materiam; ut decrevere Concilia. Idcirco materia remota ostiariatus, sunt claves Ecclesiæ, proxima verò est earumdem clavium traditio; forma autem cōsistitquæ in his verbis ab Episcopo claves porrigente proferuntur, *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus clauduntur.* Hinc est quòd pulsatio campanæ non est materia hujus sacramenti: eo enim tempore, quo traditur campana, aut funis ad eam pulsandam, verba non pronunciantur ab Episcopo. Materia remota lectoratus, est liber in quo continentur duo testamenta, proxima verò est traditio ejusdem libri; & hæc verba *accipe, & esto verbi relator, &c.* Sunt forma. Materia remota exorcistatus est liber exorcismorum ad repellendos dæmones ab obsessis; traditio ejusdem est proxima. Forma autem hæc verba *accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos sivè baptizatos, sivè cathecumenos.* Tandem Materia remota Acolytatus sistit in cereis extinctis, & urceolis vacuis, proxima verò in traditione eorumdem; in istis verbis ab Episcopo prolatis (*accipe ceroferarium cùm cereo, & urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Domini*) sistit forma. Ita omnes Canonistæ.

VI. Inter quos solùm difficultas est satis gravis, an sit de necessitate Sacramenti quòd ordinandus in ostiarium, lectorem, exorcistam, & Acolytum, aut in alium ordinem sacrum Physicè tangat rem, aut materiam, cujus traditione confertur ordo, & imprimitur character? Albertus Magnus, Caïetanus, victoria, Emmanuel Sâ, & alij negant: quia (inquiunt) ad verificationem formæ, non est necessarius contactus Physicus materiæ, seu libri, Clavium, Calicis, &c. Ut enim Episcopus dicat verè, & propriè *accipe hoc* non est necesse, ut ille cui porrigitur, accipiat illud, sed sufficit, ut illi porrigatur. Ex adverso Sanctus Thomas in 4. dist. 24. quæst. 1. Paludanus, Sotus, Villalobos, & alij gravissimi, quorum sententiam tueor affirmant: nam in omnibus alijs sacramentis, requiritur quòd recipiens Physicè, & realiter attingat; ut in baptismo aquam, in confirmatione chrisma, in Extrema-unctione oleum, &c. Igitur necesse est nedum necessitate præcepti, sed etiam sacramenti, quòd ordinandus Physicè tangat materiam ordinis, seu quòd Physicè, & verè recipiat, quòd illi offertur; Aut quòd applicetur illi res oblata, quæ per contactum moralem non videtur sufficienter applicata ordinando, qui non erit verè ordinatus, nisi Physice materiam ordinis tetigerit; ut probat factum Clementis VIII. à Mastrio, & alijs relatum; nam ille summusPontifex speciali diplomate decrevit reordinari saltem sub conditione, omnes quos tunc temporis ordinaverat Episcopus sagiensis, eo quòd nec Episcopus ille per se ipsum tradidisset ordinandis instrumenta, nec ordinandi instrumenta illa Physicè tetigissent. Idem probatur ex Can.

Exorcista 23. Qui declarat exorcistam ordinari per receptionem, seu acceptionem libri exorcismorum: indè apparet falsitas argumenti in oppositum adducti: quia forma *accipe* non verificatur de eo, qui non recipit; cùm *accipe*, ut sit omni ex parte perfectum, atque efficax, necesse sit quòd sequatur receptio, cùm proferatur, ut res accipiatur; & præsertim in sacramentis.

VII. Quilibet ordo suum habet officium: munus ostiarij est aperire, & claudere januas Ecclesiæ, necnon eas obserare infidelibus; & reserare fidelibus, Can. *perlectis* dist. 25. curare nequis laïcorum propius ad altare accedat, dum sacra misteria celebrantur: campanas pulsare, & fideles ad Ecclesiam convocare, ut divinis misterijs, & officijs intersint. Ad lectorem autem pertinet legere ad populum lectiones sacras; sivè simpliciter recitando, sivè canendo Can. 14. Concilij Nicæni 2. quo lectiones sacras legere in Ecclesia prohibetur tonsuratis, & lectoribus permittitur: ad ejusdem lectoris munus spectant etiam ea, quæ prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare, & libros tam veteris, quàm novi testamenti pronunciare, necnon eos qui possunt ad fidelium eruditionem, & pietatem conferre in Templo Dei: ideoque nullus debet ad lectoratus ordinem promoveri, nisi scientia litterarum sit ita instructus, ut sensus verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat; ut attendere valeat quid sit indicativè legendum, quid sit interrogativè, ubi sit in oratione subdistinctio, medij distinctio: quia hæc malè servata intellectum perturbant, & Grammaticorum typum ad risum provocant: ita Ivo Carnotensis serm. de excellentia sacrorum ordinum.

VIII. Exorcista, qui idem sonat, ac adjurans, seu increpans Can. *Cleros* dist. 21. suum habet in Ecclesia officium, quòd est Exorcizare Cathecumenos, & Energumenos imponendo eis manus Can. *perlectis* dist. 25. & utendo verbis imperativis, comminatoriis, ac coactivis; cùm Exorcizans sit adjurans; & increpans. Hinc est quòd Exorcismi non concluduntur hac vulgari formulâ *per Christum Dominum nostrum*, sicut concluduntur aliæ preces, quæ in Ecclesia fiunt; sed his verbis per eum qui venturus est judicare sæculum per ignem. Ita observavit Michrologus lib. de observatione Ecclesiast. cap. 7. cui addo observandum ex Can. *Tabernaculum* de consecrat. dist. 1. Exorcismum fieri non posse in domibus privatis. Acolyti autem officium est accendere, & portare luminaria in Ecclesia in signum lætitiæ, & veritatis, nimirum Christi, qui veniens in mundum dixit. *Ego sum lux mundi*; *ego sum veritas*. Ad ejusdem Acolyti officium spectat præparare ea, quæ ad sacrificium altaris necessaria sunt Can. *perlectis*. dist. 25.

IX. Incapacitas ad suscipiendos ordines, est repetenda ex quadruplici capite; ut notat Scotus in 4, dist. 25. quæst. 1. nimirum ex parte sexus, ætatis, infirmitatis, & pœnæ Ecclesiasticæ. Ex primo capite, nulla mulier potest ordinari; ut constat in jure, & ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 2. *docere mulierem non permitto*. Quòd non est dictum Apostoli, tanquam Apostoli statuentis; ut observat idem Doctor Subtilis: sed Christi, qui id non permisit: hujus prohibitionis ratio à Doctore Seraphico assignata est: quia in sacramento ordinis, persona quæ initiatur significat Christum mediatorem, cujus officio fungitur; ut monet Apostolus ad Corinth. 2. cap. 5. dicens *pro Christo legatione fungimur*. Nec valet oppositum inferre ex illo ad Galat. 3. *in Christo Jesu non est servus, neque liber, non est masculus, neque fæmina* quibus suadere videtur in lege Christi nullam esse differentiam sexus: quia ibi Apostolus non est intelligendus quoad officium; sed solùm quoad meritum; ut subtiliter interpretatur Scotus. Atqui mediator fuit vir: igitur solus vir, hicque baptizatus, est hujus sacramenti capax, quin fæmina possit illud suscipere; etiam interveniente summi Pontificis dispensatione: quoniam mulierum incapacitas est de jure divino; nec valeret hæc dispensatio: etiamsi interveniret pro prima tonsura suscipienda; quamvis juxtà nonnullos non sit verus ordo; quia est quædam præparatio instituta ab Ecclesia, qua tenditur in sacerdotium; quæ prohibetur illi, cui prohibetur Sacerdotium; ut facilè colligi potest ex 39. regula juris in 6.

X. Altera incapacitas, quæ ex ætate provenit, tripliciter consideratur: ætas enim requiritur 1. ut ordo cùm debita reverentia suscipiatur. 2. ut recipiatur licitè, & juxtà legum Ecclesiasticarum præscripta. 3. ut suscipiatur validè, quamvis indebitè;

unde

undè puer antè usum rationis non potest recipere ordinem cùm debita reverentia, & omni dispositione convenienti; ut est manifestum; neque licitè, seu secundum leges Ecclesiasticas, quibus constitutum est, ut non nisi certa determinata ætate discretionis promoveri quis possit ad ordines: nam ex Tridentino sess. 23. Tempus ætatis ordinandorum assignatum fuit: potest tamen puer ante rationis usum validè promoveri ad quemcumque ordinem, excepto Episcopatu; ut Doctores communiter referunt paucis reclamantibus, non obstat jus statuens infantem non posse ordinari: quia jus illud non loquitur de ordinatione valida; sed solùm de licita, & reverentiali: ut tradit glossa in cap. de clero per saltum ordin. verbo *discretionis* excepit Episcopatum, cujus ordinatio antè usum rationis, nedum est illicita; sed etiam invalidà: quia in Episcopatùs ordinatione contrahitur matrimonium spirituale; ut inquit D. Bonaventura: quód utique necessario requirit usum rationis, & libertatis, atque consensum ad suscipiendam Ecclesiam in sponsam sibi delegatam. Ita D. Thomas, Scotus, Ricardus, Sylvester, & alij; qui indè concludunt puerum ordinatum, aut ad sacros ordines promotum, non teneri posteà in ordine sibi antè usum rationis collato, perseverare; sed posse illi renunciare, & matrimonium contrahere: quia nemo obligari potest ad votum continentiæ, nisi velit; cùm ex Apostolo de virginibus nullum Domini præceptum habeamus, & omnis obligatio susceptioni ordinum annexa solum ligat illos, qui uoluntariè ordines suscipiunt, eosque exercere intendunt.

XI. Illi, qui ratione infirmitatis sunt incapaces, & removendi ab ordinibus suscipiendis; sunt primò omnes, qui propter corporum defectus Ecclesiastica munia exercere nequeunt: ut manci, claudi, uno occulo orbati, mutilati, aut insigniter deformes; ut declarat distinctio 55. Can. *exposuisti* de corp. vitiat. non ordin. At si mutilatio non sit deformis, nec ipse mutilatus, fuerit in culpa illius mutilationis, non est arcendus: Can. *si quis pcsitus* ejusdem distinctionis. Secundò sunt servi Can. *consuluit* de serv. non ordin. Ratio Doctoris Subtilis est: quia servus est possessio Domini, & ideo non debet ab eo auferri, ipso invito: quando autem ordinatur, fit inhabilis ad quosdam actus servi. Undè servus contrà Domini sui voluntatem ordinatus, restitui debet Domino suo; qui tamen non debet cum actibus dedecentibus ad ordinem suum, applicare; Si verò ordinatus fuerit, Domino sciente, & non contradicente, non debet ipsi Domino restitui; sed remanet liber Can. *si servus sciente* dist, 54. remanet etiam liber, si ordinatus fuerit in Sacerdotem, quamvis Dominus nescierit: ut constat ex Can. *Ex antiquis* dist. 54. Tertiò Sputij, & hi homines qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati: spurius autem dicitur, qui à patre conjugato, ex aliqua muliere nascitur, vivente prima uxore, aut nascitur ex parentibus habentibus impedimentum derimens matrimonium tempore conceptionis, & nativitatis: cujusmodi sunt nati ex conjugato, & soluta, vel nati ex clerico in sacris constituto, & soluta Can. *tanta* qui filij sunt legit: filij verò, qui nascuntur extrà matrimonium ex personis carentibus omni impedimento derimente, dicuntur filij naturales Can. *liberi dicti* 32. quæst. 4. quantum ad incapacitatem, quæ provenit ex pœna Ecclesiastica. Vide in 3. lib. de irregularitate.

XII. Quantum autem ad alias dispositiones in ordinandis requisitas, præter confirmationem, (quæ omnes ordines præcedere debet ex Tridentino sess. 23. de reform. cap. 4.) in primis necessaria est vitæ sanctitas: quia ministerium sanctum est, & ad sanctitatem populorum destinatum; igitur ut nomen congruat actioni, & actio nomini correspondeat, necesse est quòd ordinandi sint viri probi, laïcis prælucentes verbis, & operibus, & habeant intentionem serviendi Ecclesiæ; secundò, debent habere sufficientem scientiam; ut alibi diximus, & scire leges Domini: nam inquit D. Hyeronimus in cap. 2. Aggæi. *Sacerdos est, sciat legem Domini; si legem Domini ignorat, convincit se non esse Sacerdotem Domini.* His suffragatur oraculum Oseæ cap. 4. vers. 6. *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Tertiò debent habere vocationem, ne dicatur eis illud Oseæ cap. 8. vers. 4. *ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi.* (Id est) non vocavi eos: non enim satis est alicui quòd sit probus, & eruditus; ut ad Sacerdotium licitè accedat; nisi etiam se ad illud cælitùs vocari cognoscat; ut monet D. Paulus ad Hebræos cap. 5. vers. 4. dicens, *Nec quisquam sumit sibi honorem,*

sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Illi censentur vocati, quos superiores Ecclesiæ, seu præsules ad id munus vocaverunt, quosque in seminariis erudiunt;non verò illi, qui se offerunt, nisi ab Episcopo idonei cognoscantur. Apud Sanctos Patres semper constans fuit hæc D. Gregorij sententia *locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus.* Censentur etiam vocati illi, qui in collegiis, & seminariis commorantur, eo animo, ut precibus ad Deum fusis, adhibitisque corporis mortificationibus, mereantur cognoscere, quid de illis Deus postulet (inquit Contensonus) adeo ut ad ordines Evehi minimè velint; nisi jubente Episcopo. Ex dictis suprà, nimirùm confirmationem esse præmittendam; sequitur quod si ordinatus in subdiaconum, non fuerit priùs confirmatus, est postea confirmandus; licet non sit reordinandus Can. *Pastoralis* de sacram. non iterandis.

XIII. Quantum ad effectum hujus sacramenti, omnes conveniunt per dignam cujuscumque ordinis susceptionem, conferri gratiam sanctificantem, & gratiam sacramentalem, de qua dictum est suprà cap. 1. sed non conveniunt, an quilibet ordo characterem imprimat? Vasquez existimans aliquos ordines non habere rationem sacramenti, negat ordines minores imprimere characterem. Idem sentiunt Medina, Navarrus, Victoria, Sorus, & alij. At sententia affirmativa est communior, & probabilior: Tum quia Concilium Tridentinum declarat ordinem conferre characterem sicut Baptismus, & Confirmatio. Idem Concilium numerat septem ordines, inter quos comprehendit minores: Tum quia ex communi usu Ecclesiæ, & conciliorum declaratione, quilibet ordo sivè minor, sivè major est irreiterabilis: ergo quilibet ordo imprimit characterem: nam ex Florentino in decreto Eugenij characteris impressio, censetur esse causa irreiterabilitatis: quia ibi declarat omnia sacramenta novæ legis non imprimere characterem; sed solùm ea, quæ iterari nequeunt, idem declarat Tridentinum sess. 7. can. 9.



CAPUT. XXVII.

Ordines majores, seu sacri recensentur.

I. INter ordines sacros, Subdiaconatus numeratur in Tridentino, & in multis aliis Concilijs præcedentibus, etiam antiquissimis; inter quæ referimus Carthaginense 4. quod celebratum fuit anno 396. sub Anastasio 1. igitur Subdiaconi ordinem ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio cognitum fuisse constat, non solùm ex Concilijs; sed, etiam ex D.Dionisio lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. & ex sancto Isidoro lib. 2. de off. Ecclesiasticis cap. 10. & aliis antiquis patribus; sed etiam ex 41. Can. *Apostolorum,* & pluribus aliis veterum monumentis; quæ de Hypodiaconis, seu Subdiaconis mentionem faciunt. Hanc utique antiquitatem institutionis Subdiaconatus evidenter probant sancti Januarius Magnus, Innocentius, & Stephanus, qui cùm essent Subdiaconi sancti Sixti Papæ anno 129. Ecclesiam dei Regentis, cùm ipso, ejusque Diaconis fælicissimo, & Agapito in persecutione Valeriani martirium passi sunt: ut legimus in Martirologio Romano die 5. Augusti. Denique Cardinalis Osius tract. de ordine cap. 52. asserit Christum Dominum instituisse Subdiaconatum in ultima cœna, quando linteo se præcinsit, & mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit, & linteo extersit Joan. cap. 13. Huic opinioni adhærent Philibertus, Leander, & alij.

II. Materia remota Subdiaconatus est Calix vacuus, simul cùm patena etiam vacua: proxima verò est eorumdem vasorum sacrorum traditio, & hæc verba *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis; ut Deo placere possitis.* Quæ Episcopus profert; ex quibus patet librum Epistolarum non esse materiam partialem hujus sacramenti, quidquid dicant nonnulli cùm Mastrio: quia character Subdiaconatus imprimitur in traditione Calicis, & patenæ: ut docent magister sententiarum, D. Thoma, & alij: igitur traditio libri Epistolarum non pertinet ad materiam essentialem hu-

jus sacramenti; cùm supponat effectum, & consequenter ipsum sacramentum jam collatum, & ipse liber tradatur post vestes quibus Episcopus Subdiaconum induit; quæ quidem vestes ad materiam hujus sacramenti non pertinent: quare Subdiaconatus sic definiri debet *potestas per quam ordinatus in Subdiaconum, potest portare calicem cùm vino ad altare, & praparare necessaria ad sacramentum Eucharistia, & Epistolam legere in missa solemni.* Indè sequitur officium Subdiaconi esse duplex, unum est Calicem,& patenam ad usum sacrificij præparare, & ad altare deferre: aliud verò est Epistolam legere, & decantare.

III. Quamvis Diaconi vocabulum(quòd Græcum est) idem planè significet, quòd minister; sive famulus apud Latinos Can. *Cleros* dist. 21. & unicuique famulo tribui possit; nihilominus in Ecclesia Romana significat hominem initiatum eo ordine qui proximè Sacerdoti famulatur in mysteriis sacris celebrandis Can. *Diaconi ita* dist. 93. Diaconi duplici cæremonia ordinantur, quarum una est impositio manuum Episcopi Can. *Diaconus* dist. 23. cùm hac verborum forma *accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus*: altera verò est traditio libri Evangeliorum, cùm hac verborum forma: *accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei*: materia hujus sacramenti in sola instrumentorum traditione essentialiter consistit, non verò in impositione manuum, quæ est solùm de illius integritate. Ita major pars scotistarum: ratio juris est: Quia Gregorius IX. in Can. *presbiter* de sacram: non iterando, declarat quòd si impositio manuum omittatur per errorem, ordo non est reïterandus; sed tempore ordinationum, supplenda est manuum impositio: his constat Diaconatum esse validum, omissa manuum impositione: nam si non sit reïterandum sacramentum, signum est quòd character existit, & potestas confertur, ac proindè materia Diaconatus non includit essentialiter manuum impositionem; cùm deficiente materia, deficiat etiam sacramentum; ut legimus in Florentino: ita communior opinio contrà nonnullos recentiores.

IV. Duo sunt præcipua Diaconi officia: Primum est ministrare materiam ad conficiendam Eucharistiam: Diaconus enim Sacerdoti offerenti quodammodo cooperatur; ipse est, qui materiam consecrandam à Subdiacono acceptam, Sacerdoti porrigit, & simul cùm eo Calicem offert. Et dicit *offerimus tibi Calicem Domine salutaris &c.* Aliud officium est Evangelium legere, seu decantare in missa solemniori; olim Diaconi munus erat Christi fidelibus sub utraque specie communicaturis Calicem, sive Sanguinem Christi dispensare, baptizare, verbum Dei prædicare, & Evangelium populis annuntiare, & explicare; ut legimus in Pontificali Romano; verumtamen nunc temporis officium dispensandi Calicem nulli competit; cùm fideles sub sola specie panis communicent. Officium baptizandi competit ipsis solùm ex commissione, vel ex necessitate; prædicare autem possunt ex vi ordinationis Can. *perlectis*. Can. *vnum orarium* dist. 25. quippecum ad solemnem Evangelij publicationem ordinati sint; idem Evangelium prædicare possunt plebi, jubente Episcopo, cujus est concedere facultatem prædicandi in sua Diœcesi ita Ægidius & alij contrà Estium, & Medinam.

V. Presbiteratus fuit à Christo Domino institutus in ultima cæna: Ejus materia est id per cujus traditionem confertur ipse presbiteratus; cujus ordinatio fit per Calicis cùm vino, & patenæ cùm pane porrectionem. Undè sola instrumentorum traditio cùm forma, seu verbis ab Episcopo prolatis constituit totam essentiam ordinationis presbiteratùs. Impositio autem manuum est tantum de ejus integritate: nam illa impositio manuum, & verba illi correspondentia: supponunt in eo cui tradita fuerunt instrumenta, seu Calix,& patena, potestatem offerendi sacrificium; alioquin per traditionem instrumentorum Episcopus nihil conferret, quòd est falsum, vel acciperet potestatem conficiendi Eucharistiam per hæc verba *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quòd est etiam falsum. Ideoque impositio manuum, & forma verborum illi correspondens non sunt essentia ordinationis Sacerdotum: nam si alicui ex recenter ordinatis, Episcopus non imponeret manus, ille esset verus Sacerdos: cùm haberet potestatem offerendi, & conficiendi Eucharistiam; sed non esset perfectus Sacerdos: quia illi deficeret complementum aliquod ad integritatem Sacerdotij;

novæ legis requisitum, scilicet potestas absolvendi à peccatis, quæ traditur per hæc verba *accipe Spiritum Sanctum &c.* ab Episcopo prolata. Hanc assertionem probant plures canonistæ ex Can. *presbiter*: ut supra num. 3. de Diaconatu.

VI. Non valet dicere cum Frassenio & alijs, Gregorium nonum in prædicto canone loqui de impositione manus præparatoriâ, quæ est quædam dispositio ad ordines, quæ si omittatur, non propterea sacramentum iterari debet: Non verò de ista, qua confertur potestas ordinis; non valet inquam hæc responsio: quia ille summus Pontifex loquitur de impositione ad integritatem ordinationis presbiteratûs requisita; loquitur enim de ea, quæ fit, dum Diaconus, & presbiter ordinantur; non autem de ea quæ fit antequam ordinentur, quæ præparatoria est: Deindè si hæc impositio præparatoria omittatur, non est supplenda; cùm ad Sacerdotij integritatem non concurrat: illa autem de qua loquitur Gregorius est supplenda: ut constat ex proprio textu: ergo est diversa, ab impositione manuum, quæ dicitur præparatoria.

VII. Primum Sacerdotis officium est consecrare, offerre, & dispensare Corpus, & Sanguinem Domini: ordinandus enim primò accipit potestatem offerendi sacrificium. Secundum est dimittere, ac retinere peccata; cum ordinandus in prolatione horum verborum *accipe Spiritum Sanctum &c.* accipiat potestatem ligandi, atque solvendi. Tertium est Baptizare, & ministrare alia sacramenta, si confirmationem, & ordinem excipias Can. *pervenit.* dist. 2. Quartum & concionem populo habere: est enim coadjutor Dei; ut monet Paulus, & pro Christo legatione fungitur. Sublimis atque veneranda est Sacerdotum dignitas; ut Facilius colligi potest *primo.* ex ipso nomine Sacerdotis: Sacerdos enim dicitur quasi sacrum dans; ut notat Petrus Blesensis: quia dat sacrum de Deo, id est orationem; sacrum Dei, hoc est carnem, & sanguinem Christi; sacrum pro Deo, id est exemplum rectè, ac piè vivendi in hoc sæculo. *Secundò* ex varijs gloriæ titulis qui Sacerdotibus attribui solent: tum in sacris paginis: tum in sanctorum patrum oraculis: Sacerdos appellatur *Christus* 1. Paralip. 16. *Angelus* Malach. 2. *Tuba & custos.* Isaiæ 58. *Deus* exod. 22. *Sal terræ, & lux mundi.* Math. 5. *Pater populi. Aurum pretiosum.* Ex D. Ambrosio de dignit. Sacerd. cap. 2.

VIII. Cùm in Ecclesia Catholica sit Hierarchia, divinâ ordinatione institutâ, quæ constat ex Episcopis, presbiteris, & ministris; ut definit Tridentinum sess. 23. can. 6. visis Subdiaconatu, Diaconatu, & presbiteratu, loquendum est de Episcopatu, qui est dignitas præ cæteris honoranda. Can. *sollicite* de Major. & obed. hujus ordinis materia est impositio manuum: verba autem sunt forma: his quidem positis infunditur gratia, & character imprimitur: nam Apostolus hanc consecrationem explicat per manuum impositionem. Traditio libri Evangeliorum, Baculi pastoralis & annuli, unctio capitis, & manuum ipsius electi in Episcopum, facta per consecratorem Episcopum, sunt solùm de integritate hujus sacramenti, aut ordinis Episcopalis; non verò de ejus primariò, & essentiali conceptu: ut docent Mastrius, Bellarminus, Gaudentius, & alij. Quantum ad officia Episcoporum, sunt hic omittenda: quia quæ de ipsis dicenda sunt, retuli in primo libro.

IX. Omnes sacris ordinibus initiati tenentur ad cælibatum, sivè continentiam perpetuò servandam; ut definitum fuit in varijs concilijs: hæc lex de cælibatu sacrorum ministrorum, antiquissima est, & ab ipsis Apostolis inducta, ac constituta; ut constat ex Concilio Carthaginensi 2. Can. 2. ubi legitur. *Omnibus placet ut Episcopi, presbiteri, Diaconi, ab uxoribus se abstineant; ut quòd Apostoli docuerunt. Et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Hæc tamen obligatio non nascitur ex virtute ordinationis, sed ex voto castitatis in ordinatione emisso: Quia ordo ex natura sua non obligat ad castitatem; aliàs lex obligans sacros ministros ad non contrahendum matrimonium, esset de jure divino, sicut sacramentum ordinis, quòd est falsum, & violatio castitatis esset contrà ordinem sacrum; non verò contrà votum castitatis emissum, quòd est etiam falsum: quia Sacerdos Græcus est verè Sacerdos, & non peccat dum ad uxorem suam accedit: ideoque hæc obligatio oritur ex præcepto Ecclesiastico, quòd ligat omnes clericos ordine sacro initiatos; non autem eos qui minores ordines, seu non sacros susceperunt: isti autem matrimonium contrahere possunt: verum quidem est, quòd dum matrimonium

contrahunt, nullum beneficium habere possunt: immò christianus conjugatus potest validè recipere ordines minores, etiam absque uxoris consensu: nam si clericus minoribus ordinibus initiatus possit ducere uxorem, eodem jure, conjugatus poterit eos recipere, saltem validè.

CAPUT XXVIII.

De Ministro sacramenti ordinis.

I. ORdinarium hujus sacramenti ministrum esse Episcopum, certùm est apud omnes Canonistas: cùm solus Episcopus clericos ordinet: quia sacramentum ordinis est quædam potestas Ecclesiastica, quæ conferri debet ab Episcopis, qui sunt Ecclesiæ principes, & Apostolorum successores Can. *Sacrosancta*. Dist. 22. sed non levis agitatur difficultas circà ministrum extraordinarium, an videlicet simplex sacerdos ex commissione sanctæ sedis, valeat esse minister extraordinarius hujus sacramenti, seu ordines sivè majores, sive minores conferre? Quoad minores, omnes concedunt simplicem Sacerdotem, seu non Episcopum, posse ad eos conferendos delegari à summo Pontifice, idque colligunt ex jure: olim enim Abbates Sacerdotes ab Episcopo Benedicti, delegati fuerunt, aut obtinuerunt facultatem conferendi tonsuram, & ordines minores religiosis sibi subditis Can. *Quoniam videmus* dist. 69. & Can. *cùm contingat*. De ætat. & qualit. & ordine perficiendi; eadem facultas eis conceditur in Tridentino sess. 23. de Reform. cap. 10. Undè difficultas est de ordinibus sacris, seu de subdiaconatu, Diaconatu, & presbiteratu. D. Thomas dist. 25. quæst. 1. art. 1. & alij stant pro parte negativa; volunt enim summum Pontificem non posse simplici Sacerdoti permittere, ut ordinem sacrum conferat.

II. Altera opinio, quæ affirmat simplicem Sacerdotem posse, summo Pontifice dispensante, conferre subdiaconatum, & Diaconatum, est præferenda. Quia Innocentius VIII. anno domini 1489. & 4. Pontificatùs concessit Abbatibus Cisterciensis ordinis facultatem conferendi suis monachis ordinem Diaconatùs, & subdiaconatùs; ut legimus in tomo privilegiorum ejusdem ordinis. Ita Navarrus, Victoria, Rodriquez, Laurea, & alij, qui testantur legisse Bullam, cujus verba referunt Frassenius tom. 4. de minist. ordin. Leander ibidem, & alij quam plurimi: igitur simplex Sacerdos potest fieri minister extraordinarius sacramenti ordinis, demptò Sacerdotiò; sicut fieri potest minister extraordinarius sacramenti Confirmationis, de licentia Papæ; cùm certum sit, Papam hanc licentiam olim concessisse Abbatibus Cistersiensis ordinis; quia non erant Episcopi: Idque Colligi potest ex Tridentino sess. 23. cap. 8. ibi enim agens de ordinatione sacrorum ordinum, revocat rescripta, & privilegia quibus Sacerdos ordines sacros conferre poterat; ut notat Navarrus; aliter sentiendum est de presbiteratu: quia nuliibi legimus concessionem factam fuisse simplici Sacerdoti ad alium Sacerdotem ordinandum; ideoque signum est quòd Sacerdotis ordinatio fieri debet ab Episcopo ex divina institutione. Rationes adversantis sententiæ hic omitto: Quia videri possunt in nostra Theologia Scholastica de sacramento ordinis.

III. In ministro hujus sacramenti, necessariò requiritur intentio; cùm (ut ex dictis constat) hæc intentio ad validitatem sacramentorum concurrat: ut fatetur communis opinio. Sed maxima difficultas est, an Episcopus si antè ordinum collationem palam protestetur se non intendere ordinare illos, qui talem, aut talem habent contrà Canones defectum (putà defectum examinis prævij, irregularitatis, patrimonij, dimissoriarum, &c.) Censeatur ita habere intentionem, ut accedens cùm aliquo ex prædictis defectibus, sit validè ordinatus? aliqui negant: quia inquiunt hæc protestatio includit voluntatem non ordinandi eos, qui aliquem defectum habent contrà Canones; sed alij probabilius affirmant; quoniam jus irritat protestationem illius, qui ex postfacto, eidem, proprio actu contravenit Can. *Sollicitudinem* de appellat. Can. *Tuà nos* de sponsal. juncta glossa verb. *Mulierem* ratio glossæ est: Quia debemus potius considerare factum, quàm dictum; & ideo potius ad ordinationem recurrere, quàm ad voluntatem priorem, qua Episcopus significavit se nolle ordinare eos, qui aliquem defectum habebant; quia per factum, seu ordinationem cen-

ſetur receſſiſſe à prima voluntate; etiamſi abſoluta fuerit: quoniam licet de ſacramenti validitate judicare juxtà miniſtri verborum intelligentiam; Epiſcopus enim per proprium ſequentis ordinationis actû, revocavit illam intentionem non ordinandi eos, qui aliquod impedimentum legitimum habent: nam præſumendum eſt, Epiſcopum noluiſſe ſacrilegium committere; immò cenſendum eſt, applicando materiam ſimul cùm forma ſacramenti, voluiſſe efficere ſacramentum validum, illúdque cuilibet ordinando validè contuliſſe; quia eumdem actum ordinationis exercet circà repulſos, ac circà receptos, ſeu eos qui nullum impedimentum habent.

IV. Epiſcopi conſecratio, à tribus Epiſcopis facienda eſt; ut probant Eccleſiæ praxis, Canones diſtinctionis 64. & exemplum. D. Jacobi Apoſtoli Fratris Domini, qui ordinatus fuit Epiſcopus Jeroſolimitanus à tribus Apoſtolis, ſcilicet à Petro, Joanne, & Jacobo Minore: igitur difficultas ſolùm eſt, an unus Epiſcopus cùm duobus ſacerdotibus poſſit alium Epiſcopum ordinare, ſummo Pontifice ſic decernente? affirmant omnes Theologi noſtri: Tum quia tres Epiſcopi non requiruntur ex præcepto divino ad conſecrationem unjus: cùm ex primo Canone Apoſtolorum requirantur duo, aut tres; & ex Nicæno 1. Can. 4. Omnes Epiſcopi provinciæ ſi fieri poſſit, & ſi non poſſit, neceſſe ſit quòd tres adſint in conſecratione unius Epiſcopi: ergo in hac re: nullum habemus à Chriſto præceptum: quia ſi eſſet aliquod tres Epiſcopos exigens, Apoſtoli non ſtatuiſſent Epiſcopum ordinari poſſe à duobus Epiſcopis, nec nicænum poſtulaſſet omnes Epiſcopos Provinciæ; & conſequenter iſtud præceptum non eſt Divinum, ſed Eccleſiaſticum, in quo Papa diſpenſare poteſt; ut olim diſpenſavit Gregorius XIII. Qui conceſſit Patriarchæ Æthiopiæ facultatem, qua unus Epiſcopus poterat alium conſecrare. Similem caſum refert Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea tract. de ordine diſp. 8. art. 4. num 77. Ibi enim teſtatur Sacram congregationem approbaſſe tanquam validam (quamvis illicitam) die 15. Decembris 1657. Conſecrationem Epiſcopi civitatis aſſumptenſis in Provincia Paraquarienſi factam ab uno Epiſcopo, & duobus Canonicis capituli. Deindè Epiſcopi conſecratio non exigit tres Epiſcopos; ut ab ipſis forma proferatur, cùm unus ſolùs eam proferat, ſitque conſecrator: nam D. Dioniſius lib. de Hierarch. Eccleſiaſt. Epiſcopalem ordinationem deſcribens unius Epiſcopi conſecrantis meminit: ergo unus Epiſcopus ex diſpenſatione ſummi Pontificis poteſt conſecrare Epiſcopum, ſeu proferre formam, quæ eſt actus miniſtri hujus ſacramenti, & duo ſacerdotes facere poſſunt ea, quæ faciunt alij duo Epiſcopi aſſiſtentes: quia non ad ordinationis validitatem requiruntur; ſed ad illius Pompam, & ſolemnitatem: ut obſervant Contenſonus, Leander, Henriquez, & alij, aſſerentes Apoſtolos diſperſos conſecraſſe Epiſcopos: Quia vix fieri potuit, ut Apoſtoli varias provincias Peragrantes, & novos ſubindè Epiſcopos procreantes tantam Epiſcoporum copiam ſemper haberent.

V. Nec obſtat dicere Jeroſolimorum primum Epiſcopum beatum Jacobum à Petro, Joanne, & Jocabo, Apoſtolis fuiſſe ordinatum, Domino ſic inſtituente, ſeu juxtà formam à Chriſto traditam; ideoque ſummum Pontificem non poſſe in hac forma diſpenſare: non obſtat inquam; quia talis forma conſecrandi Epiſcopum non fuit à Chriſto inſtituta: nam ſi Chriſtus inſtituiſſet Epiſcopum eſſe conſecrandum à tribus Epiſcopis; Apoſtoli non condidiſſent Canonem relatum, quo duo Epiſcopi ſufficere poſſunt, nec patres concilij Nicæni ſtatuiſſent omnes Epiſcopos Provinciæ eſſe deſiderandos ad conſecrationem unius Epiſcopi: igitur hæc Epiſcoporum pluralitas non requiritur ex Divina inſtitutione nec ad validitatem ſacramenti; ſed ſolum ad ipſius ſolemnitatem: quia nequit mutare ea, quæ ad validitatem requiruntur.

VI. Diſputatur an Epiſcopus per ſaltum ordinatus, ſeu qui Diaconatum (v. g.) non recepit, poſſit validè conferre ordinem Diaconatûs? D. Antoninus, Sanchez, Ledeſma, Suarez, & alij negant. Sed altera opinio videtur mihi probabilior: quia eſt verè Epiſcopus; cùm verè acceperit characterem Epiſcopalem, ſicut ſacerdos per ſaltum ordinatus eſt verè ſacerdos: ac proindè poſſet validè Diaconatum conferre, ſicut alij Epiſcopi. Ita Hurtadus, Vaſquez, Philibertus, Molfeſius, & alij.

VII. Nemo ordinari debet niſi per proprium Epiſcopum, aut ex ejus licentia Can. *Eos qui.* de tempor. ordin. in 6. & Can. *Reliqui.* diſt. 67. Epiſcopus conſtituitur proprius triplici ratione, ſcilicet origine,

Domicilio, & beneficio; ut declarat can. *cùm nullus* de temp. ordin. in 6. si verò beneficium desit, clericus sæcularis potest á proprio Episcopo ordinari sub titulo patrimonij ex Tridentino 21. de reformat. cap.2; Quin tamen per ipsum patrimonium proprius instituatur Episcopus. Ita Abbas, Felinus, & Angelus. Nam si bonum patrimonij esset in aliqua Diœcesi, clericus alterius Diœcesis origine, aut domicilio, non esset propius subditus illius Episcopi in cujus Diœcesi esset bonum patrimonij, nec ipse Episcopus esset Episcopus proprius ejusdem clerici: quia patrimonium non assignatur in jure, ut beneficium, nec est propriè beneficium Ecclesiasticum, de quo loquitur jus; quamvis quoad victum gerat beneficij vices, nec assignatur ut domicilium, quale est illud in quo, quis inhabitat saltem majore anni parte; aut in quo habet majorem rerum suarum partem; ut tradit glossa in D. Can. *cùm nullus* verbo *Domicilium*. Ubi etiam traditur solam domùs possessionem, quæ in civitate alia comparatur, domicilium non facere.

VIII. Ex jure communi duplex censeri potest origo proprium Episcopum constituens: una enim est origo respectu loci, in quo aliquis natus est, & alia respectu loci, in quo pater ejus natus est: Quia filius verè dicitur originarius civitatis, ex qua pater Suam originem duxit. Quia in Italia, & in aliquibus alijs Regnis, clericus potest horum Episcoporum alterum pro libito eligere ad ordines suscipiendos: ut testantur Panormitanus, Angelus, Hugolinus; Barbosa, & alij afferentes decretum sacræ Congregationis datum die 12. Augusti 1627. Plures addunt originem avi, & volunt hunc ordinem constituere etiam Episcopum proprium; at in regno galliæ non alius agnosci solet originis Episcopus, Quàm ille, in cujus Diœcesi quis natus est, laudanda est hæc Gallicana consuetudo: Quia subjectio immediata est aliis præferenda.

IX. Alio titulo constitui potest proprius Episcopus, à quo valeat quis ordinari; quamvis non sit subditus, scilicet continuato triennio commorationis cùm Episcopo. Ex jure Episcopus potest ordinare subditùm alterius Diœcesis, modò eum per tres annos in familia sua habuerit, eique statim beneficium conferat; ut docet Tridentinum sess. 23. de reformat. cap. 9. (dixi *Continuato*;) Quia si triennium non fuerit Physicè integrum; Episcopus nequit uti privilegio Tridentini Concilij: cùm hic annus cœptus non habeatur pro completo; quia est in materia odiosa; & eximit subditum à jurisdictione proprij Episcopi. Ita Leander; & alii, quos ipse citat, Cùm quibus addo. *Primò* Episcopos qui titulares dicuntur, non habere idem privilegium: ut constat ex Tridentino sess. 14. cap. 2. *Secundò* Servitutem Triennalem factam Episcopo absenti, non tribuere Episcopo idem jus ordinandi: quia absens nullo modo dicitur familiaris; ac proindè si quis maneret per tres annos in palatio Episcopi, ipso Episcopo absente, non posset ab ipso titulo familiaritatis ordinari. Ita tradunt Barbosa, Diana, Sanchez, & alij quibus subscribo: quia triennium datur à tridentino, ut Episcopus noscat familiaris mores, quos agnoscere nequit, si sit absens. Hinc est quòd si servitus incæperit antequam Episcopus crearetur; tunc computari potest in spatio triennij: ut habetur in declaratione ejusdem Concilij num. 2: Tunc enim subsistit ratio, aut finis Concilij Tridentini, seu morum cognitio.

X. Non desunt authores negantes cùm Miranda in Manuali tom. 1. quæst. 36. art. 3. & Barbosa de potestate Episcopi part. 2. alleg. 4. Episcopum invitatum ad ordinandum in aliena Diœcesi, non posse ibi ordinare proprios subditos absque speciali licentia illius Episcopi, à quo invitatus fuit; sed ab hac opinione recedo: quia virtute hujus generalis licentiæ, valet ordinare omnes extraneos, qui litteras dimissorias habent; ergo à fortiori poterit ordinare subditos suos, quos in propria Diœcesi ordinaret. Deindè in hac generali licentia quam habet ad ordinandum, includitur illa licentia specialis, quam exigunt adversarij, cùm non sit restricta, nec limitata. Sic Navarrus, Toletus, Villalobos, & alij. Nec desunt alij, qui existimant Episcopum posse in aliena Diœcesi, absque ulla proprij Episcopi licentia, Tonsuram conferre subdito suo in loco privato. Ita plures quos citat, & sequitur Leander de ord. disp. 8. quæst. 19. ab hac opinione etiam recedo ob declarationem Urbani VIII. Quæ incipit *secretis* data Romæ die 11. Decembris 1624. Ut monet Cabassutius lib. 3. cap. 16. num. 9. Ratio adversariorum est; Quia Tonsura potest conferri absque exercitio Pontificialium; at hæc ratio non obstat: quia conferre Ton-

suram est actus jurisdictionis Episcopalis, quam nullus Episcopus potest propria voluntate exercere in aliena Diœcesi.

CAPUT XXIX.

De litteris Dimissorijs.

I. QUilibet Episcopus, qui per se potest ordines conferre, potest & dimissorias concedere subditis suis: nam dimissorias concedere, idem est ac ad ordines suscipiendos mittere: Quamvis dimissorias concedere non sit ordines conferre; ac proindè summus Pontifex, & Episcopus originis, domicilij, beneficij, aut familiaritatis, (etiamsi non sit consecratus, modo sit electus, & confirmatus) subditos suos mittere possunt ad Episcopum ordinantem; ut ab ipso ordines suscipiant. Ille autem, qui à summo Pontifice, vel à legato à latere dimissorias, aut Privilegium obtinuit ad suscipiendos ordines à quocumque Episcopo Latino, non debet ordines suscipere, nisi sit præmunitus litteris Testimonialibus proprij ordinarij de vita; & moribus, & de dispositionibus ad dignam susceptionem ordinum necessariis: licet non indigeat dimissorijs: quia Papa potest subditum alicujus Episcopi mittere ad ordines suscipiendos; cùm sit Pastor totius populi Christiani; sed nequit judicare de vita, & moribus ejusdem subditi; ideoque ad proprium Episcopum spectat hoc Testimonium: Undè si ordinatur sinè litteris Testimonialibus, remanet suspensus ab exercitio ordinis suscepti, & Episcopus qui eum ordinavit, suspensionem incurrit per annum integrum; ut declarat Tridentinum sess. 23. de reform. cap. 8.

II. Vicarius Generalis Episcopi nequit dimissorias concedere præsente Episcopo: nisi Episcopus hoc ei specialiter concesserit. Sic docent Joannes Andreas, Molfesius, Rebuffus, & alij. In Can. *Cùm nullus*. De tempor. ordin. in 6. Hic quidem textus limitando facultatem concedendi dimissorias, seu eam concedendo Vicario Generali, dum Episcopus in remotis agit duntaxat; ut ex proprijs verbis textus constat: monet Vicarium Generalem non habere hanc facultatem, præsente Episcopo ratione officij, & sinè speciali concessione.

III. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, aut ejus Vicarius Generalis nequit, sede vacante, litteras dimissorias concedere intrà annum vacationis, seu à morte Episcopi; ut declarat Tridentinum sess. 7. Cap. 10. Nisi hac occasione, aut necessitate beneficij sive suscipiendi, sive jam suscepti, Beneficiarius teneretur esse in sacris intrà annum: Tunc enim capitulum posset etiam intrà annum primum vacationis concedere per Vicarium à se electum, litteras dimissorias; ut liquidò apparet in eodem Concilio. Potest etiam intrà eumdem annum concedere dimissorias ad primam Tonsuram ei, qui est præsentatus à patronis laïcis ad beneficium Ecclesiasticum juris patronatus ipsorum; ut illud obtinere valeat. Sic legimus in declaratione ejusdem Concilij num. 1. Finito autem primo vacationis anno, Vicarius Generalis sede vacante, habet circà dimissorias eamdem potestatem, quam habebat Episcopus. Barbosa, Navarrus, Henriquez, & alij quos refert, & sequitur Leander de ord. disp. 10. quæst. 4. Ab hac prohibitione Concilij Tridentini eximunt Collegium Cardinalium.

IV. Superiores regulares dimissorias concedunt Religiosis sibi subditis Can. *Cùm nullus*. De temp. ordin. in 6. Habent enim in suis Monasterijs jurisdictionem quasi Episcopalem; sicque subditos suos ad ordines suscipiendos mittere debent; Nec potest Episcopus religiosum ordinare; quin à superiore suo fuerit missus. Can. *Ad aures*. De temp. ordin. eamdem facultatem regularibus superioribus concessam, confirmat Sacra Tridentina Synodus sess. 23. de reform. cap. 10. Ibi enim declarat, & decernit Abbates, & quoscumque alios superiores regularium quantumvis exemptos, alijs quam sibi subditis Religiosis dimissorias concedentes, esse ipso jure suspensos per annum ab officio, & beneficio: Igitur possunt eas subditis suis licitè, ac validè concedere. In hoc conveniunt omnes Canonistæ, inter quos difficultas est solùm, an possint illas dimissorias concedere novitijs. seu illis qui nondum professionem emiserunt? plures affirmant cùm Diana, Sanchez, Tamburino & aliis. Sed altera opinio est valdè probabilior in jure communi: nam Tridenti-

num.

num loco laudato denegat Abbatibus, vel exemptis facultatem concedendi dimissorias illis, qui non sunt ipsis subditi; atqui novitij non sunt propriè subditi; Tum quia Religiosi subjiciuntur superioribus, & à jurisdictione Episcoporum eximuntur per votum obedientiæ, quod novitij non emiserunt: Tum quia superiores non habent circà novitios omnimodam potestatem, sed eam tantum, quæ necessaria est ad bonum regimen, & ad finem probationis ipsorum: ut notat Lezana; ideoque superiores nequeunt novitios ad ordines suscipiendos mittere, inconsulto Episcopo proprio: quippecum possint redire ad sæculum Can. *Consulti* : de regular. in hoc casu, considerandi sunt ut sæculares: quia exemptio à jurisdictione Episcopi est in materia odiosa, & per consequens strictè interpretanda. Nihilominus stando in jure particulari Religionum, Religiones, quæ habent privilegium illud, possunt eas concedere novitijs.

V. Superiores regulares, qui subditis suis dimissorias concedere possunt, sunt generales in toto ordine, Provinciales in tota Provincia; immò etiam inferiores Prælati, ut Priores, Guardiani, &c. Saltem ex Concilio Tridentino: etenim Patres hujus Concilii sess. 23. de reform. Cap. 8. Hanc ipsam facultatem concedunt ordinario: nomen autem ordinarij, quoad regulares, his omnibus superioribus convenit; cùm habeant jurisdictionem: ergo possunt dimissorias concedere; nisi constitutiones religionum contradicant, & ad superiores majores tantum hoc privilegium à sede Apostolica concessum, penitùs remittant. Ut (v. g.) Constitutiones nostræ, quæ præcipiunt nullum Religiosum posse ordinari sinè licentia, & examinatione ministri Provincialis in scriptis obtentâ; ut legimus in statutis Barchinonensibus Cap. 1. §. ultimo.

VI. An verò Episcopi teneantur fidem adhibere litteris dimissorijs Prælatorum regularium attestantibus ordinandum, his & illis ordinibus esse initiatum? Abbas Francus, & alij affirmant: Quia (inquiunt) Prælati regulares sunt personæ omni exemptione majores; At hæc ratio non convincit de obligatione, bellè quidem de Decentia, & honestate: præsumere enim possunt Episcopi Prælatum regularem scienter loqui, & fideliter attestari; sed nequeunt ita hoc testimonio ligari, ut non valeant repellere eos, qui secum non ferunt instrumenta attestantia præcedentium ordinum susceptionem; quin injuriam faciant juri superioris regularis: nam possunt examinare si velint; licet superiores attestentur ordinandos esse examinatos, & approbatos: Valent igitur absque ulla injuria desiderare propriam notitiam de ordinibus susceptis.

VII. Ad dimissoriarum validitatem minimè necessarium est ad singulos sacros ordines, singulas dimissorias, diversis temporibus tradere; ut docent Rebuffus, Philibertus, & alij. Episcopus, & Prælati regulares possunt licitè ex justa causa concedere alicui dimissorias, ad omnes sacros ordines collectivè: Ad hoc enim nihil obstat; cùm omnia, quæ dimissoriarum concessionem præcedunt, simul præmitti possint, & in una littera exprimi.

VIII. Hujusmodi dimissoriarum concessio est actus jurisdictionis; ut ex dictis evidenter colligitur; ideoque illæ, quæ ab excommunicato, vel suspenso declarato conceduntur, invalidæ sunt, & sic ordinatus incidit in pœnas contrà ordinatos sinè dimissorijs, si excommunicationis, aut suspensionis notitiam habuerit: Quare excommunicatus debet prius absolutionem obtinere antequam eas concedat: Debet insuper examinare ordinandum qui dimissorias petit antequam eas illi concedat; ut præscribit tridentinum sess. 23. cap. 3. de reform. nè indignus accedat ad ordines sacros suscipiendos. Hoc nonobstante Episcopus ordinans habet jus examinandi eumdem ordinandum, seu dimissum, quantumvis de capacitate, & examine fidem faciat in dimissorijs Prælatus dimittens, aut dimissorias concedens; ut declarat Tridentinum sess. 7. cap. 11.

IX. Litteræ dimissoriæ non expirant per mortem concedentis, aut per ejus ab officio dimissionem: Ita Canonistæ communiter contrà Paucos: Ratio est; quia gratia semel concessa non expirat, (etiam re integra,) per mortem concedentis. Can. *Si cui nulla* de præbend. in 6. Sed concessio dimissoriarum est quædam gratia, ut est manifestum, & consequenter non expirant morte Episcopi, aut Prælati concedentis, sivè naturali, sivè civili, neque per ingressum successoris; nisi eas revocet Can. *Si gratiosè* de rescriptis in 6. Alias expirarent etiam illimitatæ facultates audiendi confessiones, & similes facultates, quæ sunt

in materia gratiosa: quòd tamen est falsum; Cùm liquido constet in jure, sacerdotem, absque ulla limitatione approbatum, posse confessiones audire, etiam post mortem Episcopi approbantis, donec revocetur ejus jurisdictio.

X. In receptione ordinum, juxtà decretum Tridentini sess. 23. de reform. cap. 11. servanda sunt interstitia, seu intervalla temporis inter assumptum ordinem, ad alium assumendum; quæ ex eodem Concilio, sunt unius anni non Mathematici, sed moralis: nam initiatus Diaconatu, temporibus Pentecostes, poterit anno sequenti; (quin Concilio contradicat), eisdem temporibus presbiteratum recipere; etiamsi duodecim menses non fuerint Phisicè completi. Sufficit annus Ecclesiasticus, qui est à pentecoste in pentecostem; nedum in susceptione majorum ordinum ligat hoc decretum de interstitiis servandis sub pœna peccati mortalis; ut docent Filiucius, Diana, & alij; Sed etiam in susceptione minorum: Ut constat ex proprijs verbis Concilij; nec obstat dicere ordines minores eodem die recipi posse, si ita videatur Episcopo: quia tunc Episcopus, qui potest dispensare, Cùm in hac causa, dispensatio non reservetur Sanctæ sedi; censetur dispensare. Ita plures contrà Filiucium, & Dianam.

XI. Disputant Canonistæ an jus dispensandi in interstitijs sequatur facultatem concedendi dimissorias? plures affirmant, & indè concludunt superiores regulares posse in interstitijs validè dispensare subditos suos; sed displicet hæc opinio. Concilium Tridentinum loco laudato cap. 13. ait *promoti ad Sacrum Subdiaconatus ordinem si per annum saltem in eo non sint versati; ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* His verbis Concilium determinatè, ac præcisè ad Episcopum remittit judicium dispensationis; Cùm dicat *nisi aliud Episcopo videatur*: & per nomen Episcopi nequeunt intelligi prælati regulares, sicut intelligi possunt per nomen ordinarij: Quia prælatus regularis est ordinarius subditorum suorum, & non est Episcopus ipsorum. Deindè dispensare in interstitijs, est removere impedimentum ad licitam ordinationem: Ergo hoc spectare debet ad eum, cujus est ordinem conferre, puta ad Episcopum; non verò ad prælatum regularem; quia ex regulis accessorium sequitur naturam principalis. Ita Lezana, Miranda; Passarellus, & alij Canonistæ regulares, quibus subscribo; addendo hoc sacræ Congregationis decretum *Congregatio Concilij censuit remissionem interstitiorum etiam quoad regulares, ex causis tantum à Concilio expressis faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem: eum, tamen hoc jure debere quoad causas, deferre judicio, & attestationi superioris regularis ordinandi*: Quia ipse regularis superior scit monasterii sui necessitatem, & utilitatem; quæ sunt causæ sufficientes; ut Episcopus dispensare queat.

XII. Ut Episcopus in interstitiis dispensare censeatur, sufficit quòd scienter ordinet dispensatione hac indigentem: Quia omne impedimentum canonicum, cujus dispensatio pertinet ad Episcopum, censetur sublatum, si Episcopus sciens illud, ordinaverit. Sic resolvunt Abbas, Felinus, Barbosa, & Lezana. Quantum ad pœnam infligendam illis, qui non servatis interstitijs, ordines suscipiunt; nullam videmus in Tridentino. Revera Sixtus V. suspensionem ipso facto imposuit in constitutione quæ incipit *sanctum, & salutare* contrà malè promotos edita. Sed Clemens VII. moderavit eam quoad pœnas, & censuras in ea contentas, in Bulla quæ incipit *Romanum Pontificem* edita anno 1595. hanc sententiam tenent Navarrus, Sagrus, Lezana, & alij quamplurimi.

CAPUT XXX.

De sacramento Matrimonij.

I. DEus in prima mundi conditione matrimonium instituit, tanquam officium naturæ; ut declarat Bonifacius VIII. in titulo de voto, & voti redemptione in 6. sed postea Christus effecit illud sacramentum novæ legis gratiam conferens, juxtà Tridentinum sess. 7. de sacramentis in genere Can. 1. & Can. 7. & sess. 24. Can. 1. non in primo incarnationis momento; ut dicunt aliqui; sed quando dixit *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Math. 19. cap. matrimonium sic solitò definitur *conjunctio viri, & mulieris per consensum mutuum, individuam vitæ*

consuetudinem retinens Can. 1. 27. quæst. 2. & Can. *illud* de presumption: consistit essentialiter in mutuo conjugum vinculo, resultante ex mutua eorum obligatione, seu ex mutuo jure, & potestate, quam ex mutua traditione uterque conjux habet in corpus alterius; ut colligitur ex illo Pauli ad Corinth. 1. cap. 7. vers. 39. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.* Indè sequitur consensum ad copulam non esse de essentia matrimonij: Etenim usus corporum distinguitur ab eorumdem traditione, in qua consistit matrimonium. Neque Coïtus facit matrimonium, sed voluntas; & ideo non solvit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis Can. *omnis res.* Can. *cùm initiatur* 27. quæst. 2. alioquin inter beatam virginem & sanctum Joseph non intercessisset verum matrimonium, quòd est falsum; ut proclamat fides Romanæ Ecclesiæ. Item Can. *conjux vocatur* ibidem. Ita omnes Theologi, paucis reclamantibus, inter quos non est Scotus; ut somniavit Leander.

II. Reclamantium ratio est, authoritas D. Hieronimi in Can. 2. causæ 27. quæst. 1. ubi ille Sanctus Doctor ait *voventibus virginitatem non solùm nubere; sed etiam velle, damnabile est.* Respondetur hunc, & alios similes canones intelligendos esse de connubio, aut matrimonio secundum omnem significationem sumpto, seu quatenus includit traditionem corporum, eorumdemque usum, finem, & effectus. In quo sensu includit commixtionem, & copulam carnalem; non autem de matrimonio secundùm suam primariam significationem, & conceptum essentialem, in quo sensu non includit ùnionem corporum, sed voluntatum, & animum perpetuæ cohabitationis Can. *conjux* 27. quæst. 2. *addunt.* Frater, & soror nequeunt matrimonium contrahere, ut constat ex jure communi; indè inferunt essentiam matrimonij consensum ad copulam includere: quia in omnia, in quæ consentiunt conjuges, consentire possunt frater, & soror; cùm ipsis licitum sit vivere in unione animorum, & simul cohabitare; & ideo frater, & soror possent simul verum matrimonium contrahere: Respondetur illationem esse falsam; etiamsi frater possit sororem diligere, & cùm ipsa in unione animorum vivere: ut conjuges vivunt sublato corporum usu. Ratio nostra est, Quia ad verum matrimonium necesse est, quòd unus conjux potestatem habeat in corpus alterius, per traditionem corporum, (licet non sit necesse quòd habeant copulam carnalem); at frater nequit sorori tradere corpus suum, nec soror fratri ob publicæ honestatis justitiam; ut monet glossa in Can. *nullum* 35. quæst. 2. igitur essentia matrimonij non consistit in conjunctione corporum; quamvis per illam compleatur, & consummetur: initiatur enim per sponsalia de futuro, ratificatur per consensum de præsenti, & perficitur per consummationem, seu copulam; propriè tamen loquendo, magis consistit in animorum, quam corporum conjunctione; ut jam dixi.

III. Contrahentes sunt ministri hujus sacramenti: Quia ipsi efficiunt contractum; Sacerdos enim non assistit tanquam minister sacramenti, sed solùm tanquam testis ad hoc necessarius; ut conventio partium habeatur pro contractu legitimo, & sufficienter ad rationem sacramenti. Eorumdem contrahentium corpora, sunt materia remota sacramenti matrimonij: Quia sunt id, quòd datur per contractum, Et mutua traditio eorumdem corporum est materia proxima, cùm sequatur corpora, eaque determinet: Forma autem est mutuus contrahentium consensus signis, vel verbis expressus: Quia perficit traditionem, aut donationem corporum, eamque reddit irrevocabilem; juxta illud Math. 19. cap. *quòd Deus conjunxit, homo non separet.* Hæc autem verba. *Ego vos conjungo* quæ Sacerdos profert, non sunt forma matrimonij, sed requiruntur ex institutione Ecclesiæ, ad contractum mutuum ipsorum contrahentium comprobandum benedictione Sacerdotali: idem enim significant ac ista *declaro vos conjunctos*, vel *approbo conjunctionem vestram maritalem*: Quia antè hæc verba parochi, jam peractum est sacramentum, sicut contractus in ipso mutuo consensu expresso contrahentium est completus, quoad essentialia; Nec valet dicere in celebratione matrimonij solum Sacerdotem esse personam sacram: quia non est necessè, quòd minister sacramentorum sit persona sacra; ut patet in baptismo, qui potest validè conferri à persona Laïca, immò & hæretica: Minus valet addere contrahentes esse materiam hujus sacramenti, & consequènter non posse esse ministrum; ut patet: Tum in aliis sacra-

mentis: Tum in rebus phisicis, in quibus causa materialis, & efficiens distinguuntur: non valet itaquam haec ultima instantia: Tum quia alia sacramenta non consistunt in contractu personae ministri, sicut matrimonium. Quare Tridentinum sess. 24. cap. 11. inter caeremonias ab Ecclesia in celebratione matrimonij adhiberi solitas; recenset Ministerium parochi: Tum quia non implicat etiam in phisicis causam materialem esse efficientem; ut patet in agentibus actione immanenti: in quibus potentiae vitales recipiunt actus, quos producunt.

IV. Cum Sacerdos non sit hujus sacramenti minister; sequitur quòd non peccat mortaliter, dum matrimonio assistit in peccato mortali, quidquid dicant Canus, Estius, Silvius, & alij. Eadem ratione existimo contrahentes duo peccata mortalia committere, si in peccato mortali fiat, quandò matrimonium contrahunt: quia sunt ministri, qui sacramentum conficiunt, & subjecta quae gratiam recipiunt: sancta enim sunt sanctè tractanda, & recipienda. Sic sentiunt Navarrus, Ledesma, Hurtadus, & alij contrà plures, quos referunt, & sequuntur Sanchez, Bonacina, & Filiucius: quorum ratio est: quia contrahentes non sunt ministri consecrati; alioquin sequeretur quòd laicus baptizans puerum in necessitate (in qua est minister baptismi) peccaret mortaliter, si non esset in statu gratiae; quòd est falsum juxtà communem Theologorum sententiam. Huic rationi respondeo ad peccatum contrahendum in administratione sacramentorum, non esse necessarium quod minister sit consecratus; sed sufficere quòd sit minister ex officio, & sacramentum ministret in solemnitate; ut in matrimonio contingit: in hoc enim sacramento, contrahentes, sunt ministri ex officio, & ex divina institutione, quae obligat ad decentiam status, eos quos instituit; quae quidem decentia sistit in sanctitate, & in probabitate, non propter personam ministrantem, sed propter actum eliciendum ab ipsa. Laicus autem non est ex officio minister baptismi; ideoque contrahentes peccant nedùm in receptione sacramenti, si non sint in statu gratiae; sed etiam illud administrando: quia sancta sunt sanctè tractanda per ministros ordinarios.

V. Non desunt Doctores existimantes, matrimonium per procuratorem contractum esse nullum: quia Tridentinum sess. 24. cap. 1. praecipit matrimonium non esse contrahendum, nisi partes contrahentes coram parocho, & testibus consensum exprimant: ibi enim legitur *parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs utatur verbis juxta uniuscujusque provinciae ritum*. Ex quo sequitur post concilium, matrimonium per procuratorem initum, esse nullum: antea enim erat validum; ut constat ex Can. *honoratur* 32. quaest. 2. & ex alijs textibus juris. Tamen opinio contraria est probabilior: nam juxta communiorem sententiam, hoc jus nullatenus abrogatum est à tridentino; ut probat praesens Ecclesiae praxis, nec exigit idem concilium; ut contrahentes per se ipsos suum consensum coram parocho exprimant; cùm non loquatur de manifestatione immediata, nec mediata; sed simpliciter, ac generatim, & contrahentes id exprimant per procuratores à se constitutos, ac si exprimerent per se ipsos juxtà hanc 72. Regulam juris in 6. *qui facit per alium, perinde esse, ac si faciat per se ipsum*. Validè igitur contrahitur matrimonium per procuratores consensum partium coram parocho, & testibus exprimentes: modò habeant conditiones assignatas in jure pro sacramento conficiendo requisitas, quarum prima est mandatum. Secunda exigit, ut partes mandatum suum non revocaverint antequam res mandata geratur. Tertia tandem est apponenda, nè procuratores mandati fines excedant. Hinc est quòd si procuratores, pro matrimonio contrahendo nomine absentium, habeant speciale mandatum, hocque non revocatum, & debité executioni demandatum, seu juxtà contrahentium intentionem; verum efficitur matrimonij sacramentum. Nec valet obijcere caetera sacramenta non posse conferri absenti, & consequenter nec istud. Quia caetera sacramenta requirunt verba ore prolata ex parte formae; istud autem potest ex parte formae perfici per signa consensum exprimentia, & & ideò per procuratorem.

VI. Non invalidatur matrimonium per procuratorem initum; etiamsi post mandatum, ipse mandans inciderit in amentiam & in ipsa sit, dum procurator contrahit: tunc enim ipse procurator non agit virtute rationis, quâ utitur mandans; sed

ejus, quâ utebatur eo tempore, quo mandavit; quæ erat perfecta; aliàs sequeretur quòd si mandans esset somno, aut vino occupatus tempore matrimonij, nullum esset sacramentum, nullumque legitimum matrimonium, quòd est falsum: quia non censetur revocasse mandatum: igitur valet etiam matrimonium per procuratorem initum, nonobstante mandantis amentiâ sequenti; modò hæc amentia ignota sit procuratori, antequam mandatum exequatur (hanc modificationem addo contrà nonnullos.) Quia si procurator mandantis amentiam agnosceret, teneretur mandati executionem suspendere: tunc enim rationabiliter præsumeret mandantem nolle in tali statu matrimonium contrahere; alioquin procurator ageret mandatô præsumptivè, aut virtualiter revocatô; quòd est contra tertiam conditionem.

VII. Non est absolutè necessarium quòd procuratores utriusque conjugis, sint diversi sexûs: etenim duo viri, vel duæ fœminæ possunt esse contrahentium procuratores: ita docent Sanchez lib. 2. disp. 11. num. 15. Basilius, Ledesma, & alij. Quia procuratorum munus, est contrahentium consensum exprimere coram parocho, & testibus. Ad quòd diversitas sexuum nullius est momenti; cùm fœmina consensum viri exprimere valeat, & vir consensum mulieris, ut est manifestum: nam procuratores non contrahunt inter se, ita ut unus fiat conjux alterius; sed per ipsos; alij contrahunt inter se, & unus fit conjux alterius. Nequé per hoc officium impediuntur procuratores, (si sint diversi sexus) quominus possint inter se matrimonium contrahere: quia nullam inter se contraxerunt cognationem; nec proprium, sed alienum expressere consensum in tali matrimonio, nec fuerunt ejusdem sacramenti, aut contractûs ministri: quare non est necessè quòd procuratores existant in gratia; dum matrimonium contrahitur; cùm sacramentum non administrent, nec sacramenti gratiam recipiant, sicut mandantes, seu partes quarum sunt procuratores. Hæ quidem debent esse in statu gratiæ eo tempore, quo probabiliter credunt quòd procuratores sistunt coram parocho, & testibus pro matrimonio celebrando: ita Doctores citati.

VIII. Antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festis, in Ecclesia inter missarum solemnia necessario enunciari, & publicari debet; ut impedimenta matrimonij (si quæ sint inter partes) Ecclesiæ innotescant, nè personæ ad contrahendum illegitimæ, aut impedimentis ligatæ, matrimonij vinculo copulentur; ut statuunt duo universalia Concilia, scilicet Lateranense sub Innocentio III. & Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. *Sancta Synodus Sacri Lateranensis Concilij vestigiis inhærendo, præcipit ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis inter missarum solemnia publicé denuncietur:* quibus denunciationibus in utriusque contrahentium parochia factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedendum est: ante notabilem dilationem: nam si intrà quatuor menses post peractas denunciationes, matrimonium non fuerit contractum; nequit posteà contrahi, nisi novæ fiant proclamationes arbitrio Episcopi; ut affirmant Basilius lib. 5. cap. 20. Rebellus, & alij referentes Decretum sacræ Congregationis; ut si aliqua subsint impedimenta faciliùs detegantur; ita declarat Tridentinum loco citato; ubi harum denuntiationum dispensatio ad ordinarij, seu Episcopi prudentiam remittitur. An verò ex eodem decreto, hæc dispensatio remittatur etiam Vicario Generali? negant Basilius, Monochius, & alij; sed probabilior opinio affirmat: quia Vicarius Generalis Episcopi, est ordinarius, habet enim eamdem jurisdictionem ratione officij: cùm jurisdictio Vicarij Generalis, sit jurisdictio Episcopi; ideoque potest dispensare; ut expressè decernit Synodus Narbonensis 1509. celebrata cap. 22. cùm hæc potestas sit ex Concilio Tridentino jurisdictioni Episcopi perpetuò adjuncta. Ita Sanchez, Barbosa, Ægidius, & plures, quos citant. Quandò autem contrahentes sunt ex diversis Diœcesibus, & unus ordinarius dispensat, non requiritur dispensatio alterius Diœcesis ordinarij: quia in hac re, contrahentes censentur una, & eadem persona; & ratione connexionis causæ, unus censetur subjectus ordinario alterius; ut observant Sanchez, Ægidius, & Hurtadus.

IX. Quamvis ex jure parochus nequeat in proclamationibus dispensare; tamen hanc potestatem habet, quandò urget gravis, & aperta necessitas contrahendi sine proclamationibus, ut (v. g.) quandò vir existit in periculo vitæ, aut mortis articulò, & vult ducere concubinam (quæ pro illius conjuge vulgò habebatur) ad ejus infamiam abolendam, aut ad prolem legitimandam, aut quia sacramenti matrimonium utriusque saluti expedit. Item quandò authoritate publica vir compellitur ad matrimonium contrahendum cum virgine, cui stuprum intulit: potest etiam sine proclamationibus contrahi dum cognati, affines, tutores, aut magnates nuptias impedire moliuntur eorum, quorum bona retineat, aut quos inæqualibus conjungere intendunt, & impossibile est ipsi parocho adire Episcopum, ut dispenset. ita Sotus in 4. dist. 28. art. 2. Ægidius, Sanchez; Vega, & alij.

X. Plures sunt justæ in proclamationibus dispensandi causæ. Prima est quandò datur locus timendi impedimentum iniquum, ut (v. g.) sacrilegium, quô matrimonium impediri possit. Secunda quandò ex proclamationibus gravis contrahentibus advenire potest infamia, aut notabile incommodum ex parte parentum, aut aliorum. Tertia quandò instat tempus nuptias claudens, & matrimonium nequit differri sine gravi periculo animæ propter incontinentiam. Quarta quandò principes contrahunt: quia magnates semper cum magna deliberatione procedunt, & nullum adest periculum occulti impedimenti; eorum quippe genus, & facta cunctis comperta sunt, inquit Sanchez; & ideò facilis est in proclamationibus dispensatio. Quinta inæqualitas conditionis contrahentium, propter quam gravia instabunt obstacula ex parte pudoris, & verecundiæ, quæ non rarò nascitur ex inæqualitate conditionis, & præsertim ætatis; ut si unus conjux sit senex, & alter juvenis, unus nobilis, & alter ignobilis. Aut ex parte æmulorum, aut parentum. In his casibus, ordinarius tenetur dispensare à denunciationibus ad partium petitionem; ut ovium suarum periculis occurrat. Ita Sanchez, Basilius, Hurtadus, Villalobos, & communiter cæteri.

XI. Denunciationes non sunt necessariæ ad valorem sacramenti matrimonij, sicut præsentia parochi: licet ista, sicut illæ, sit apponenda jussu Concilij Tridentini: quia in præcepto de proclamationibus præmittendis, non apponitur clausula irritans, sicut in præcepto de præsentia parochi. Deindè concilium arbitrio Episcopi, & ordinarij remittit denunciationum dispensationem; si expedire judicaverit, quòd significat ipsas proclamationes non fuisse constitutas, tanquam de substantia contractûs; sed solùm tanquam de obligatione servanda ad cognoscenda impedimenta, si quæ sint; At à præsentia parochi, nullus ordinarius dispensare potest, & ex ipsius absentia, matrimonij contractus fit nullus: igitur omissis denunciationibus, matrimonium remanet validum, quamvis illicitum; Et ex absentia parochi fit nullum. Ita declarat Tridentinum sess. 24. cap. 1. his verbis. *Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio Sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt: eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit; prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

XII. Gravis est disputatio inter canonistas, An modò matrimonium ita exigat præsentiam parochi; ut in nullo casu necessitatis, queat esse validum sine parocho? Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Graffis, Vega, & quidam alij negant; volunt enim matrimonium clandestinum posse aliquandò esse validum, etiam post Tridentinum: & in partibus in quibus promulgatum, & receptum fuit: ut quandò quis est in articulo mortis, & vult ducere concubinam, ut filios reddat legitimos; quandò puella est sub tutela iniqui tutoris, & timet nè ipse viro indigno eam tradat; & quandò concubinarij iterfacientes, aut alio modo comprehensi, in gravia pericula incidere timent, ob concubinatum; in his casibus (inquiunt) matrimonium est validum sine præsentia parochi; si parochus haberi non possit. Sed displicet hæc opinio: quia Tridentinum absolutè, & absque ulla limitatione irritat matrimonium absque parocho, & testibus initum. Et præcipit parochum esse addendum pro forma contractûs, qui cùm nullus sit, dum deficit aliquid ex parte formæ, matrimonium debet esse invalidum, si deficiat parochus. Ita Laurea, Mastrius, Sanchez, Basilius, & ferè omnes Theologi. Ratio adversantis sententiæ

est: quia lex Ecclesiastica non obligat in tanta necessitate; ut patet in lege de missa audienda, de Eucharistia sumenda semel in anno, & in aliis in quibus necessitas excusat. At non ualet: quia hæc lex de præsentia parochi, nedùm est præceptiva; ut lex de missa audienda, aut prohibitiva, in qua necessitas dispensat; sed est lex irritans actum, & reddens contrahentes inhabiles, si parochus absit: ait enim *qui aliter quàm præsente parocho, vel alio Sacerdote de ipsius licentia* de qua suprà num. 11. idem christianissimorum Regum editis sancitum est; ideoque in ipsa, nulla necessitas dispensat: nam licet necessitas faciat licitum, quod anteà erat illicitum; ut constat ex regulis juris, tamen non facit idoneum, quod anteà non erat idoneum. *Dicet quis.* Ecclesia providit de remedio in necessitatibus respectu aliorum sacramentorum, quæ valida sunt, etiamsi aliquid essentiale, aut conditionale deficiat: ergo etiam providit in necessitatibus matrimonij. Nego consequentiam: quia matrimonium non est sacramentum necessarium ad salutem, sicut baptismus, & pœnitentia.

XIII. Disputant Canonistæ an matrimonium clandestinum fuerit aliquandò prohibitum ante Concilium Tridentinum? non nulli negant, existimant enim inhibitionem matrimonij clandestini à Tridentino suum habere exordium. Alij altiùs ascendunt, & in primitiva Ecclesia hujusmodi inhibitionem adinveniunt: huic posteriori sententiæ adhæreo: quia Evaristus papa Creatus 6. Kalend. August. anno 110. Clandestina Conjugia prohibet in causa 30 quæst. 5. Can. *Aliter* ubi ille summus pontifex ait *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus sponsetur & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranimphis, ut consuetudo docet, custodita, & sociata, à proximis congruo tempore petita legibus detur, ac solemniter accipiatur: & biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant; ita peracta legitima scitote esse connubia: aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potiùs, quàm legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Idem posteà decreverunt Hormisdas Papa Creatus 7. Kalend. August. anno 514. & Toletanum 22. sub Sixto papa IV. Celebratum anno 1437. & Tridentinum sess. 24. de reform. matrimo. Cap. 7. Igitur Ecclesia semper prohibuit matrimonia Clandestina; quamvis ante Tridentinum ea irrita non declaraverit; ut colligitur ex varijs textibus juris Canonici, & usu aut praxi Ecclesiæ; quæ olim matrimonia inconsultô parochô facta approbabat, tamquam valida; quoniam leges antiquæ non irritabant; sed solùm prohibebant hujusmodi matrimonia, quæ modò tridentinæ declarant nulla.

XIV. Variæ sunt causæ propter quas Ecclesia prohibuit matrimonia clandestina. primò quia vix probari poterant. Secundò quia libidinosi nova conjugia inibant atque in perpetuo deinceps vivebant in adulterio. Tertiò pulres, nuptijs secretò contractis, sacros ordines suscipiebant & cum uxoribus, Ecclesiastica obtinebant beneficia. Quartò quia impossibile erat agnoscere impedimenta jure naturæ matrimonium dirimentia. Sunt aliæ rationes, quas hic omitto, quia eas adinvenire facilè est. sufficit monere Synodum Tridentinam necessariò prohibuisse sub pœna nullitatis matrimonia clandestina. Nec per hanc constitutionem aliquid immutavit circà substantiam Sacramenti; cùm semper retineat eamdem materiam, formam, & eumdem ministrum juxtà institutionem Christi; modò enim sicut anteà corporum traditio, est materia, consensus partium, est forma, & contrahentes sunt ministri matrimonij, sicut ante tridentinum; & ideò nihil immutavit circà substantiam, & essentiam; sed declaravit contractum traditionis non esse legitimum; nisi præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarij licentia. Ex hac particula ordinarij infertur cujuscumque sacerdotis (licentiam ab Episcopo contrahentium habentis) præsentiam sufficere; ut matrimonium ratum, ac validum sit; etiam absque consensu parochi: quia Concilium per *ordinarium* intelligit Episcopum parochi, & contrahentium. Plures hanc delegandi, aut licentiam concedendi facultatem extendunt ad Vicarium Generalem: quia quod fit per Vicarium Generalem, vel de ejus licentia, dicitur factum de licentia Episcopi. Ad capitulum sede vacante, ad abbatem Eccle-

fiæ parochialis exemptæ, & ad alios, qui gaudent nomine ordinarij in ordine ad parochianos,

XV. Non est necessè pro validitate sacramenti quòd Parochus proferat hæc verba *Ego vos conjungo in matrimonium in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ut fatentur communiter Doctores contra Melchiorem Cano, Estium, & Sylvium, existimantes præfata verba esse formam hujus sacramenti; quòd tamen falsum est: nam tridentinum non potuit instituere formam sacramenti, nec eam mutare, nec eam ad uniuscujusque provinciæ ritum relinquere: Ideoque prædicta verba non sunt forma matrimonij ex Tridentino: Quia immediatè post illa verba addit *aut aliis utatur verbis juxtà receptum uniuscujusque Provinciæ ritum*, & consequenter si parochus ea omitteret, matrimonium esset validum.

XVI. Major difficultas est, an peccaret graviter si intellecto jam contrahentium consensu, omitteret prædicta verba juxtà receptum uniuscujusque Provinciæ ritum? Sanchez, Basilius, Bonacina, Filliucius, & alij excusant Parochum à peccato mortali, & volunt tunc Parochum peccare venialiter tantum: Alij stant pro mortali; ita plures quos sequor. Quia præcepta Ecclesiæ, & Concilii Tridentini obligant sub mortali, & sub pœna ejusdem sunt observanda, & præsertim in administratione sacramentorum; sed datur præceptum in Tridentino de prolatione horum verborum *Ego vos in matrimonium conjungo.* Ut patet; legimus enim in eodem Concilio, *præcipit ut impesterum, &c.* Ut suprà num. 8. nequeunt igitur omitti voluntariè à Parocho sine culpa mortali. Tenetur etiam sub mortali idem Parochus petere à contrahentibus, an mutuò se velint, seu à fœmina, an velit hunc virum in maritum; & à viro an velit hanc fœminam in uxorem, etiamsi ipsi constet ex denunciationibus, & ex alijs signis præcedentibus eos liberè consentire: quia id præcipit Tridentinum loco citato. Hic tamen obiter observandum est, quòd si contrahentes coram parocho existentes, statim, & ante interrogationem, mutuum consensum explicarent, & mutuò se velle in matrimonium declararent, parochus non peccaret mortaliter omittendo interrogationem; quia non subsisteret finis præcepti de interrogatione præmittenda, & parochus mutuum contrahentium consensum intelligeret; cùm Parochus interroget, ut partium consensum agnoscet, & pars una dicendo *volo hanc fœminam in uxorem*, & altera dicendo *volo hunc virum in maritum*: consensus unius evidenter notificetur parocho, & testibus. Duo ad minus testes requiruntur præter parochum, qui habeant usum rationis, sintque præsentes, nedùm præsentiâ Physicâ, vel reali; sed etiam morali, & simul tempore cum parocho; ut præcipit sacra Tridentina Synodus: nec potest parochus dispensare in hoc testium numero: etenim si unum dumtaxat admitteret, esset arbitrio ordinarii puniendus.

CAPUT XXXI.

Qualem consensum, & qualem deliberationem requirat matrimonium.

I. CUM ex dictis constet consensum esse matrimonio ita essentialem, & intrinsecum, ut nulla authoritate suppleri queat, hicque sit multiplex, apud canonistas; examinandum est; an quilibet consensus sufficiat ad matrimonij validitatem? Doctores communiter explodunt consensum merè internum: ex Can. *Licet* Cam. *Tua fraternitati* de sponsalibus. Ubi legimus *matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti: nam surdi, & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, & pueri antè annos legitimos per verba sola non contrahunt: cùm intelligantur minimè consentire.* His verbis suadetur necessitas consensûs pro validitate matrimonij, aut significatio ejusdem per verba de præsenti consensum exprimentia: Vel per signa externa verbis æquivalentia, & sufficientia ad exprimendum consensum internum; aliàs mutus non posset matrimonium contrahere: ratio Scoti est: quia matrimonium est contractus humanus; quô fit mutua traditio, & acceptatio corporum ad usum conjugalem: Mulier enim non habet sui corporis potestatem, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier

lier; ut monet Apostolus 1. ad Corinth. Cap. 7. vers. 4. Sed omnis humanus contractus, per actus humanos sensibiles, & perceptibiles fieri debet; ut uni conjugi constet de voluntate alterius; quoniam per verba, & signa externa, conceptus interni manifestantur: quapropter ad matrimonium non sufficit consensus merè internus, nisi sensibili signo sit expressus: quia contractus, & Sacramenta sunt res sensibiles, quarum partes essentiales debent etiam esse sensibiles.

II. Si viro per verba exprimenti consensum matrimonij; fœmina porrigeret manum, consensum suum sufficienter manifestaret: quia qui tacet consentire videtur, & per tale signum fœmina exprimit consensum suum; ut advertit Sanchez: nam verba non sunt necessaria in matrimonio, necessitate Sacramenti; ut patet de muto, qui matrimonium contrahere valet per signa, quibus mutus declarat quod verbis exprimere non potest; ut ait Innocentius III. in Can. *Cum apud* de sponf. His addenda est authoritas Bonifacij VIII. Can. *Si infantes* de sponsal. impub. in 6. Ubi ille summus Pontifex statuit valere matrimonium, si parentes exprimant consensum filiorum præsentium, & non contradicentium; quoniam hoc est sufficiens signum consensûs utriusque; hac ipsâ regulâ juris. Qui tacet, videtur consentire. At si fœmina viro manum non porrigeret, matrimonium esset invalidum ex defectu expressionis consensûs: quia tunc silentium non esset signum sufficiens, nec valeret tunc, nullumque locum haberet regula relata: quia in matrimonio (ut jam dixi) fit traditio corporum inter conjuges; quæ quidem traditio fieri nequit absque ulla tradentis actione, quâ quis se dat alteri, aut abdicat à se potestatem corporis sui. Deindè signum debet esse positivum, & reale; ut verbis æquivaleat, & cognitionem rei manifestet Can. *Signum* de consecrat. dist. 2.

III. Plures Doctores affirmant verba non esse necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici, & matrimonium esse validum deficiente verbo; modò subsit aliqua causa sufficiens: ut (v. g.) verecundia in puellis. Ita Sanchez, Hurtadus, Laurea, Coninch, Filliucius, Mastrius, & alij. Idque probant exemplo Muti, & Surdi, qui matrimonium contrahere possunt sine verbis per mutuum consensum nullô signô expressum. Undè (inquiunt) cùm puella ob pudorem, & verecundiam tacens, consensum suum exprimeret per præsentiam suam coram parocho, posset validè matrimonium inire; etiamsi non loqueretur, nec aliud signum præberet. Quod non esset si verba essent necessariò adhibenda, necessitate præcepti, ab illis, qui loqui possunt. At hoc nonobstante: alteram tueor sententiam, ut probabiliorem, & tutiorem: quia signa sufficiunt per modum supplementi, & conditionaliter, seu dato quod contrahentes non possint uti verbis: indè existimo, quòd puella in prædicto casu teneretur loqui, suumque verbis exprimere consensum, aut aliô signô per se notô ad significandum consensum: valdè enim congruum est, ut matrimonium per verba celebretur, seu meliori modo, quo celebrari potest; igitur cùm puella de qua agunt adversarij, valeat loqui, suumque consensum verbis exprimere, aut signô aliquô expressivô consensûs, ad hoc censetur obligata præceptô Ecclesiasticô; nec sufficit hujus puellæ præsentia coram parocho: quia dubitare posset parochus, an præsentia esset coacta, & involuntaria: hanc sententiam tenent Petrus Ledesma, Henrinquez, Silvius, Rodriquez, & alij.

IV. Circà simultatem consensûs partium plures sunt opiniones. Prima affirmat utriusque partis consensum debere simul, & in eodem instanti temporis exprimi. Secunda id negat, & asserit nullam simultatem esse prorsùs essentialem, & necessariam; sed sufficere quòd unus consensus alteri succedat intrà tempus, aut in tempore futuro. Tertia mediat inter utramque, & docet inter utriusque partis consensum requiri talem conjunctionem, aut simultatem, qualis requiritur, ut consensus censeatur moraliter permanere juxtà intentionem, & dispositionem illius, qui prior consensit: hæ duæ priores opiniones sunt improbabiles: quia dubitare possent conjuges, an in eodem instanti temporis consenserint, & unus conjux consentiens, teneretur alterius consensum diu expectare; ut advertit Mastrius plures Doctores citans pro tertia opinione. Tertia opinio est tuenda, sic contrahentes censentur simul consensisse, & sponsam voluisse sponsum.

V. Consensus ad validitatem matrimonij requisitus, debet necessariò esse liber,

& à ratione deliberata procedens; nedùm libertate opposita necessitati,& determinata ad unum, quæ dicitur libertas Physica; sed etiam libertate civili, seu opposita externo impulsui, & motivo, quò dicitur quis invitus consentire, & cogi ad aliquid faciendum; hoc quidem impulsu externo, secundum omnes Theologos, actus redditur involuntarius secundum quid, quamvis libertas Physica integra remaneat: quia voluntas non potest cogi simpliciter ad actum volendi; ut monet Scotus: Sed solùm secundum quid, metu majoris mali. Quod probat idem Doctor exemplô mercatoris projicientis merces in mare, ad naufragium evitandum; hinc fit quòd pueri, qui nundum plenum libertatis usum habent, insani, & mente capti, tempore, quô usu rationi carent, nequeunt matrimonium validè contrahere ex defectu plenæ libertatis, & legitimi consensus, qui ad validitatem matrimonij necessariò requiritur: nam quod est unius, nequit esse alterius, nisi authoritate legis, vel consensu Domini, seu illius cujus est: Corpus viri nequit esse uxoris sine consensu viri, eoque libero & legitimo; cùm nulla sit lex, quâ corpus unius, in alterius potestatem legitimè transeat.

VI. Ut innotescat qualis metus sufficiat ad tollendam libertatem, seu ad invalidandum matrimonium, distinguendus est duplex metus: unus quidem, qui est ex causa naturali, qualis esset metus mortis, imminentis naufragij, aut gravis infirmitatis; Et alter, qui est ex causa libera extrinseca, scilicet ex homine metum incutiente: Primus non invalidat matrimonium, modò adsit sufficiens consensus, ac deliberatus: certum enim est, quòd si medicus comminaretur interitum ex superabundantia humorum ei, qui non iniret matrimonium, metus ille non irritaret matrimonium, si posteà ex illa medici persuasione, sequeretur, quamvis ex metu initum fuisset. Nec miror quòd Ecclesia ratum habeat matrimonium ex tali metu contractum; cùm approbet professionem religiosam, ad quam aliquis metu mortis ex gravi periculo, aut infirmitate imminentis inductus est. Secundus autem metus ut matrimonium invalidet, non sufficit quòd proveniat ex causa extrinseca, nec quòd sit cadens in virum constantem; sed requiritur quòd sit injustè, atque illicitè incussus, & simul cadens in virum constantem; nam si raptor metu pœnæ capitalis compellatur ducere in uxorem, eam quam malitiosè rapuit, & de facto metu mortis eam ducat; matrimonium non invalidatur metu illo: quia hoc modo cogitur ad id, quòd ipse raptor facere tenebatur; cùm damnum quòd quis suâ culpâ sentit, sibi debeat, non alijs imputare ex 86. Regula juris in 6. At si talis metus injustè incussus, simulque talis sit, ut possit in virum constantem cadere, tollit libertatem ad consensum necessarium, & irritat matrimonium: quia hoc modo cogitur injustè, & ab extrinseco, ad id, quod contrahens facere non tenebatur, & si faciat illud, metu mortis, aut alterius pœnæ sufficientis; ut metus in virum constantem cadere possit, coactè, & prorsùs involuntarie facit. Ut (v. g.) si Princeps comminaretur interitum ei, qui talem puellam in uxorem ducere nollet; & ipse eam metu mortis duceret, certô matrimonium illud esset nullum ex defectu plenæ libertatis, & metus injustè incussi; quia ad extorquendum consensum in matrimonium incussus illi esset tantorum malorum metus: & tunc matrimonium spontè eligeretur ad periculum, vel damnum evadendum; non autem ad habendam prolem.

VII. Quantùm ad metum reverentialem, an scilicet ipse metus, ut (v. g.) quando puella jubenti patri, ut cum tali viro nubat, contradicere non est ausa, sit gravis, atque sufficiens ad invalidandum matrimonium? duæ sunt sententiæ: Una affirmat, Ita Navarrus, & alij, quos citant Layman, & Leander: altera verò negat de metu purè reverentiali, id est de metu ex sola voluntate, aut imperio patris, aut superioris proveniente, remotis minis gravibus, *Sævitiis* & pœnis. Ita Lessius, Coninch, Mastrius, Sanchez, & alij quibus subscribo: Quia talis metus non cogit voluntatis assensum, ut non obscurè colligitur ex Can. *Ex litteris* desponsat. impuberum. Quo sponsalia de voluntate parentum inita non declarantur irrita, nec cadit in virum constantem, nisi adsint minæ. Metus purè reverentialis non procedit ex objecto deteriori, quàm malum, quòd puella timet ex matrimonio cum tali persona contrahendo, ipsâ invitâ; ideoque nequit in virum constantem cadere, & matrimonium debet esse validum.

VIII. Idem judicium proferendum est de blanditijs, ac precibus importunis: non

rarò à parentibus ergà filios, & filias exhibitis, intuitu bonorum temporalium, aut affinitatis: quia nequeunt metum gravem in virum constantem cadentem afferre, nec matrimonium irritare: hæc enim molestia, quamvis conjuncta sit cum reverentiali metu, non est tanti periculi; ut quis ad se liberandum ab ea, debeat rem tam gravem facere, id est contrahere matrimonium sibi alioquin ingratum; sed hæc importunitas ad summum comparari potest metui levi, qui non tollit libertatem ad matrimonij validitatem necessariam, nec sufficit ad irritandum illud: igitur hujusmodi preces non afferunt metum cadentem in virum constantem; Nisi secum ferant periculum gravæ indignationis, & maximi incommodi ob gravitatem, aut dementiam personæ rogantis; ut declarat tridentinum sess. 24. de reform. matrim. cap. 9. anathemate percutiens personas in dignitate constitutas, quæ subditos cogunt ad matrimonium contrahendum. Hanc sententiam docent Henriquez lib. 11. de matrim. Cap. 9. num. 9. Abbas, Ledesma, Aversa, Villalobos, & alij.

IX. Matrimonium gravi metu contractum nequit fieri validum juramentô Can. *Significavit* de eo qui duxit. Ratio est: quia matrimonium exigit consensum liberum, at juramentum non mutat speciem consensûs, nec facit alium novum diversum ab eo, in quo factum fuit matrimonium; sed solum ratificat præcedentem consensum, qui si legitimus, & voluntarius non fit, voluntarius si quis consensit sic, juret se voluntariè consensisse; & ideo cùm consensus sit metu irritus, nequit validus fieri juramentô. Sic Corduba, Caspensis, & ferè omnes Canonistæ, paucis reclamantibus.

X. Quamvis matrimonium metu gravi contractum, & simul eodem metu consummatum, non fiat ipsâ consummatione, aut copulâ validum, ut docent communiter Canonistæ; validatur tamen per sequentem copulam affectu conjugali spontè habitam, id est animô se habendi perpetuò conjuges; ut colligunt Canonistæ ex Can. *Ad id.* de sponsal. ratio Theologorum est: quia consensus partium non requirunt simultatem temporis: & consequenter consensus in copula exhibitus ab illa parte, quæ cum metu contraxit, tantum valorem habet, quantum habuisset in matrimonio simul cum consensu alterius partis, quæ nullum metum passa est. Etenim copula ad metum subsecuta, ratihabitio quædam est matrimonij consensui libero æquivalens. Ita omnes communiter, inter quos difficultas solùm est, an illa pars, quæ metum passa est in matrimonio, quem, per sequentem copulam tollit, & matrimonium suum validat, teneatur novum suum consensum manifestare alteri conjugi antè copulam, vel in ea, vel post ipsam copulam? plures negant absolutè, & quamcumque manifestationem excludunt: volunt enim sufficere, si consensus de novo præstetur; & de novo spontê ponatur ab eo, qui fictè & coactè conseuserat, ut matrimonium fiat validum, seu quòd perficiatur id, quòd omissum fuerat in matrimonio; quin manifestetur. Sed probabilius est affirmare consensum novum esse conjugi manifestandum antè copulam. Tum quia copula non facit matrimonium, nec est de ejus essentia, sed voluntas nubendi; ut suprà diximus cum communiori sententia. Item ex Can. *Cum initiatur* 27. quæst. 2. Sic enim legimus. *Cùm initiatur conjugium, tunc conjugij nomen asciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella conjugium est, non cum viri admistione cognoscitur.* Hæc autem pactio, aut nubendi voluntas debet manifestari verbô, vel signô; Quòd signum, non est ipsa copula; cùm ex ipsa quamvis voluntaria, & affectu conjugali habita, non possit rectè inferri ab alio conjuge, volitio matrimonij, aut consensus ad matrimonium, nisi ipsi manifestetur hæc spontaneitas, aut consensus copulæ, ut patet. Tum quia matrimonium anteà nullum metu, nequit per subsequentem copulam validari, nisi fiat sacramentum: Sed nequit fieri sacramentum, nisi per expressionem consensûs factam antè copulam, vel in ea, non vero per actum carnalis concubitûs; cum ex jure, coïtus non faciat, nec exprimat matrimonium; ergo copula non sufficit in isto casu sinè consensus manifestatione; aut declaratione voluntatis nubendi illi, cum quo habet copulam: Quia in ratificatione matrimonij ex parte illius conjugis, qui metum passus est, requiruntur ea, quæ coram parocho requirebantur: sed ibi requirebatur manifestatio consensûs independenter à copula carnali, seu ab actu conjugali; igitur eadem manifestatio est etiam in isto

casu necessaria.

XI. Ut matrimonij promissio obliget promittentem ad matrimonium contrahendum, necessè est, quòd fiat cum voluntate se obligandi: secus enim non est promissio: quia essentialiter requiritur intentionem se obligandi; ut docent communiter Canonistæ ex Can. *Humana aures* 22. quæst. 5. Tum quia apud Deum verba nostra, non ex aure, sed ex corde procedunt, inquit D. Gregorius ibidem: Tum quia *Sicut se habet ablutio exterior ad baptismum; ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum.* Inquit D. Thomas in 4. sent. dist. 27. quæst. 1. art. 2. *Undè si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere sacramentum; sed ludum, & dolum facere, non esset baptisatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.* Ideoque promissio sine intentione facta non obligat per se; licet possit per accidens ratione damni insequentis, aut scandali obligarè fictè promittentem matrimonium, ad ipsum contrahendum, ut (v. g.) Quandò eâ fictione, copula fuit obtenta, aut visa fuit nimia familiaritas ex qua nasceretur gravis infamia, nisi contrahatur matrimonium; excipiendus est tamen cum Cabassutio, Lessio, Coninchio, & alijs casus quo mulier facilè poterat comprehendere fictam viri promissionem, ob magnam conditionis disparitatem, vel si ipsa pro virgine se gerens deprehendatur ab alio corrupta.

XII. Eamdem virtùtem obligandi habet etiam juramentum factum cum animo, seu intentione jurandi; quamvis non adsit intentio contrahendi matrimonium fictè promissum. Ita Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 9. Ægidius, Bonacina, Cajetanus, & alij impugnantes Gabriëlem asserentem juramentum sequi in hoc casu naturam promissionis, in qua fundatur, quæ cùm vana sit, vanum quoque restat juramentum quòd sequitur, sicut accessorium sequitur principale: Quòd tamen falsum esse sic evinco. Juramentum de matrimonio contrahendo habet ex se vim obligandi ex Can. *Ex litteris* distinctam à vi promissionis: duo quippe distincta vincula sunt simplex promissio, & juramentum; igitur istud cum animo jurandi emissum, obligat quamvis ipse promittens non habeat animum se obligandi ad matrimonium contrahendum: sed tantum animum jurandi: nam istud juramentum non est contrà bonos mores, & consequenter est obligatorium. Deindè istud juramentum non est fictum, sed verum; cùm supponamus ipsum emissum animô jurandi: atqui juramentum fictum non obligat, & in hoc à vero distinguitur: Ergo istud de quo agitur, est obligatorium; Quia est verum; & aliud seu fictum non obligat: quia non est verum, sed fictum. Certum enim est quòd fictè jurans, nullamque jurandi intentionem habens, non ligatur juramento, (licet mortaliter peccet) nisi ratione scandali; ut de promissione facta sinè animo se obligandi, dictum est.

XIII. Quamvis matrimonium legitimè contractum non dissolvatur per subsequens, seu secundum matrimonium utroque superstite conjunge, & vir, qui cum aliena uxore, legitimo ejus marito superstite, vel mulier quæ cum alieno viro, legitima ejus uxore vivente matrimonium contraxerit, ad priores conjuges redire teneantur sub æternæ damnationis pœnâ; ut liquidò constat ex tridentino sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Christiano plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*: (Vir enim de quo agitur duas simul haberet uxores) nihilominus, qui post matrimonium fictè contractum cum una, aliud matrimonium sincerè contraxit cum alia; non potest tutâ conscientiâ relinquere secundam, & redire ad priorem, etiamsi compellatur sententiâ judicis: quia primum matrimonium est nullum, & irritum ex defectu consensûs interioris; ut jam monui ex can. *Tua nos* De sponf. & matrim. Ubi Innocentius III. Respondet *Quod si ita res se habuerit videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari; cùm in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solùm: modò adfuit omninò consensus, sinè quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale*: Tenetur igitur cohabitare cum illa uxore cum qua sincerè contraxit, & peccaret mortaliter si illam dimitteret, ut rediret ad priorem, quæ verè conjux non est, defectu consensûs. Undè Carnalis illa commixtio esset adulterium.

XIV. Facta protestatione conjugis affirmantis sibi defuisse consensum, alter nequit statim aliud contrahere matrimonium:

Tenetur enim expectare Ecclesiæ judicium, declarans matrimonium nullum ex defectu consensûs unius conjugis: Et potest interim uti jure suo tanquam bonæ fidei possessor, donec res judicetur, & existimare quòd non fortè mentitur alter conjux, sicut in facie Ecclesiæ asserit se fuisse mentitum. Idem asserit D.Thomas loco citato dicens, *Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua conjunctione; tamen probabilior potest credi dolus non esse; nisi signa evidentia doli appareant; quia de quolibet est præsumendum bonum nisi probetur contrarium. Undè ille ex cujus parte dolus non est, à peccato excusatur per ignorantiam.* Filij autem ex illo matrimonio nati antè judicis sententiam, aut antequam matrimonij nullitas, aut defectus consensûs probetur, legitimi censendi, ac judicandi sunt Can. *cum inter* Can. *perlutum* titut. qui filij sunt legit.

XV. Plures Doctores asserunt filios teneri contrahere matrimonium, quod ipsorum nomine promiserunt parentes. Sic Navarrus cap. 24. num. 5. Bellarminus, Rodriguez, & Rebellus; præsertim si filius sit adultus, & matrimonium non sit filio indignum. Ab hac sententia recedo authoritate Hormisdæ Papæ in Can. *tua fraternitas* de despons. impuberum: nam ad contrahendum matrimonium unusquisque est liber, & sui juris: Quia matrimonium est quædam perpetua servitus, ad quam nemo potest obligari, nisi propria voluntate. Idque Colligi potest ex eo Math. cap. 19. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Ita Sylvester, Tabiena, Sotus, & alij cum quibus addo quòd filij non peccant mortaliter, si invitis parentibus matrimonium contrahant, modò indignam uxorem non ducant, eadem ratione; scilicet quia filius in hac re est sui juris, ideò non peccat; modò non ducat uxorem indignam: quia indè injuriam afferret parentibus, quòd est illicitum; Nec valet dicere parentes in necessitate constitutos posse vendere filium: ratio disparitatis est: quia hæc servitus non exigit esse perpetuam, nec amorem mutuum, sicut servitus maritalis: Ideóque nedùm illicitum; sed etiam valdè periculosum est filios cogere ad nuptias contrahendas: nam contrahentes coacti minùs placent sibi mutuò, & ita est major futuræ dissentionis occasio: quia *præsens, quod quis non eligit, non diligit: quod autem non diligit: facile contemnit*

XVI. Plures tamen possunt interdùm occurrere causæ justæ, ut legitimæ causæ, ob quas filius tenetur obedire patri cum præcepto, aut consiliô inducenti, ut uxorem ducat; ut obiter monui lib. 2. cap. 17. num. 11. nam dum filius substantiam suam ita dissipat vivendo Luxuriosè, ad instar illius de quo loquitur Evangelium, ut vix aliud possit istius mali haberi remedium, nisi matrimonium; tunc filius tenetur obedire patri, nisi doleat de peccato commisso, & se emendet: quia id necessariò postulat salus filij, quam pater tenetur illi procurare. Idem potest etiamsi justitia exigat filium ducere hanc uxorem, ut (v. g.) quandò filius seduxit virginem post factam conjugij promissionem, nec est alia injuriam compensandi via, nullaque ex hoc conjugio sequitur infamia: tunc enim filius tenetur obedire patri præcipienti, ut illi nubat: idem dicendum est quandò pater est in periculo vitæ, aut in captivitate, aut in alio simili malo, à quo liberari nequit, nisi filius hanc, aut aliam uxorem ducat: quia hoc exigit pietas, quam filius debet patri & aliundè matrimonium est res per se licita, & honesta; quam filius debet assumere pro bono patris; nisi aliquâ circunstantiâ deterius sit, cum illa uxore matrimonium inire, quàm non contrahere.

XVII. Quod de filio ergà patrem percipientem dictum est, de eodem ergà patrem prohibentem est dicendum: filius enim tenetur obedire patri prohibenti, nè ducat uxorem indignam; ut jam monui, & ut constat ex illo genes. 28. vers. 1. & 2. *vocavit itaque Isaac Jacob, & benedixit èi, præcepitque ei dicens: noli accipere conjugem de genere Chanaan; sed vade, & proficiscere in mesopotamiam syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi indè uxorem de filiabus laban avunculi tui.* His quidem suadetur patrem posse præcipere filium nè nubat uxori criminosæ, aut alterius conditionis longè disparis; quin filius nubere desiderans possit cum sinè justa causâ reijcere; ut probat Jacob obediendo patri; juxtà ea, quæ dicuntur in capite sequenti ejusdem libri genesis. Nec valet dicere quòd Jacob, non ex justitia; sed quia voluit, obedivit: Indè enim sequeretur quòd Isaac non præceptô, sed consiliô usus fuis-

ser quòd est falsum, ut constat ex textu relato.

XVIII. Matrimonium à filio-familias contractum sine consensu parentum est validum, ut sancit sacra Tridentina Synodus sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. ibi enim anathemate percutit eos, qui falsò affirmant matrimonia à filijs-familias sinè consensu parentum contracta irrita esse,& parentes ea rata, vel irrita facere posse. Idem colligitur ex variis textibus, tum scripturæ sacræ, tum juris canonici. *Dices* leges Romanæ irritant matrimonia filiorum-familias invitis parentibus contracta. *Respondetur* quòd ea declarant irrita quoad effectus civiles, non verò quoad substantiam, & rationem contractûs, & sacramenti; ut advertunt omnes interpretes. Idem respondendum est ad Regum christianissimorum Henrici II. Henrici III. & Ludovici. XIII constitutiones; quibus nullus parochus potest in gallia filios-familias minores triginta annis, & puellas minores annis viginti quinque completis matrimonio conjungere invitis parentibus; Neque eos, qui patre, & matre privantur sinè consensu curatorum, & tutorum: quia mens christianissimorum Regum non fuit sacramenti essentiam tangere, nec irritare matrimonia quoad substantiam contractûs, qui est sacramenti materia; sed solum quoad effectus civiles, nempè quoad jura, commoda, & hæreditatem, & alia quæ filiis proveniunt vi matrimonialium contractuum, testamentorum, legumvè, aut consuetudinum municipalium. Ita respondent omnes recentiores scriptores Galli, pro hujus rei veritate plura authentica testimonia referentes, quæ omitto; tum brevitatis gratiâ tum quia videri possunt apud Alexandrum, & cabassutium authores gravissimos.

CAPUT XXXII.

An actus conjugalis sit semper licitus.

I. Actum conjugalem esse ex genere suo licitum, nullus catholicus ibit inficias, inter ipsos solùm est difficultas, an sit semper licitus, ita ut in nullo casu conjuges à copula se abstinere teneantur? plures docent, virum ad uxorem gravidam accedentem causâ copulæ & animò utendi remediò concupiscentiæ mortaliter peccare; etiamsi nullum sit periculum nocendi fœtui sivè animato, sive inanimato. Alij dicunt sic accedentem peccare venialiter dumtaxat; sed probabilior, & communior opinio excusat tunc virum ab omni culpa: Tum quia nulla lex id prohibet, ut constat ex jure, in quo de hac re nullum invenitur præceptum, immo oppositum infertur ex Tridentino sess. 24. de matrim. Can. 2. quo polygamia prohibetur his verbis: *Si quis dixerit licere Christiano plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum anathema sit*: nam si polygamia sit prohibita, & matrimonium sit concupiscentiæ remedium; ut nullus est ambigendi locus; juxtà illud Pauli ad Corinth. 1. cap. 7. *quòd si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quàm uri.* Sequitur necessariò, quòd licet viro accedere ad uxorem gravidam, si nullum sit abortus periculum; vel sequitur quòd sacramentum matrimonij non est sufficiens ad concupiscentiæ remedium; nisi Polygamia sit licita. Sed hoc posterius non est dicendum: ergo est admittendum primum, scilicet virum posse ad mulierem gravidam accedere, si non adsit periculum perdendi fœtum: Tum quia vir habet jus,& potestatem in corpus uxoris suæ, quò privari nequit per effectum matrimonij; utpotè per prolis procreationem; cùm propter hunc effectum, unus conjux habeat jus in corpus alterius; igitur si durante graviditate, aut prægnatione mulieris, vir matrimoniò opus habens, possit cum ipsa coire, quin proli noceat, nullatenus peccat si ad copulam accedat, ob urgentem difficultatem continendi: utitur enim jure suo absque ulla injuria; & assumit sibi remedium dum ipso indiget: authoritates sanctorum patrum, quæ ab adversariis adducuntur, intelligendæ sunt, de copula, quando timetur de periculo abortûs.

II. Illicita est copula maritalis quandò uxor suas menstruas purgationes patitur: hoc colligitur ex levit. cap. 20. vers. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperverit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Et ex Can. *ad ejus verò concubitum* dist. 5. ibi enim legitur de mulieribus *cùm in consue-*

tis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur. An vero illud peccatum sit mortale, vel veniale? duæ sunt sententiæ; ego autem sto pro mortali, Idque infero nedùm ex authoritate juris allata, ubi habetur, *ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir menstruatam mulierem accedat*; sed etiam ex allata scripturæ authoritate: quæ jubet ambos conjuges, qui coitum habuerunt in fluxo menstruo, esse interficiendos de medio populi. Mulier menstruata debet denegare debitum conjugalem: quia vir tunc non habet jus exigendi illud. An verò eadem obligatione denegandi debitum astringatur mulier quandò sobolem lactat? duæ sunt etiam sententiæ; sed probabilior est negativa: quia in hoc nulla est diformitas; at si contingat mulierem lactantem prolem, esse ita pauperem, ut nequeat aliis tradere prolem lactandam, casu quod infirmitas adveniat, existimo cum Basilio, hurtado, & alijs; tunc mulierem posse excusari ab obligatione reddendi debitum, si advertat lac futurum valdè perniciosum proli, aut ubera ita exsiccari, ut prolem suam lactare nequeat: hæc enim ratio probat copulam tunc esse illicitam, sicut eam illicitam probat periculum abortùs, dum est gravida: cùm tendat ad filij mortem, sicut abortus: quicumque enim se exponit periculo peccandi mortaliter; ut de facto se exponit maritus in hoc casu ad copulam accedens, peccat mortaliter.

III. Quandò conjuges ambo sunt amentes, actus conjugalis est illicitus, ac proindè sunt seperandi, donec ad mentem redeant, & reus esset ille, qui eos ad copulam, aut ad matrimonium contrahendum incitaret: indè enim inquit Doctor Seraphicus grave damnum adveniret proli, quæ non haberet parentes educatores, vel quia amentes possent fœtum destruere; secùs discurrendum est dum alter tantum parens est amens, si non sit abortûs periculum: quia tunc proles haberet unum parentem educatorem. Undè probabile est conjugem sanæ mentis posse licitè denegare debitum conjugi insano, quidquid dicant nonnulli, modò non sit in periculo pollutionis voluntariæ, & peccaminosæ ex denegatâ copulâ provenientis: tunc enim teneretur vitare hoc malum, seu debitum conjugalem permittere. Ratio assertionis est: Quia insanus petendo debitum conjugale, non petit actum humanum, sed animale. Ita Gaudentius; sed hoc nonobstante, opinio opposita videtur mihi probabilior: quia dum unus conjux est sanæ mentis, conjuges non sunt separandi; ut jam dixi: igitur conjuges remanent astricti obligatione redendi debitum matrimonij, quod ex licita cohabitatione nascitur.

IV. Quandò ex copula carnali grave sequitur salutis detrimentum, tunc copula est illicita, & conjux rogatus potest recusare debitum: quia rectus matrimonij usus sequitur rectum usum naturæ, & rationis; qui quidem usus, aut ordo, non ruinam, sed conservationem individui postulat, & prius ipsi, quàm multiplicationi studet subvenire. Siquidem ordo naturæ postulat; ut priùs, quis in se ipso perficiatur, & posteà aliis perfectionem suam communicet. Hinc est quòd conjux febri laborans non tenetur reddere debitum conjugale; ut tradit D. Thomas in 4. sentent. dist. 32. quæst. 1. art. 1. ubi ait *vir tenetur uxori reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis spectant, salvâ tamen priùs personæ incolumitate.* Tandem licet unus conjux habeat corporis alterius Dominium, non habet tamen ejusdem vitæ, nec salutis dominium; ideoque quandò conjux ex copula grave damnum patitur, potest debitum recusare; nisi sit periculum incontinentiæ; ut observant plures: quia bonum animæ, bono corporis est præferendum.

V. Quamvis sanus conjux non teneatur reddere debitum alteri conjugi leproso; quia lex naturalis dictat, malum esse vitandum; & charitatis ratio postulat, ut suæ priùs incolumitati quisque consulat, quàm alterius corporali bono, & proli; tamen si judicio medicorum infici nequeat, tenetur illud reddere; nisi ex leproso maximum concipiat horrorem: tunc enim posset illud denegare, quamvis abesset infectionis periculum. Sic Sanchez, Trullench, & alij. Qui addunt conjugem sanum teneri reddere debitum conjugale leproso; etiamsi adsit probabile periculum infectionis in prole nascitura dumtaxat: quia (inquit) melius est nasci prolem leprosam, quàm nullo modo nasci. Pro eadem sententia citant D. Thomam, & D. Bonaventuram. Nec obstat dicere quòd mulier nè filius nascatur Elephantiacus, potest idem debitum recusare, dum est in fluxu menstruo: ergo potest etiam debitum idem recusare, ne Filius nascatur leprosus; non valet paritas; quia quandò mulier est in fluxu men-

ſtruo, vir poteſt expectare, & pro parvo tempore à generatione debet ſe abſtinere; at leproſus morbo perpetuo laborat; ideoque nonobſtante infectione ſolius prolis naſcituræ, ipſi reddendum eſt debitum, ne abſolutè privetur jure ſuo; cùm habeat poteſtatem in corpus alterius conjugis, & nè matrimonium fructu ſuo careat.

VI. Non licet mulieri, quæ nequit vivum edere fœtum, petere debitum à marito caſu quo ex morte fœtus in alvo, aut ex difficultate emittendi illum foras, mors matris immineat; quia in hoc partu ſemper adeſt probabiliſſimum periculum vitæ, cujus dominium non eſt in poteſtate mulieris. Ita Rodriquez, Ledeſma, Bonacina, & alij. Maritus poteſt etiam illud ei denegare: quia poteſt uxorem ſuam removere à malo gravi: licitum enim eſt denegare alteri id, quod nequit poſtulare. Tandem nulli conjugum licet denegare debitum præcisè ob hunc finem, nimirùm nè multiplicentur filij: quia matrimonij finis, eſt multiplicatio prolis, quam nullus debet impedire: idcircò mulier, quæ viro debitum exigenti corporis ſui uſum præſtat ad actum conjugalem, obligationi ſuæ non ſatisfacit, ſi animum ſuum ad alia convertat, nè natura excitetur ad conceptionem prolis: quoniam hoc eſt operari contrà finem matrimonij; cùm mulier activè concurrat ad generationem; ut docent Philoſophi noſtri, juxtà mentem Scoti, & per hunc modum, concurſum ſuum ſuſpendere prætendat. Hinc eſt quòd mulier, quæ acceptum ſemen liberè effundit, & foràs voluntariè ejjcit, peccat mortaliter: quia impedit generationem; peccat pariter vir ſi copula incæpta ſemen ſuum liberè retineat: quia contrà finem matrimonij agit, & potiùs libidini, quàm rationi obſequitur; ut advertit D. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 10. plures volunt cum Roſella, hujuſmodi ſeminis retentionem eſſe peccaminoſam, ſi uxor ſemen ſuum prius effuderit: eorum ratio eſt: quia tunc fruſtraretur ſemen fœmineum effuſum: non autem antè fœminei effuſionem; ſed inutilis eſt hæc modificatio; tum quia hoc non eſt reddere debitum, immò eſt nolle reddere illud. Tum quia vir tenetur, quod ex parte ſua eſt, in generatione operari & adhibere, & perconſequens peccat, ſi ſemen ſuum retinet; quamvis uxor ſemen ſuum effuderit, vel non effuderit. Quia ſic agendo non facit quod ex parte ſua eſt, pro aſſequendo matrimonij fine, nec pro concedendo alteri conjugi uſu matrimonij, quo duo fiunt una caro, aut ſunt duo in carne una.

VII. In actu conjugali facto ad vitandam propriam incontinentiam, plures cum Magiſtro ſententiarum in 4. diſt. 3. admittunt culpam ſaltem venialem: quia ipſe actus non intendit primarium matrimonij, aut licitæ copulæ finem, putà generationem prolis: communior tamen, & probabilior opinio docet hunc actum ad incontinentiam vitandam factum, ab omni culpa eſſe immunem. Idem ſuadet Paulus loco citato ſupra num. 1. Dicens *propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habet, & una quæque ſuum virum*: hæc enim particula *propter fornicationem* idem ſignificat ac iſta *ad vitandum fornicationis peccatum*; Ut fuſiùs dicemus infrà de impedimentis matrimonij num. 19. ita Navarrus, Coninch, & alij. Ad rationem alterius ſententiæ nego conſequentiam: quia hic actus licet finem primarium, & principaliorem non intendat, intendit tamen finem minùs principalem & utitur matrimonio tanquam remediò ad vitandum fornicationis peccatum, quòd non eſt contra finem principalem matrimonij, neque illum ſubvertere; cum finis minus principalis, non ſit contrà magis principalem, nec teneamur in omni actione ſemper agere ſecundum omnem perfectionem poſſibilem, & præſertim in matrimonio, in quo prolis generatio haberi poteſt, nonobſtante fine minùs principali; ac proindè nec eſt peccare; aliàs maritus non poſſet accedere ad uxorem gravidam, nec ſenex ad ſuam, quòd eſt falſum. Hanc ſententiam tenent etiam Emmanuel Sa, Toletus, Azorius, & alij quos refert, & ſequitur Leander tract. 9. diſp. 25. quæſt. 15. an verò peccet venialiter, qui ſolùm cauſâ ſanitatis ad uxorem accedit? affirmo contrà eoſdem authores cum D. Thoma. Quia non intendit matrimonij finem principalem, nec minùs principalem; Quamvis enim (inquit ille ſanctus Doctor) intendere ſanitatem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum. Atqui matrimonium non eſt ordinatum ad ſanitatem: igitur hæc intentio eſt mala ſaltem venialiter.

VIII. Major difficultas eſt, an actus conjugalis factus cauſâ ſolius delectatio-

nis;

-nis, quæ in ipso est, sit licitus, si sit moderatus? Hostiensis, Graffis, Maironius stant pro peccato mortali: Villalobos, Sotus, Sylvester volunt hanc delectationem, aut copulam esse venialem. Mastrius, Brancatus, Major, Diana & alij, hanc copulam excusant ab omni peccato, modò delectatio sit moderata, & non vitiata aliquâ circumstantiâ. Harum opinionum ultima videtur mihi probabilior: nam actus conjugalis potest moderatè haberi absque ulla culpa, & ut talis potest appeti ut fatentur omnes: ergo haberi etiam potest absque peccato; delectatio, quæ ex ipsa oritur ex vi actus, & sine quo coitus esse nequit ut supponitur: quia delectatio in cibo (v. g.) & in aliis operationibus humanis, est semper licita, quandò actus sunt liciti. Igitur si homo possit appetere, seu habere uxorem propter fornicationem, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquaque suum virum habeat* potest etiam licitè velle fornicationem, seu actum illum conjugalem propter delectationem moderatè, seu absque ullo voluptatis excessu; modò non intendat indè matrimonij fines excludere positivè. Nec obstat dicere quòd Sancti Patres præsertim D. Augustinus de bono conjugali cap. 6. & D. Gregorius damnant copulam solius voluptatis gratiâ factam. Quia Sancti Patres non loquuntur de delectatione, quæ copulæ annexa est, & ex ipsa naturaliter emanat: sed de immoderata ad quam tendunt Luxuriosi, quæ certò est mortalis, & de genere Luxuriæ. Attamen existimo cum Eminentissimo Cardinali nostro laurea, quòd licet actus conjugalis ob moderatam delectationem factus, non sit culpabilis, juxtà probabiliorem sententiam in sensu jam explicato; est tamen valdè periculosum velle actum copulæ ob delectationem illam. Quia rarò limites agnoscit delectatio carnis.

IX. Actus conjugalis conjugis probabiliter opinantis matrimonium esse invalidum, illicitus est, & peccaminosus; quia contrà dictamen conscientiæ est, tunc actum conjugalem petere, estque velle habere potestatem in corpus, quod non acquisivit secluso omni dubio: tenetur tamen illum reddere, si alter conjux non dubitans de validitate matrimonij hujusmodi actum conjugalem petat; ut habetur in Can. *inquisitioni* de sentent. excommun. quia in dubiis judicium non debet fieri absolutum. Can. *habuisse* dist. 33. grave enim satis est, & indecens, ut in re dubia, certa detur sententia inquit D. Gregorius relatus in Can. *grave* 11. quæst. 3. ideóque conjux dubitans non debet conjugale debitum denegare alteri conjugi de matrimonij validitate nullatenus dubitanti, si illud petat, & ipse conjux dubitans possit absque gravi incommodo illud concedere.

X. Uxor, quæ secundas contraxit nuptias, certò credens virum suum esse mortuum, nequit cum secundo habitare, seu copulam habere, si posteà constet ipsi primum maritum vivere: quia invalidè secundas contraxit nuptias; etiamsi eas licitè contraxerit ob bonam fidem; neque eam ad actum conjugalem cogere potest sine peccato secundus maritus; quamvis primus sit adhuc absens: sufficit enim quòd vivat: quia tunc uxor haberet duos viros, quos habere nequit. Undè uxor ad secundas nuptias non admittitur, nisi certitudinem habeat de morte mariti, nè exponatur periculo adulterij. Ad hanc autem certitudinem non sufficit longitudo temporis: quia ex illa longitudine temporis, mors nequit inferri. Minus sufficit fama mortis mariti; quia ex jure, populus non est sequendus, sed docendus. Nec testimonium unius (nisi casu quo sint aliæ conjecturæ) est sufficiens: quia testis unus, testis nullus; nisi aliquâ circumstantia validetur Can. *Si testes*. 4. quæst. 2. inhabilis enim est hæc mulier ad secundas nuptias, donec certum, ac authenticum testimonium afferatur de morte mariti; ideoque si contingeret mulierem matrimonium contraxisse, falsò allegatâ morte mariti, matrimonium esset invalidum, etiamsi posteà constaret mortem mariti præcessisse secundas nuptias: quia inhabilis erat ad matrimonium contrahendum, & contraxit contrà formam juris. Ita Basilius lib. 7. de matrim. cap. 33.

XI. Licet conjugale debitum, ita sit reddendum, ut unus conjux nequeat illud alteri denegare juxtà illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro*. Quo sunt æquales in reddendo, & petendo debitum; nihilominus jus illud petendi non est it. absolutum, ac extensum, ut alter conjux semper, & ubique teneatur illud reddere, si petatur: sæpè enim dispensatur ratione loci sivè publici, sivè privati. Ba-

filius, & alij affirmant actum conjugalem in loco publico, seu coram alijs habitum, esse peccatum mortale ratione scandali dumtaxat: quia est occasio ruinæ intuentibus. Probabilius tamen est hujusmodi actum esse peccatum mortale seclusô scandalô: quia adversatur decentiæ, ac honestati humanæ, & graviter dissonat rationi. Plures volunt eumdem actum haberi posse in Ecclesia etiam extrà necessitatem: quia (inquiunt) talis actus in loco sacro non est prohibitus; quamvis reverentia Deo debita, & sanctitas loci (quæ per actum conjugij violatur) prohibeant illum. Alij à mortali excusant conjuges, qui diù in Ecclesia inclusi petunt, & reddunt debitum: eorum ratio est. Quia Ecclesia non intendit privare conjuges jure matrimonij, neque actu conjugali si possint eum occultè exercere. Sed displicet hæc ratio: tum quia reverentia, & sanctitas Ecclesiæ prohibent copulam carnalem in loco sacro: quippecum sit destinatus ad cultum Deo exhibendum, ad orationem: sacrificia, & ad alios similes religionis actus; repellit omnes actus carnales: (nonobstânte jure conjugum.) Nec valet deducere necessitatem: quia nulla est necessitas præcisa petendi debitum in Ecclesia: nam si in lege antiqua, viri ab uxoribus menstruum patientibus se abstinebant propter immunditiam, etiam in necessitate se abstinere debent etiam ab uxore existente in loco sacro, ob sanctitatem loci; & si necessitas urgeat debent uti viis, ac remediis, quibus utuntur illi, qui uxores non habent.

CAPUT. XXXIII.

Utrum Matrimonium sit ex natura sua indissolubile.

I. JUxtà communem sententiam, matrimonium sivè ratum, sivè consummatum inter fideles, est nexus perpetuus, & indissolubilis viri & fœminæ, ut sancit Tridentinum in doctrina de sacramento matrimonij sess. 24. idem declarat D. Augustinus lib. de bono conjugali cap. 11. dicens *Semel autem initum, matrimonium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest nisi alicujus eorum morte dissolui.* Sed non conveniunt Theologi, an sit indissolubile jure naturali, vel solùm lege Evangelica, in qua contractus legitimus fit sacramentum. Medina, Sanchez, & alij volunt hanc indissolubilitatem ex solo jure Ecclesiastico provenire, & esse sacramenti proprietatem. Ex adverso Scotus, D. Thomas, Bellarminus & alij docent matrimonium esse indissolubile, nedùm jure divino, idque colligunt ex eo genes. 2. cap. *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Et ex illo Math. cap. 19: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Sed etiam jure naturali: quia hæc dicta fuerunt ad suadendum virum & mulierem esse indivisibiles, sicut una caro indivisibilis est, & conservatur integra usque ad mortem: igitur conjugij vinculum nullâ re nisi morte solvitur. Donatio, aut traditio corporum est ex natura sua irrevocabilis; at matrimonium non solùm, ut est sacramentum; sed etiam, ut est contractus naturalis includit traditionem corporum in ordinè ad prolem procreandam; & consequenter est indissolubile jure naturali; cùm ipsô matrimonió, vir & uxor fiant duo in carne una; ut testatur scriptura. Nec valet in contrarium adducere hanc regulam juris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Ac proindè matrimonium, quod ex consensu partium nascitur, per eumdem dissolui posse: non valet hæc regula in contractu matrimonij; licet in aliis valeat. Tum propter jus divinum, quo Deus voluit contractum matrimonij esse indissolubilem, atque imaginem unionis Christi cum Ecclesia, quæ nulla re dissolui potest; tum propter bonum commune, seu procreationem, & educationem prolis, ad quam conjugum inseparabilitas, est necessaria.

II. Disputatur an matrimonium in lege Evangelica dissolvi possit ob aliquam causam? Græci afferunt adulterium; at Ecclesia Romana oppositum declarat; ut evidenter liquet in Tridentino sess. 24. Can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare cùm docuit, & docet juxtà Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonij vinculum non posse dissolvi &c.* Idem habetur ex sanctis patribus. His suffragatur scriptura sacra: nam marci 10. cap. habetur. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam*

duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum, & alij nupserit mœchatur. Et ad Rom. cap. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus soluta est à legè viri: igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Deniqué matrimonium significat unionem Christi, & Ecclesiæ; ut inquit Florentinum quæ cùm indissolubilis sit, indissolubilis esse debet unio viri, & fœminæ, quæ fit in matrimonio; aliàs matrimonium non significaret unionem Christi cum Ecclesia, nullumque esset discrimen inter conjugium & concubinatum.

III. Græci sic objiciunt: Christus Math. cap. 19. ait *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Igitur licet viro uxorem suam dimittere ob adulterium: quia hæc particula *nisi* facit hunc sensum *non potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem* seu *adulterium*: & suadet illum non mœchari, qui uxorem dimittit ob fornicationem, & aliam ducit: nam sic Christus Dominus reprobat repudia Judæorum, exceptis iis, quæ ob fornicationem fiunt. *Respondetur.* Christum his verbis suadere matrimonium posse dissolui propter adulterium quoad torum, & habitationem, seu uxorem adulteram posse dimitti; non autem quoad vinculum ita ut vir possit aliam uxorem ducere: etenim Judæorum repudium non includebat licentiam ducendi aliam uxorem; sed solum dimittendi mulierem adulteram; ut probat illud Lucæ cap. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit mœchatur.* Idem patet ex illo marci 10 cap. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit.* Ratio est: quia qui, uxore dimissâ, ducit aliam, mœchatur, & fidem conjugalem violat, quam non violaret si uxorem adulteram dimitteret, & aliam non duceret; cùm non mœcharetur: quia mœchari, est uxorem propriam dimittere, & aliam ducere. Juxtà illud Lucæ cap. 16: *omnis* &c. verba Christi duos sensus habent quorum unus permittit uxoris adulteræ dimissionem, & alius prohibet secundum matrimonium contrahendum, vivente uxore. Hæc autem particula *nisi ob fornicationem* non refertur ad secundum sensum, sed solùm ad primum: alioquin per adulterium liberè fieret transitus ad secundas nuptias, quòd est absurdum. Et uxor adultera de crimine suo commodum reportaret: quia per repetitum adulterium viam sibi pararet ad alia matrimonia, aut certè, vero crimine deficiente, alter alteri de adulterio calumniam, & accusationem intentaret; præsertim quandò sibi invicem displicerent ipsi conjuges. Quòd est etiam absurdum: igitur adulterium non dissolvit matrimonium quoad vinculum: quia quod Deus conjunxit; homo nequit separare; sed solùm quoad torum, & mutuam cohabitationem, nempè si conjux innocens nolit cum adultero cohabitare, & eum in societatem, & gratiam admittere.

IV. Alium textum adducunt, quique est: Can. *quod proposuisti* 32. quæst. 7. quo constat Gregorium Papam III. in pari difficultate sic scripsisse ad Bonifacium Episcopum *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentia vacaret; sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, quam infirmitas prapedit, non detestabilis culpa excludit.* Igitur si vir dimissâ uxore, nequeat se continere, potest alteri nubere. Respondetur Gregorium loqui de infirmitate matrimonium præcedente, & quæ impotentiam perpetuam injunctam habebat; & de sponsalibus, ut notat glossa: sciebat enim Pontifex ille Deum dixisse *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Itaque confirmatur, & simul roboratur assertio nostra, asserens nullâ causâ uxorem posse dimitti quoad vinculum. Can. *si uxorem* 32. quæst. 5. *Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sivé debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam vel si quid aliud, sivè morbis, & doloribus, langoribusque confectam, & quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide, & societate sustineat*: indè enim constat nullâ causâ matrimonium posse dissolui quoad vinculum, exceptâ morte conjugis; sed solum quoad torum propter adulterium teste Augustino lib. de bono conjugali cap. 15. *Semel autem initum connubium, in civitate Dei nostri, ubi etiam ex primâ duorum hominum copulâ quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest nisi alicujus eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiam si proles, cujus causâ initum est, manifestâ*

sterilitate non subsequatur : ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsâ causâ filiorum, atque aliis copulare non liceat, quod si fecerint, cum iis quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem conjuges manent. Nec crimen dissolvit matrimonij vinculum, quod necessariô, & essentialiter includit perpetuitatem; ita est ex Tridentino sess. 24. de matrimonio Can. 5. *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse matrimonij vinculum: anathema sit*. Nec valet objicere Christum variis in locis de uxoris dimissione loquentem: approbare illam ob alia prætet adulterium crimina: legimus enim Marci. 10. cap. quòd Christus respondens ad interrogationem pharisæorum dixit duo: quorum unum est dimissio uxoris *quicumque dimiserit uxorem suam*, & aliud est novum, aut secundum matrimonium, *& aliam duxerit*. Quia Christus ibi approbat primum, & reprobat secundum tanquam adulterium, addendo *adulterium committit super eam* cùm non declaret reum esse illum, qui dimisit uxorem præcisè; sed solum eum qui dimisit, & alium duxit: igitur ex verbis Christi liquidò constat (inquiunt aliqui) virum posse dimittere uxorem delinquentem; ac proindè matrimonium posse dissolvi quoad vinculum. His facilè respondetur: nam Christus reverà duo distinxit, & significavit: nimirùm dimissionem perpetuam conjugis à Toro, & inhabilitatem ducendi aliam; sed ex hoc non sequitur dimissionem uxoris ob adulterium, aut aliud crimen, esse dissolutionem matrimonij quoad vinculum; sed solum quoad cohabitationem, & Thorum: quia vinculum illud subsistit in impotentia ducendi aliam uxorem, cùm nequeat aliam uxorem ducere: quia prior non est mortua, sed dimissa.

V. Separatio quoad torum multis de causis fieri potest, præter adulterium. Primò ex mutuo conjugum consensu, ratione altioris status (v. g.) Professionis religiosæ, aut Cælibatûs, in quo manere melius est, quàm jungi matrimonio; ut declarat Tridentinum sess. 24. Can. 10. *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel Cælibatûs, & non esse Melius, & Beatius manere in Virginitate, aut Cælibatu, quàm jungi matrimonio : anathema sit* : nam si conjuges mutuo interveniente consensu, perpetuam voverent castitatem propter Evangelicam perfectionem ad religionem transirent; certò matrimonium maneret dissolutum, quoad Torum. Secundò ex crimine hæresis, vel Apostasiæ: quia quandò unus conjux labitur in hæresim, alter est in periculo infectionis; ideoque ad tantum malum fugiendum, potest fieri separatio tori Can. *De illa* de divortijs. Potest etiam fieri hæc separatio, quandò unus conjux, alium impellit ad peccatum, & admonitus non desistit à provocando, & instigando; ut colligitur ex illo Math. 19. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*. Tandem matrimonium dissolui potest quoad torum & mutuam cohabitationem, quandò unus conjux nequit cum alio cohabitare, sine gravi periculo animi, vel corporis: tunc enim Innocens potest divortium petere: quia consentaneum non est, nec ratio exigit, ut cum tanto detrimento animæ, vel corporis, unus conjux maneat cum alio. Reverâ dum hujusmodi causæ cessant, tenentur ad cohabitationem redire, cum cessante causa, quæ à cohabitatione excusat, cesset utique separatio; excepta causa adulterij, quô uxor non dimittitur, nè faciat; sed quia facit injuriam, non ut culpam corrigat; sed ut reliquo vitæ tempore criminis pœnam luat; & ideo conjux Innocens, est inperpetuum absolutus quoad torum, & cohabitationem, ac si alter mortuus esset Can. *Agathosa* 27. quæst. 2. nisi post adulterium, alterum semel ad tori admiserit consortium: quia censetur hanc offensam consorti reo condonasse.

VI. Major difficultas est, an factâ quoad torum separatione, causa adulterij, conjuges possint mutare statum? omnes conveniunt quoad conjugem innocentem. Hic enim (inquiunt) valet, alio inconsulto, castitatem vovere, religionem ingredi, & ordines sacros suscipere: quia potest licitè uti jure suo, & sententiâ judicis in favorem sui lata pro separatione tori: sed non conveniunt quoad conjugem adulterum. Paludanus, Henriquez, Ledesma, & alij affirmant hunc, alio conjunge inconsulto, posse etiam statum mutare, seu castitatem vovere; sed communior opinio negat: quia Innocens quamdiu non mutat statum, habet jus ad revocandum ad se conjugem adulterum; etiam post judicis sententiam, quæ lata fuit in favorem Innocentis; non verò in favorem nocentis, seu conjugis adulteri, qui per peccatum suum (putà fornicationem) non privavit alium jure suo, nec

liberavit se à potestate alterius conjugis; ut monet D. Augustinus lib. 11. de conjugijs adulterinis cap. 5. ubi ait *Licitè itaque dimittitur conjux, ob causam fornicationis sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis*: Idem sentiunt alii sancti patres. Ideoque idem conjux Innocens potest alterius consortium velle, condonando ei offensam; quin Innocens possit recusare, cùm culpâ suâ, seu adulterio non habeat jus quod habet conjux Innocens; & consequenter, nequit statum suum mutare alio seu innocente inconsultò: si verò contingat utrumque conjugem adulteratum fuisse nullus potest propria authoritate mutare statum, alterò inconsultò: quia neuter ab altero divertendi jus habet ob mutuam injuriarum compensationem Can. *Significasti*. De divortijs. Nec obstat quòd unus eorum priùs matrimonij fidem fregerit, aut quòd sæpiùs, quàm alter deliquerit, aut publicè innotuerit: Quia jus divortij solùm Innocenti competit: dum neuter est Innocens, nullus potest alium relinquere propriâ authoritate.

VII. Si uxor ob adulterium dimissa doleat, vir debet eam recipere saltem debito honestatis, & convenientiæ; non autem debito necessitatis, aut obligationis Can. *Si vir* de adult. & stup. juncta glossa verbo *Debet*. Ratio glossæ est: quia vir potest eam, etiam post pœnitentiam, de adulterio accusare; & ideo non tenetur ex justitiâ eam recipere; at si ipsa uxor, marito requirente, fuerit per sententiam ab ejus toro, & cohabitatione separata, & posteà vir ipse idem adulterij peccatum committat; cogendus est, & debet uxoré dimissam reassumere, estque repellendus ad rursus cohabitandum cum uxore repudiata Can. *Ex litteris* Can. *Significasti* de divort. Ubi Alexander III. ait *Si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse ad eam recipiendã præfatus vir cogi non debet; nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse*: Tunc enim fit mutua injuriarum compensatio, & in nullo remanet illud jus divertendi ab alio; quod per sententiam Innocenti conceditur: nam conjux innocens, per sententiam non acquisivit jus adulterandi; sed per eam solùm declaratum fuit, quòd jus habebat divertendi ab altero: quia sententia non fovet crimina, sed jus sancit: igitur qui adulterium commisit post divortium, tenetur conciliare sibi conjugem dimissum, etiamsi ad hoc à judice non compellatur; modò nondum mutaverit statum: hanc modificationem addo: quia si ordinem sacrum suscepisset, vel professionem Religiosam emisisset, non posset conjugem dimissum sibi conciliare: tunc enim nonobstante fornicatione, esset indissolubiliter ligatus votò Religionis; matrimonij vinculô strictiore: undè si antè statum mutationem, idem adulterij peccatum commiserit, nequit (altero conjuge inconsulto; quamvis per sententiam jam dimisso) statum suum mutare: quia est in eadem damnatione, & reus delictò alterius, qui habet jus compensationis; ita communior opinio: ex Can. *Præcepit* 32. quæst. 5. ubi D. Hieronimus ait *Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem servi pari conditione censetur*.

VIII. Indè quæri potest, an quandò uterque conjux adulteratus est; sed horum unus ab hoc vitio pridem destitit, hic possit deserere alterum non emendatum? Ledesma, Basilius lib. 9. cap. 17, Hurtadus, & alij negant. Quia (inquiunt) emendatio unius conjugis non extinguit injuriam alteri illatam: at hæc ratio non convincit, præsertim si conjux emendatus, post emendationem suam alterum conjugem admonuerit, & ipsa admonitione nonobstante, in adulterium reinciderit. Quare respondeo affirmativè, tam in foro interno, quàm externo. Ita colligunt ex Can. *Significasti* de divort. Sanchez, Sylvester, Sotus, Paludanus, Cabassutius, & alij citantes D. Antoninum: ratio est, quia per reconciliationem conjugum, matrimonium restituitur in statum integrum, & per admonitionem conjugis emendati, conjux admonitus tenetur à vitio desistere, & fidem servare, sicut alter eam servat, cùm per reconciliationem sint in pristino jure, & jus divortij sit penitùs extinctum respectivè ad adulterium commissum: ergo si unus conjux nolit desistere, & velit violare fidem in reconciliatione iteratam, alter emendatus admonens, potest licitè uti jure repudij, & divortium petere contrà persistentem in adulterio; cùm ab ipso offendatur, nullaque sit compensationis causa,

IX. sola copula illicita, est causa sufficiens ad divortium: quia per solam sexuum commixtionem à viro, aut à muliere

factam extrà matrimonium, fit adulterium quod est coïtus cum aliena Can. *Nemo Blandiatur* 32. quæst. 4. & ipso coïtu violatur illud sacræ scripturæ *erunt duo in carne una*. Hinc fit quòd animus adulterandi, neque alij actus impudici possunt esse causa sufficiens ad divortium: etenim per hujusmodi actus, non fit carnis commixtio, nec committitur adulterium formale, quod est legitima divortij causa in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui eam servavit. Ita Sanchez, Bonacina, Villalobos, filiucius, & alij contrà paucos. An verò Sodomia unius conjugis sit sufficiens divortij causa? duæ sunt sententiæ; Filiucius, Molina, & alij quos refert, & sequitur Leander negant. Ex adverso D. Thomas, D. Bonaventura, Sylvester & ferè omnes Doctores affirmant quoniam hæc sodomitica copula est de genere fornicationis, ex qua juxtà Evangelium nascitur divortium; cùm sit coïtus, cum carne aliena, & dividat carnem conjugum.

X. Quælibet fornicatio non est causa sufficiens ad divortium: plures enim sunt casus, in quibus conjux Innocens nequit divortium petere. Primus casus est, quandò uxor probabiliter credens maritum mortuum, alteri nubit: in hoc quidem casu nequit ob fornicationem à viro superveniente dimitti; quia hæc fornicatio non est culpabilis, nec injuriosa viro, nec frangit fidem à conjugibus servandam Can. *Si Virgo* Can. *In lectum*, & can. *Cum per Bellicum* 34. quæst. 2. Quibus constat, quòd si uxor alij nupserit putans virum suum mortuum esse, illo redeunte, ad priorem redire cogitur; & ideo non est adultera. Secundus est, si uxor cognita sit per fraudem ab aliquo se virum ejus simulante Can. *In lectum* Ibid. tunc ignorantia uxoris excusat. Tertius est quandò uxor ab aliquo cogitur ad copulam per vim Tollentem voluntarium Can. *Ita* 32. quæst. 5. cùm non sit adulterium, ubi nullum est peccatum, & nullum sit peccatum, ubi non est voluntarium. Deindè mulier coactà corrupta, non perdit pudicitiam Can. *Proposito* 32. quæst. 5. Quia *Corpus mulieris non maculat, sed voluntas* inquit divus Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 8. Item divus Isydorus de Synonimis lib. 2. Relatus in Can. *Non potest* ejusdem causæ: ubi ait *non potest Corpus corrumpi, nisi prius animus fuerit corruptus. Munda à cogitatione anima non peccat*. Ergo non est adultera. Quartus est, quandò vir suam prostituit uxorem, sivè Lenocinium exercuit Can. *Discretionem* de eo qui cognat. Et consang. tunc non mulieri, sed sibi vir debet imputare adulterium; cùm sit ipsius author, etiamsi uxor libenter, & sponté prostitutioni consentiat: quia est semper particeps ejusdem culpæ, & consequenter nequit eam dimittere. Ad istum casum pertinet etiam notitia adulterij: nam quandò maritus noscit suæ uxoris peccatum, & ad eam liberè accedit petendo, aut reddendo debitum, vel illam adhuc retinet, vel recipit, nequit eam dimittere; quamvis adultera sit: quia hæc omnia sunt signum sufficiens remissionis, aut condonationis adulterij, quod remittendo maritus, expresè, vel tacitè cedit juri suo discedendi. Dixi *liberè* quia si Maritus (v. g.) metu vexationis cadente in virum constantem, uxorem adulteram admittat, non censetur perindè hanc illi remittere injuriam.

XI. Quamvis juxtà communem Doctorum sententiam, vir uxoris suæ adulterium non impediens (si possit absque gravi damno) nequeat divortium facere. Quia consentire videtur: non conveniunt tamen Doctores, an idem dicendum sit de uxore non prohibente adulterium mariti? Sanchez, docet mulierem virum adulterum habentem, posse divortium petere; etiamsi non prohibeat, modò non consentiat positivè: quia (inquit) communiter loquendo uxores non audent viros reprehendere: quippecum sint inferiores, & sub potestate viri; eorum taciturnitas non reputatur consensus, sicut in viro. Altera opinio videtur mihi probabilior: mulier enim virum suum adulterum prohibere debet si commodè possit; alioquin non habet jus divertendi ab illo, causâ adulterij: nam licet in regimine domûs, mulier sit subjecta viro; tamen ei par est in debiti conjugalis fide, & corporis potestate; ut ait Apostolus, ac proindè vir adulter facit injuriam uxori, sicut uxor adultera eam facit marito, Ergo uxor habet jus impediendi adulterium, sicut vir, & si illud non prohibeat, dum commodè potest absque gravi damno, debet illud prohibere; alias officio suo renunciat, juri suo divertendi à marito cedit, & tacitè cõsentit. Ad rationem adversariorum dico, quòd non probat contrà nos, ut ex dictis

patet; sed solùm suadet esse difficilius uxori virum prohibere, quàm viro; non autem id esse contrà officium, & jus uxoris; cùm ex Innocentio I. ad Exuperium Episcopum relato in Can. *Christiana*: in utroque sexu par sit causa adulterij; licet viros suos mulieres non facilè de adulterio accusent, & viri liberiùs uxores adulteras apud sacerdotes deferant.

XII. Matrimonium infidelium etiam consummatum dissolui potest quoad vinculum conjugale, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit pacificè, & sinè contumelia creatoris habitare cum illo; ut ait D. Ambrosius relatus in Can. *Si infidelis* 28. quæst. 1. Can. *Quanto* de divortijs. Conjux quidem conversus potest licitè uxorem ducere fidelem; quia non est alligatus uxori vinculo sacramenti, nec potest alligari, supposito, quòd nolit conjux infidelis conversionem ad fidem, nequè pacificam cohabitationem. At si velit cum eo pacificè habitare, sinè scandalo, & contumelia fidei matrimonium non dissoluitur, ut ait Apostolus 1. Ad Corinth. Cap. 7. vers. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam*; Indè enim præsumendum est, (supposita habitatione pacificâ, & seclusa creatoris contumelia) quòd conjux fidelis sanctificabit infidelem.

XIII. Matrimonium fidelium ratum, & non consummatum posse quoad vinculum dissolui authoritate Pontificia negant plures citantes D. Bonaventuram: quia (inquiunt) matrimonium ratum est indissolubile ex natura sua, ac jure divino, in quo Papa nequit dispensare: ab hac opinione tamen recedo; tum quia indissolubilitas matrimonij rati est juris Ecclesiastici: conjuges enim fiunt una caro per commixtionem, & copulam carnalem tum quia in hoc multi Pontifices dispensarunt, ut de Eugenio IV. & Martino V. asserit Sanctus Antoninus 3. part tit. 1. cap. 21. §. 3. & Paulo III. Pio IV. Testatur Navarrus in summa cap. 22. num. 21. Igitur ista sententia tuenda est: quia in dubijs standum est judicio superioris Can. *Ad aures* De temp. ordin. & maximè judicio summi Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Sancto assistente, incumbit. Deindè hæc potestas dispensandi in matrimonio rato, nondum consummato, est utilis Ecclesiæ: sæpè enim contigit, ut dissoluto matrimonio rato, multa scandala, & seditiones cessent, ut contingeret; si unus conjux antè consummationem, multa mala sibi ex copula evenire timeret. Ergo Papa potest dispensare justâ interveniente causâ. Tandem post matrimonium ratum; conjux potest matrimonium dissolvere per religionis ingressum: authoritate Apostolica Can. *Ex publico*, & Can. *Ex parte* de convers. conjug. quibus post matrimonium ratum conceduntur cōjugibus menses duo inter quos alter conjugum potest alteri petenti debitum conjugale recusare; ut liber sit ad religionis ingressum; quin tamen pars, quæ remanet in sæculo possit alias inire nuptias antè alterius professionem si monasterium ingrediatur: quia matrimonium non dirimitur per ingressum; sed per professionem; ut declarat tridentinum sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit matrimonium non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit*. Ideoque eadem potestate Ecclesiastica, matrimonium ratum, (modò juxta subsit causa) dissolui potest.

XIV. Sponsalia (quæ sunt futuri matrimonij mutua promissio) etiam juramento firmata, multis dissolvuntur modis juxtà communiorem sententiam: quia contractus sponsalitius non est naturâ suâ indissolubilis, sicut conjugalis 1. Ex mutuo consensu Can. *Præterea* de sponsal. & matrim. 2. Per matrimonium cum alio contractum post sponsalia: hæc enim duo vincula nequeunt esse simul; vinculum autem matrimonij, est alio strictius, & fortius, Undè si consummato matrimonio isto, contingat desponsatam mori, sponsus tenetur priorem sponsam ducere, si ipsa velit, & adhuc innupta sit. Quia cessante per mortem matrimonio, tollitur hæc vinculorum incompatibilitas, & sponsalium vinculum ligat. 3. per subsequentem fornicationem; idque in favorem partis Innocentis dumtaxat can. *Quemadmodum* de jurejur. 4. Per discessum unius sponsi in regionem longinquam sinè consensu alterius cum mutatione domicilij: tunc enim pars, quæ remanet, potest nouas inire nuptias Can. *De illis* 5. Per lapsum temporis matrimonio contrahendo præfixi: quia prædictus terminus in tali casu assignatus fuit tanquam conditio essentialis, qua cessante, cessat etiam obligatio. 6. Per superveniens impedimentum dirimens: quia quod impedit, aut dirimit matrimonium, irritat

sponsalia. 7. per supervenientem notabilem infirmitatem, quæ sit durabilis, ut sunt lepra, paralysis, aut aliud malum, quod si præcessisset, sponsalia impedivisset. 8. Per ingressum Religionis, & per ordinis sacri susceptionem Can. *Commissum* de sponsal. 9. per supervenientem inter sponsos inimicitiam, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere; ut inquit Licius Papa III. relatus in Can. *Requisivit* de sponsal. & matrim.

XV. In his casibus sponsalia dissolvuntur quoad vinculum, aut obligationem quam inducunt ad matrimonium contrahendum, hancque sub mortali: quia habent rationem contractus mutui inter sponsos in re gravi. Igitur injustè agit, & gravem injuriam irrogat alteri parti, illa pars, quæ promissa adimplere, aut matrimonium perficere recusat, absque legitima causa. Olim sponsalia de futuro, matrimonium fiebant per copulam animo maritali habitam can. *His quis fidem* de sponsal. Aut per mutuum consensum de præsenti, etiam clandestinum; sed post tridentinum sess. 24. cap. 1. sponsalia nequeunt fieri matrimonium, nec sacramentum, nisi per consensum verbis de præsenti expressum coram Parocho, & duobus testibus; aliàs matrimonium esset clandestinum, & consequenter nullum & illicitum; quamvis sponsalia clandestina sint valida, & licita: sic enim loquitur Concilium. *Qui aliter, quàm præsente Parocho; vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt: eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit; prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

XVI. Maxima difficultas est circà sponsalia; scilicet an votum simplex castitatis, aut votum suscipiendi sacros ordines, dirimat, & dissoluat sponsalia prius contracta? Bonacina, Mastrius, Laurea, & alij gravissimi affirmant; hujus opinionis ratio est: quia votum illud castitatis emissum post sponsalia, est validum, vel non; ut inquit Basilius lib. 12. cap. 12. num. 4. Hoc secundum dici non potest: ergo si validum, irritat, & dissoluit sponsalia contracta: attamen hæc ratio non convincit: nam illud votum post sponsalia emissum, est invalidum, quia Alexander III. in Can. *Veniens* tit. qui cler. vel voven. Matri contrah. reprobat votum continentiæ à muliere emissum post sponsalia, inconsultô sponso, eique permittit matrimonium. Igitur votum illud est invalidum. Deindè res promissa alteri licitè ac validè, nequit promitti Deo; ita ut prorsùs auferatur ab eo, cui licitè promissa fuit, nec licet in præjudicium juris alterius, ad altiorem, & perfectionem statum aspirare; nisi id in jure sit expresè permissum: alioquin prætextu gloriæ Dei, liceret derogare alterius acquisito juri, & post matrimonium unus conjux, alterô inconsultô, posset validè vovere castitatem, quòd est falsum; sed per sponsalia promittit quis corpus suum alteri; ut constat ex definitione tradita suprà num. 13. Ergo istud votum simplex castitatis, non dissolvit sponsalia contracta. Hinc est quód ille, qui post sponsalia vovit castitatem, tenetur contrahere, & consummare matrimonium (si alter conjux, aut sponsatus nolit obligationem sponsalium remittere:) At quamvis posteà inito matrimonio non possit debitum denegare, nequit tamen illud petere; quia tenetur servare in quantum potest continentiam, quam promisit: hanc sententiam docent Joannes Andreas, Panormitanus, Sylvester citantes D. Bonaventuram, & D. Antoninum. Assertio nostra sic impugnari potest. Cælibatus est status perfectior Maritali; ut docet tridentinum relatum suprà num. 4. & consequenter votum simplex vivendi in cælibatu potest dirimere sponsalia de futuro, sicut votum professionis religiosæ, aut religionis ingressus dirimit ea; sed respondetur hanc rationem non valere: quia jus exprimit votum profitendæ religionis tantum, ideoque jus dirimendi sponsalia non debet ultrà limites expressos extendi, nec protrahi ad quævis continentiæ vota; cùm votum continentiæ, aut cælibatùs, non sit votum religiosæ professionis. Insuper votum de professione religiosa dissolvit sponsalia ex jure: etenim includit transitum de statu periculoso, ad statum tutiorem statu maritali; at hæc ratio non reperitur in nostro casu; quia cælibatus; quamvis sit perfectior statu maritali, non est novus status, ut notant Gaudentius; & Diana: ergo non valet paritas.

XVII. Hic obiter observandum est contrà nonnullos, sponsalia non posse dissolui per quodcùmque accidens superveniens, toties, quoties sponsalia non fuissent

contracta

contracta, si accidens illud extitisset, aut prævisum fuisset: quia idem dici posset de matrimonio quod sæpè conjuges nollent propter accidentia quæ superveniunt; quæ si extitissent, aut prævisa fuissent, matrimonium non fuisset contractum. Nimis lata est hæc sponsalia dissolvendi libertas; ideoque reducenda est ad causas legitimas.

CAPUT XXXIV.

De Impedimentis Matrimonij.

I. MAtrimonij impedimenta instituta ab Ecclesia, sunt duplicis generis: quædam enim sunt dirimentia, quædam autem prohibentia tantum: quia licet impediant matrimonium contrahendum, faciantque illud illicitum; tamen non irritant, nec invalidant illud, sicut impedimenta dirimentia, quæ sunt ea, quæ nuptias dirimunt, easque invalidas reddunt; etiamsi contractæ fuerint: quia hæc dicuntur dirimentia, nè matrimonium validè, & alia prohibentia appellantur, nè matrimonium licitè contrahi possit; ea, quæ matrimonium nedùm impediunt, sed etiam contractum dirimunt, censentur quatuordecim, his verbis comprehensa.

Error: conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultùs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coïre nequibis;
Si parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptavé sit Mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc facienda vetant, Connubia facta retractant.

Ea autem, quæ matrimonium impediunt, & prohibent illud, non sub pœna nullitatis; sed solùm sub pœna peccati mortalis, & reddunt illud illicitum dumtaxat: sunt quinque, nimirum interdictum, Catechismus, simplex votum sivè castitatis, sivè Religionis suscipiendæ, & crimen, his versibus comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, crimina, votum
Impediunt fieri; permittunt facta teneri

II. Prohibet enim Ecclesia nè certo anni tempore nempè à primâ die adventus usque ad diem Epiphaniæ, & à die cinerum usquè ad octavam Paschatis inclusivè, matrimonium contrahatur quoad solemnitatem nuptiarum; ut constat ex tridentino sess. 24. cap. 10. de reform. Matrim: nam Patres Concilii: ibi non prohibent simpliciter, & absolutè nuptias; sed solùm earumdem solemnitatem; ut dictum est in ultimo capite secundi hujus operis libri. Undè de licentia ordinarij, sponsalia fieri possunt can. *Capellanus* de ferijs, Verbo *Quocumq*; Consummatio autem matrimonij antè interdictum nuptiarum contracti, fieri potest absque ulla ordinarij licentia, & dispensatione: quia jura non loquuntur de consummatione matrimonij; nec prohibent illam tempore feriato; Deindè actus conjugalis non prohibetur tempore feriato; ut fatentur omnes Canonistæ: ergo nec prohibetur consummatio matrimonij, quæ est actus conjugalis. Ultrà interdictum jam explicatum, assignatur aliud impedimentum, ut porè Catechismus, qui est instructio fidei, quæ fit antè januam Ecclesiæ ab eo, qui ad interrogationem factam à Parocho interrogante de rebus fidei, respondet nomine pueri baptizandi: etenim ex illa cœremonia olim contrahebatur cognatio quædam spiritualis cum baptizato, quæ impediebat matrimonium cum eodem contrahendum; ut habetur ex Can. *Per Cathecismum* de cognat. spirit. in 6. sicut modò contrahitur ab eo, qui tenet puerum in baptismo, & levat de fonte, & matrimonium impedit: sed à Concilio Tridentino fuit sublatum hoc impedimentum Catechismi. sess. 24. cap. 2. de reform. matrim. in fine; ut docet communior, & probabilior opinio. Idque constat ex declaratione ejusdem Concilij.

III. Hìc non agitur de voto solemni Castitatis, aut religionis suscipiendæ, quod est quædam consecratio, quâ homo redditur inhabilis ad opera carnis; ideoque impedimentum dirimens; sed de simplici, quod solùm impedit: nam qui vo-

verunt simpliciter castitatem, aut religionem, illicitè contrahunt, quamvis validè, & si contrahant, jure petendi debitum privati existunt, (nisi ex justa causa cum eis fuerit dispensatum) Can. *Si quis* 27. quæst. 1. unum tamen quoad debitum intercedit discrimen, inter hæc duo vota simplicia, castitatis scilicet & religionis. Ille, qui vovit castitatem, nequit licitè debitum petere, quamvis illud denegare non possit; ille verò qui vovit religionem valet illud licitè petere. Ratio discriminis est: quia licet in voto religionis, continentia promittatur, sicut in simplici voto castitatis, non promittitur servanda absolutè, sed conditionaliter, aut modificativè; id est in solo statu religionis; ille verò qui vovit simpliciter continentiam, promittit eam absolutè, & vovet manere in statu cælibatûs, ideoque si matrimonium contrahat, aut votum violet, tenetur continentiam servare in quantum potest; subindeque privatur jure petendi debitum conjugale, hæc quidem privatio voluntaria includitur in obligatione servandi continentiam in quantum potest; si autem posteà contingat alium conjugem mori, aut consentire ad separationem quoad torum, vel adulterium comittere, existimo illum, qui præmisso simplici castitatis, aut Religionis voto matrimonium contraxit absque legitima dispensatione, ad prædicti voti observationem teneri: quia in his casibus esset immunis à debito nuptiali solvendo, & reduceretur ad eumdem statum, in quo erat dum vovit continentiam; ideóque peccaret si ad secundas nuptias transiret. Ita Coninch, Toletus, & Sotus apud Cabassutium lib. 3. cap. 21. num. 2.

IV. Votô continentiæ ligatus, mortaliter peccat contrahendo matrimonium etiamsi contrahat animo determinato non consummandi; sed ingrediendi Religionem intrà bimestre: quamvis enim conjux antè matrimonij consummationem, seu post matrimonium ratum, possit per duos menses ad Religionis ingressum se determinare, Can. *Verum.* Can. *Ex publico* de convers. conjug. & monasterium ingredi, alterô conjuge invitô; tamen ab initio sic contrahere, videtur illusio conjugis cum gravi illius jactura; ac proindè peccat contrà justitiam, & abutitur jure bimestri. Undè nè iste peccet, necessè est quòd alterius conjugis consensum obtineat. An verò, hoc nonobstante, teneatur ad Religionis ingressum antè matrimonij consummationem? affirmo: quia per illud matrimonium, non est solutus, nec suspensus ab hoc voto; ratio est: quia contrahens, qui nullum votum emisit antè matrimonium, post matrimonium ratum, seu antequam matrimonium consummetur, potest vovere Religionis ingressum; Ergo matrimoniô nequit dissolui idem votum, si prius emissum fuerit; immò fortius videtur, eo quod post matrimonium ratum emittitur: quia nemini nocet, & majorem habet deliberationem. Sylvester Navarrus, & alij ad ingressum Religionis astringunt eum, qui non religionem, sed continentiam vovit antè matrimonium. Eorum ratio est: quia hoc unico modo potest adhuc suum continentiæ votum adimplere, & nulla superest ei alia opportunitas: nam ultrà duos menses non poterit frui privilegio ingrediendi religionem; Ideoque tenetur antè matrimonij consummationem ad ingressum monasterij pro observatione voti; sed displicet hæc ratio; quia votum illud continentiæ non extenditur, nec strictius redditur per matrimonium, nec tenetur pro servanda castitate, ad eligendum medium tam durum, & extraordinarium, nec est authoritate juris cogendus ad ingressum Religionis; sed solo consilio inducendus: quia non tenetur saltem ex justitia ad id, ad quod non se obligavit, putà ad religionis ingressum; ideoque non est cogendus ex vi voti priùs emissi, & si nolit religionis ingressum, cogendus est ad matrimonij consummationem, si uxor velit. Sic colligitur ex extra. *Antiqua* Joann. XXII. De voto: quia solo Religionis ingressu uxor potest privari marito. Undè si non se det religioni, debet se dare uxori, cujus jus Religionis juri dumtaxat postponitur, donec matrimonium consummetur.

V. Quartum matrimonij impedimentum prohibens, nascitur ex sponsalibus cum alia persona conventis: etenim qui sponsalia contraxit cum una persona, gravem contraxit obligationem standi sponsalibus; cùm sponsalia nihil aliud sint, quàm futuri matrimonij mutua promissio. Ideoque nequit sinè injustitia cum alia contrahere matrimonium; nisi conjux, cui data est fides, consensu suo obligationem relaxet: ut suadet regula hæc juris cap. 1. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Deindè valor promissionis,

nedùm ab eo, qui promittit; ſed etiam ab eo cui fit, dependet: igitur ſi conjux cui data eſt fides futuri matrimonij, renunciet, alter remanet liber. Quintum tandem impedimentum prohibens jure antiquo aſſignatum, eſt crimen, non illud, quod ſub ſe continet homicidium, ſeu conjugis occiſionem, & adulterium ſimul, eſtque impedimentum dirimens. ut infrà dicemus: ſed illud quod continet ſeptem delicta his verſibus comprehenſa.

Inceſtus, Raptus ſponſatæ, mors mulieris.
Suſceptus propriæ ſobolis, mors presbiteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium ſociandum.

Sed hæc omnia impedimenta in uſu eſſe deſierunt, ac proindè non ligant, modò propter non uſum, aut deſuetudinem à prælatis Eccleſiæ approbatam; cùm illis, qui talibus impedimentis irretiti ſunt, ſinè ulla diſpenſatione, videntibus Epiſcopis, matrimonium contrahant; ut teſtantur ferè omnes canoniſtæ, contrà nonnullos recentiores, qui volunt antiquos Canones hujuſmodi impedimenta inſtituentes obligare non obſtante conſuetudine contraria: quia (inquiunt) conſuetudo obſtans juri eſt nulla. Can. *Ad noſtram* de conſuet. ſed non valet hæc ratio. Cùm leges ex deſuetudine, & abrogatione approbatis ceſſent obligare; ut in ſecundo libro dictum eſt.

VI. Error, inter impedimenta dirimentia; primum locum occupat, eſtque duplex: poteſt enim eſſe circà ſubſtantiam perſonæ, & circà ipſius perſonæ qualitatem. Primus irritat, & invalidat matrimonium jure naturali; ut habetur in cauſa 29. quæſt. 1. Idque ſuadetur ratione. Conſenſus liber eſt de conceptu eſſentiali matrimonij; Sed ubi eſt error circà perſonæ ſubſtantiam, ibi non eſt conſenſus liber: quia volens contrahere cum Anna (v. g.) non vult contrahere cum clara; cui tamen, errore, nubit; ideoque hoc matrimonium eſt nullum, & irritum: quia contra voluntatem, aut conſenſum contrahentis initum fuit. Error circà qualitatem perſonæ non facit conjungium irritum: Quia contractus matrimonij non verſatur circà qualitates perſonæ, nimirùm circà nobilitates, divitias, pulchritudinem; ſed circà perſonam ipſam, niſi qualitas proponatur à contrahente tãquam conditio ſinè qua non: ut ſi contrahens, ſic exprimat conſenſum ſuum. Dicens. *Contraho tecum modò ſis nobilis*: tunc enim matrimonium eſſet invalidum, ſi error eſſet à qualitate; quia ſic error qualitatis tranſit in errorem ipſius perſonæ, & conſenſus innititur conditioni, qua deficiente, deficit etiam conſenſus, qui tunc datur ut conditionalis, & nequit fieri abſolutus, (ut requiritur in ſacramento matrimonij) niſi adveniat conditio ob quam datus fuit. Conditio ſervilis eorum, qui ſunt propriè ſervi, & ita ſunt alicujus Domini, ac ſub ejus poteſtate; ut eos vendere poſſit, eſt ſecundum impedimentum dirimens matrimonium; etenim contrahens cum errore conditionis, nimirùm putans ducere liberam, & ducit ſervam, maximam recipit injuriam; cùm traditio corporum non ſit mutua: ſuppoſito quidem tali errore, unus conjux dat corpus ſuum, & nullum recipit; quod eſt contrà ſubſtantiam, atqué eſſentiam matrimonij; tamen ſi ex errore conditionis nulla afferatur injuria conjugi, nec ex eo, ipſe conjux fiat deterioris conditionis, matrimonium eſt validum, quia ſi ſervus contraheret cum ſerva, quam crederet eſſe liberam, aut cum libera, quam crederet eſſe ſervam, matrimonium eſſet validum Can. *Si quis* Can. *ad noſtram* de conjugio ſervorum.

VII. Votum ſolemne, ſcilicet illud, quod emittitur in ſuſceptione ordinis ſacri aut in profeſſione religioſa, nedùm impedit matrimonium contrahendum; ſed etiam dirimit contractum ex tridentino; ſeſſ. 24. Can. 9. Idem ſuadet ratio: quippecum promiſſionis fides hominibus ſervanda ſit, multò magis Deo ſervanda eſt promiſſio caſtitatis. Tandem matrimonium poteſt diſſolui per unius conjugis ingreſſum religionis, ut jam dictum eſt ex variis textibus juris; & ut facilè colligitur ex tridentino loco citato Can. 6. Ergo profeſſionis votum debet irritare matrimonium.

VIII. Cognatio etiam dirimit matrimonium contractum, eſt que triplex; naturalis, ſpiritualis, & legalis. Naturalis eſt inter conſanguineos, & irritat matrimonium uſquè ad quartum gradum conſanguinitatis incluſivè, & deffinitur vinculum perſonarum, quæ ab eodem proxi-

ximo stirpite par carnalem propagarionem descendunt. Spiritualis est ea, quæ nascitur ex baptismo, & confirmatione; ut in proprio loco dictum est, dirimitque matrimonium inter illas personas, quæ talem cognationem contraxerunt. Legalis verò provenit ex adoptione, qua, quis extraneum eligit in filium juxtà conditiones à jure requisitas. Hæc cognatio dirimit etiam matrimonium Can. *Per adoptionem* 30. quæst. 3. Can. *Si qua* tit. de cognat. legali, usquè ad quartum gradum inter adoptantem & adoptatum, & posteros adoptati: inter uxorem adoptantis, & adoptatum, & inter uxorem adoptati, & adoptantem. Et durat illud impedimentum inter prædictos cognatos, etiam seclusa adoptione; solvitur autem adoptio morte naturali, vel civili, vel emancipatione, ut notat glossa in D. Can. *Si qua*; at inter filios, & filias adoptantis, & adoptatum, non durat cessante adoptione. Id est ex quo filij, aut filiæ adoptantis exierunt ab ejus potestate per hujus mortem, vel per emancipationem. Ita Cabassutius, & alij Doctores communiter ex canone primo. De cognatione legali. Ex quo etiam inferunt filium adoptantis posse cum filia adoptati contrahere durante adoptione. Et plures ab uno, eodemque homine adoptatos posse inter se matrimonium inire.

IX. Impedimentum criminis quod non tantum impedit, sed etiam dirimit matrimonium, est duplex Can. *Si quis vivente* 31. quæst. 1. Primum est homicidium, seu occisio conjugis facta animô matrimonium contrahendi cum superstite conjuge, si ante hanc occisionem intervenit adulterium. Idque locum habet etiamsi occisio non à conjuge, sed ab alio facta fuerit, modò ipse conjux consenserit, aut mandaverit: nam qui per alium facit, per se facere videtur. Aliud verô est adulterium factum hoc fine contrahendi matrimonium post obitum conjugis adhuc viventis, Ambobus conjugibus adulterantibus consensientibus ad futurum matrimonium verbô, aut signo externo; ut monent Doctores: Itaque si Paulus sic adulteratus est cum Catharina nupta, vivente adhuc sua uxore, & ipsa Catharina sciat Paulum esse uxoratum, nequit matrimonium validè contrahere cum illa post mortem uxoris suæ, & mariti alterius. Can. fin. de eo, qui duxit in matrim. Ratio est secundum omnes, nè propter futuri matrimonij spem detur ansa captandæ mortis conjugum; ideoque matrimonium Pauli cum Catharina esset irritum; quia adulterium, & promissio præcesserunt mortem mariti Catharinæ: nam si adulterium præcesserit, & promissio futuri matrimonij solum post mortem facta sit, adulterium non est sufficiens matrimonij impedimentum Can. *Veniens* eod. tit. Ita plures Doctores, quos citat, & sequitur Leander de matrim. disp. 14. quæst. 5. Quia adulterium debet simul cum futuri matrimonij promissione concurrere; ut fusiùs dicemus infrà. Sanè ut occisio conjugis cum adulterio sufficiat ad dirimendum matrimonium, non est necesse quòd Ambæ partes adulterantes consenserint ad mortem conjugis occisi: sed sufficit si una pars, altera etiam non consentiente, aut etiam ignorante, occederit ad hunc matrimonij finem præcisè; nam si occisio facta fuerit in odium, aut vindictam duræ tractationis: etiamsi hujus duræ tractationis causa fuisset adulterium, non dirimit matrimonium: quia jus non exprimit hoc. Nèc licet dicere intentionem contrahendi cum adultero, esse causam mortis conjugis ob vindictam occisi: quia non sunt inducenda impedimenta ultrà verba Canonum. Undè cùm impedimenta sint odiosa; non sunt ampliandạ; sed restringenda. Et istud inducendum est tantum ad occisionem intuitu futuri matrimonij factam, adulteriô conjuncto. Nec sufficeret occisio hæc, Si fieret ab alio absque consilio, aut mandato; quamvis posteà rata haberetur à conjuge: quia ex nona regula juris in 6. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* Tandem si maritus uxorem suam occideret, ut posset matrimonium contrahere cum alia, quæ non fuit particeps homicidij, vel adulterij, validè contraheret: quia jus ad impedimentum criminis requirit, ut altera quoque pars fuerit delicti particeps. Hinc est quòd occisio conjugis; ut matrimonium impediat, & dirimat, debet fieri intuitu futuri matrimonij cum conjuge superstite, seu uxore mariti occisi, vel marito mulieris occisæ.

X. Non desunt Doctores existimantes hoc impedimentum incurri à viro occidente uxorem, non autem è conversô; sed opinio tutior, & probabilior affirmat pro utraque parte, seu docet hoc impedimen-

tum etiam incurri ab uxore occidente virum animò contrahendi matrimonium aliud. Ut facilè colligitur ex Can. *Si quis vivente* 31. quæst. 1. ibi enim legimus *Si quis vivente marito adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eumdem sumpsisse dignoscitur : omnimodis publicæ pœnitentiæ subiiciatur. De quo etiam post pœnitentiam præfatam si expedierit, servabitur Regula; nisi fortè vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur, aut propinquitas, vel alia qualibet actio criminalis impediat; quod si probatum fuerit, sinè ulla spe conjugij maneat perpetuò cum pœnitentia*, quibus suadetur, quòd mulier, quæ viri proprij mortem cum effectu machinata est, ut adultero nubat, non poterit post mortem proprij viri adultero nubere, ut expressè notat hæc particula *nisi fortè vir, aut mulier.* Tandem hujus impedimenti finis est, nè quis animò contrahendi matrimonium cum amasio conjugem alterum occidat. Quiquidem finis tam reperitur in uxore respectu viri, quàm in viro respectu uxoris. Parum refert si promissio futuri matrimonij fuerit ficta adjunctô adulteriô: Quia hujus impedimenti finis subsistit non obstante fictione, cùm ex dictis sit, nè mors procuretur intuitu futuri matrimonij, & promissio, etiam ficta eam procuret à conjuge promissionem fictam sincerè acceptante, aut fictionem ignorante.

XI. Decimum impedimentum, quod est publicæ honestatis; oritur ex validis, & certis sponsalibus; & ex matrimonio rato non consummato; cum hac tamen differentia. Primò dum oritur ex sponsalibus, ad primum gradum dumtaxat se extendit. Ut habetur ex Tridentino sess. 24. de matrim. cap. 3. at dum oritur ex matrimonio rato ad quartum gradum se extendit; ut declarat Pius V. in decreto, quod incipit *ad Romanum Pontificem spectat* anni 1568. cujus verba referuntur numero sequenti Secundò non potest oriri nisi ex sponsalibus validis, & potest oriri ex matrimonio etiam invalidò (putà clandestinò) modò intervenerit utriusque partis consensus: quia matrimonium clandestinè contractum, habet vim sponsalium: sic enim declaratum fuit in sacra Congregatione Cardinalium; ut testantur Henriquez, Filiucius, Farinacius, Rebellus, Basilius, & alij. Indè duo inferenda sunt; Primum est, matrimonium invalidum ex defectu consensus liberi, nullum parere honestatis impedimentum; Secundum est, idem honestatis impedimentum ex matrimonio invalido, aliundè quàm ex consensu partium emergens; esse sicut impedimentum emergens ex sponsalibus; id est non debet ultrà primum gradum extendi. Istud honestatis impedimentum non cessat per mortem sponsæ Can. *Si quis desponsaverit.* 27. quæst. 2. neque per sponsalium liberam ex mutuo consensu dissolutionem: quia impedimenta semel contracta, non à contrahentium voluntate; sed ab Ecclesia dependent.

XII. Differentia in numero præcedenti admissa inter matrimonium ratum, & sponsalia in ordine ad impedimentum publicæ honestatis fulcitur authoritate Pij V. suprà citati, cujus verba sunt hæc: *Idcirco motu proprio, authoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus definimus decretum sess. 24. cap. 3. Tridentini Concilij hujusmodi, omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat; non autem in matrimonio, sic (ut præfertur) contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus quibus de jure veteri, antè prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus.* Additur tandem declaratio Cardinalium: quæ incipit. *Cum ait Concilium sponsalia valida de futuro, quæ propriè, ac verè sponsalia vocantur; non de sponsalibus de præsenti in matrimonio rato, quod in suo priori vigore relinquitur, & impedit in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus à jure veteri, antè Concilium Tridentinum introductum erat*: Bulla hæc, & declaratio Cardinalium liquidò probant præcedentem assertionem. Nec valet dicere quòd ex matrimonio rato nondum consummato oritur potiùs affinitas, quàm publica honestas, ac proindè non impedimentum publicæ hostestatis, sed affinitatis, se extendit ad quartum gradum: non valet inquam: quia affinitas non potest consurgere, nisi ex copula carnali, ut dicemus infrà; hîc autem agitur de matrimonio antecedente ad omnem copulam considerato, ex quo si aliquod prouenit impedimentum, non est affinitatis; sed publicæ honestatis, & se extendit usque ad quartum gradum, ad quem se extendebat antè Tridentini de-

cretum; cùm hæc Sancta Synodus juris veteris dispositionem quoad hoc caput non reformaverit.

XIII. Ut affinitas sivè subsequens, sivè præcedens dirimat matrimonium, non sufficit clamorosa insinuatio, sed requiritur legitima probatio; ut non obscurè colligitur ex Can. *super eo* tit. de eo qui cognovit ubi legitur *Super eo quod postulas, utrum conjugatus, qui antè contractum matrimonium, uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur, terque, & aliqua pars viciniæ, hoc acclamare dicatur, sit ab uxore sua judicio Ecclesiæ separandus: tuæ fraternitati respondemus, quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ, separari non debent: cum quandoque nonnulli inter se contrà matrimonium velint colludere; & ad confessionem incestùs facilè prosilirent, si suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quod nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant, posset benè contractum matrimonium irritari.* Qui verò scienter contrahunt cum aliquo impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, excommunicationem ipso facto incurrunt; ut constat ex Clementina *eos qui* titulo de consanguinitate, & affinitate; cujus verba sunt hæc: *eos qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum, scienter in gradibus consanguinitatis; & affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: necnon religiosos, & moniales, ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refrenare, metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipsos excommunicationis sententia ipso facto decernimus subjacere: præcipientes Ecclesiarum prælatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicé tandiù nuncient, seu à suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, & absolutionis beneficium obtinere mereantur. Per prædicta quoque juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.*

XIV. Quandò matrimonium ob impotentiam accusatur, si vir affirmet, & juret se cognovisse uxorem suam, uxor verò neget, potiùs viro quàm uxori credendum est, & secundum eum pronunciandum. Can. *Si quis* 33. quæst. 1. ubi legitur *Si quis accepit uxorem; & habuit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit, quòd nunquam coisset cum ea: & ille vir dicit, quod sic fecit, in veritate viri consistat; quia vir est caput mulieris* junctâ glossâ, quæ addit *nisi ab adversa parte contrarium probaretur.* Quandò autem contingit litem, aut accusationem motam fuisse à viro asserente coram judice se non posse uxorem cognoscere, tunc potiùs mulieri asserenti se cognitam fuisse, fides est adhibenda, quàm viro, nisi legitimas exhibeat probationes. Ratio Glossæ est. Quia mulier stat pro matrimonio, quod favorabile est: idem infertur ex hac XI. Regula juris in 6. *Cùm sunt partium obscura, reo favendum est, potiùs quam actori*: ac proindè in hoc casu, non viro, qui est actor; sed mulieri, quæ est rea, credendum. & favendum est. Qui matrimonium in facie Ecclesiæ, & juxtà formam Concilii Tridentini contractum, accusare volunt, impedimenta dirimentia objiciendo, non sunt facilè audiendi; ut constat ex variis textibus juris Canonici.

XV. Illi, qui nullo impedimento ligantur, & nequeunt capere continentiæ consilium Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. tenentur nubere: nam Apostolus ait vers. 8. & 9. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego; quod si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quàm uri*: quæ verba exponens D. Gregorius inquit *peritus medicinæ cœlestis Apostolus non tam sanos instituit; quàm infirmis medicamenta monstravit.* Illi igitur, qui continentiam servare non possunt; & habent adhuc potestatem nuptiarum, tenentur matrimonium inire, seu remedium incontinentiæ à Christo institutum assumere; & obedire Apostolo dicente loco citato vers. 1. & 2. *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam habeat uxorem, & unaquaque suum virum habeat*: hic enim in sensu Apostoli agitur de fornicatione vitanda; ut advertit Concilium Coloniense celebratum anno 1536. cap. 12. ubi legitur *Apostolus ait unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem, nimirùm vitandam.* Undè illi, qui fornicationem vitare nolunt, tenentur contrahere matrimonium juxtà mentem ejusdem Concilij dicentis. *Monen-*

di sunt qui matrimonium contrahere affectant, nè alius affectus ipsos huc rapiat, ut sit honorabile conjugium, & cubile impollutum: nam si neque ob prolem suscitandam, neque ob fornicationem vitandam; sed potiùs divitiarum, aut opum nanciscandarum, aut alterius rei gratiâ matrimonium contrahatur, perperam agitur, ac graviter in sacramentum peccatur, Hicque Tobiæ 6, 7. 8. scribuntur enarrari, proponi, ac doceri conveniet: ubi locus pulcherrimus est exemplo commonstrans, quemadmodum bona uxor donum Dei sit debitum timenti Dominum: quomodo in timore Dei á parentibus, non luxuriæ causá, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei in sæcula, petenda. Quo pacto conjugij conscriptione factâ, tradenda: quemadmodum etiam convivium nuptiale cum laude, & benedictione Dei agendum: denique quomodo precandus sit Deus per conjuges, ut benedictionem suam in ipsos, quos coniuxit impleat: hæc enim docent sanctorum filios, qui non debent ita conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum. Eritque horrendum illud exemplum de septem Saræ viris à Dæmonio occisis replicandum. His namqué (Raphaël Angelus apud Tobiam ait) qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se. & à suâ mente excludant, libidini vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, dæmonium malum dominatur.

XVI. Insuper ad matrimonium contrahendum obligantur reges, & principes eorumque filij, & filiæ, dum ex eorum cælibatu periculum imminet religioni, aut regni tranquilitati (v.g.) si ex cælibatu regis sequeretur quód successio transiret ad infidelem, aut ad hæreticum regem, vel maxima in regno perturbatio suscitaretur, ob aliorum Regum cupiditatem: tunc enim religionis amor, publicæque pacis studium Regem ad matrimonium compellerent ipsâ naturæ lege; & teneretur illud contrahere pro bono publico, & pace populi; nisi sit aliquo castitatis, aut continentiæ voto astrictus; in quo casu, obtinenda esset á summo Pontifice dispensatio; hæcque facilè concederetur: quia prorsùs necessaria esset religioni, & reipublicæ. Non desunt Doctores qui eamdem nubendi obligationem imponunt religioso, atque clerico in sacris constituto, si omnes homines deficerent: quia inquiunt genus humanum conservare tenerentur juxta illud *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: quod in tali casu obligaret, sicut obligabat in principio mundi, & post diluvium, cùm adesset eadem necessitas propagandi genus humanum. Ita plures quos citat, & sequitur Leander contrà plures; qui probabiliorem judicant sententiam oppositam; ob voti solemnis indissolubilitatem.

XVII. Cultûs disparitas est impedimentum dirimens matrimonium Can. *cave* 28. quæst. 1. quô declaratur baptizatum non posse matrimonium contrahere cum non baptizata; quoniam contractus inter hujusmodi partes initus, nequit fieri sacramentum, ex defectu baptismi: qui est janua sacramentorum: conjugibus enim dicitur in citato Canone *conjunctis precibus obsecrandus est Deus*: ideoque cultu dispares nequeunt conjugio copulari. Undè matrimonium Catholicæ cum hæretica persona, est validum, & verum sacramentum, quamvis sit illicitum, & prohibitum: quia utraque persona est baptizata, nec inter ipsas est talis cultûs disparitas: ratio hujus impedimenti est quia conjux fidelis, & baptizatus se exponit periculo perversionis. Hic omittenda sunt ea, quæ dici possunt de impedimento, vis, metus, vel violentia; quia jam dicta sunt, pariter & ea, quæ de impedimentis ordinis, & ligaminis.

XVIII. Affinitatis impedimentum est vinculum quoddam, seu propinquitas procedens ex carnali copula, sivè licita, sivè illicita fuerit, olim dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum. Can. *ad sedem.* 35. quæst. 5. modò ex Lateranensi sub Innocentio III. dum provenit ex copula licita, dirimit matrimonium usquè ad quartum gradum inclusivè; ut deffinit etiam Tridentinum sess. 24. cap. 4. Et dum procedit ex copula illicita, dirimit usquè ad secundum gradum inclusivè. Undè qui fornicatus est cum aliqua, potest matrimonium contrahere cum consanguinea illius in tertio, vel quarto gradu: vir autem nequit secundas nuptias contrahere cum consanguinea uxoris suæ, nisi in quinto gradu.

XIX. Gradus affinitatis eodem modó numeratur, quo gradus consanguinitatis: nam omnes, qui consanguinei sunt marito, affines sunt uxori in eodem gradu, tam in linea ascendentium, quàm descendentium; sed consanguinei uxoris, & consa-

guinei mariti; nullam inter se affinitatem contrahunt; hinc est quòd pater, & filius possunt cum matre & filia matrimonium contrahere, & duos fratres, duas sorores ducere; quin tamen unus possit duas sorores successivè ducere, nec matrem, & filiam; Nec una duos fratres, nec fratrem, & consobrinum. Ratio juris est: quia uxor affinitatem contrahit cum omnibus consanguineis mariti, & è converso. Juris fundamentum est: quia conjuges sunt una caro, aut duo in carne una: at Can. *porro* 35. quæst. 5. consanguinei viri, & consanguinei uxoris nullam contrahunt affinitatem, nec unus conjux affinitatem contrahit cum affinibus alterius conjugis. Petrus (v. g.) mortua uxore, potest ducere affinem uxoris suæ defunctæ, nimirùm viduam fratris ipsius; non autem consanguineam.

XX. Impotentia, seu inhabilitas perpetua ad consummandum matrimonium, etiamsi ex parte unius conjugis dumtaxat oriatur, est impedimentum dirimens matrimonium; quippecum finis matrimonij sit prolis generatio; & generatio prolis haberi nequeat sinè sexuum copula, quâ conjuges fiunt una caro; impotentia ad copulam debet matrimonium dirimere, modò fuerit eo tempore, quo matrimonium contractum fuit. Quoniam ea impotentia, quæ advenit post matrimonium contractum, non dirimit illud Can. *hi qui* 32. quæst. 7. *hi qui matrimonium sanè contraxerint, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit ob hanc infirmitatem, conjugia talium solui non possunt.* Et si dubitetur, an præcesserit, vel supervenerit, præsumendum est potiùs præcessisse. Ita Brancatus & alij. Necessè est insuper quòd impotentia sit perpetua, id est via ordinaria prorsùs incurabilis: nam si sit solùm ad tempus, non dirimit matrimonium Can. *fraternitatis* de frigid. ea autem impotentia, quæ provenit ex maleficio, judicanda est perpetua, si per solum maleficium tolli possit: id enim quòd fieri non potest sinè peccato, prohibitum est; ideoque hæc impotentia est insanabilis, ac proindè perpetua. Postquam conjuges ex impotentiæ causa separati fuerint, non impotens potest matrimonium novum contrahere, non autem impotens; nisi ejus impotentia fuerit respectiva; tunc enim licitum erit illi contrahere cum alia, respectu cujus erit potens ad copulam conjugalem. Tandem ultimum impedimentum matrimonium dirimens, est absentia Parochi, & testium, Ut dictum est suprà.

CAPUT XXXV.

De dispensationibus circà impedimenta Matrimonij.

I. Cum Ecclesia possit constituere impedimenta matrimonij, & de facto constituerit ea, (de quibus suprà dictum est) ut sancit Tridentinum sess. 24. Can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse, anathema sit;* potest etiam circà eadem impedimenta dispensare: illius enim est solvere, cujus est ligare: & omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ut constat ex Regulis juris. Idcircò summus Pontifex, qui est caput Ecclesiæ, potest dispensare circà matrimonij impedimenta solo jure Ecclesiastico constituta; cùm sit suprà ius humanum positivum; non verò circà ea, quæ jure divino, aut jure naturæ introducta sunt: certum quidem est summum pontificem non posse dispensare (v. g.) ut inter fratrem, & sororem, inter patrem, & filiam matrimonium contrahatur, etiam in causa necessitatis: quia Christus hanc dispensandi authoritatem non reliquit Ecclesiæ suæ; ut notant canonistæ asserentes naturæ lege vetitum esse matrimonium patris cum filia, & filij cum matre & fratris cum sorore.

II. Episcopi non habent absolutam potestatem dispensandi circà matrimonij impedimenta jure Ecclesiastico introducta; quia non habent legitimam facultatem relaxandi ea, quæ à concilijs generalibus, vel à summis Pontificibus instituta fuere: Can. *cum inferior* de majorit. & obed; habent tamen illam conditionaliter, & in certis casibus, si matrimonium sit contractum, & concurrant quinque conditiones sequentes. Prima est ut matrimonium sit consummatum. Secunda ut sit contractum, & consummatum ignoranter quoad impedimentum. Tertia ut impedimentum sit occultum, & matrimonium publicum; censetur autem occultum impedimentum, si publicè

publicâ famâ vulgatum non sit, vel deductum ad forum contentiosum, aut si deductum quidem fuerit, sed non potuerit probari, ideoque lis dirempta, & pars rea sinè metu dimissa fuit, ut tradunt plures Canonistæ. Quarta, ut partes sint ita pauperes, & impotentes, ut mittere non possint ad Papam, nec ad legatum. Quinta tandem est quandò separatio nequit fieri, quin scandalum oriatur, & dispensatio differri non potest sinè urgenti incontinentiæ periculo, aut alterius damni secuturi; si impedimentum fieret publicum dispensationis petitione. Ut [v. g.] si impedimentum se teneret ex parte fœminæ; essetque affinitas ex illicita copula cum consanguineo mariti antè matrimonium: in his casibus juxtà communem Doctorum sensum, Episcopus potest dispensare: incredibile quidem est, Ecclesiam velle soli summo Pontifici reservare dispensationes circà impedimenta dirimentia in summis angustiis, & cum animarum periculo; & sæpè cum impossibilitate obtinendi remedium, seu dispensationem; cùm non desint prædictas conditiones habentes, quibus impossibilis est ad sanctam sedem recursus: ergo Episcopi in prædictis casibus veram habent dispensandi facultatem pro conscientiæ foro.

III. Cùm major difficultas sit circà matrimonia contrahenda, quàm contracta, inquirendum est. An Episcopi possint in casu urgentis necessitatis dispensare in impedimentis matrimonij contrahendi? Sotus & alij negant. tamen sententia affirmativa est probabilior, licet potestas sit arctior: quia plures casus sunt necessarij, & movent ad dispensationem obtinendam post matrimonium contractum, qui non sunt necessarij antequam contrahatur; & ideo potestas Episcoporum in impedimentis dirimentibus, minùs se extendit in matrimonio contrahendo, quàm in contracto, & rarissimè contingit Episcopum posse in hac parte dispensare. Propono tamen casum [v. g.] Si quis morti proximus confiteatur Sacerdoti se habere in domo filios, & concubinam, cui non potuit nubere ob aliquod impedimentum dirimens matrimonium jure Ecclesiastico, certum est hunc hominem teneri in conscientia ad matrimonium contrahendum cum illa, ac proindè hic esset necessariò dispensandus, non à Papa, ratione impossibilitatis recurrendi ad illum: ergo ab Episcopo Diœcesano, ut eum secretò dispensaret in foro interno: id suadèri potest ex eo quod Ecclesia nullum peccatum sibi reservat in articulo mortis, idcòque extendit authoritatem confessarij approbati, & approbat in tali necessitate Sacerdotes, qui approbati non sunt, nè animæ pereant. Eadem ratione extendit potestatem Episcoporum; ut dispensare valeant, dum dispensatio est necessaria ad salutem quæ sæpè dependet à matrimonio contrahendo, ut [verbi gratia] in prædicto casu.

IV. Hujusmodi facultatem Episcopus potest alteri, seu Vicario Generali delegare; quia est illi ordinaria, inquit Leander, plures alios citans. Nec valet dicere Vicarium Generalem ratione officij habere jurisdictionem Episcopi, & consequenter absque ulla speciali licentia; sed via ordinaria posse dispensare in impedimentis in quibus dispensat Episcopus. Non valet inquam. Quia non competit Episcopis jure ordinario, sed ratione urgentis necessitatis, nec dicitur propriè jus Episcopale, sed Pontificium Episcopis ex quadam juris interpretatione permissum, potestatis ordinariæ jura habens in necessitate dumtaxat; nequit igitur Vicario Generali convenire sinè speciali licentia Episcopi, periculo, aut necessitati providere volentis.

V. Quamvis Episcopi nunquam possint dispensare in tertio consanguinitatis, vel affinitatis gradu, immò nec in quarto, de matrimonio contrahendo; ut colligitur ex varijs Concilijs, & præsertim ex Lingonensi ubi legitur, *Gradus consanguinitatis sic ponuntur: fratres, aut sorores sunt in primo gradu. Filij duorum fratrum aut sororum, sunt in secundo gradu. Filij cognatorum germanorum dicti secundi cognati, sunt in tertio gradu. Horum filij, dicti tertij cognati germani, sunt in quarto gradu. Inter istos non est legitimum matrimonium nisi cum eis sit per sedem Apostolicam dispensatum*; item ex Tolosano. *Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus solutos, & dispensatos, nisi visâ priùs summi Pontificis dispensatione, in matrimonij conjunctionem parochi non recipiant.* Nihilominus plures sunt in gallia Diœceses in quibus juxtà antiquam & legitimè prescriptam consuetudinem, Episcopi dispensant in quarto gradu pro matrimonio contrahendo, quoniam prædecessores eorum hac facultate usi sunt, existimantes ipsam fuisse à sede Apostolicâ concessam, & dispensatio est valida; cùm in hac specie, bona

fides tam concedentes, quàm imperrantes dispensationem excuset. Moneo tamen quòd si Episcopus dubitet, vel meritó dubitare debeat, an facultas hæc dispensandi sit ex privilegio reali, & perpetuo in favorem diœcesanorum concesso, an ex privilegio personali; seu alicui ex prædecessoribus in particulari concesso, dispensare non debet; in re enim, quæ ad sacramentum spectat, nequit opinionem minùs probabilem sequi, relictâ probabiliore, ac tutiore, quæ est illa, quæ affirmat Episcopum non posse dispensare in quarto gradu, de matrimonio contrahendo, vel Episcopum non posse in eodem gradu dispensare; nisi priùs obtinuerit à sancta sede privilegium dispensandi. Si partes dispensandæ è diversis diœcesibus sint, unius Episcopi dispensatio non sufficit, sed ab Episcopo utriusque diœcesis petenda, vel obtinenda est: quippecum dispensatio sit actus jurisdictionis, quam Episcopus non habet in extraneum, nequit cum illo dispensare; si verò contingat unum Episcopum non habere potestatem dispensandi diœcesanum suum in tertiô gradu, ad summum Pontificem, vel ad legatum habendus est recursus; & ab ipso obtinenda est dispensatio.

VI. Quandò matrimonium semel coram parocho, & testibus bona fide contractum, dispensatione indiget ob impedimentum aliquod dirimens; non est necesse quòd denuò solemni ritu in facie Ecclesiæ contrahatur; cùm impetrata fuerit dispensatio; sufficit enim mutuum renovare consensum; ita declaratum fuisse à Pio V. sancto Pontifice testantur Navarrus, & Zerola; ratio renovandi consensum, est, quia dum conjuges consenserunt in matrimonium, impedimento manente, non erant personæ legitimæ ad contrahendum, & per dispensationem fiunt legitimæ; & ideo consensus est necessariò renouandus mutuus; non enim sufficeret consensus unius, si alter conjux nòn cognovisset impedimentum, cùm istius ignorantiâ matrimonium non sit minùs irritum, & essentia ipsius in mutuo partium consensu inveniatur. Reverà non est necesse quòd hæc pars, quæ impedimentum novit, notificet illud in specie alteri parti, quæ ignorat illud; sed sufficit ei, consensum exigere, & obtinere ab illa parte, quæ ignorat impedimentum, quô præstitô, matrimonium validatur. Si autem contingat hanc partem, quæ impedimentum ignorat, nolle suum consensum præbere, tunc altera pars debet illi defectum notificare in specie; ut faciat quod in se est ad obtinendum consensum pro validitate matrimonij.

VII. Quandò matrimonium fuit contractum, & consummatum in gradu prohibito, partibus scientibus, ac volentibus, animô faciliùs obtinendi dispensationem, non validatur per dispensationē à Summo Pontifice concessam; nisi apud eumdem summum Pontificem, partes in postulatione dispensationis hunc animum, hanceque copulam exposuerint; his quidem sublatis, seu non expressis animô, & copulâ; dispensatio quæ indè sequeretur, esset subreptitia ob suppressionem veri (quæ subreptio dici solet) & per consequens invalida; cùm ex Can. *dicenti* 25. quæst. 2. subreptio si sit malitiosa, rescriptum reddat invalidum. Idem sentiunt Alexander, Zerola, Navarrus in manuali cap. 22. num. 6. de dispensatione obtenta in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, nulla facta mentione copulæ priùs habitæ ab impetrantibus; quamvis factæ non eo animo ut dispensationem faciliùs obtinerent: quia hæc dispensatio esset etiam subreptitia, seu cum suppressione veri, scilicet copulæ consummatæ: Secùs discurrendum est, si copula fiat, missâ Romam supplicatione, & impetrato dispensandi mandato; sed nondùm significato: tunc enim in dispensationis Pontificiæ impetratione nulla subreptio intervenit: cùm dispensatio fuerit petita, & expedita antè illum defectum supervenientis copulæ. Idem dico si hæc copula, aut matrimonij consummatio facta fuerit litteris dispensationis nondùm confectis: nam ut matrimonium sit validum, & litteræ nullatenus subreptitiæ, sufficit quòd petitio, aut supplicatio missa fuerit antè copulam: ita communiter omnes doctores. Hinc est quòd contrahentes non tenentur Romam iterùm mittere; cùm dispensatio sit legitima; sed solùm absolutionem petere ab Episcopo de illa copula, quæ dispensationis executionem præcessit, quæ cùm sit de genere incestûs, est copula reservata Episcopo.

VIII, Quæritur utrùm si fœmina impetret à summo Pontifice dispensationem ad nubendum consanguineo, & nollens posteà uti ipsâ dispensatione, impetret aliam ad nubendum alteri consanguineo, nullâ, factâ mentione de prima, valeat hæc secunda?

Basilius & alij negant; nisi aliquod supervenisset impedimentum, quominùs eâ uti posset: eorum ratio est. Quia posterius rescriptum in eodem negotio est invalidum, si de priori mentionem non faciat, & prius rescriptum in suo robore permanet; idque inferunt ex cap. *caeterum* de rescrips. At nonobstante hac ratione, opinio opposita videtur mihi probabilior: quia dispensatio secunda, est pro matrimonio diverso, nullam connexionem habens cum primâ dispensatione: igitur mentio hujus non est necessaria in impetratione secundæ: nam textus loquitur de duobus rescriptis in eodem negotio impetratis, quorum unum beneficium concedit, & aliud aufert; non autem de rescripto in diverso negotio impetrato, quô impetrans potest uti pro quo voluerit, quale est rescriptum dispensationis, quô conceditur ut fœmina possit nubere huic consanguineo, si velit: nam dispensatio non cogit ad matrimonium cum consanguineo contrahendum; sed tollit impedimentum canonicum, ut licitè ac validè contrahatur.

IX. Graviter peccant illi, qui dispensationes postulant absqué legitimâ causâ; pariter & illi, qui concedunt eas: id colligunt Canonistæ ex illo D. Bernardi lib. de consideratione ad Eugenium cap. 10. ibi enim ita loquitur ille Sanctus Doctor *ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria; nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est* ac proindè culpabilis. Quare Concilium Tridentinum ait *in contrahendis matrimoniis, vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa, & gratis concedatur*. Nulla est igitur dispensatio sinè legitima causa impetrata & impetrantes debent carere omni commodo litterarum, ut constat ex variis textibus juris canonici, præsertim ex Can. *super litteris* de rescript. Tandem ille, qui sinè causa legitima dispensationem postulat, subreptitiè, aut obreptitiè agit, id est tacet veritatem, aut exponit falsum, ut dispensationem obtineat: ergo peccat: quia agit fraudulenter. Idem dico de prælato, qui sinè legitima causa dispensationem concedit; qui licet non exprimat falsum, nec taceat verum abutitur tamen potestate illi concessâ, ideóque peccat; cùm potiùs sit crudelis dissipator, quàm fidelis ille dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam.

X. Plures recensentur apud omnes authores, & præsertim apud Leandrum (ex quo eas deduco) causæ legitimæ dispensandi circà impedimenta matrimonij. Prima est, extinctio magnæ litis; impeditio aliquorum discordiæ, pax inter consanguineos, aut evitatio scandali inter illos. Secunda est, quandò quis, absque gravi incommodo, aut magnis difficultatibus, nequit dignas sui statui nuptias, nisi cum affinibus, vel consanguineis, inire. Tertia est, defectus dotis competentis, cujus defectu nequit fœmina reperire sponsum sibi dignum, nisi ex propinquis. Quarta est, conservatio illustris familiæ in eodem sanguine. Quinta, conservatio amplissimarum opum intrà eamdem familiam, nè causâ dotis ad aliam devolvantur. Sexta, merita petentium dispensationem erga Ecclesiam, quia digni sunt, ut Ecclesiæ benignitatem expetiantur, qui de eâ benemeriti sunt. Septima, magna pecuniæ quantitas ad opera pia. Plures alias causas assignant nonnulli. Sed quia ad istas facilè reducuntur, eas omitto: moneo tamen quòd mens Ecclesiæ est, ut nunquam dispensetur in secundo gradu, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam; ut expressè declarat sacra Tridentina Synodus sess. 24. de reform. matrim. cap. 7. in fine.

XI. Quæritur an quandò Papa committit ordinario ut dispenset cum aliquibus, cum hac clausula *dummodo copulam non habuerint* dispensatio sit invalida, si contrahentes negent copulam habitam, ut indè ordinarius credat nullam inter ipsos conjuges intervenisse copulam? Henriquez, Basilius, Hurtadus, & alij asserunt hujusmodi dispensationem esse validam. Eorum ratio est, quia ordinarius tunc habet potestatem dispensandi, modò copula non constet ipsi, ut de facto non constat, si contrahentes negent, & nulla præcesserit notitia copulæ, quâ ordinarius noscat se non posse dispensare. Sed non convincit hæc ratio: nam Papa hanc clausulam admittens, intendit quòd ordinarius non dispenset, nisi priùs fuerit convinctus, aut certus, an contrahentes copulam habuerint, vel non? obligat enim illum ad inquirendam veritatem, & contrahentes ad eamdem veritatem, seu copulam revelandam, si eam habuerint: igitur si negent, & ordinarius dispenset, dispensatio est nulla

& de genere earum, quæ subreptitiæ sunt; cùm ex parte contrahentium sit suppressio veri, & clausula non fuerit apposita per modum oneris, quod ordinarius, cui dispensatio committitur, examinare debet; ut volunt plures; sed per modum conditionis essentialis à quâ pendet dispensationis validitas. Indè sequitur contrahentes veritatem negantes nedùm peccare mortaliter, sed etiam invalidam esse dispensationem ordinarij; qui nequit dispensare, nisi cum illa conditione, nempè dummodò non intervenerit copula. Ita Rodriguez, Ledesma & alij.

XII. Nè dispensatio subreptitia videatur, habens plura impedimenta disparata, debet ea referre in petitione sua, ut simul in omnibus dispensetur: certum enim est quòd ligatus votô (v. g.) & consanguinitate, non esset verè dispensatus in utroque impedimento, si dispensationem unius dumtaxat postulasset: quia dispensatio valet in quantum sonat. Undè dispensatus in affinitate, remanet ligatus votô, si pro sola affinitate dispensationem petierit, sicut absolutus ab excommunicatione, remanet suspensus, si fuerit excommunicatione & suspensione nodatus, & absolutionē suspensionis non obtinuerit. Nec valet dicere quòd ex speciali constitutione Pij V. quæ incipit *Sanctissimus* edita die 26. Augusti 1566. quòd viro & mulieri in secundo, & tertio gradu, vel in tertio & quarto gradu affinitatis, aut consanguinitatis conjunctis, ad legitimam dispensationem obtinendam, sufficit exponere gradum remotiorem. Non valet: quia hæc Apostolica constitutio non loquitur de impedimentis disparatis, nullam inter se connectionem habentibus, sed de illis, quæ in eadem linea sunt, & habent inter se strictam connectionem; ut patet de gradibus secundo, & tertiò affinitatis, aut consanguinitatis; quia dispensatus in secundo gradu (v. g.) remanet dispensatus in tertio: cùm majus in hoc casu includat minùs. Et ex expressione secundi gradus affinitatis, tertius censeatur sufficienter expressus.

XIII. Quandò petitur dispensatio in primo gradu publicæ honestatis, necessè est explicare, an proveniat ex matrimonio rato, vel ex sponsalibus. Ratio communis est: quia indecentius est matrimonium contrahere cum sorore sponsi de præsenti, quàm cum sorore sponsæ de futuro; quandò autem impedimentum publicæ honestatis concurrit cum impedimento affinitatis, dispensatio non est valida, si in petitione exprimatur affinitas in genere, omisso publicæ honestatis impedimento: quia in affinitate in genere non includitur publica honestas; cùm detur affinitas aliqua, nimirùm ea, quæ ex copula illicita provenit, ex qua nullum resurgit publicæ honestatis impedimentum. At si affinitas explicetur in specie, & in gradu, in dispensatione istius, aliud tollitur impedimentum, quod est publicæ honestatis: quia istud impedimentum includitur in alio. (v. g.) Si Paulus desponsatus fuerit annæ per verba de præsenti, & illa objerit antequam matrimonium consummarent, velit ducere consanguineam annæ, sufficit ei dispensationem petere in gradu affinitatis, quam contraxit cum illa per matrimonium ratum, quod inivit cum anna.

XIV. Dum impedimentum certum, in petitione exponitur ut dubium, dispensatio est nulla; etiamsi causa ob quam petitur dispensatio, sit legitima, & vera (v. g.) Si Petrus certus de voto castitatis à se emisso, peteret dispensationem de ipso tanquam de voto dubio, certissimum est quòd dispensatio obtenta, esset nulla; quamvis eam peteret propter realem stimulum carnis: tunc enim error voluntarius esset in ipsamet substantia rei, super quam cadere debet dispensatio, & moveret ad concedendam dispensationem, & ideo esset subreptitia; ut facilè colligitur ex Can. *Super litteris* de rescriptis. Ubi Innocentius III. ait *Super litteris quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia (tacita veritate, vel suggesta falsitate) impetrantur à nobis: diversos intelleximus diversa sentire, alijs asserentibus eos debere prorsus carere omni commodo litterarum cùm mendax precator carere debeat penitùs impetratis: alijs verò dicentibus, quod & si forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus juxtà rigorem juris sit à delegato judice in negotio procedendum: nos igitur inter eos, qui per simplicitatem, vel ignorantiam litteras à vobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam; ut hi qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in sua perversitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum consequantur; ita videlicet quod delegatus (postquàm sibi super hoc facta fuerit fides.) nullatenus de causa cognoscat. Inter alios*

autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum, qua falsitas suggesta fuerit, vel qua veritas sit suppressa; nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata qua quamvis fuisset tacita, vel expressa, nos nihilominus (saltem in forma communi) litteras dicemus, delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat; si vero per hujusmodi falsitatis Expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, littera fuerint impetrata, qua tacita vel expressa; nos nullas prorsus litteras didissemus à delegato non est aliqua tenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam prasentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat; ut sic in utroque casu, eadem ratio qua delegantem moveret, moveat etiam delegatum, & ubi delegans litteras denegaret; delegatus etiam sua cognitionis officium nullatenus interponat. Hoc quidem textu annullantur dispensationes subreptitié obtentæ, inter quas hanc de qua agitur reponere licet.

XV. Nulla quoque esset dispensatio in cujus petitione plures exponerentur causæ, ex quibus aliquæ essent falsæ, & aliquæ veræ; quoniam subreptitia, aut obreptitia esset: ut ex citato Canone facilè colligitur: cùm expositio manifestam contineret falsitatem, ut supponimus, & rescriptum, seu dispensatio non teneat, si aliquid supprimatur ex iis, quæ movere possunt animum principis ad dandum rescriptum, vel denegandum, ut inquit glossa in D. can. verbo *litteras didissemus*. Causa enim falsa posset movere ad dispensationis concessionem; ut probari potest hoc exemplô (v. g.) Petrus allegat ex una parte copulam cum consanguinea in secundo gradu habitam, & ex alia allegat infamiam & scandalum, una ex his causis est vera, & altera falsa; utraque autem movet ad dandum rescriptum, ut est evidens: & consequenter juxtà mentem glossæ annullat illud. Nec valet dicere quòd causa falsa est tantum inutilis, ac proindè non vitiat causam veram, quæ utilis est; cùm ex regulis juris in 6. Utile per inutile non vitietur. Quia causa falsa non est inutilis tantum, sed etiam vitiosa; cùm apponatur fraudulenter, aut influat in dispensationem, seu moveat dispensantem; qui nullam intendit elargiri dispensationem, dum ratio est falsa. Quapropter Concilium Tridentinum sess. 22. de reformat. cap. 5. Dispensationes committit ordinario, ut eas examinet. dispensationes (inquit,) *Quacumque authoritate concedenda, si extrà Romanam curiam committenda erunt, committantur ordinarijs illorũ, qui eas impetraverint. Ea vero, qua gratiosé concedentur, suum non sortiantur effectum; nisi priùs ab eisdem, tanquam delegatis Apostolicis, summariè tantum, & extra judicialiter cognoscatur, preces expressas subreptionis, vel obreptionis vitio non subjacere.*

XVI. Non modica difficultas est, an qui petit dispensationem in voto castitatis pro matrimonio contrahendo, seu cum explicatione finis intenti ineundi matrimonium, & eam obtinet, & posteà nubit, possit tenore hujus dispensationis, mortuâ uxore ad alias nuptias transire, si in petitione non exposuerit se velle tantùm semel matrimonium inire? Plures negant: volunt enim hanc dispensationem solùm prodesse ad hoc; ut unicum tantùm matrimonium licitè possit celebrari. Eorum ratio est. Quia dispensatio est relaxatio juris, quæ reviviscit, sublatâ causâ ob quam data fuit; ut patet de illis, qui dispensantur in jejunio, aut in labore in die festo, qui sublatâ causa tenentur jejunare; & à labore se abstinere in alio die festo; ac proindè dispensatus in voto castitatis pro contrahendo matrimonio, ipsô per mortem dissolutô, cessat relaxatio, & reviviscit voti obligatio, quæ cùm sit ad vitam, non cessat per mortem uxoris. Alij quales sunt Sanchez, & Basilius oppositam tenent sententiam, asserunt illum qui emisit castitatis, aut religionis votum, & posteà obtinuit dispensationem contrahendi matrimonium, posse ad secundas nuptias licitè transire, absque nova dispensatione, prioribus solutis. Hæc posterior opinio videtur mihi probabilior, & tenenda, nisi dispensatio expressis verbis ad unicum matrimonium restringatur: nam dispensatio secundùm se sumpta, est relaxatio juris, cum cognitione causæ, facta ab eo, penes quem est legitima relaxandi facultas. Hæc autem relaxatio, si conditionata non sit, est absoluta relaxatio voti, & ipsâ, voventi allevatur obligatio observandi votum, quæ quidem obligatio reviviscere nequit absque novo voventis consensu; cùm votum sit liberum, & à sola voventis voluntate procedat: igitur votô semel su-

blatô, aut relaxatô, non est quod impediat transitum ad secundas nuptias. Summus Pontifex aliquandò restringit dispensationem ad primum matrimonium, idque expresśé exprimit in rescripto; ut indè constet, omissâ hac clausulâ, dispensationem esse absolutam, & valere pro secundis nuptijs, prioribus solutis.

XVII. Nec nocet ratio adversariorum: quia hæc juris dispensatio, aut relaxatio, est quasi extinctio, aut remotio juris, & sic dispensatus in voto castitatis, remanet omninò liber, sicut erat antè voti emissionem, ac proindè non potest iterùm ligari, nisi de novo promittat castitatem, ad quam à se ipso obligari potest; nemo enim ex jure obligatur votô, nisi se obligare intenderit; igitur non reviviscit hoc castitatis votum, sublato matrimoniô, ob quod concessa fuit dispensatio, nonobstante paritate adducta de jejunio, & labore, quorum dispensatio mensuratur necessitate non jejunandi, & laborandi; quæ cùm non sit ad vitam, nec perpetua, dispensatio cessat, & finita censetur cessante ipsâ necessitate; sed dispensatio voti castitatis pro matrimonio contrahendo concessa, aliter se habet; fundatur enim (saltem remotè) in remedio concupiscentiæ, quod dispensando erat illicitum, atque prohibitum ratione voti, relaxatione non obtenta, quod quidem remedium est necessarium; etiam post dissolutionem matrimonij contracti ex vi dispensationis: itaque non cessat dispensatio; cùm non cesset absolutè causa ob quam concessa fuit; deindè dispensatio, non fuit concessa parti defunctæ, sed viventi votô ligatæ: ideoque remanet dispensata post mortem alterius conjugis, sicut erat anteà; cùm matrimonium, quod indissolubile est, contrahatur ad vitam, & dispensatio pro matrimonio contrahendo concessa, sequatur naturam matrimonij, sicut accessorium sequitur naturam principalis.

XVIII. Cùm non ad sæcularé, sed ad Ecclesiasticam potestatem pertineat in impedimentis matrimonij dispensare, ad eamdem quoque spectat judicare causas matrimoniales, modò non sint merè civiles, quales sunt causæ dotis, & donationis propter nuptias, quæ in hoc regno subjiciuntur jurisdictioni, aut foro sæculari, ut probat usus. Ratio partis hujus articuli principalioris est. Quia causæ matrimoniales de quibus loqui intendimus, tendunt ad validitatem sacramenti, vel ad indissolubilitatem vinculi maritalis, aut Thori conjugalis. Ideòque ad sacramentorum ministros, aut Ecclesiæ Prælatos pertinere debet matrimonialium causarum judicium; de hac re plura senatus consulta adducunt Doctores Gallicani, quibus causæ matrimoniales, & impedimentorum tam dirimentium: quàm non dirimentium notitiam remittunt ad Episcopum, quamvis supremæ curiæ recipiant eos, qui à sententia Episcopi appellant tamquam ab abusu.

XIX. Matrimonium legitimè contractum tria bona confert; primum est conjunctio indissolubilis inter virum, & uxorem, conjunctionem Christi cum Ecclesia significans, quâ conjuges sunt duo in carne una, simul, nubunt, & quasi unô jugô astringuntur; ut colligi potest ex hac matrimonij deffinitione. *Matrimonium est signum sensibile conjunctionis Christi cum Ecclesia, à Christo Domino institutum promissionem habens gratiæ, personas legitimé conjunctas, ad individuam vitæ societatem unientis.* Undè Apostolus ut hanc conjunctionem, aut unitatem conjugum demonstret, ait ad Ephesios cap. 5. *Viri diligere debent uxores suas, ut corpora sua; qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit: nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Hæc conjunctio, quæ est bonum Matrimonij, & solitò dicitur bonum sacramenti, consistit in conjunctione animorum, corporum, & cordium. Prima significat conjunctionem animæ Sanctæ cum Deo justificante, & beatificante: qui enim adhæret Domino, unus Spiritus est, inquit Apostolus 1. Ad Corinth. cap. 6. Igitur ut conjuges sint verè conjuges, & duo in carne una, necessè est, ut unus adhæreat alteri; ut suadet Apostolus loco citato ad Ephes. cap. 5. ubi ait *Propter hoc relinquet Homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: Quod enim de viro dicit, mutuò intelligendum est, scilicet de muliere respectu viri. Secunda significat conjunctionem duarum naturarum, videlicet divinæ, & humanæ, in unitate personæ. Tertia autem significat unitatem uxoris, seu sponsum, unicam sponsam habere posse; Christus enim est sponsus unicus, unius Ecclesiæ.

XX. Secundum est fides matrimonij, quæ solitò dicitur fides conjugalis, quam

conjuges mutuò servare debent, usque ad finem. Hoc bonum proclamat Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: uxor viro debitum reddat.* Solemnis quidem corporum donatio obligat ambos conjuges ad servandam fidem conjugalem. Idem declarat Apostolus loco citato dicens, *ijs autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*; quòd intelligendum est; nedùm de cohabitatione, seu de vinculo matrimonij; sed etiam de fide conjugali; cùm non intendat tantùm excludere matrimonium cum alio viro, vivente adhuc marito; sed etiam copulam cum alio viro.

XXI. Bonum fidei conjugalis est triplex. primum respicit animam, secundum corpus, tertium verò honestatem. Animæ bonum est ob fugam fornicationis, quæ est peccatum maculans animam: Undè Apostolus ait *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem, unusquisque uxorem suam habeat, & unaquaque suum virum habeat.* His verbis Apostolus medicinæ cælestis peritus, non tam sanos instituit, quàm infirmis medicamenta monstravit: ait Sanctus Gregorius part. 3. Pastoral. cap. 18. idque confirmat D Augustinus lib. de bono. conjugali cap. 1. ait *mihi videtur hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam Apostoli sententiam; quòd si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quàm uri.* Corporis bonum est ob solatium, & mutuum officium, quæ sibi invicem præstant conjuges in vitæ societate, & rei familiaris administratione: ex conjunctione enim animorum, corporum, & cordium officiosus nascitur amor; ac proindè utriusque conjugis bonum temporale. Ex solemni corporum traditione infertur etiam hujus boni argumentum: quia dum quis se dat alteri, nedùm dat se, sed etiam quæ sua sunt ratione corporis: utpotè laborem, curam, aliosve actus, qui corporis bona concernunt. Deniqué fides conjugalis causat bonum honestum: quia facit honestam, atque meritoriam societatem, quæ aliàs turpis esset; cùm conjugibus dumtaxat liceat simul habitare, & potestatem habere in corpus.

XXII. Tertium matrimonij bonum, est filiorum procreatio, quæ est primarius hujus sacramenti finis: in hac filiorum procreatione duplex bonum habent conjuges, nimirùm cives, qui replent civitatem Dei nostri; ut probat illud *finite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum*, & imagines in quibus repræsentantur. & vivunt juxtà illud Eccles. 30. cap. *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domûs contrà inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Quibus verbis constat patrem in filio multa habere bona, scilicet similem sibi, nam quemadmodum Deus creando Evam, fecit eam similem Adæ; cujus erat pars; Ita pater generando filium, facit similem sibi; Facit insuper consolatorem, hæredem, defensorem Domûs suæ, & fidejussorem, qui debitas persoluit gratias pro beneficijs, & amicitiæ signis, quæ recepit in vita. His bonis matrimonium mitigat ea mala, quæ illi adhærent, & quæ sustinent conjuges, & præsertim mater: nam ex can. *ex litteris* de convers. infid. infans est matri onerosus antè partum, dolorosus in partu, & post partum laboriosius.

XXIII. Primum bonum reperitur in omni matrimonio; cùm quodlibet matrimonium consummatum sit indissolubile; quia quod Deus conjunxit nequit humana potestate separari; alia autem duo sæpè conjugio desunt. Primum putà bonum fidei deest, quoties adulterium committitur, vel debitum conjugale denegatur: Quia utrumque violat fidem in matrimonio promissam, estque contrà illud Pauli 1. Ad Corinth. cap. 7. *mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, similiter autem, & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier*, & ad Tim. 2. *docere mulierem non permitto neque dominari in virum*: quibus verbis constat mulierem esse subditam viro in administratione familiæ, quamvis habeat æquale jus in corpus, ideoque dum dat alteri corpus suum, violat fidem. Quia mulier (v. g.) quandò copulam habet cum alio viro, transfert alteri jus quod non habet, scilicet jus mariti; & dum denegat debitum viro suo, privat illum jure quod habet. Ideoque bonum fidei conju-

galis deest conjugio quoties vel adulterium committitur, vel debitum conjugale denegatur. Bonum prolis etiam sæpè deest matrimonio; quia non raró unus conjux est sterilis, aut continentiam ex mutuo consensu ambo servant, aut aliquod inconveniens accidit, quô invitis ipsis conjugibus, impeditur generatio, vel prolis susceptio. Ratio admittendi horum trium bonorum à Theologis assignata ut adverti, Becanus cap. 48. de bonis matrimonij, est:quia matrimonium habet quamdam speciem turpitudinis, ideoque inquit idem Doctor assignanda sunt hæc tria bona, ut matrimonij, aut cohabitationis viri cum muliere turpitudo tegatur, & matrimonium cohonestetur, verum quidem est quod hæc turpitudo non oritur ex primæva matrimonij institutione: quoniam nulla in eo fuit deordinatio in illo statu in quo creati fuerunt primi parentes juxtà illud Genes. 2. vers. 25. *erat autem uterque nudus, Adam scilicet, & uxor, & non erubescebant*, sed provenit ex peccato ab ipsis parentibus contrà legem Dei commisso,per quod aperti sunt oculi amborum, Adæ scilicet, & Evæ, non quòd priùs cæci fuissent, ipsi primi parentes cùm constet ex scriptura adamum fuisse creatum, rectum, ac positum in Paradiso voluptatis ut operaretur, & custodiret illum, ut patet ex Gen. Cap. 2. ver. 15. Sed quòd tunc primùm rebellionem membrorum, libidinisque motus experti sint. Utinam ergo non peccassent, ut nulla fuisset concupiscentia oculorum, nullaque superbia Vitæ, sed perfecta unio hominis cum Deo optimo maximo cui laus, honor, & gloria.

FINIS.

INDEX

RERUM OMNIUM NOTABILIUM Quæ in his dissertationibus Ecclesiasticis continentur.

Prior numerus Paginam, alter numerum marginalem designat.

Aqua.

Attritio.

Avaritia.

Author.

B

Baptismus.

Beneficium beneficiarius.

tenetur

Concubitus.

Conductio conductor.

Confessarius.

Confessio.

Confirmatio.

Conscientia.

Dominus.

Donatio.

Dubium.

E

Ecclesia.

Eleemosyna.

Emptio.

Episcopus.

Examen.

Excommunicatio.

Excommunicatus

F

Festum.

Fides.

Fidejussio.

Filius.

Fornicatio.

Fur, Furtum.

G

Gabella.

Generales ordinum.

Homo.

I.

Jejunium.

Ignorantia.

Job.

Irregularitas.

Itineratio.

Judæus.

Judex.

Judicium.

Juramentum.

Jurisdictio.

Juspatronatus.

Justificatio.

L

Laici.

Lectoratus.

Lex.

Libri.

Licentia.

Littera dimissoria.

Locator.

Locus.

Lotio.

Lucrum.

Mater.

Matricularis.

Matrimonium.

Medicina.

Mendacium.

Monachus.

Monasterium.

Monialis.

Monitorium.

O

Obedientia.

Oblatio.

Odium.

Officium divinum.

Papa

Peccatum.

Peculium.

Pensio.

Pensionarius.

Percussio.

Pœnitens.

Pollutio.

Polygamia.

Purgatorium.

Regula.

Regulares.

Religiosus.

Resignatio.

Restitutio.

Sacrificium.

Satisfactio.

Sententia.

FINIS.

615